DIVINVS
PYMANDER
HERMETIS MERCVRII TRISMEGISTI

CVM COMMENTARIIS,

R. P. F. HANNIBALIS ROSSELI
Calabri, Ord. FF. Minorum Regularis Obseruantiæ
Theologiæ & Philosophiæ ad S. Bernardinum
Cracouiæ olim Professoris.

TOMVS QVINTVS,

In quo agitur de Elementis, & descriptione
totius orbis.

OPVS VERE AVREVM RECONDITAQVE SAPIENTIA
refertissimum, ac proindè cuiuis arcana Dei scire
cupienti vtilissimum.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Ex Officina Choliniana, Sumptibus PETRI Cholini.

Anno M. DC. XXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Capita præcipua eorum, quæ in hoc Tomo Quinto continentur.

INVICTISSIMO STEPHANO PRIMO, REGI POLONIÆ Serenissimo.

FRATER HANNIBAL ROSSELI SACRAE THEOLOGIÆ, *& Philosophiæ Professor,*

OMNE FELICITATIS GENVS A DOMINO IESV.

QVanquam ea sapientia atque prudentia serenissimam maiestatem tuam ornatam esse non ignorem: vix vt quicquam dici scribiq; possit, quod non ipse priùs exploratum habeas, atq; animo conceptum meditatumque teneas; benigno tamen animo vt assoles, S. M. T. ferre spero, boniq; consulere, si aliquid scripsero, quod ipse minimè ignotas: audiens enim sapiens, sapientior erit: Deiq; in hoc maximè commendatur benignitas, si quædam à rudioribus interdum dicantur, quę etiam sapientibus & Regibus poterunt prodesse: Loquebar, inquit Dauid, de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar. Rogo ergo sapientissime Stephane, vt hæc legere mihi nõ deneges, quæ de Regis munere, deq; eius conditionibus, quæ inuentu difficiles sunt, pro mea tenuitate, curtaq; supellectile breuiter exaraui. Exordiar autem potissimum à sententia D. Platon. 10. Dial. de legibus: Quoniam rex ille noster, inquit, actiones hominum omnes animatas esse prospexit, idcircò excogitauit, vbi pars quæq; locata maximè optimeq; virtuti victoriam, vitio verò ne vincat, impedimentum in vniuerso præbere possit. Proindè in rerum ordine nihil contingere potest, quod Dei potentiam atque sapientiam effugere queat. Alioqui quomodo erit perfecta mundi gubernatio, & sapientissima & continua eius conseruatio, si à fortuna & casu, si à re incerta variaq; proficiscatur? Et reuera ipsa mundi creatura, eiusque coaptatio, pariter & gubernatio, magnitudinem diuinæ insinuat naturæ. Sanè, Cicero de natura Deorum hanc partium mundi coaptationem, librum naturæ sapientissimè nuncupauit, nempè ipsam mundi dispositionem, singulas creaturarum species pulcherrimo ordine complectentem, quæ abundè nobis persuadere potest fato aut casu mundum minimè gubernari. Quamobrem præclarè dictum est à Plotino, totum mundum prouidentia quadam imperatoria gubernari, cernente actiones & passiones, & quæ adesse oporteat alimenta, arma, machinas; & quæ sunt generis eiusdem. Itaque omnia procedunt ab vno potentissimo atque sapientissimo imperatore; tametsi ab eo aliena sint, quæ hostes inferre conantur: Omnia, inquit Aristoteles, coordinata sunt, sed non similiter, & natatilia, & volatilia, & plantæ, ad vnum quidẽ omnia ordinata sunt. Sapientissimus Mercurius in Pymandro: Suscipe, inquit cœlum, solem, lunam: suspice syderum ordinem reliquorum, quis agè perpetuum horum seruat ordinem? ordo quippè omnis numeri, locique limitib. terminatur. In Asclepio autem vocat principem mundi Vsiam, quem alios deos siue Angelos sequi affirmauit. Plato in Phœdro Mercurium secutus: Magnus, inquit, dux in cœlo Iupiter, citans alatum equum, incedit, exornans cuncta, prouideque disponens: hunc sequuntur deorum exercitus. Rectè ergo dictum est à D. August. lib. 19. de ciu. Dei c. 13. Pacem omnium rerum esse tranquillitatem ordinis. Quamuis, inquit Lactantius, Poetæ Deum carminibus ornauerint, sæpissimè tamen confitentur, spiritu vel mente vna contineri regique omnia. Orpheus vetustissimus poëtarum, cùm inter Argonautas, cùm Tyndaridis & Hercule nauigasset, Deum verum & magnum, protogon, id est, primogenitum nuncupauit: quòd ante ipsum nihil sit genitum, sed ab ipso cuncta sint generata. Ad hunc etiam modum loquitur Cicero: Nihil præstantius Deo, inquit: ab eo ergo regi mundum, necesse est. Nulli igitur naturæ obediens est, aut subiectus: omnem ergo regit naturam. Sanè, cùm vnus sit mundus & non plures: vnus igitur est mundi gubernator. Entia nolunt malè disponi: pluralitas principum mala: vnus ergo princeps. Ego sum Dominus Deus tuus, dicit scriptura Exod. 20. Non erunt tibi dij alieni præter me. Profectò, Deus per omnia est perfectus, si multos asserimus deos, & in multis differentiam esse oportet. Nam si nulla in ipsis differentia; vnus potius & non multi: si autem differentia in ipsis, vbi perfectio? Quomodo præterea si multi diuersiq; sint, incircumscripti erunt? Quandoquidem vbicunque fuerit vnus, nequaquam erit alter. Si dixerit quispiam, quia quisq; parti suæ dominatur: quis est huius distributionis ordinator? Ille sanè valentior fuerit & iure Deus. Vnus ergo primus mundi gubernator. Is autem cùm intelligeret, inquit Plat. 4. de legibus, nullam hominum naturam, res humanas ita gubernare posse; vt si omnibus arbitratu suo dominetur, lasciuiori superbia iniustitiaque non repleatur. Cùm hæc, inquam, non ignoraret, non homines, sed diuinorum præstantioris q; generis angelos, ciuitatibus nostris, reges principesq; præfecit: quod nunc nos in ouium gregibus facimus; non enim bobus boues, nec capris capras præficimus, sed nos ipsi genus melius dominamur. Itaque diuina ordinatione instituti sunt Reges, & præfecturæ omnibus tum in hominibus, cùm in angelis: Ego, inquit, constitutus sum Rex ab eo in monte sancto eius. Vnde innata est omnibus quædam naturalis cupido: & ita sumus à natura instituti; vt nemo libenter obtemperet, nisi rectè & legitimè imperano. Etenim quæ à Deo sunt, ordinata sunt, inquit Apostolus: & qui Dei ordinationi resistit, Deo resistit, & damnationem sibi acquirit. Igitur, qui Regi rectè & legitimè imperanti obuiare contendit; Deum proculdubio contemnere cõuincitur. Quamobrem quælibet gens, etiam barbara, & à sanctis legibus aliena, immò animantia rationis expertia, tanto honoris zelo, tanta animi reuerentia, tantoq; naturalis amoris affectu Regem suum prosequitur, tuetur, & obseruat; vt in Regis vita & salute, totius regni, gentis atq; multitudinis vitam atq; salutem sitam esse arbitretur. Probitas Regis, vita populorum: improbitas & lapsus Regum, pœna populorum: sicut enim virtute eorum seruamur; ita etiam errore periclitamur: vnde optandum est nobis, vt Regem iustum, prudentem, temperatum, atque perfectum habere possimus. Nam si Rex fuerit auarus, ciuitates exhauriet, sacra ac profana omnia venalia habebit: nihil amplum, nihilq; magnificũ animo agitare poterit. Si verò fuerit ambitiosus, omnia perturbabit: internis & externis bellis regnum concutiet: recentiq; semper cruore gaudebit; habet enim pro virtute iram, pro consilio furorem, pro ratione impetum. Si fuerit intemperatus, omnia implebit libidinibus: & turpissimis voluptatibus irretitus, tanquam sus in cœno perpetuò volutabitur:

quid

quid à tali Rege boni sperari, aut quid mali potiùs non metui potest? Si fuerit imprudens, sanguinarius & crudelis, regnũ euertet, depopulabitur prouincias, demolietur ciuitates, omnia implebit incendijs, flagitijs, cædibus, nihil sanctum, nihilq; quietum relinquet: Væ tibi terra, cuius Rex puer est. Summa ergo totius regni, salubritas populi, vrbium tranquilitas, pacificus hominum status, abundantia omnium rerum, religionis propagatio, vitiorum repressio, virtutum promotio, ex probitate & improbitate Regis dependent. Decet ergo Regem liberalem esse, temperatum, sobrium, castum, prudentem, iustum, perfectum, prouidum, circumspectum, religionis propugnatorem, vitiorũ destructorem, non acceptatorem personarum, non turpis lucri cupidum, sed imperterritum, benignum, sanctum, tanquam luminare maius in medio populorum, tanquam lucidissimum speculum non aliqua macula aspersum. Rex apud Indos cùm in publico conspicitur, thuribula præportantur, totumq; iter per quod fertur, odoribus completur: aurea lectica, margaritis circumpendentibus recubat. Rex apud Tartaros in throno aureo collocatur, atq; vnanimi & excelsa voce omnes in hunc modum acclamant: Rogamus, volumus, præcipimus, vt domineris nobis. In Sigillo Regis, hæc superscriptio: Deus in cœlo, & Cham in terra. Bactrianorum regnũ eo tempore floruisse legimus, quo eius Rex erat Zoroastres philosophus. Vnde apud Ægyptios ex philosophis Sacerdotes, & ex Sacerdotibus Reges eligebantur: ideoq́ue Mercurius, ter maximus dictus est, vnq; philosophus, sacerdos, & rex maximus. Potentissimum fuit regnum Assyriorum sub Nino Rege: infelicissimum sub Sardanapalo: post cuius interitum Medi potiti sunt Asiæ imperio. Ex Medis ad Persas, ex Persis ad Magnum Alexandrum deuolutum: postremò ad fortissimum & amplissimum Romanorum regnum peruenit. Sed heroicis illis & illustribus regibus extinctis, ita concussa sunt regna illa amplissima, ita inculta, & suo antiquo splẽdore orbata iacẽt, vix vt vestigium aliquod illius diuinioris status inueniri possit. Attila metus orbis, Deiq; flagellum, dum Vngaris præesset, plurimæ prouinciæ, potentissimæ vrbes, amplissima regna, Vngaris quotannis tributa pendebant: at eo extincto, Longobardi, Gothi, Carol. Magnus, postremò impius Turca ditissimum atque florentissimum regnum occupauit. Cùm S. Stephanus Rex Vngaros regeret, sanctisq; legibus imbueret, anno salutis 997. omnibus bonis regnum exuberabat, pace, tranquillitate, victoria, rerumq́ue omnium abundantia. Emericus eius filius paternę sanctitatis ęmulus, regnum optimè gubernauit. Andreas consanguineus D. Stephani promulgauit edictum: Quicunque Vngarus veram Christi fidem non tenuerit, & sacram legem à D. Stephano traditam non seruauerit, capitalis esto. Proh dolor, vbi sunt illi Reges sancti, Catholicæ fidei defensores? Amurathus Mahometis filius, septimus Turcarum Imp. cùm ingenti hominum multitudine Vngariam, & Transiluaniam depopulabatur: sed virtute & industria Illustriss. Ioann. Hunniadis, terga vertere coactus est, ita, vt planicies Transiluaniæ cadaueribus repleretur. In conflictu illo terribili cum eodem Amuratho, qui trium dierum ac noctium spatio continuatus est, Vladislao Rege fortissimo interfecto, Hunniades cæterique se fugæ commiserunt, tantùm roboris habebat Regis præsentia, metus verò, eiusdem interitus. Solymanus vndecimus Turcarum Imp. cùm ducentis hominum millibus Vngariam aggressus: dum ei cum parua manu militum occurrere nititur, Sereniss. Rex Ludouicus, inter fugiendum in palustrem quandam foueam descendit, ibiq́ue mortem obire cogitur. Eia Inuictissime Stephane, eleua sacram dexteram tuam, quæ plena est armis, prudentia & fortitudine: pelle inimicos Christi de regno eius: non deerit tibi auxilium à Christo Domino: non deerunt principes Christiani: Domuisti superbum Moschum, hunc quoque tyrannum ex Christianorum finibus extrudere poteris. Quid dicam de inclytis & inuictis Poloniæ Regibus? de Boleslao, qui ab Otthone Imp. I. Poloniæ accepit coronam? Is plurimis fortissimisq; bellis gestis, in signum partæ victoriæ, in quatuor limitibus regni quatuor ferreas erexit columnas. Alter verò rex perditam regni coronam, sua virtute & industria regno restituit: Casimirus, Sigismundus, alijque potentissimi Reges, Poloniæ regnum diuitijs multis, spolijs amplissimis, ditione latissima, honoribus maximis cumulare studuerunt. Veniã ad te Regem meum, Regum nostri temporis decus singulare: vtinam mihi liceat Dei dotes prędicare, quas in S. M. T. clarè omnes conspicimus, & admiramur. Quis est, qui ignoret Sereniss. nostri Stephani, regni Poloniæ Regis sapientissimi, prosapiæ nobilitatem antiquitatemq́ue ex Illustrissimis Ducibus Transiluaniæ propagatam esse, qui Catholicæ fidei eximij semper extitère cultores, elegantem sobriamq́ue educationem in disciplina militari, in studiorum eruditione, optimis semper moribus enutritam. Veniam ad res præclarè gestas in multis & varijs bellis, in quibus animi tui fortitudinem, prudentiam, acre & circumspectum ingenium, corporis robur, cordis magnitudinem, indefatigabilem tolerantiam laborum, exactam rei bellicæ disciplinam, consilij altitudinem summam, temperantiam, linguæ suauitatem & ornatum, responsa prudentum in ore gestantem, sobrietatem, silentiũ, potus & cibi moderatam parcitatem, mirificè omnibus ostendisti. Iam quantopere commendandum est illud tuum regium propositum, quo maximè vereris, ne Rex potiùs regno, quàm regnum Regi deesse videatur? Hannibalis Pœni in hoc potissimùm cõmendatur prudentia, quòd exercitum habuerit ex diuersis hominibus collectum, in quo tamen nullus tumultus audiebatur. Profectò non dissimilis, neque minor prudentia visa est in bellis tuis priùs fortiter gestis, & in pace, qua omnes fruimur; vt propterea, mihi videatur felicissima Polonia, quòd talem Regem talemq́ue Reginam hisce nostris temporibus sortita sit: quorum alter prudentia, armis, animi ac corporis robore: alter verò lachrymis, assiduis precibus, pietatisq; operibus Poloniam tueretur: quorum insignis pietas pari studio certat, bellorum & opinionum tumultus componere, prolapsosq́ue Christiani populi mores instaurare. Ipse cùm hæc mente complecterer, cupiebam S. M. T. aliquod gratitudinis signum ostẽdere, sed nihil in me inueniebam, quod tanto Regi à me dignè posset offerri. Verùm animos mihi addidere, Reuerend. D. Hierony. Pouodouski, Archipresbyter Crac. &c. & D. Christoph. Varsauicius, egregius Orator S. M. T. vt quintum Pymandri librum Inuictissimæ M. T. dicarem. Suscipe ergo, quæso, Clementissime Stephane quintum Mercurij librũ, sub felicibus auspicijs tuis in lucem prodeuntem; habes enim Regem antiquissimum, atq; sapientissimum, de elementis & hominis virtute, deq́ue ecclesiæ vnitate & magnitudine egregiè differentem: habes omnium Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum propemodum omnium ordinatam successionem, vitam, mores, successus, pugnas, denique interitum & mortem. Deus optimus maximus, omnium bonorum author, ad multos annos conseruet nobis S. M. T. incolumem & felicem, ad ipsius laudem, ad felicissimæ animæ S. M. T. profectum, & ad omnium nostrum vtilitatem & honorem, Amen.

Datum Cracouiæ ex Monasterio S. Bernardini, 4. Calend. Iunij 1586.

PYMAN-

PYMANDER MERCVRII TRISMEGISTI.

Cum Commento

F. HANNIBALIS ROSSELI CALABRI,

Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ.

Dialogus Quintus:

DE CREATIONE MVNDI.

TEXTVS MERCVRII TRISMEGISTI.

Vniuersum mundum, verbo non manibus, fabricatus est opifex.

Commentum primum.

MVndum habuisse à Deo omnium opifice atque parente, non solum dependentiæ, verumetiam originis, atque creationis principium; sapientissimus Mercurius, tum in libris præteritis, tum etiam in hoc quinto, clarissime docet. De quo profecto negotio, non pauca in primo Pymandri disputata sunt à nobis vbi adductis, examinatisque plurimorum philosophorum sententiis, quid rei veritas haberet, satis constare putamus. Verum quia denuo sese offert occasio disputandi, Magno Mercurio ad hoc nos excitante, atque docente, aliquid addere placuit. *Vniuersum*, inquit hoc est, omnia cum visibilia, tum etiam inuisibilia. *non quidem manibus*, labore scilicet, aut aliquo temporis interuallo, motu prætereæ interueniente: quæ enim manibus fiunt, absque huiusmodi rebus fieri non possunt; *sed verbo*, hoc est, solo nutu, atque voluntatis imperio, *fabricatus est opifex*. (*Textus expo.*) Quod si omnia à summo mundi opifice condita sunt, suæque habent creationis exordium: motum igitur atque tempus, ab æterno extitisse, affirmare non possumus: omnia ergo habent principium creationis; siquidem omnia habent principium, vt paulo post ipsemet in eodem dialogo, constantissime docet: (*Omnia habent principium creationis.*) *Monas*, inquit, *omnium principium est, radix atque origo absque vero principio nihil.* Sensus est, Deus benedictus, qui est vnus mundi pater, atque opifex, est omnium principium; quia nimirum ab eo esse acceperunt omnia radix, ex qua cuncta viuunt: origo, vnde vniuersa manarunt. In causa est, quia omne, quod in rerum natura existit, aut est principium, aut principiatum, siue principium habens sui esse; nihil enim est à se, nisi ipsum principium, cui proprie conuenit esse: principia autem non sunt multa, sed vnum, vt communis est omnium propemudum philosophorum sententia. Omnia igitur, excepto duntaxat ipso principio, *fabricatus est opifex Deus*, mundi pater, atque gubernator. (*Omnia à Deo sunt condita.*) Neque illorum ratio est recipienda, qui in hac materia vti consueuere; cœlum scilicet & inferiorum naturam à Deo dependentiæ quidem, non autem creationis principium habere; siquidem quod principium sui esse, ab aliquo non accipit, nec etiam dependentiæ. Quod si cœlum atque inferiora à Deo esse non acceperunt creationis: sunt ergo Deo paria siue æqualia sicque non vnum, sed multa principia prima, quod plane veræ, sanctæque philosophiæ minime placet. Porro, Deum esse omniū vnum principium, in 3. Pymandri abunde copioseque demonstrauimus. Dial. 5. hoc idem clarissime ostendit: *Siquidem*, inquit, *vno intuitu motu, seriem mundi istius comprehenderes, immobilem factorem, Deum omnium artificem.* (*Dial 5. Ordo vniuersi.*) Quasi diceret: per ea quæ facta sunt, illorum artifex cognosci potest sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Et reuera, *ordo à deformitate fieri non potest: eget ergo domino, qui ordinem prebeat. Etenim cum statuam & imaginem absque fabro & pictore fieri nullus asserere audeat, miram mundi huius constructionem sine conditore constitisse putabimus? ô cæcum homunculum, ô nimium impium, ô profunde obrutum ignorantiæ tenebris? Caue ô fili Tati, ne vnquam artificium priues artifice.* Et est sensus, si artificiata suapte natura præseferunt artificem, vt ex statua fabrum, & ex imagine pictoris sapientiam agnoscamus, putabimus pulcherrimum vniuersi ordinem, qui profecto est ingens statua, & viua imago sapientissimi artificis Dei, proprio carere artifice? (*Mundus est imago Dei.*) Caue ne tam magnum mundi artificium proprio priues artifice. Insipientis est hoc animi, & ignorantiæ tenebris obuoluti cordis. Itaque, qui rerum creationem negarunt, aut negare contendunt, in maximis versantur ignorantiæ tenebris & qui in tenebris ambulat, nescit quo vadit; quia tenebræ excæcauerunt oculos eius. *Deus, inquit, est ingenitus, omnium author. mundus vero ab eodem est genitus, seruatus, nutritus, & immortalitate donatus, velut à proprio patre* (*Dial 8.*) Non ergo à se habet mundus immortalitatem: sed à suo patre Deo. In Asclepio, eandem comprobat, affirmatque sententiam: *Licebit, inquit pictori cælum, & deos, & terram, & mare, & homines, brutaque omnia, & inanimata depingere, Deo autem erit impossibile? ô dementiam, imperitiamque incredibilem erga Deum? Tales enim patiuntur rem nouam, & inusitatam. Nam cum asserant se Deum benedicere, quod ei non ascribant omnium creationem, neque Deum norunt, & præterquam ignorant, etiam in eum peccant grauissime, ei vel superbiam, vel imbecillitatem tribuentes. si enim non creat omnia, aut superbus est, aut imbecillis, quod impium est, Deus enim veram solam habet affectionem bonitatis; bonus autem neque superbus est, neque imbecillis, hoc autem est Deus.* (*Deus creat omnia.*) Nam bonum est vniuersalis potestas cunctorum creandorum: omnis autem res creata & generabilis, à Deo creata est:

De mundi creatione. est quod est boni, & omnia creare. *Aspice vero & quomodo ipsa creat: & quæ creantur, quomodo fiant. Quod si velis, licet tibi pulcherrimum, simillimumque cernere exemplum. Aspice agricolam semen iacientem in terram, alibi quidem frumentum, alibi vero hordeum,* *Exempla creationis.* *alibi sementem alterius generis. Eundem aspice vitem plantantem, & malum punicum, cæterasque arbores: sic Deus in cœlo quidem seminat immortalitatem: in terra vicißitudinem: in vniuerso vitam & motum.* Hæc Mercurius, ex quibus creationis negotium, satis patere arbitror. In primo Pymandri Dialogo, vidit, atque didicit mundi creationem, Pymandro illum docente: *Elementa,* inquit, *mundi vnde manarunt: Ex voluntate Dei, ait, quæ verbum, intuitaque pulchrum mundum, imitata est.* *Timæus.* Timæus Locrensis, & Plato vocant mundum exemplarem mentalem, ad cuius imaginem, siue imitationem Deus fecerit mundum sensibilem, hancque potissimum causam celebrarunt, & de ea copiose scripserunt. *Plato.* Nam Plato in Timæo, non solum corporalium, verumetiam Deorum, hoc est, angelorum, Deum esse factorem seu creatorem, fatetur. *Duo genera Deorū.* Duo autem genera deorum seu angelorum ponit: quorum alterum cœlestes intelligentias nominat, de quibus in Timæo, & in Epinomide differit: alterum obscuros, non ita videlicet apparentes sicut sydera; de quibus eisdem etiam locis loquitur. Vtrumque autem genus à mundi opifice creatum esse, non obscuris verbis affirmat: *Vt*, inquit, *visu esset clarissimum ac pulcherrimum æthereum corpus, reddens id vniuerso simile circulare fecit: & ex igne ferme totum.* Paulo autem *Angelos à Deo esse creatos.* ante, de generibus animalium loquens: *Vna* (inquit) *species est, cœleste deorum genus.* Concludensque suam orationem, ait. *Quæ de visibilium ac genitorum deorum natura dicta sunt finem habeant.* Illud ergo genus à Deo genitum, id est, creatum (more philosophico loquens) clare profitetur: alterum quoque ab eodem opifice conditum esse, affirmat: *De dæmonibus* (inquit) *dicere, & eorum nosse naturales, maius est, quam facultas nostra: credendum est autem eorum filiis, qui se ab eis natos dixerunt. Sic igitur habet nostra opinio de ortu istorum deorum.* Et paulo post: *Posteaquam igitur* (inquit) *omnes, qui circumuagantur vrbes, & qui perspicue, vtcunque velint, ortum habuere Dij, hæc, qui creauit hoc vniuersum, ad eos affatus est. Dij deorum, quorum ego* *Dij deorum.* *rerum opifex, & pater extiti, quoniam à me facti estis certe me volente, dissolui non possunt; voluntatem enim meam vinculumque maius, & fortius assequuti estis, quam erant ea, quibus ligabamini, quando creabamini.* Vtriusque ergo generis deorum ortum, Plato aperte describit: natos omnes asserens à creatore mundi: vocat autem hoc secundum genus, Deos deorum, filios scilicet deorum; quoniam prædixerat eos natos ex cœlo & terra, quasi Deos ex diis: in quorum numero censet Tethyn, & Oceanum natos ex cœlo & terra. Apparet ergo omne deorum genus à mundi creatore factum esse: proinde Plato in Timæo, creatorem omnium rerum Deum esse protestatur. In decimo de repub. *Aspice* (inquit) *quemnam dicas δημιουργὸν opificem istum. Quemnam? illum, ait, qui* *Deum facere omnia.* *facit omnia: quæcunque singulus quisque opificum; idem enim iste artifex non modo omnia potest facere opificia, sed etiam facit omnia, quæ è terra nascuntur: & item animalia machinantur, cæteraque omnia, terram, cœlum, & Deos, tum quæcunque sunt, & quæ in inferis sub terra, hæc vniuersa efficit ille.* Addit Plato exemplum: An *Exemplum Platonis.* non percipis, quod etiam tu possis ratione quadam hæc cuncta facere? celerrime profecto si voles spectaculo accepto, eoque circumacto in omnes partes, exemplo facies solem, & cœlestia, mox etiam terram, mox etiam teipsum, cæteraque animalia, vasa, arma, artificia, plantas, & huiusmodi. Ita, inquit sed apparentia, non ad verum existentia bene: nam & pictor ratione quadam lectum apparentem facit non ergo facit rem existentem, sed similem. *Tres lecti sunt.* Igitur tres lecti sunt: vnus est in natura: alter quem facit architectus. tertius, quem facit pictor. Pictor, lectique faber, & Deus, hi tres præsunt tribus generibus lectorum. Deus ergo fecit vnum lectum, ipsam naturam, qui est lectus: duo autem tales, aut plures, neque plantati sunt à Deo, neque nascuntur. Itaque citra omnem ambiguitatem, Deum omnium rerum artificem esse prædicat Plato: assumitque exemplum speculi, quo in omnes partes conuerso, sicut omnia ab eo qui circumuertit, nascuntur simulate, & apparentur, sic à Deo vere creari vniuersa, eaque in momento ab eodem fieri. Lectus præterea, sicut omnis alia res, tres *Verus lectus.* habet locos, siue gradus: primus est ipsa veritas: alij duo, vtpote in speculo, & in pictura, sunt apparentiæ, simulationes illius veri. sic soles sunt tres: primus verus ipse in natura existens: alius vero in speculo: alius autem in pictura. vt autem per speculum, aut picturam fingere potest homo solem; sic Deus fingit solem verum, quia opus eius est veritas: ideoque Deus omnium rerum verarum artifex vniuersalis à Platone appellatur in Timæo, in Epinomide, in legibus, in Critia, siue in Atlantico. In Epistol. Deum vocat *De mundi creatione.* principium, medium, & finem, circum quem, & per quem sunt omnia. Et in Epist. ad Hermiam, Erastum, & Coriscum: Adiurantes, inquit, in amicitiis omnium rerum *Deus principium, medium, & finis.* Deum, principem præsentium & futurorum, & principis ac causæ patrem, & dominum. Quod autem in Epinomide, & in legibus, miris laudibus tollat cœlum, astraque cœlestia, eaque putet in numero Deorum habenda: non ita certe est intelligendum, quasi cœlo diuinitatem attribuerit; sed potius per astra, seu cœlum, intelligentias motrices intellexisse, quæ ab eodem Dii appellantur, lumina illa circumrotantes. Dæmones vero, alterum deorum genus, corporibus aereis, per vrbes, totumque mundum vagantur, principesque rerum humanarum in Symposio, & in legibus ab eodem dicti sunt. Apud Aristotelem autem tria sunt genera deorum. *Dæmones.* Dæmones, Intelligentiæ syderum, Dii, cœlicolæ cum summo deo, extra cœli, solisque vias habitantes: de quibus magis locutus Aristoteles, quam de dæmonibus. *Tria genera deorum.* Illud præterea mirabile est in Timæo apud Platonem, quod dicit Deum creare seipsum: vnde & à vetustissimis phil. Deus vocatur à se genitus, à se absolutus, à se ditissimus, à se natus: quibus profecto numinibus illius demonstratur æternitas. Etenim quod à nihilo esse non potest, nec ab alio nasci, necessario semper fuit: ideoque à seipso est: omnia vero alia ab eo creata sunt, solo verbo, non manibus (vt asserit sapientissimus Mercurius) cuius sane philo- *Verbo creauit omnia.* sophia quam proxime Moysis, aliarumque sanctarum scripturarum doctrinam imitatur, à quibus, omnia à Dei verbo condita esse, constantissime docetur: *Dixit,* inquit, *Deus fiat lux, & facta est lux,* & similia. Deum ergo esse omnium creatorem Mercurius asserit, & Plato.

CAP. II.

Orphei, aliorumque poetarum de rerum creatione, dogma.

POst Mercurii atque Platonis doctrinam de mundi creatione, ad vetustissimorum oracula poetarum transiimus, qui de huiusmodi negotio præclara scripserunt; vt sic vndequaq. pateat, quam turpiter errauerint, qui mundi creationem negauerunt: denique quam recte doceant Christiani, à quibus mundi creatio defenditur, & docetur. *Orpheus.* Porro Orpheum antiquitate, atque sapientia poetarum facile principem, de mundi creatione sic locutum fuisse legimus: *Fuerunt,* inquit, *intra louem cum vniuerso, ætheria, & cœli præclara sublimitas, immensique maris & telluris inclyta latitudo, oceanusque ingens, depressaque tartara terræ, fluminaque, & pontus, fons fiue & cætera cuncta: immortalesque omnes, beati Diique, deæque: quæ fuerint exorta, & quæ ventura sequuntur: hæc in ventre Iouis rerum compago manebat. Iuppiter ipse est primus: Iuppiter vltimus idem: Iuppiter & caput,* *Iouis laudes.* *mediumque, & cuncta Iouis sunt: Iuppiter est terræ fundamentum, cœlique micantis. Iuppiter idem Rex cunctorum, principiumque, vna, & deus vnus, magnus & author: vnum est regale, in quo hæc cuncta tenentur; omnia namque hæc in domibus Iouis magni iacent.* Itaque Orpheus appellat diuinitatem vetustissimam nomine Iouis; per Iouem enim viuunt omnia. Quamobrem omnia in *Omnia in visceribus Iouis.* visceribus Iouis, idest, in diuinæ sapientiæ thesauris, in mente illa capacissima, atque fœcundissima esse affirmat, antequam crearentur, ibique latitasse. Erant ergo in altero mundo, qui appellatur Iuppiter, verbum Dei prolificum, seminalis sapientia, rerum originibus plenissima. Res ergo non sunt creatæ ex nihilo, id est, nullo earum primordio antecedente, sed antecessit mundus ille, formarum, rationumque locupletissimus, ratio vberrima, ditissima rerum sula, vnde & potuerint, & possint, cum libuerit, depromi. hoc ergo receptaculum appellat vterum, aulam regiam, palatium. In palatio Iouis cuncta, ætheriam *Vterus Iouis palatium.* vastitatem, cœlum sublime candens, pontum, terram, tartara, flumina, deniq, & ipsos beatos deos, antequam crearentur, vt in sua origine fuisse affirmat; erat enim, atque est adeo sapiens, plenusque rerum, fœcundusque mundi opifex, vt quidquid voluerit, fecerit: proinde doctissime cecinit Orpheus:

Cuncta hæc latebris eduxit ad auras,
Pectore mira suo proferens, & facta superba.

Mercurium imitatur, qui adhibuit mundano opifici exemplar primum, quod à Platone vocatur animal intel- *Plato.* ligibile, omnium scilicet rerum origo. A Timæo Locrensi mundus sapientiæ diuinæ: vt autem cuncta à Ioue pro-

ducis

De mundi creatione. *Empedocles.*

ducit Orpheus; sic Empedocles ab vno, siue vnitate, res omnes terrestres, volucres, pisces, mares & fœminas, arbores, denique etiam Deos longæuos: quæ sunt, quæ fuerint, quæ post ventura sequentur: Ab Orpheo ergo hæc Empedocles accepit: appellauitque vnitatem, quod prior Orpheus Iouem nominauit. Post commemoratum ineffabile mundi principium, Orpheus ad creationem descendit: estque omnis ei de chao rerumque ex eo creatione, theologia. Duo sunt autem apud eum rerum principia: alterum sempiternum, Deus scilicet: alterum vero creatum chaos, massa vtique totius mundi, præcedens omnia non tempore, sed natura. De hoc autem chao sic Orpheus locutus est:

Chaos.

Principioque vetus chaos, atro cantinit hymno,
Vt naturas mutarit, fuit vtique peractum
Cœlum, tum lata terræ ortum, tum maris imum,
Æternum canit ex se perfectum, sapientem,
Vt quæcunque creauit amor, tum cuncta diremit.
Saturnumque voracem.

Itaque chaos designat illud mundi nascentis initium, quod recte antiquum dictum est, quod scilicet & ante omnia extiterit. Vt naturas mutarit, inquit, quia ex ipsu, velut ex rudi origine, formosarum multitudo processit naturarū. hæc fuit secunda mundi creatio, ex informi scilicet principio pulcherrimarum formarum productio. Ex chao autem, primum factum segregatumque est cœlum, ιoprimisque sol. Exinde tellus lata sinus aperuit, sole desuper aquas exhauriente. Eadem autem opera, qua terra patefiebat, mare dirimebatur: Profundum maris, inquit, idem, sedem maris profundissimam. huius autem creationis authorem dicit extitisse amorem, qui à Moyse spiritus nominatur: à Mercurio autem mens, intelligentia. Amoris autem ratio ea est, voluntas vtique creandi, bonitas creatoris. quæ ipsum impulit creatorem, vt mundum conderet. Proclus super Timæum, testatur Pherecidem Pythagoræ præceptorem dixisse, Iouem cum creare vellet, in amorem se transformasse. hunc amorem testatur Orpheus cuncta produxisse: Saturnum vero voracem, hoc est, tempus vna cum æthere natum. Rursus in argonautica eadem de chao describit:

Secunda mundi generatio.

Amor principium rerum. *Saturnus vorax.*

Antiquum, primumque chaos, magnamque necesse,
Saturnumque, sinu immenso qui clauserat ipsum
Æthera, tam geminum, vigilem, venerandum & amorem,
Æterna & noctis patrem dixere Phaneta,
Quem post nati, nam cunctis prior ipse refulsit.

Chaos necessitas.

Chao necessitatem asscribit, quod scilicet in illo, cunctarum rerum necessaria continebatur materia: vocant etiam phil. materiam necessitatem. Post rude chaos, mox extitit æthera substantia: deinde Saturnus, siue tempus. Memorat item amorem illum diuinum, de quo ipse ait. Prima fuit genitrix sapientia, dulcis amorque. hunc eundem amorem vocat ὀμμάτα oculatum scilicet, omnia circumspicientem, sapientem, venerandum, cultu dignum. Prodit ante omnia phaneta, hoc est, sol, siue lux, quoniam prior apparuit, visus & ipse primus. Vnde Ouidius: *Nullus adhuc terris præbebat lumina Titan.* Et iterum: *Ignea conuexa, & sine pondere, cœli, Emicuit, summaque sibi legit in arce.* Erant enim tenebræ infinitæ in abysso, propterea primus in mundo Phanes apparuit. ὁρᾶν apud Græcos, video, vertitur: quæ quidem vox à Græcis Φῶς nominatur: hunc Orpheus vocat Phanes: phos apud Moysen, lumen primogenitum: apud Orpheum Phanes, qui est genitor noctis; nam eo apparente, lux à tenebris semota est, diuisitque Deus inter lucem & tenebras: eodem enim tempore atque opera, sol diem fecit, & noctem. Inhorruerat autem nox æterna, quoniam fuit in æternum id, quod lucem antecessit, nempe æterna priuatio. Putauit ergo Orpheus (teste Athenagora philosopho) Deorum originem ex aqua fuisse; ex aqua vero hylen siue limum. vnde Homerus: *Oceanumque Deum patrem, Tethynque parentem.* Quam ob causam Oceanus dicitur origo cunctorum. proinde Orpheus ait: *Oceanus primus cœpit connubia pulchra.* Porro, Deos appellat, Solem, lunam, aliosque Planetas, qui ex illo chao formati sunt. vnde Ouidius: *Astra tenent cœleste solum, formæque deorum.* De hac autem creatione rerum, quam apud Græcos legerat, sic cecinit.

Ouidius.

Phanes sol. Pater noctis.

Homerus.

Ouidius.

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia, cœlum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis, indigestaque moles,
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaque eodem,
Nec bene iunctarum discordia semina rerum.
Pymandri Tomus Quintus.

De mundi creatione.

Et is quidem est primus mundus, informis, indigestus, incompositus: secundus vero, in quo res ex informi illa materia edoctæ, propria loca, atque pulchritudinem acceperunt. vnde idem Poeta ait: *Nam cœlo terras, & terris abscidit vndas: Et liquidum spisso secreuit ab aere cœlum. Astra tenent cœleste solum, formæque deorum.* hoc idem inuenimus apud Mercurium: *Omnes*, inquit, *Dij amabant naturam seminalem.* Et iterum: *Cœlum apparuit in septem circulis.* Vult ergo Mercurius sydera cœlestia, quæ Deos vocat, ad imperium sibi datum, protulisse feras, quadrupedia, serpentes, aquaticos, & volucria. Et in alio Dialogo, quem de bono inscripsit, ait. Materiam, in illa rerum selectione, à Deo opifice corpulentam effectam, orbicularem formam accepisse quod etiam Ouidius de eodem opifice affirmat: *Principio terram, ne non æqualis ab omni Parte foret, magni speciem glomerauit in orbem.* Hesiodus Orpheum secutus, de mundi creatione, sic cecinit:

Mercurius.

Hesiodus.

Extitit ante chaos, post hac latissima tellus,
Quæ super iunctum, pondus rerum incubat omne,
Atque amor, inter qui diuos facer enitet omnes.

Mercurius, & Orpheus non postposuerunt amorem chao, & terræ; sed amorem omnia produxisse affirmant. Non ergo fuit amor post terram, aut cum terra; sed illius potius creator, & formator. Tria igitur fuerunt in principio, iuxta Hesiodum: chaos, terra, amor, quorum postremum est primum. Inuocarat autem musas hoc carmioe:

Mercurius.

Tria apud Hesiodum.

Dicite vos, vt primum Dij, tellusque creata,
Fluminaque & pontus vastus, qui tollitur vndis,
Astraque clara, polusque immensus in alto.

Mundum ergo à Deo creatum esse, Deosque satos, Hesiodus profitetur, quod alio carmine cecinit:

Hesiodus.

Principioque sibi peperit simile vndique tellus,
Stellatum cœlum, quo circum clauderet ipsam,
Vtque foret diuis sedes secura beatis.

Hoc autem carmine ostendit, cœlum ex rudi illa materia fuisse formatum. Dicitur autem chaos à chyseos fusione, vel ignis, quasi chaos à comburendo, fusilis & ipse ob tenuitatem: amor autem cupiditas ad generandum. Testatur quoque Plutarchus, Parmenidem & Hesiodum de creatione scribentes, amorem vetustissimum retulisse: *Quocirca*, inquit, *Parmenides pronunciat venereorum operum amorem antiquissimum, scribens in creatione mundi, cunctorumque Deum, primum molitur amorem. verum Hesiodus naturalius mihi videtur, antiquissimum omnium amorem fecisse, vt omnia per ipsum nascerentur.* His similia ab Euripide scribuntur:

Chaos.

Parmenides.

Euripides.

Cœlumque terraque vnius forma fuit,
Sed cum fuissent abiuncta amplexu mutuo,
Emersit omnis in lucem res progenita,
Arbores, aues, feræ, quasque affert mare,
genusque mortalium.

Vnam fuisse mundi faciem, ante rerum explicationem, exeaque segregatum primum fuisse cœlum: deinde terrestria, Euripides aperte ostendit: idem fatetur Sophocles:

Sophocles.

Qui fecit axem, terramque late patentem,
Æquorisque pulchros fluctus, ventorumque impetus.

Et Aratus: *Ille quidem cœlo defixit signa superbo,*
Partitis astris, stellasque prouidit in annum,
Quæ tempestates homines, & signa docerent,
Vt firma in terris essent certo ordine cuncta.
Hinc primos illi, extremosque adhibemus honores.

Aratus.

Plautus. *Qui est imperator diuum, atque hominum Iuppiter,*
Is nos per gentes, alium in alia disparat.

Plautus.

Sic Ouid. *Tot numero, talique Deus simulacra figura,*
Imposuit cœlo, perque atras sparsa tenebras,
Clara pruinosæ iussit dare lumina nocti. Et iterum:
Tum freta diffudit, rapidisque tumescere ventis
Iussit, & ambitæ circumdare littora terræ.

Ouidius.

Virgilius asserit Deum esse animorum creatorem, omnia animantem, per omnia meantem.

Virgil.

Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

De mundi creatione.

Hæc nobilis poeta de Dei sapientia, atque virtute loquitur, à qua mundus & conditus est, & viuit; non solum enim condidit, verumetiam condita conseruat, eisque vitam præbet, & motum: Pythagoras vocauit animationem vniuersi hunc item Ouidius, mundanæ creationis authorem confitetur, quippe qui chaos inuolutum explicuerit, atque elementorum litem composuerit sic inquiens.

Ouid.

Hanc Deus & melior litem natura diremit.

Duobus nominibus mundi opificem appellat, Deum scilicet, & naturam: naturæ vtique authorem, & principem; sic enim coniunctim appellare consueuimus, nauem vt gubernatorem, hortum vt consitorem, currum vt aurigam, opificem vt opificium. Melior ergo natura, idem ipse Deus, litem illam elementorum, distributis rerum generibus, diuisit, atque amnuit. Quomodo ergo omnia creata sint à Deo, ex poetarum oraculis patere satis, arbitror.

CAP. III.

Senecæ, Ciceronis, & aliorum de rerum creatione doctrina.

Seneca.

POst poetarum oracula, ad præclarissimos Oratores migrauimus, ex quorum fontibus, multa bibere libuit: inprimisque Senecam in medium adduximus, qui de rerum creatione preclare disputauit; sic enim de vita beata loquitur: *Vt inquisitio (inquit) transeat ex apertis in obscura, & aliquid ipso mundo inueniat antiquius, vnde ista sydera exierint, quis fuerit vniuersi status, antequam singula descenderint: quæ ratio mersa & confusa disiunxerit: quis loca rebus assignauerit.* Et est sensus. Deus antiquior est mundo, à quo veluti à quodam fonte rerum riuuli emanarunt. Is confusam illam compagem distinxit, singulisque rebus propria loca atque ornamenta distribuit. Sequitur. *Hæc qui contemplatur, quid Deo præstat? Ne tanta eius opera sine teste sint.* Vocat etiam eodem libro, mundum, opus Dei: *An multa*, inquit, *Deus corpora eiusmodi sparserit, continua sit omnia, & plena materia, ex qua cuncta gignuntur, & solidum inane permistum sit, Deus sedens opus suum spectet an tractet, vtrum extrinsecus illi circumfusus sit, aut toti indi tus.* In alio autem loco, Deum nominat mundi rectorem: *Nam mundus*, inquit, *quoque complectens, rectorque mundi Deus, in exteriora quidem tendit & redit.*

Deus mundi author.

Deus mundi rector.

Idem in confessionibus naturalibus confitetur: *Non ad hoc*, inquit, *prouidentia, ac dispositor ille mundi Deus, aera ventis exercendum dedit, & illos ab omni parte ne quid esset situ squalidum, effudit, vt nos classes partem freti occupaturas compleremus milite, & hostem in mari, aut post mare quireremus.* Itaque Deum conditorem omnium, atque dispositorem esse, clarissime à Seneca docetur. In lib. de consolatione, quædam silentio nequaquam tegenda loquitur: *Quocunque nos mouerimus*, inquit, *sequetur natura communis, & propria virtus. Id actum est, mihi crede, ab illo, quisquis formator vniuersi fuit, siue ille Deus est potens omnium: siue incorporalis ratio, ingentium operum artifex: siue diuinus spiritus, per omnia maxima ac minima æquali intentione diffusus.* Et iterum: *Deus est mens vniuersi extra omnia, & intra omnia. Hoc autem interest inter naturam Dei & nostram, quod nostri melior pars animus est, in illo nulla pars extra animum: totus ergo ratio est* Videtur imitari illud Ieremiæ: *Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus.* Nihil in Deo non animus, non ratio, ideoque longe abest ab errore, actuque peccati. Sequitur, *hic cum prima fundamenta molis pulcherrimæ iaceret, & hoc ordiretur, quo neque maius quicquam nouit natura, nec melius, vt omnia sub ducibus suis irent, quamuis ipse per totum corpus se sui tenderat; tamen ministros regni sui Deos genuit.* Mercurium atque Platonem imitatur, qui Angelos rerum ministros à Deo conditos esse profitentur. His similia à Cicerone afferuntur: *Non est*, inquit, *natura Deorum*, id est, angelorum *præpotens, neque excellens; siquidem ea subiecta est ei vel necessitati, vel naturæ, qua cælum, maria, terræque reguntur.* Nihil autem est præstantius Deo: Ab eo ergo necesse est mundum regi, nulli igitur est naturæ obediens aut subiectus Deus. Omnem ergo regit naturam, vnus est ergo Deus, iuxta Ciceronem, à quo & reliqui Dij, id est, Angeli, & cætera condita sunt & reguntur. In Academicis quæstionibus vocat Deum animum mundi, mentem, sapientiamque perfectam: & de natura deorum, vocat rationem: *Si*, inquit, *rerum per omnem mundum varietatem, vt animo, sic oculis videre possemus; nemo cunctam intuens terram, de diuina ratione dubitaret.* Et in 2. *Ad hanc*, ait, *prouidentiam naturæ tam diligentem, tamque solertem, adiungi multa possunt, è quibus intelligatur quantæ res hominibus à Deo, quamque eximiæ tributæ sint qui primum eos humo excitatos, celsos & erectos constituit, vt Deorum cognitionem, cælum intuentes, capere possent.* Et in 2. de diuinitate *Et esse*, inquit, *præstantem aliquam, æternamque naturam, & eam suspiciendam, admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cælestium cogit confiteri.* Et in 3. de legibus, de lege & imperio loquens: *Sine quo*, ait, *nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria, terræque, & hominum vita iussis supremæ legis obtemperat.* In Tusculanis. *Nec vero*, inquit, *Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, segregataque ab omni concretione mortali, omnia sentiens & mouens, ipsaque prædita motu æterno.* Vocat etiam animorum creatorem in legibus: *Nunc quoniam*, inquit, *hominem, quod principium reliquarum rerum esse voluit, generauit, exornauit Deus*: Et paulo ante dicit: *Animum esse ingeneratum à Deo.* Item, sic mentem hominis, quamuis eam vt Deum, non tamen vt Deum agnuscis ex operibus eius: sic ex memoria rerum, & inuentione, & celeritate motus, omnique pulchritudine virtutis, vim diuinæ mentis agnoscito. Deum ergo omnium esse creatorem, & gubernatorem clare prædicat Cicero. Plutarchus in eo qui inscribitur de Iside, & Osiride lib. similia quædam verba proposuit, non vtique tacenda. *Debemus*, ait, *lætari, conquiescere, non hæc elementa mundi venerantes, sed per hæc, vt clara exempla & specula, ipsam diuinitatem, quæ cum natura nascantur, tanquam instrumentum aut artem omnia semper ornantis Dei, arbitrari præclare habet.* Sensus est. Quæ videmus sunt instrumenta & ars summi opificis. ex quibus artificis sapientiam agnoscere possumus. Et in lib. de hilaritate animi: Templum sanctissimum sacerrimumque est mundus: in hunc introducitur homo per generationem, non quidem imaginum quæ manibus fiunt, sed quæ diuina illa mens, vt ait Plato, sensibilia ad exemplum intelligibilium, insitum vitæ, & motus principium habentia proposuit: solem & lunam, & astra, & flumina noua semper aqua exuberantia: Terram quoque plantis & animalibus alimentum supplentem &c. Totius cœlestis ordinis Deum esse autorem fatetur, hominemque diuini operis spectatorem. Et in lib. quem scripsit aduersus principem imperitum: *Qualem*, inquit, *posuit pulcherrimum sui met in cælo simulacrum solem & lunam Deus tale est in vrbibus exemplum, & lumen, Princeps qui Dei similis, iustitiam sequatur, nimirum cuius animo ratio insideat diuina. Indignatur autem in eos, qui tonitrua sua, fulmina, radiorum iactationes imitantur: Sed & his qui virtutem eius, & probitatem æmulantur: Neque enim, diuturnitate vitæ Deus est beatus, sed excellentia virtutis. hoc enim est diuinitas, hæc pulchritudo eius & principatus.* In lib de quæstionibus Platonicis, quærit cur Plato vocet Deum patrem omnium atque creatorem? Respondet patrem esse genitorum Deorum atque hominum, vt Homerus appellat: Creatorem autem ratione, vitaque carentium. Et pater mundi Deus, quia mundus animal, plenum vitæ motus. Itaque secundum Plutarchum, tum Angeli, tum etiam cætera omnia à Deo condita sunt. In eo autem, quem de primo frigido composuit, moderatorem vniuersi Deum dicit: *Quæcunque*, inquit, *moderatur gubernatque Deus, ob quæ vocatur harmonicus Musicus.* Et in lib. de Musica: *Nam rerum omnes motus, syderumque conuersiones, Pythagoras, Plato reliquique priscorum Philosophorum, non citra musicam fieri, ac constare dicere solebant: Omnia per harmoniam à Deo constructa contendentes.* Et in Symposiis: *Audio*, inquit, *Platonem, patrem artificem mundi, & omnium genitarum rerum ingenerabilem, & sempiternum Deum nominantē, non per semen quidem generantem; sed alia virtute diuina, à quo patiebatur ipsa materia animabaturque, ipsi genitale principium inserentem.* hac de causa ferunt à Platone dictum, eodem authore, ordinibus certis, mensurisque ponderasse cuncta Deum. Neque enim Deus mathematica indiget, velut organo, quod agat & conuertat mentem à genitis, factisque ad ea quæ sunt; est enim in illo ipso, & cum ipso, & circa ipsum, vel sunt ipsa entia. Quasi diceret: Deus propria virtute omnia fecit in pondere & mensura. Eiusdem est sententiæ Epictetus Philo. *Substantia Dei*, inquit, *est mens, scientia, recta ratio. hic igitur simpliciter quære substantiam boni, hoc primum discere oportet, quod Deus sit & prospiciat vniuersis, & non sit qui latere possit, non modo operans, sed ne cogitans quidem, ac mente reuoluens. Quid enim est mundus? quis eum gubernat? Nemo. At quomodo vrbs vel domus permanere ne ad exiguum quidem tempus possunt sine gubernatore & præside, fabrica vero tam ingens, & tam pulchra temere, & vt casus tulerit, inordinate gubernari? Est moderator aliquis, & certa ratione gubernat, nos autem quædam sumus*

Deus est natura.

Deus implet omnia.

lib. 2. de nat. deor.

Deus regit mundum

Mens mundi Deus.

De mundi creatione.

Deo obediunt omnia.

Creator animorum.

Plutarchus.

Mundus est ars opificis.

Sol imago Dei.

Deus pater mundi.

Moderator vniuersi.

Fecit omnia in pondere.

Epictetus.

Deus moderator rerum

De mundi creatione. Homo est genus Dei. *ab ipso facti ad aliquod opus. Habemus autem coniunctionem & habitum cum eo* Quasi diceret, illius & genus sumus. vnde subdit: *Tu,* inquit, *es abscissio, delibatio Dei, habes aliquam in teipso partem eius. Cur igitur ignoras affinitatem tuam? cur nescis vnde venisti? Non vis meminisse cum comedis, quis sis, qui comedis, & quem autris, cum in congressu es, qui sis, quis vtaris. Cum in colloquio, in exercitatione, cum disseris, nescis quod Deum nutris, Deum exerces, Deum circumfers. Miser & ignoras, videris me dicere argenteum quendam, vel aureum extrinsecus. In teipso fers ipsum, ipsum coinquinans non sentis, impuris quidem cogitationibus, fœdis profecto operationibus. Et imagine quidem Dei, non audeas horum quicquam facere: ipso autem præsente Deo exterius, & aspiciente cuncta, & exaudiente que, non erubescis hæc cogitare?* *Homo simulacrum Dei.* Sensus est, Homo est simulacrum veri Dei, ideo eum pudere debet fœdis operibus atque cogitationibus sacrum illud fœdare sacellum. *Si quis,* inquit Apostolus, *templum Dei violauerit, disperdet illum Deus, templum enim sanctum est, quod estis vos:* Deinde Dei opus hominem esse ostendit. huius opificis opus cum sis, dedecoras ipsum, qui non modo te fecit; sed & tibi solum se credidit, & commisit? Neque id modo non recordaris, verumetiam dehonestas mandatum: Clara est ergo Epictetis doctrina, quæ asserit Deum esse omnium creatorem, atque moderatorem. *Iamblicus.* Eadem de mundi opifice Iamblicum sensisse legimus: *Diuina causa,* inquit, *est principium, finis, medium, cui adhæreant necesse est, qui volunt esse beati.* Nam cum sit Deus, & is sit omnium Dominus, in confesso est, oportere à Domino bona petere. Nam quos quidem diligimus, quique iucundi nobis, eis beneficia præstamus. *Deus principium, medium, & finis.* Contra solemus in eos affici, qui non diligunt. siquidem omnis veritatis & felicitatis, substantiæ, & principiorum Deus est princeps. vnde splendor iste mentes eorum subiit, qui veræ religionis exsortes fuerunt. A natura certe, à qua si desit oraculum, veritas hauriatur. Declarat postea nomen primi opificis. *Finis,* inquit, *omnis contemplationis est contemplatio vnitatis, attollere seipsum à multitudine ad vnitatem.* vnitas antiquissimis Philosophis fuit nomen summi ac simplicissimi Dei: multitudo vero rerum omnium propagatrix. *Simplicius. Vnitas omnium principium.* Similiter & Simplicius loquitur: *Vnitas,* inquit, *necessario præcedit multitudinem, cunctaque ex participatione vnitatis extiterunt.* A diuina enim, & principali pulchritudine cuncta pulchra proueniunt: & à prima diuina veritate, veritas omnis. necessarioque omnia principia, ad vnum principium rediguntur: quod quidem non sit aliquod particulare principium, quemadmodum reliqua omnia, sed principium cuncta principia supergrediens, seseque superattollens, & omnia principia ad se colligens, omnibus principiis præbens à seipso principalem dignitatem, vt cuiusque naturæ congruit. hinc igitur absurdum est, duo vel plura omninoquam vnum prima principia dicere. Itaque Deus est ipsa prima, & omnium causa: primum autem est simplicissimum; quod enim compositionem & multitudinem habet, est vnitate posterius vnitas ergo est omnium principium. Igitur Deum omnium esse creatorem huiusmodi sapientes affirmant.

CAP. IV.

Argumenta contraria.

1. QVamuis in primo & 2. Pymandri huius rei argumenta posita sint; ne tamen digressio sine argumentis transiret, nonnullas afferre aduersariorum rationes placuit, quibus mundi æternitatem tueri conati sunt: Omne, inquiunt, quod nouiter fit, ex aliqua ipsum præcedente potentia fiat, necesse est (vt *8. phys. com. 4.* omnium propemodum est Philosophorum sententia) aut certe ex nihilo, vt Saraceni aiunt. Si detur primum: mundus ergo est æternus; esse enim in potentia, non est purum nihil. quare si mundus nouiter factus est: semper ergo fuit in potentia. Sed quod fuit in potentia, sub alia atque alia forma fuit, vtpote potentia, quæ fuit ad formam ignis, fuit actu in forma aeris. mundum ergo, quoad aliquas ipsius partes, semper fuisse constat. Si detur secundum, similiter stare non potest, simili que facilitate Saracenorum argumentum fuluitur, quo sic arguebant: Agens, inquiunt, cui opus est subiecto, ad aliquid agendum, est imperfectum. sed Deus est agens perfectissimum in creatione ergo rerum, non indiguit materia præexistente. Respond. Auerr. Magna: inquit, imperfectio est agentis, si agere dixerimus, sine subiecto, quod omnes reputant fieri non posse sed facere aliquid ex nihilo, vt impossibile ab omnibus negatur mundus ergo est æternus. *De mundi creatione.* Amplius, omnem motum, authore Auer. præcedit aliquid in potentia: motus enim est actus entis in potentia. sed illud ens in poten- *Com. 6.*

2. tia, nempe mobile, quod præcedit, per motum extitit præ- *ibid.* cedentem. Si ergo motus & mundus non sunt æterni; ante primum motum erit motus, imo ante omnem motum, fuit motus in infinitum. Ante enim illum motum, quo fiebat mobile, præcessit ens in potentia, quod etiam per motum factum est: ergo quod prius.

3. Item, si agens antiquum, tempore antiquo, siue infinito à rerum creatione cessauit *com. 4.* deinde adortus est mundi fabricam. aliquid ergo noui in mentem illius venit, vnde impulsus est, vt mundi machinam construeret. sed id non cadit in deum, quia est actus purus & æternus: noua autem non prouenit actio nisi propter nouæ causæ aduentum. Mundus ergo tum ex parte opificis, tum etiam ex parte materiæ, videtur esse æternus omnino.

4. Iterum. Animalia habentia potentias rationales, & quæ æqualiter se habent ad motum & *8. phys. com. 2.* quietem, non incipiunt nouiter moueri, nisi ob aliquam ab agente factam extrinseco renouationem, siue ab anima intrinsecus. Exempli gratia, cum aer extrinsecus calefacit siue frigefacit, ex tali certe passione aliqua in anima oritur concupiscentia siue appetitus, sicque incipit moueri, quæ prius non mouebatur. Sane, si non aduenires sibi noua dispositio, sed remaneret (vt prius ad motum & ad quietem indifferenter) profecto non videtur ratio cur modo moueatur, & non ante. Quod si plus mouebitur nunc quam ante: simul ergo aget motum & quietem; æquali enim dispositionis potentia ad vtrumque extitit, & eadem proportio in actionib. sicut in potentia: simul ergo moueretur & quiesceret. Quare, si primus motor, infinito tempore, quocunque modo agat, voluntate scilicet, aut natura, æqualem ad motum atque quietem dispositionem habuerit, & nouam adoriatur operationem, *Nouitas in mete creatoris.* propter nouam aliquam causam, id fecisse censendum est. Quod profecto nefas est de Deo sentire. Adde, quod actus voluntatis motoris est æternus: fuit ergo productionis causa remota: nam si propinqua causa extitisset, mundus vtique ab æterno productus fuisset. At vbi causa propinqua, ibi certe causa remota terminatur: voluntas ergo motoris haberet se terminantem. Sane, si primus motor non semper agit, sed nouiter mundum fabricatus est, duo maxime absurda sequerentur. alterum scilicet, quod esset in potentia ad agendum: alterum vero, quod sibi opus esset agente, à quo ex potentia in actum adduceretur, atque ita non esset primum & perfectissimum agens. Denique quando mouens mouet, quod prius non mouebat, inter motum & ipsum aliqua intercessit proportio, quæ ante non erat. causa ergo proxima cũ diuina concurrens voluntate, esset temporis præsentia: ergo &c.

5. Præterea, quando ponitur antiqua voluntas in actu; tunc etiam habet antiquum volitum sibi correspondens. Quod si huiusmodi voluntas postponit aliquid facere; profecto in causa erit voliti absentia. sed id non cadit in Deum cuius voluntas est omnipotens: volitum autem illius est præsentia temporis, quod semper fuit: ergo quod prius.

6. Amplius Si motor primus, ait Comment. non mouit ab æterno, sed incepit nouiter mouere, in ipsum, aut in mobile aliqua accidit *8. phys. c. 9.* mutatio; motor enim, & motum sunt relatiua; inter ipsa autem noua exorta est relatio: omnis autem relatio transmutationem sequitur: illa ergo mutatio, aut in motore esset ponenda, aut in mobili, aut denique in vtroque: atque ita, si motus inciperet, ante motum esset motus. Sane huiusmodi mutatio non fuit in nihilo; quia nihil non potest esse subiectum entis; neque in Deo, cum in illum non cadat mutatio: in mobili ergo inueniatur, necesse est. Mobile ergo ipsum præcessit, sicut eius subiectum. Sed quod præcessit omnem mutationem, & motum, tempus præcessit, quod est passio motus; quod autem præcessit tempus, est æternum mundus ergo est æternus.

7. Tempus præterea non est sine instanti, instans vero est finis præteriti, & principiũ futuri. ante ergo omne instans, fuit tempus, & post omne instans erit tempus. Mundum ergo fuisse semper, his, atque similibus probant rationibus.

De mundi creatione.

CAP. V.

Soluuntur Argumenta.

1. AD hæc & similia sic respondere valemus, & ad primum quidem dicimus: maiorem illius, locum habere in agente, atque causa particulari, non autem in vniuersali, cuiusmodi est Deus. A causa enim particulari non producitur totum esse rei; sed subiectum ex quo agat, præsupponitur: ideoque illius actio motus seu mutatio nominatur. At à causa vniuersali, totum esse rei producitur; propterea illius actio dicitur emanatio simplex: non autem motus siue mutatio. Illæ ergo rationes particulari congruunt, & non vniuersali agenti, cui non adest facultas, res ex nihilo producendi: agens autem vniuersale cũ sit omnino perfectum, ex nihilo
2. cuncta creauit. Ad 2. Neg maior; mobile enim non fit motu, aut mutatione ipsum præcedente, sed creatione seu simplici emanatione; proinde non est necesse, vt motum motus præcesserit in infinitum. sed potius vt actio quæ est simplex emanatio, siue creatio, omnem motum & mobilia præcedat, & sic ibi est status. Ad 3. Maior veritatem ha-
3. bet in agente particulari, non autem in agente vniuersali & æterno. Nam etsi Deus per suam voluntatem nouiter creaturas produxerit; in Deo tamen non incipit nouus actus volendi, cum ille fuerit æternus, non quidem confusus, sed determinatus, qua hora mundum conderet. Præsentia autem illius horæ, nouum in voluntate diuina appetitum nequaquam peperit quasi proxima causa, à qua voluntas determinaretur diuina, vt dicit Comment. sed ipsa potius voluntas diuina ab æterno sese determinauit vt tali hora mundum produceret: hora autem illa non dicit partem realis, sed imaginarii temporis. non ergo sic quieuit ab æterno, quin se determinauerit ad mundum producendum. Et cum dicis, æqualem habuisse proportionem ad motum & quietem, falsum asseris: quandoquidem ab æterno sese determinauerit. *Deus*, si non semper egit: fuit ergo in potentia, quæ æqualiter se habet ad vtrumque: *verum* quidem diceres, si non fuisset vltimate determinata ad actum. Illa ergo ratio de potentia, æqualiter se habente ad vtrumque in Dei voluntate, locum
4. habere non potest. Ad 4. Ex præcedentis solutione argumenti, patet istius responsio. Si enim primum agens ad agendum, & non agendum indifferenter se habuisset, tunc proculdubio, nouiter quid agens, nouam certe dispositionem haberet: sed postea quam voluntas primi agentis ab æterno sese determinauerit ad fabricam mundi construendam; nulla profecto in illam cadere potuit mutatiõ. Ad confirm. patet solutio, quonam modo voluntatem Dei præsentia temporis determinare nequiuerit; propterea quod ab æterno, vt dixi, ad rerum productionem faciendam, dispositionem certam habuerit. Ad aliam confirm. dico, aliquid defuisse ex parte rei extrinsecæ, non autem suæ ex parte voluntatis, quæ decreuit sese tali hora, mundi machinam producturam. Eodem modo aliæ solui possunt
5. rationes. Ad 5. *Cum arguis*, sicut in noua voluntate est nouus appetitus &c. Dico, diuinæ voluntatis antiquum appetitum præcedentem ab æterno fuisse determinatum ad mundi productionem. Cum autem *dicis*, voluntatem illam antiquam, horam determinatam expectasse: Respond. Tempus illius horæ non fuisse reale, sed imaginarium, ideoque non opus esse dari aliquod agens. Ad 6. Sufficit in
6. noua actione, noua relatio, quæ illam diuinam sequebatur voluntatem, quatenus sic erat ab æterno determinata ad talem effectum producendum: ex quo quendam habuit ad illum respectum rationis, quem sufficere asserimus. Ad
7. 7. Primum instans temporis, non fuit terminus temporis præteriti realis, sed imaginarij tantum: atque ita solum tempus imaginatum præcessisse, affirmamus. Præterea, nihil ex vtraque parte finitum, æternum esse potest: sed primus motus est huiusmodi, vt dicitur 5. *phys.* Omnis, inquit, motus est ab aliquo in aliud, id est, à termino in terminum, & consequenter motus est finitus. Adde, quod motus sit actus entis in potentia. quæ quidem diffinitio illi motui conuenire potest; quem ipsi vocant æternum atque communem. Motus ergo habet terminum ad quem, & ita est finitus. Amplius, motus primus est propter aliquem finem habendum, alioqui esset à casu, quod certe veris Philosophis nequaquam probatur. Habito ergo illo fine, cessabit, siue cessare potest. Item, si Deus non creauit, nisi ex materia æterna: creauit ergo mundum ex necessitate. Nam si creauit mundum ab æterno, & non quidem ex necessitate: aut ergo potuit non creare, quando creauit, quod est falsum, omne enim quod est, quando est, necesse est esse: aut potuit non creare antequam creauit, quod similiter est falsum, quia ante æternum nihil esse potest: aut potuit non creare postquam creauit, quod plane contradictionem implicat. Igitur, mundus non est æternus. Item, quod non potuit fieri nisi in instanti posito ab æterno, non potest esse ab æterno; illa enim productio de materia increata, non esset motus neque mutatio, quod sic probatur: Mundus fuisset à Deo ex illa materia productus sine motu, & mutatione; Dei enim actio non indiget tempore: omnis autem mutatio requirit instans. sed ante illud instans, nullum fuit instans: igitur mundus non potuit esse ab æterno.

Voluntas Dei determinatur.

Motum non esse æternum. 3. phys. com. 6.

De mundi creatione.

Mundus non est æternus.

plura lib. 2. & alibi.

CAP. VI.

Mundi creatio per diuinas scripturas probatur.

QVoniam sapientissimi Mercurij verba mirum in modum sacris conueniunt scripturis; idcirco post philosophorum aliorumque sententias sapientium, rationi consentaneum esse putaui, vt diuina insererem oracula vt ex illis perspicuum fiat, quam vera sit Mercurij Theologia, quæ asseruit, omnia à Dei verbo condita esse: *Omnia* inquit, Ioannes, *per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* vtique per verbum, quod erat in principio apud Deum. Quidquid, inquit, siue in substantia siue in aliqua proprietate inuenitur naturali, à Dei verbo conditum est. *Et sine ipso factum est nihil*; quia ab eo non est, quod non est in natura. Et ne quis diceret, Dei voluntatem, siue sapientiam fuisse mutatam, subdidit. Quod factum est in tempore, & est mutabile: in ipso verbo erat vita, erat viuens, & permanens. Itaque quamuis creatura non sit coæterna creatori; ars nihilominus, ex qua creatura prodiit, est Deo coæterna, quippe quæ sit ipse Deus: creaturæ enim producuntur à Deo, sicut artificiata ab artifice: *Omnium*, inquit Sap. *est artifex, omnium habens scientiam.* Porro, quod per artem, siue mentis conceptum producitur, est veluti domus exterior, quæ prodit, vt dicitur 7. *met.* à domo mente concepta. Verbum autem in diuinis, est diuini intellectus conceptus: Verbo nascente, inquit Origines in homel. huius loci, *ante omnia ex patre, omnia per ipsum facta sunt: nam ipsius ex patre generatio, causarum omnium est conditio, omniumque, quæ ex causis in genera & species procedunt, operatio. Audi mirabile secretum, per non factum, sed genitum, omnia facta sunt, sed non genita. Principium ex quo, pater est: Principium per quod omnia, filius est. Patre loquente verbum suum, hoc est, patre gignente suam sapientiam, omnia fiunt. Tria itaque credere, & intelligere debemus: patrem loquentem, filium genitum, & ea quæ efficiuntur per verbum. Pater loquitur, filius gignitur, omnia efficiuntur. Ipse dixit, & facta sunt, id est, filium suum genuit, siue verbum, per quod facta sunt omnia. Et ne æstimares non omnia ab ipso facta, subiunxit, & sine ipso factum est nihil: hoc est, nihil extra ipsum est factum; quia ipse comprehendit omnia, Græce est* χωρὶς αὐτοῦ *id est, extra ipsum.* Chrysostomus, *& sine ipso factum est nihil, quod factum est: Si quid factum est, inquit, sine ipso factum non est. In ipso vita erat. quod ideo addidit, ne quis forte diffideret, quonam pacto tanta & talia per ipsum facta sunt. Nam quemadmodum si ex profundissimo & iugi fonte, quantumuis aquæ haurias, nihil tamen hic diminuitur; ita in vnigeniti operibus, quodcunque ex his productum factumue credideris, nihilominus efficit. vel quemadmodum lux quantumuis hominum multitudinem illuminaret; nihil splendoris remitteret, itidem Deus, & antequam mundum condidit, & postquam condidit, idem perfectus atque integer manet.* Ad hoc propositum Cyrillus ait: *Si omnia, inquit, per Dei verbum facta sunt: non potest illud cum omnibus simul numerari. Omnia per ipsum facta sunt, vt per virtutem, vt per sapientiam Dei patris. Nec tamen quia omnia quæ sunt per ipsum facta, dicuntur, quasi aliena voluntatis minister, aut quasi ab alio vires accipiat, credendum est; imo vero, quoniam virtus ipse patris, vniuersa cum patre & spiritu sancto creauit. Quod factum est, in ipso vita erat. Non, inquit, per ipsum facta sunt vniuersa sed quæcun-*

Ioan. 1. Omnia per ipsum facta sunt.

Creatura æterna in arte opificis.

Sap. 7.

Orig.

Filius Dei principium omnium.

Ipse dixit, & facta sunt.

Chrysost.

Cyrill.

In ipso vita erat,

que

De mundi creatione. que facta sunt: vnigenitus Dei filius, principium omnium in ipso vita erat. Nam cum ipse sit per naturam vita tam esse, quam viuere, & moueri rebus benignissime largitur: non diuisibiliter aut commutabiliter in singula, quæ natura differunt dimissus; sed cum ipse vita vna sit omnium, omnia penetrans: à singulis (prout fieri potuit ac decet) recipitur. *August.* Non ergo factum est verbum Dei, per quod facta sunt omnia, inquit Augustinus: si verbum Dei factum est, per quod verbum factum est? per illud verbum & angeli facti sunt, & omnes Spiritus cælestes: per illud verbum facta sunt omnia. *Verbum Dei non est factum.* Non igitur factum est verbum Dei, per quod facta sunt omnia: nam si hoc dicis, quia hoc est verbum verbi, per quod factum est illud, ipsum dico ego vnigenitum filium Dei. Si autem non dicis verbum verbi, concede non factum, per quod facta sunt omnia. Non enim per ipsum fieri potest, per quod facta sunt omnia, poterat dicere Euangelista: In principio fecit Deus verbum: sicut dixit Moyses: Dixit Deus fiat, & factum est. Quis dixit? vtique Deus. Et quid factum est? creatura aliqua. Inter dicentem Deum & factam creaturam, quid est, per quod factum est, nisi verbum, quia dixit Deus, fiat, & factum est? Hoc verbum incommutabile est, quamuis mutabilia per verbum fiant hoc verbum te fecit, hoc etiam recreauit & refecit. Si quæras igitur, quis omnia fecerit? Respondebitur, Deus. Per quem? per verbum. Quare? quia bonum. Et hæc est tota trinitas. Quicquid autem factum est antequam fieret, in ipso erat præsentia, quæ non est aliud quam vita. Etenim Diuinitati, non est aliud viuere, aliud scire. sicut in anima nostra, quæ accidentaliter sapit, viuit autem substantialiter: sed vtrumque idem, quia à se habet vnum & alterum. *Heb. 1.* Paulus ad Heb. 1. Deum per filium omnia creasse affirmat, per quem fecit & secula, inquit. *Chrysost.* Vbi sunt, ait Chryso. qui dicunt, erat quando non erat? Per filium pater secula fecit, qui sapientem progenuit. *Colos. 1.* Et ad Coloss. 1. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: hoc est, non solum hæc creauit, sed eadem hæc continet. In ipso enim condita sunt omnia in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum, & in ipso condita sunt. *Ambros.* Omnia sunt per ipsum, ait Ambros. quia ab ipso, vt sint, esse acceperunt. Similiter Dauid locutum fuisse legimus; *Psal. 101.* Et tu, inquit, Domine in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. *August.* Ne putetis, ait Augustinus ibidem, aliud Deum facere manibus, aliud verbo: quod facit verbo, hoc manu; non enim distinctus est corporeis membris, qui dixit: ego sum qui sum. Et forte verbum eius, est manus eius; certe manus eius est virtus eius; quia enim dictum est, fiat firmamentum, & factum est firmamentum: verbo intelligitur fecisse, quia verbo dixit: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, quasi manu videtur fecisse. Quod ergo verbo fecit, vtique etiam manibus fecit, quia virtute, & potestate sua fecit. *1. Pet. 3.* Petrus Cæli erant, inquit, olim de aqua, & per aquam constituti Dei verbo, alludit ad id, quod diximus, Oceanum scilicet esse omnium patrem. Psalm. 32. Verbo Domini cæli solidati siue firmati sunt. & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quis ergo, inquit Augustin. facit per verbum suum & Spiritum, nisi cuius verbum est, & cuius Spiritus est? Trinitas ergo hæc vnus Deus. *Basil.* Basilius magnus in expositione istius versiculi, ait: Non enim, hic verbum simplex, aut communis hæc locutio ex nominibus, & dictionibus consistens existimanda est. Neque item, hic Spiritus est vapor in aëra diffusus: sed & verbum in principio consistens apud Deum, & Spiritus sanctus, qui hanc proprie sortitus est appellationem. *Verbo domini cœli firmati sunt.* Vt igitur verbum opifex, cælum firmauit; sic spiritus sanctus ex Deo, qui ex patre procedit: hoc est, qui ex ore ipsius est, ne externum aliquid, & creaturam esse ipsum iudices, sed tanquam ex Deo subsistentem glorifices, vniuersas semel in illum contulit virtutes. Verbum ergo Dei, vnigenitus Dei, & Spiritus sanctus vterque cœlum ac terram, & omnes virtutes in eis concreauit. *Prouerb. 8.* Salomon mundi ordinem atque compositionem describit, sub nomine diuinæ sapientiæ: Dominus possedit me, inquit, in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. *Hieron.* Vox Christi est, inquit Hieronymus, qui vera est Dei patris sapientia: quæ ante omnem mundi creaturam ineffabiliter ex patre genita, quia ipse cunctam cæli terræque materiam potentialiter creauit, atque mirabiliter disposuit, ludens coram eo omni tempore; erat enim omni tempore ludens in orbe terrarum, quia & cum tempora orbis, ac creatura esse cœpissent, ipse quod erat in patre filius manebat. *Iob. 12. 26.* Iob disputans cum suis amicis ait: Interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cæli, & indicabunt tibi; loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? *De mundi creatione.* Item, cap. 26. mundi ordinem describit: Qui extendit, inquit, aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum. Hoc, inquit Hieronymus: sic intelligendum est, siue quod terra ex nihilo facta est: siue nihil intra terram sit, quo terra sustineatur: cum ipsa vniuersa sustinet, & ipsa innumerabiliter Dei virtute libratur, quia in ipso sunt vniuersa, & ab illo omnia continentur. *Hebr. 1.* De quo Apostolus dicit, portans omnia virtute sua verbo. Item Iob 28. Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura: quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus. Conuenit cum illa sententia Prouerb. cap. 8 Quando librabat fontes aquarum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. *Isai. 40.* His similia scribuntur ab Isaia. Quis mensus est pugillo aquas, & cælum palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ: & librauit in pondere montes & colles in statera? Omnia ergo fecit in pondere, & mensura. Qui extendit velut nihilum cælos, & expandit eos velut tabernaculum ad habitandum. *Genes. 1.* Moyses in principio Genesis audacter loquitur: In principio creauit Deus cælum & terram. *Athanas.* Athanasius in Arrianos sic scribit: verbum Dei est operatiuum atque opifex. In principio ergo, id est in filio creauit Deus cœlum & terram. Secunda quoque Chaldaica editio vertit, in principio, in sapientia. Idem quoque sensit Origenes, teste Theodorito: *Origines.* Origenes, inquit, illud in principio creauit, vult pro eo esse positum, quod est, in sapientia, id est, in filio. Ex his ergo, atque similibus scripturis constat, Deum esse omnium conditorem. Et Reuera, Mundus & omnia, quæ in ipso continentur, eiusdem cum Deo naturæ esse non possunt, quippe quæ mutationi subdita sunt: Deus autem immutabilis. Alterius ergo sunt naturæ, quæ est inferior atque posterior æternitate, seu æterna Dei natura; vna est enim æterna natura, & non plures. *Omnia condita ex nihilo.* Natura ergo inferiorum habet principium, à quo esse accepit nam cum non sint inferiora, atque superiora omnia eiusdem cum Deo naturæ, & à Deo condita sint, non quidem ex alia natura, quandoquidem ante mundum nulla, diuina duntaxat excepta, extiterit natura: ex nihilo ergo à Deo condita sunt omnia. Amplius, voluntas Dei est causa rerum: proinde sic res esse necesse est, prout ipse voluerit; *5. met.* Effectus enim necessitatis, ex causa necessitate dependet. sed rerum existentia non est absolute necessaria, cum nihil ad extra Deus necessario velit: mundus ergo non fuit ab æterno. *Quod mundus non sit æternus.* Dices, omne quod incipit esse antequam fuerit, possibile fuit ipsum non esse: alioqui impossibile fuit, ipsum fieri. sed si mundus incepit esse, vt iam dictum est; antequam ergo inciperet, possibile fuit ipsum esse. sed quod possibile est esse, materia sit, necesse est, quæ est potentia ad vtrumque. materia autem non est sine forma. sed materia cum forma est ipsemet mundus: fuit ergo mundus antequam esse inciperet: quod est impossibile. Respond. antequam mundus esset, impossibile fuit mundum esse, non quidem secundum eam, quæ est in materia passiuam potentiam, materia nondum existente; sed secundum potentiam Dei actiuam, & secundum possibile ex sola habitudine terminorum, quatenus possibile opponitur impossibili. vt dicitur 5. met. Quod si dixeris, Philosophum aliud sensisse, atque docuisse, Respondeo, philos. rationes militare aduersus eos, qui aiunt: Mundum modo naturali, non autem creatione siue simplici emanatione, principium habere. Quod certe vel ex his maxime patet; quæ ab eo dicta sunt alibi, vbi cum Philosophis disputauit, à quibus, vt ipse dicit, huiusmodi doctrinam promulgatam atque propagatam esse, legimus. *8. physi. calc.* Quod ergo mundus non sit æternus, sacra satis testantur eloquia.

MERCVRIVS.

Ipse vero sic cogita illum præsentem semper, agentem omnia, Deum vnicum, voluntate sua cuncta constituentem. Id enim eius corpus est, non tangibile, non visibile, non dimensum, non distans, neque alterius cuiusquam

Deus est vbique.

simile. Nec ignis, nec aqua, nec aer, neque etiam spiritus: verum ab eo hæc pendent omnia.

Comment. II.

Dei omnipotentem, atque omnia continentem, & penetrantem indicat naturam, qua omnibus adest, agit, atque mouet omnia, cuncta constituit, quippe quæ est vnica, à seipsa, sempiterna: cæterarum omnium naturarum principium, medium, & finis. *Ipse vero sic illum cogita præsentem semper.* quasi diceret, rebus à se conditis ita adest Deus, vt nunquam illis desit, quod est vehementer amantis, & omnia semper ornantis, atque conseruantis. Hoc idem affirmat Mercurius Dial. 5. *Neque, inquit, opus est, vt appareat, quandoquidem esse nunquam desinit. Ante oculos quidem id reliqua ponit: ipsum vero secretum manet.* Et iterum in eodem Dialog. *Nihil est in omni natura, quod ille ipse non sit. Est ille siquidem, quæ sunt: est ea etiam quæ minime sunt. Quæ quidem sunt, deduxit in lucem: quæ non sunt, occulit in seipso. hic occultus, hic rursum omnium patentissimus, hic mente conspicuus, hic præsens oculis, hic incorporeus, hic (vt ita dixerim) multicorporeus: Nam nihil in corporibus est, quod ipse non sit; omnia enim ipse solus est.* Quasi diceret cum Paulo: *Est Deus omnia in omnibus.* & ad Heb. *Omnia nuda & aperta sunt conspectui illius. Est enim penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus: medullarum & intentionum cordis discretor, & non est aliqua creatura inuisibilis in conspectu eius.* hac certe ratione vtitur Ambrosius: *Creatura non est vbique.* sed Spiritus Sanctus est vbique: igitur Spiritus Sanctus non est creatura, sed Deus. Et in illud Psalm. 118. *Prope es Domine, & omnia præcepta tua veritas: Prope est, inquit, Dominus omnibus, quia vbique adest. nec refugere eum possumus, si offendimus. nec fallere, si delinquimus. nec amittimus, si colamus: spectat omnia Deus, omnia videt, assistit singulis.* Et quomodo potest deesse alicui Deus, cum de Spiritu Dei legeris: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum;* quia vbi Domini Spiritus, ibi Dominus Deus. *Cœlum & terram ego impleo,* dicit Dominus per Ieremiam Prophetam. vbi igitur deficit qui implet omnia? Denique Dauid sciens illum vbique esse, & implere cœlum & terram, & maria, ait: *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades.* An cum de sole dubitare nequeamus, quod procedens toto orbe radios diffundat suos, & omnibus lumen infundat: de Deo dubitas, quod non vbique splendeat virtus eius? Basilius in illum versiculum Psalm. 32. *Deus de cœlo prospexit, vidit omnes filios hominum: Considera, inquit, è cœlo, res mortalium introspicientem. Quocunque perges, quodcunque opus efficies, siue in tenebris, siue in diei luce, Dei oculum superintendentem habes. Omnes aspicit filios hominum, ne vnus quidem ipsius fugere conspectum possit, non tenebræ, non parietes quenquam possunt occulere: oculis Dei nihil obstaculi, nullum oppanditur velamen: tantumque abest, vt vnumquemque non videat, vt etiam corda contempletur, & introspiciat, quæ ipse finxit citra vllam admistionem ad maliciam inclinantem.* Augustinus ad Dardanum de Dei præsentia, *Scribitur, inquit, in lib. Sapientiæ de sapientia Dei, quod attingat à fine vsque in finem, propter suam munditiam, & nihil inquinatum in eam incurrat. Cum Deus vbique dicatur esse diffusus, carnali resistendum est cogitationi, & mens à corporis sensibus est auocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur. Omnis enim huiusmodi magnitudo, minor est in sui parte quam in toto: sed ita potius, sicut est magna sapientia etiam in homine, cuius corpus est paruum. Et si duo sint sapientes, quorũ sit alter corpore grandior, neuter sapientior, nõ est illa in maiore maior, minor in minore, aut minor in vno quam in duobus; sed tanta in hoc, quanta in illo: & tanta in vnoquoque, quanta in vtroque.* Est ergo Deus per cuncta diffusus, vt non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, sine labore continens mundum: non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita, vt in dimidio mundi, corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius: atque ita per totum totus, sed in solo cœlo totus, & in sola terra totus: & in cœlo, & in terra totus solus: & nullo contentus loco, sed in seipso vbique totus. Mercurius in hymno Pymandri ait: *Deus est sphæra infinita, cuius centrum est vbique, & circumferentia nusquam:* vtpote, qui omnia continet, & à nullo ipse continetur; sphæra enim simplicitatem & plenitudinem intelligibilium enuntiat. Eorum præterea immortales conuersiones, semper ab eisdem ad eadem, lassescente nunquam motu, remanentem demonstrat. superat sphæra corpus angulare in tribus: primo in simplicitate; quia laterum & angulorum differentias excludit: & consequenter in vnitate, & vniformitate sui. secundo in capacitate & plenitudine, cum sit omnium figurarum capacissima & plenissima: tertio, in assiduitate, & perpetuitate lationis, conuersionisue in gyrum. Deus ergo cum sit æternus, & immensus circulus, omnia complectens, & continens suo ambitu; recte à Mercurio sphæra intellectualis nominatur; cuius centrum est vbique, quia per omnia penetrat, & cunctis naturarum medullis illabitur: & circumferentia nusquam, quippe qui omnia infinities transcendit. Orpheus: *Oculus Iouis perfectus est.* Plinius in principio secundi libri: *Deus totus est oculus.* vnde Psalm. *Oculi eius in pauperem respiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.* Plotinus, *Deus,* inquit, *venit quasi non veniens: apparet enim non veniens, sed ante superque omnia præsens, priusquam intellectus accesserit: Et profecto mirum est, quo adsit non accedens, quoue modo dum existit, nusquam ob id ipsum interim sit vbique.* Et cap. 9. *Quicquid ab alio fit, aut in suo est authore, aut in alio: summum autem principium esse nequit in alio, sed cuncta complectitur. Complectens autem neque dissipatur in illa, & habet omnino non habitum: & profecto cum habeat, ne habeatur, non datur aliquid vsquam vbi non sit; nisi enim adesset, nec haberet, rursusque, si non habetur, nec vtique adest.* Adest igitur atque non adest, nempe ex eo quidem quod non comprehenditur, nequaquam adest: ex eo autem quod est à quolibet liberum, nusquam prohibetur adesse: si enim cohiberetur, certe definiretur ab alio, & quæ deinceps sequuntur, ipsius reliquerentur expertia: & huc vsque Deus ipse regnaret, neque amplius quicquam esset in ipso, neque ipse in seipso consisteret, sed reliquis iam ipse seruiret. Plato 4. de legibus: *Deus, ó viri, sicut antiquus quoque sermo testatur, principium, finem, & media rerum omnium continens, recta peragit, secundum naturam circuens.* Et 10. de legibus: *Singulis, inquit, rebus præpositi sunt principes, qui minimarum etiam actionum passionumque, per singulas, & vniuersi mundi particulas, distributione ad vltimum vsque peracta, curam habeant: ita vt omnia sint plena Deorum.* Deum ergo esse omnibus rebus præsentem, cum ex Philosophis, tum etiam ex diuinis scripturis, sacrisque doctoribus, puto esse manifestum. Iam addendæ sunt rationes, quibus hanc eandem sententiam nonnulli statuere: Deus, inquiunt, est in omnibus rebus, non quidem sicut pars essentiæ, vel sicut accidens; sed potius sicut agens: adest enim ei, in quod agit. Et reuera, omne agens, ei, in quod immediate agit, coniungi; suaque illud virtute contingere, necesse est. Sic enim à Philosopho docetur 7. phys. motum atque mouens esse simul. Cum autem Deus sit ipsum esse per suam essentiam: esse ergo creatum, est proprius ipsius effectus: veluti ignire, est proprius effectus ipsius ignis. Porro, huiusmodi effectus, non solum in prima sui productione, verumetiam in eiusdem conseruatione, à Deo produci, causarique dicitur: sicut lumen in aere à sole, quamdiu aer sic luminosus perseuerat. Quam diu ergo res, esse habent, tam diu Deum illis adesse necesse est: secundum eum vtique modum, quo esse acceperunt. Cæterum, esse rei, est eidem cæteris rebus intimius atque proximius, cum respectu aliorum sit formale eiusdem. Omnibus ergo in rebus, Deum intime inueniri, perspicuum esse reor. 2.
Amplius, esse aliquid in loco, bifariam potest intelligi: vno quidem modo, sicut accidentia locati sunt in loco: alio autem, sicut locata in loco: vtroque autem modo, Deo competit esse in loco, quod est esse vbique. Et primo quidem modo, vt dans rebus omnibus esse, virtutem locatiuam & operationem: Deinde, vt complens omnem locum: non sicut corpus, quod aliud corpus simul compati nequit; sed potius quatenus largitur esse locatis, quæ replent loca omnia. & sicut sapientia artificis, quæ inuenitur in rebus à se conditis, vna, & eadem in omnibus rebus. Aiunt præterea, per modum causæ vnigenitis, Deum in loco esse, sicut iam dictum est, atque ita in omnibus rebus à se conditis inueniri. Insuper, & sicut obiectum operationis, est in operante; quod certe, animæ operationibus congruit, quatenus cognitum est in cognoscente, & desideratum in desiderante secundum quem profecto modum, Deus est in rationali creatura: à qua, actu siue habitu, & cognoscitur & amatur; ideoque in huiusmodi creatura per gratiam inhabitare dicitur. Est autem in omnibus per potentiam; quia scilicet illius potentiæ subdita sunt: per præsentiam vero,

Tex. expo. — *Deus est vbique.* — *Paul.* — *Ambros. lib. de Sp. Sancto.* — *Sapi. 1.* — *Hiere. 23.* — *Psal. 138.* — *Basilius.* — *August. Epist. 57. Sapi. 8.* — *Deus est sicut sapientia.* — *Deus est sphæra intellectualis.* — Deus est vbique. *Sphæra sãdissondit.* *Orpheus.* *Plinius.* *Psalm. 10. Enn lib. 5. cap. 8.* — *Deus adest & non adest.* — *Plato.* — *Rationes quod Deus sit vbique.* 1 — *Deus est intimus nobis.* — *Quot modis Deus sit in rebus.* — *Per potentiam, præsentiam, & essentiam,*

Deus est vbique. vero, quia sunt nuda, & aperta illius conspectibus: per essentiam autem, quia causa est, vnde omnia esse acceperunt, & in esse conseruantur. Porro, secundum se totum esse vbique, est proprium Dei: non sic autem esse vbique secundum diuersas sui partes, in diuersis locis existens. Etenim, quod ratione suæ partis alicui tribuitur, eidem primo, nequaquam conuenire dicitur, vt si homo albus dicatur, propter dentium albedinem, profecto albedo denti primo, deinde homini conuenit: proinde homo primo albus dici non potest. Adde, quod esse vbique ei minime congruit, cui esse vbique per accidens competit; ob aliquam scilicet rationem, seu suppositionem illi tributam: alioqui granum milij esset vbique, nullo alio corpore in rerum natura existente. Itaque proprie esse vbique dicitur, quod omnibus adest, quacunque positione supposita, quod proculdubio Deo soli competere potest. Positis enim etiam infinitis locis, omnibus Deus adest; quia nihil
Esse vbique est proprium Dei. potest esse, nisi per ipsum. Esse ergo vbique primo, & per se, est proprium Dei omnia continentis, atque adimplentis.

CAP. II.

Argumenta contraria.

1. SOlent nonnulli *contra* prædicta sic *arguere*: Sol agit immediate, vbi non est, generat enim in visceribus terræ mineram, seu aliquod mixtum: & huiusmodi generationis proximum principiû elicitiuum, est substantia solis. Quodcunque enim accidens, siue lumen, siue quodlibet aliud, non potest esse substantiæ principium: igitur Deus potest in multa, etiamsi non aderit. Tenet conseq. quia est agens perfectissimum. Non va-
2. let ergo illa ratio: Agens necessario coniungi ei, in quod immediate agit. Item, agens naturale non posse agere in res longe positas, nisi prius egerit in immediatas, atque præsentes: ex alteru duorum oriatur, necesse est: videlicet aut ex concursu duarum potentiarum, quæ in eodem agēte subordinatæ sunt: aut certe ex imperfectione potentiæ actiuæ perfectius producere non valentes, nisi de imperfectiori, ad perfectius procedendo. Exemplum primi: sol enim non generat hoc, nisi prius ab eo medio illuminato. Exemplum secundi: generans non generat, nisi alteret, & disponat. Si ergo agens non potest agere in res distantes, quin prius agat in præsentes, ob has conditiones: igitur non est necessarium simpliciter; potest enim dari agens, in quod neutra istarum cadat conditio, cuiusmodi est Deus, in quo neutra conditio locum habere potest. Etenim, si Deus certum situm obtineret, in quæcunque distantia aliquid producere posset; est enim omnipotens: ex immediata ergo productione, non infertur præsentia secundum es-
3. sentiam. Amplius, posito priori, positio posterioris nequaquam necessario sequitur. sed præsentia Dei secundum potentiam, est prior eius præsentia secundum substantiam: prius natura actum terminat diuinæ potentiæ, quam insit illi diuina præsentia, quemadmodum in mundi productione clarissime patet. posita ergo illa, alteram poni, ne-
4. quaquam necesse est: ergo quod prius. Iterum, *Deus non est*
lib. 83. q. 20. *alicubi*, inquit Augustin. *quia omnia sunt in ipso*. Si ergo esset in omnibus, omnibus in ipso existentibus: omnia profecto essent in omnibus, atque ita idem in seipso. Anselmus
in Monolog. c. 22. præterea ait, Deum proprie non esse in aliquo loco, vel tempore. Denique si Deus est vbique: facile ergo mutationi subiicitur; esset enim vbi aliquando non fuit, loci nouitate accedente. Adde, quod Deus sit in aliquo loco totus: non est ergo in omni loco. Tenet conseq. quia totum est, extra quod nihil est. si ergo esset vbique, tunc profecto, aut non esset in vno loco totus: aut esset extra se totum: ergo
5. &c. Præterea, esse vbique significat esse in omni loco, quod Deo tribui non potest, quippe cum esse in loco, minime illi conueniat, corporalia enim, teste Boetio, *in lib. de hebdom.* nō sunt in loco. Deus ergo non est vbique. Sane, sicut se habet tempus ad successiua; ita se habet locus ad permanentia. sed vnum indiuisibile actionis, vel motus, diuersis in temporibus esse non potest: nec ergo vnum indiuisibile in genere permanentium, in omnibus locis esse potest. Porro, esse diuinum, est permanens, & non successiuum: non ergo
6. est in omnibus locis, & ita non est vbique. Item, id per essentiam est in aliquo, quod est essentialiter in eo. sed Deus non est essentialiter in rebus, quia non est de essentia alicuius rei: non ergo Deus est in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam. Reuera, hoc est esse alicui rei
Deus est vbique. præsentem, illi scilicet non deesse. sed hoc est, Deum esse in rebus per essentiam, nempe alicui rei non deesse. Perinde ergo est, Deum esse in rebus per essentiam, & præsentiam, Adde, quod quemadmodum Deus est omnium rerum principium per suam potentiam: ita plane per suam scientiam, atque voluntatem. sed per scientiam, & voluntatem, in omnibus rebus Deus esse non dicitur: nec ergo per potentiam. Adhæc vniuersale secundum Philosophum, est 7.
vbique & semper: materia quoque prima, cum omnibus insit corporibus, est etiam vbique esse: ergo vbi non conuenit Deo tantum. Numerus certe est in numeratis. sed totum vniuersum constat numero, vt dicitur *Sap.* 11. aliquis ergo numerus est in toto vniuerso, & ita vbique. Sane, totum vniuersum, est quoddam totum corpus perfectum. 1. *cæli.* sed totum vniuersum est vbique. quia extra ipsum nullus est locus: non ergo solus Deus est vbique. I- 8.
tem, si aliquod corpus esset infinitum: nullus certe locus extra ipsum inueniretur; & sic esset vbique. Anima prætere- *7. de Trin.*
ea, teste August. est tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte. si ergo non esset in mundo, nisi vnum duntaxat animal, eiusdem anima esset vbique. Insuper Augustinus
in Epistola ad Volusianum ait: *Anima vbi videt ibi sentit, & vbi sentit, ibi viuit, & vbi viuit, ibi est.* sed anima videt quasi vbique. quia successiue videt etiam totum cœlum: anima ergo est vbique. His atque similibus, solent nonnulli obiicere, quomodo Deus non sit vbique, neque proprium illius sit esse vbique. *Ad hæc* autem sic *respondere* valemus: inprimisque dicimus in agentibus, quæ apud nos sunt, præsentiam agentis ad passum, bifariam inueniri, situalem scilicet & virtualem. situalis autem est, qua vltima eorum sunt simul. virtualis vero, qua effectum siue passum attingit operatio agentis, nullum aliud medium, etiamsi adsit attingendo. Porro, duplex est agentium spiritualium præsentia: altera quidem secundum substantiam, quæ est definita substantia agentis, aut quasi huic passo diffinita: altera vero secundum virtutem. Vnde quamuis aliud sit præsentem esse secundum substantiam, & aliud secundum potentiam; hæc tamen inter se non differunt, modo potentia passum seu effectum immediate attigerit. Neque ob id sunt idem prorsus, sed distinguuntur, sicut res præsens, & ratio præsentiæ. Itaque istæ duæ præsentiæ in spiritualibus non sunt duæ omnino, neque etiam vna, sed medio se habent modo; Deus enim ob suæ virtutis immensitatem, in omnibus immediate agit: proinde nihil à Deo distat, quasi in se Deum non habeat. sed potius ab eo distare dicuntur, naturæ seu gratiæ dissimilitudine; ipse enim est super omnia, atque supergreditur suæ excellentia naturæ. His

Soluuntur argumenta.

Duplex præsentia agentium spiritualium.

Solutio primi argumenti. præmissis, ad primum *respond.* neqoque solem agere immediate in distans: falsum quoque esse, formam substantialem mineræ generationis principium esse elicitiuum; substantia enim nullius operationis est proximum, & elicitiuum principium. Neque est inconueniens, accidens esse instrumentale generationis substantiæ principium: instrumentum namque non est causa, sed causæ organum. Nullius ergo agentis naturalis actio, ad aliquod distans 2.
procedit; nisi quatenus in illud per media agit. *Ad 2.* neutra illarum est causa sufficiens, sed imperfectio potius negatiua, quæ spectat ad virtutem actiuam limitatam atque finitam: ideoque hoc Dei solius proprium est, qui est omnibus præsens, secundum illum modum, quem ante proposuimus. siquidem illa ratio valet in his, in quibus præsentia substantiæ, & præsentia potentiæ sunt diuersæ; non autem in Deo, qui est omnibus rebus præsens secundum potentiam, essentiam, & præsentiam. *Ad 3.* Prius 3.
non infert necessario posterius, quando sunt omnino diuersa: sed huiusmodi præsentiæ, vt dictum est, non ita se habent, sed coincidunt, vt ratio, & id, cuius est ratio: proinde aliquo modo se habent, vt prior & posterior. *Ad 4.* 4.
verum est, Deum non esse in aliquo loco seu tempore, sicut cætera omnia in ipso, sed est præsentialiter & realiter: proinde non sequitur illud inconueniens, quia non est idem modus dicendi. *Ad Ansel.* simili facilitate *resp.* Deum scilicet nō esse in loco, localiter, neque in tempore temporaliter, sicut aliquod mensurabile, neque aliquam ad ista, sicut creaturam relationem habere; quod plane Anselmum sensisse affirmo. *Ad aliud*, dico, Deum non mutari, neque aliquem respectum realem, ad locum habere, sed per mutationem creaturæ, eidem præsentem esse. *Ad aliud*, Deus est totus in loco, quia nihil est illius, quin sit in eo: est etiam in alio loco, & in omnibus locis. Adde, quod totum dicitur respectu partium: est *Totum quid.*
autem

Deus est vbique. *Totum quid.* *Duplex pars.*

Deus est autem duplex pars essentiæ scilicet, vt forma & materia, partes compositi, & genus & differentia, partes speciei. Est etiam pars quantitatis, in quantum scilicet diuiditur aliqua quantitas. Quod ergo est totum in aliquo loco, totalitate quantitatis, extra suum locum esse non potest, locati enim quantitas, loci quantitati, æqualis sit necesse est: non sic autem essentiæ quantitas, siue totalitas. Quamobrem, non est necesse, vt quod est totum totalitate essentiæ in aliquo, extra illud esse non possit: sicuti videre est in formis accidentalibus, secundum accidens quantitatem habentibus; albedo enim est tota in qualibet parte superficiei, totalitate essentiæ; quia nimirum secundum perfectam suæ speciei rationem, in qualibet illius superficiei parte inuenitur. secus autem res sebhabet, si intelligatur secundum quantitatem, quam habet per accidens; quandoquidem hoc modo non sit tota in qualibet parte superficiei. cum autem in substantiis incorporeis, sola inueniatur totalitas, secundum perfectam essentiæ rationem: propterea dubium nullum esse potest, quin Deus sit totus in singulis rebus. *Ad* 5. Incorporalia sunt in loco, per contactum virtutis, non autem
5. dimensiuæ quantitatis. *Ad confirm.* duplex est indiuisibile: vnum quidem quod est terminus continui, vtpote punctus in permanentibus, & momentum in successiuis. Porro, huiusmodi indiuisibile in permanentibus, quia situm determinatum obtinet, in pluribus locis seu loci partibus esse nequit: similiter etiam indiuisibile actionis seu motus: propterea quod habeat in motu seu actione determinatum ordinem. Aliud autem indiuisibile, quod est extra totum genus continui, vt Deus, Angelus, & anima, non applicatur ad continuum, vt aliquid ipsius, sed quatenus illud sua contingit virtute. Quare pro suæ virtutis conditione, quæ sese ad
6. plura loca extendit, in pluribus locis esse dicitur. *Ad 6* Deus in omnibus dicitur esse per essentiam, non quidem illarum rerum, quasi sit de illarum essentia; sed per suam essentiam, quæ adest omnibus vt causa essendi. *Ad confirm.* Aliquid præsens est alicui, quatenus eius præsentiæ subiacet: tametsi ab eo distet per suam essentiam: ideoque duo modi positi sunt, quorum alter est per essentiam, alter vero per præsentiam. *Ad confir.* ad scientiæ & voluntatis rationem pertinet, quod scitum sit in sciente, & volitum in volente: propterea secundum hunc modum, res magis sunt in Deo, quam Deus in rebus. At, ad rationem potentiæ spectat, vt sit principium agendi in aliud, ideoque agens secundum potentiam rei exteriori applicatur: atque ita tale
7. agens dicitur esse in altero. *Ad 7.* vniuersale & materia prima sunt quidem vbique, sed non secundum idem esse. *Ad confir.* Numerus cum sit accidens, non est per se, sed per accidens in loco: nec etiam totus in quolibet numeratorum, sed secundum partem proinde non sequitur esse primo, & per se vbique. *Ad confirm.* Totum corpus vniuersi est vbique, sed non primo, quia non totum in quolibet loco, sed secundum suas partes. Nec etiam per se. nam si alia loca da-
8. rentur, non esset vtique in illis. Non est ergo primo, & per se vbique. *Ad 8.* Si daretur corpus infinitum, esset vtique vbique, sed secundum suas partes. *Ad confirm.* si esset solum animal, non primo quidem, sed per accidens eius anima esset vbique. *Ad confir.* Animam alicubi videre, bifariam potest intelligi: aut quatenus aduerbium, alicubi, ex parta obiecti, videndi actum determinat: sicque verum est, en cœlum vidente, in cœlo videre, eademque ratione in cœlo sentire: non tamen in cœlo viuere siue esse; viuere enim & esse, in obiectum extrinsecum, transeuntem actum non indicane. Alio modo intelligi potest illud aduerbium, quatenus determinat actum videntis, quatenus est à vidente: atque ita verum est, animam ibi esse, & viuere, secundum istum modum loquendi, vbi certe sentit, & videt. Nec tamen inde sequitur, vt anima sit vbique. Quomodo ergo Deus sit omnibus rebus præsens, secundum Mercurium, aliosque sapientes, atque diuina oracula, dixi. Sequitur

Textus expo.

Textus: *Agentem omnia*: Sensus est, Deus cum sit primum agens, & prima causa, omnia profecto alia agentia, atque causæ secundæ, illius virtute mouentur, & agunt: propterea omnia agere dicitur. Deus vnicus, qui voluntate sua cuncta constituit. Quod autem vnus sit Deus, in primo Pymandri enarrauimus, similiter & de potentia diuinæ voluntatis disputauimus: Quapropter ad alia Mercurii verba enucleanda accedimus. Id enim, inquit, eius corpus est, non tangibile, non visibile, non dimensum: sensus est, corpus Dei, est ipsius virtus, quæ complet omnia. De hac autem, Iob, sumpta corporis metaphora, ingeniose atque subtiliter loquitur: *Mensura Dei, inquit, est longior terra, latior mari, altior cælo, profundior inferno.* Corpus Dei, ait, non est visibile, non est palpabile, non est quantum: igitur non est vere corpus; nam quantitas est de substantia corporis: proinde quod quantitate caret, corpus dici non potest. Et reuera: Quod Deus non sit corpus, præclare docet Damascenus: *Nullum, inquit, corpus esse potest infinitum, interminatum, infiguratum, intangibile, inuisibile, simplex, incompositum, immutabile.* sed Deus est infinitus, interminatus, & huiusmodi: igitur non est corporeus. Præterea, si Deus esset corpus, cum omnibus etiam non cedentibus adsit corporibus; duo profecto corpora essent simul: quod est falsum. Sed de his hactenus.

Deus est vbique. *Corpus Dei quale sit.* *Damascenus. lib. 1. de fi. de Orthod. c. 4.*

MERCVRIVS.

Bonum ita est, vt sibi soli id competat.

Comment. III.

CAP. I.

Textus expo.

IN 3. Pymandri de Dei bonitate cum secundum philosophos, tum etiam secundum scripturas, aliosque sacræ Theologiæ cultores, satis me locutum fuisse puto: Verum quia iterum Mercurius huius rei meminit; propterea aliquid dicere non erit inutile. *Deus, inquit, ita est bonus, vt non sit aliud quam bonum denique vt illi soli competat esse bonum.* Quarto cap. de diuinis nominibus præclare de Dei bonitate Dionysius disputauit: *Quemadmodum, inquit, sol hic nobis conspicuus, nec cogitatione, nec electione, sed eo ipso quod est, illuminat omnia, quæ pro modo suo, participationem lucis admittunt; sic & ipsum bonum, non aliter solem superans, quam exemplar primum, exilem excellenter antecedit imaginem: ipsa sua existentia, per ea, quæ sunt, omnia pro sua cuiusque capacitate, bonitatis suæ radios abunde diffundit. Sane, per ipsos bonitatis diuinæ radios, subsistunt omnes intelligibiles, intellectualesque essentiæ: & virtutes, & actiones per easdem sunt, vitamque indeficientem & indiminutam habent ab ipsa quoque bonitate perseuerantiam habent & firmitatem, atque inde continentur custodiunturque. Bonitatem quoque ipsam amantes, vt sint & bene sint, inde sibi vendicant, atque ad illam pro viribus conformata bonitatis speciem præferunt. Denique, vt diuina lex dictat, sequentibus bonorum, siue donorum, ex ipso bono prouenientium consortium exhibent.* Sensus est, cœlestia omnia, præsertim diuinæ intelligentiæ, à Dei bonitate habent, vt sint, & bene sint: quam quidem bonitatem studiose imitantur, aliisque impartiri student. *Vnde, inquit, illis boni indoles est indulta, munusque tributum, quo occultam illam in seipsa bonitatem ipsam in se patefacerent: angelique existerent, tanquam diuinum silentium nunciantes: & quasi conspicua quadam lumina, tanquam è vestibulo bonum ipsum in adytis latens, sequentibus declarantia. Præterea, si de animabus animalibusue irrationalibus fas sit loqui: quæ vel aerem diuidunt, vel per terram gradiuntur, vel serpunt humi, vel in aquis vitam sortita sunt: & similia omnia, per ipsum bonum habent, vt viuant: plantæ item omnes vitam nutritiuam, motricemque ab ipso bono sortita sunt: & quæcunque essentia anima, vitaque expers est, per ipsum bonum est. Denique, si dictu fas est, ipsum quoque non ens appetit ipsum bonum. Profecto, bonitas ad se conuertit omnia: primaque ipsa bonitas, dispersa omnia congregat, tanquam vnitatis principium, & vnifica deitas; atque ad hanc omnia, tanquam principium, tanquam continentiam, tanquam finem appetunt: bonum ipsum est, ex quo subsistunt omnia; productaque sunt inde, velut à causa omnium perfectissima; & in quo omnia constant, tanquam in omnipotente fundamento penitus conseruata; ad quod omnia conuertuntur, tanquam ad suum quæque finem: quod videlicet cuncta desiderant. Intellectualia quidem, rationaliaque, cognitiue quadam conditione; sensualia vero, sensualiter quæ autem sensu carent, ingenito vitalis desiderii motu, & quæ sunt expertia vitæ, solaque sunt essentia prædita, sola quadam ad essentialem participantiam aptitudine. Porro ipsum bonum, lumen intelligibile vocatur, tanquam fontana lux, & exuberans profusio luminis, intellectum omnem sua illuminans plenitudine, totasque intellectuales horum vires renouans: & omnes denique intellectus comprehendens, eo ipso quod se super eos expandit; atque omnes excedens, eo quod desuper existat, & omnino tanquam principium luminis. Hoc ipsum*

Dionysius Areopag. *Sol est imago diuinæ bonitatis.* *Angeli annunciant diuinæ bonitatis.* *Bonum est causa vitæ.* *Bonitatis virtutes.* *Omnia appetunt bonum.* *Bonum est lumen & pulchrum.*

bonum

Deus est bonus.

bonum à sanctis Theologis, vt pulchrum, & pulchritudo: item, vt dilectio, & diligendum laudatur. Pulchrum autem nominatur, quod est particeps pulchritudinis: pulchritudinem vero participationē quandam causæ primæ pulchra omnia facientis. Ipsum vero superessentiale pulchrū: pulchritudo quidem dicitur propter illam, quam rebus omnibus pro suo cuiusque modo, pulchritudinem tradit. Quamobrem idem est pulchrum, & bonum; quoniam omnia pulchrum pariter, atque bonum, secundum omnem causam appetunt: nec quicquam est in rerum ordine, quod non sit pulchri, bonique particeps.

Bonum status omnium.

Ipsum autem bonum, atque pulchrum omnis status, motusque superius author est, & conseruator, & similiter etiam in mundo motionum, atque etiam sensibilium; multoque prius vniuscuiusque mansionum, & statuum, atque firmitatum: per quod sane bonum, atque pulchrum status omnis, ac motus existit: ex quo, & in quo, & ad quod, & cuius gratia hæc omnia fiunt. Iam vero ex ipso, atque per ipsum essentia, vitaque omnis intellectus, & animæ, naturæque existit. Denique quicquid est, ex pulchro, bonoque existit; & in pulchro, bonoque consistit; & ad pulchrum, bonumque conuertitur.

Bonum est causa amoris.

quoniam ex ipso, atque per ipsum, & in ipso, & ad ipsum omnia pendent: quemadmodum sacrum testatur eloquium. Ipsum ergo pulchrum, atque bonum est omnibus appetibile, amabile, diligendum. Rursus propter ipsum, eiusque gratia, inferiora quidem amant superiora, se videlicet ad illa conuertendo: quæ vero in eodem ordine sunt, communicando mutuam consortia diligunt. Sed & præstantiora, inferiora diligunt, prouidendo, & singula semetipsa, se videlicet continendo. Cuncta denique quicquid agunt, atque volunt, boni, pulchrique desiderio faciunt, atque volunt. Vna est ergo atque simplex virtus, seipsam mouens ad vnificam quandam commixtionem ex ipso bono vsque ad extremum vniuersi: ab eoque rursum deinceps per omnia ad ipsum bonum ex seipsa, & per se, & in seipsa, semet in circulum reflectens, atque in seipsam semper eodem modo se glomerans;

Bonum est superessentiam.

bonum enim, & est ens, & auctor bonorum. Porro, bonum, quibus perfecte inest, perfecta, pura, integra, bona facit: sed quæ minus ipsum participant, imperfecta bona sunt, ac propter defectum boni, permista. Omnino quidem malum non est ens, neque bonum, neque beneficum: sed quod magis, aut minus propinquat bono, pro ipsa appropinquanti mensura, fit bonum. Siquidem perfecta bonitas per omnia se diffundens, non solum ad illas, quæ sunt circa ipsam substantias optimas, accedit; sed ad extremas vsque procedit: aliis quidem summopere præsens, aliis autem inferiore quadam conditione, aliis tandem infimo quodam pacto, quatenus singula percipere possunt. Iam vero alia bonum prorsus participant; alia vero magis, minusue inde degenerant, sed aliam tenuiorem boni præsentiam sortiuntur: aliis denique vestigium boni contingit extremum.

Sine bono entia non subsistunt.

Cæterum, vt summatim dicam, quæcunque sunt, quæ ratione sunt, eadem sunt & bona, existuntque a bono: quæ vero destituta sunt à bono, neque bona sunt neque subsistunt. Sane, in cæteris qualitatibus, velut in calore, vel frigore, ita res se habet, vt quæ calefacta fuerint, etiam superesse possint, postquam calor illa deseruit: pleraque etiam sunt quidem, tametsi vita, & intelligentia sint experta. Deus quoque semotus est ab essentia: & superessentiali, vt ita dixerim, ratione consistit. Iam vero in cæteris simpliciter omnibus, tum habitu quoquo amisso, tum etiam non assumpto, sunt tamen entia, & subsistere valent.

Malum non est sine bono.

Quod autem à bono penitus destituitur, nimirum, nec vsquam, nec vllo pacto, vel fuit, vel est, vel erit, vel esse potest. Itaque si bonum omnino sustuleris, nec erit essentia, nec vita, nec appetitus, neque motus, neque aliud quicquam: si enim bonum prorsus abierit; nec erit vniuersaliter bonum aliquod, neque mistum quicquam, neque malum ipsum; siquidem malum est imperfectum bonum. Sine bono ergo esse non potest. In existentibus autem non inest malum: nam si hæc omnia sunt ex bono, omnibusque bonum adest, idque continet omnia: nimirum in his malum esse non potest.

Bonorum causa est vna.

An forsitan in bono malum erit? Minime: nam neque est in igne frigidum. Bonum ex vna, totaque causa proficiscitur: malum autem ex multis, particularibusque defectibus accidit. Cognouit præterea Deus malum sub ratione boni, bonoque vtitur malis, si bono malum est contrarium. Mali causæ multa sunt: non tamen mala faciunt rationes, atque vires vllæ;

Bonum est finis mali.

sed impotentia, & infirmitas, atque incongrua quadam permistio dissimilium. Porro, malorum omnium principium, atque finis, est bonum: boni namque gratia, omnia tum bona, tum contraria fiunt. Nam & mala facimus, appetentes bonum; nullus enim malum spectans, quæ facit, aggreditur. Quapropter neque substantiam malum habet; sed præter substantiam existens, substantia nititur aliena: vtpote quod non sui quidem, sed boni duntaxat gratia

Boni laudes.

perpetratur. nec tamen rectum est, quod boni gratia geritur; quia quod bonum non est, optamus bonum. Itaque patet, ipsum bonum esse admirandum, vtpote principium omnium, atque finem: rerum omnium comprehensionem: speciem non existentibus afferens: bonorum omnium causam, mali autem minime. Denique esse prouidentiam, & bonitatem vniuersam, omnia supereminentem: mala quoque & suiipsius priuationem, quadam efficiens bonitate: omnibus insuper desiderandum, & amandum, & ad sufficientiam diligendum.

Deus est bonus.

Hæc ex sanctissimo, doctissimoque Dionysio Areopagita collegimus. quæ quam sint diuina, & præclara, diligentis lectoris iudicio examinanda, libenter committo.

Plato.

Plato 6. de Resp. dicit ideam boni, hoc est filium Dei, esse omnis scientiæ causam, & authorem: *Hoc, inquit, quod veritatem probet rebus, quæ cognoscuntur, & ipsi cognoscenti dat virtutem, ideam boni dicito esse: etiam scientiæ, & veritatis causam. Ipsum autem bonum, non est substantia, sed supra substantiam, sua dignitate, & virtute excellens.* Proponit duo genera rerum solis, & boni. Quod quemadmodum sol efficit, vt omnia videantur corporaliter, & in hoc corporeo visibilique mundo: sic summum bonum, in regno intelligibili, largissimam suæ claritatis spargit lucem. Item, quemadmodum sol dat lucem, facitque visionem, non tamen est, aut visio, aut sparsa lux, sic summum bonum, non est ipsa cognitio, radius, aut mens cognoscens, sed maius. Item, sicut sol dat ortum, augmentum, alimentum visibilibus, ipse autem non est generatio, res facta; sic bonum, non solum præbet rebus, quæ intelliguntur, vt intelligantur; sed & ipsum esse, & substantiam: ipsum autem non est substantia, sed maius, & melius, dignitate, & potestate vltra substantiam. Præterea, quemadmodum sol præest huic mundo visibili; sic bonum mundo intelligibili. Ait ergo Plato, bonum, id est, Deum patrem, per suam ideam, nempe filium, omnia condidisse, quæ in cœlis, & quæ in terra, iuxta Paulum *Qui est imago, inquit, Dei inuisibilis, in quo condita sunt vniuersa, visibilia & inuisibilia.*

Colos. 1.

In 2. autem de repub. aperte fatetur, in Deo solam bonitatem, authoritatemque bonorum esse: *Bonus, inquit, est Deus, idque concedendum est.* Nihil item quod bonum est, est noxium: non nocet ergo, nec afficit malo, aut mali est author. Et item, ipsum bonum est vtile: causa igitur est felicitatis, rerumque bonarum: non ergo omnium causa est ipsum bonum, sed bonorum tantum, beneque habentium: malorum autem minime.

Deus bonus.

Non ergo Deus, cum sit bonus, omnium causa est, vt plerique loquuntur: sed cum quædam det hominibus, aliorum nullam ipse affert causam; longe enim pauciora nobis bona, quam mala sunt. ac bonorum quidem neminem alium fatendum est authorem esse; malorum autem alias causas quærere oportet, non Deum ipsum; Deus enim, & omnia, quæ sunt Dei, vndequaque optima sunt; ipse namque est pulcherrimus, simplex, verus, immutabilis:

Bonitas Dei genitrix mundi.

huius autem bonitatem genitricem mundi fuisse confitetur: quæ cum summa esset, mundum fecit pulcherrimum, cuius pulchritudo non aliam habuit causam, quam ipsius opificis pulchritudinem, cui non placent nisi pulchra, & optima.

Moyses.

Proinde dicit Moyses, cum vnamquamque rem creatam, vidisse esse bonam: ad postremum vidisse *cuncta, & ecce erant valde bona.* In Prothagora, ex sententia Simonidis asserit, hominem bonum inueniri, perdifficile esse; fieri autem posse, vt ad aliquod tempus. sed cum bonus fuerit, perseuerare in bonitatis habitu, virumque bonum esse, vt dixit Pittacus, impossibile esse, minimeque humanum, sed solum Deum hoc honore præditum esse. Mercurium imitatur, Deum solum esse bonum, clarissime docentem.

lib. 11. ciuit. c. 21.

Augustinus, *Quid est*, inquit, *aliud intelligendum in eo, quod per omnia dicitur*, Vidit Deus, quia bonum est; *nisi operis approbatio, secundum artem facti, quæ sapientia Dei est?* Deus autem vsque adeo non cum factum est, tunc discit bonum, vt nihil eorum fieret, si ei fuisset incognitum.

Vidit quod esset bonū.

Dum ergo videt, quia bonum est, quod nisi vidisset, antequam fieret, non vtique fieret: docet bonum esse, non discit. Et Plato quidem plus ausus est dicere: Elatum scilicet esse Deum gaudio, mundi vniuersitate perfecta. Quia vero tria quædam maxima scienda de creatura, nobis oportuit intimari, quis eam fecerit, per quid fecerit, & quare fecerit; fecit enim omnia Deus per verbum suum. eaque propter bonitatem suam, ideo dictum est à Moyse, Deum dixisse. *Fiat lux, & facta est lux: & vidit Deus lucem quod esset bona*, & similia.

Deus fecit omnia per verbum propter bonitatem suam.

Itaque si quærimus quis fecerit mundum, Deus est: si per quid fecerit, per verbum suum: si quare fecerit, quia bonus est: bonitas autem spiritui sancto attribuitur. Nec ergo author est excellentior Deo: nec

Deus est bonus. nec ars efficacior Dei verbo: nec causa melior, quam Dei bonitas. Quomodo ergo bonum Deo proprie competat dixi.

Mercvrivs.

Terram quoque ornatu quodam diuini operis exornare voluit. Demisit itaque hominem immortalis animantis mortale animal. Et mundus quidem refertus est animalibus viuentis mundi, per intellectum, atque rationem. Homo enim effectus diuini operis contemplator, quod profecto dum admiraretur, authorem eius agnouit.

Comment. IV.

CAP. I.

CVm Dei bonitas, mundi causa sit; illa etiam mundum exornauit, terram præcipue, ornatu quodam diuini operis. Cæterum, quoniam in superiori libro de ornatu primæ & secundæ diei locuti sumus: in hoc de aliorum dierum ornatu nobis loquendum, & inprimis de opere, siue ornatu tertiæ diei. *[Opus tertia diei.]* *Congregentur*, inquit, *aquæ in locum vnum* &c. *[Augustin.]* Quod plane secundum Augustinum, non durationis ordo, sed solum originis, & naturæ intelligitur. Siquidem arbitratur, naturam spiritualem informem à Deo creatam, corporalem vero absque omni forma, quam significari asserit nomine terræ, & aquæ: informitatem vero huiusmodi, non quidem tempore, sed origine præcessisse: similiter vnam formationem, aliam non duratione, sed solo naturę ordine, secundum quem profecto ordinem, necesse fuit, vt supremæ naturæ primo poneretur formatio: proinde legitur prima die, lucem à Deo conditam esse. Sicut enim spiritualis natura, corporali antecellit; ita certe superiora corpora, inferioribus. Quamobrem secundo loco, superiorum corporum formatio describitur: Fiat, inquit, firmamentum, de quo superiori libro copiose disputaui. Iam vero reliquum nobis est, de formatione elementorum, disputationem texere: licet in primo Pymandri, de hoc negotio aliqua dicta sint. *[Congregētur aquæ.]* *Congregentur aquæ*, inquit, *in locum vnum, & appareat arida.* Materiæ corporali impressa est forma substantialis, ob quam sibi talis motus tribuitur: & forma substantialis terræ, qua competit sibi videri. hæc autem formarum elementarium impressio, non tempore, sed origine, materiam præcessit informem, secundum August. sententiam. *[Aliorum sententia.]* Verum secundum alios, & quidem eruditos viros, in operibus huiusmodi, ordo etiam attenditur durationis; ponunt enim materiæ informitatem, tempore formationem præcessisse, vnamque formationem, alteram. Porro, materiæ informitatem, nolunt eam esse omnis formæ carentiam, cœlo, & aqua, & terra existentibus: quæ plane nominantur, tanquam sensui notiora; sed potius debitæ distinctionis, consummatæque cuiusdam pulchritudinis: harum vero rerum scriptura meminit, tresque posuit informitates: cœli primam, sub tenebrarum nomine, quæ luce apparente, depulsæ sunt. Aquæ vero informitas, nomine abyssi, qua immensitas inordinata ostenditur aquarum terræ, nomine inanitatis, & vacuitatis: *[Congregatio aquarum.]* *Terra*, inquit, *erat inanis, & vacua*; quia scilicet aquis obruta, patulum habitantibus non præbebat domicilium. Tertio igitur die, terra ornata est diuini operis ornatu; quia nimirum aquis discooperta, herbam protulit virentem. Cæterum ad Dei nutum, aquæ in vnum locum congregatæ sunt (debita densitate accepta) sicque minorem locum occuparunt, aerisque spatium dimiserunt; diuina enim virtute, terræ concauitates effectæ sunt, in quibus non parua aquarum moles latitaret. *[hom. 4 in Hexam.]* *Iussa est currere*, ait Basilius *natura aquarum, nec vnquam delassatur, cum ad cursum perpellente iugiter illo precepto.* Hoc sane dixerim, ad fluxibilem respiciens partem aquarum; sunt enim, quæ suapte natura fluunt, eiusmodi fontanæ sunt, & fluuiatiles: sunt contra & aliæ collectitiæ, necquoquam permeabiles. Scito ergo aquarum cursum à prima illa Dei voce dependere; illhoc enim primaria ad cursum motio indita est aquis, & prærogata. Oportebat eas decurrere, suum vt occuparent locum: deinde locis sibi à natura definitis restitutæ, in ipsis vt persisterent, neutiquam vltra progressuræ. Congregetur ergo aquæ in locum vnum id est, nulla post hanc, alia congregatio fiat. sed in prima hac collectione, qua in vnum confluunt, permaneant. *[De opere 3. diei.]* *Dices*, si aqua terræ superficiem operiebat: omnes ergo concauitates, quæ maria susceperunt, aquis refertæ erant. *[Receptacula aquarum.]* Quo igitur aquæ properabant sese vnum in locum collecturæ, concauis omnibus præoccupatis? huic ipse *dixerim*, tum receptacula earum aquarum capacia, ab opifice, eam ad rem exceptandam adornata fuisse. *Stabat aqua*, inquit Ambrosius, *diuersis in locis, ad vocem Dei mota est.* *[Ambros. lib. 3. Hexam c. 2.]* Nonne videtur, quia naturam ei huiusmodi vox Dei fecit, & secuta est creatura preceptum, & vsum fecit ex lege? Semel diem fecit, & noctem, & ex illo manet vtriusque successio, & diurna reparatio. Iussa est etiam aqua currere in congregationem. Ex illo currit, fontes labuntur in fluuios, in freta currunt flumina, lacus deriuantur in maria: ipsa se aqua præcedit, vrget, & sequitur. *[Dei imperio aqua obedit.]* Dicendo congregetur aqua: non solum mouit eam de loco, sed etiam statuit io loco: vt non præterflueret, sed maneret. Hoc vtique maioris miraculi est, quomodo omnes coogregationes, in vnam congregationem defluxerint, & vna congregatio non adimpleta sit: *Omnes torrentes eunt in mare.* ait Ecclesi. 1. *& mare non adimpletur.* *[Ecclesi.]* Verumque igitur ex præcepto Dei, vt & fluat aqua, & non superfluat. Quamobrem sic ad Iob à domino dictum est de maris claustro: *[Iob 38.]* *Posui ei fines, apponens claustra, & portas: dixi autem ei: Vsque huc venies, nec transgrederis, sed in teipsa conterentur fluctus tui.* Et Ieremias 5. *[Ierem. 5.]* *An non timebis me, dicit Dominus, qui posui arenam finem maris?* *Dices*, quomodo est vna aquarum collectio, cum diuersa sint maria? Nam & Oceanum mare dicimus, & Thyrrenum, & Adriaticum, & Indicom, & AEgypticum, & Poonum, & Propontidem, & Hellespontum, & Euxinum, Ægæum, & Ionicam, & Atlanticum; plerique etiam Creticum, & Septentrionale Caspium appellāt mare. *[Maria diuersa.]* Vna aquarum iugis, & continua congregatio est, sed diuersi sinus maris: meritoque in diuersis locis, diuersa sunt nomina, quia vocabula aquis, ex regionum vocabulis adhæserunt. Vna autem congregatio aquarum, eo quod iugis vnda, atque continua, ab Indico mari, vsque ad Gaditani oram littoris; & inde in mare rubrum, extrema circumfuso orbem terrarum includit Oceaoo. *[Vna congregatio.]* Interiusquoque Thyrreno, Adrias, Adriæ cætera maria miscentur, nominibus distincta, non fluctibus. vnde pulchre habes: quia Deus congregationes aquarum vocauit maria. Ita & vna est generalis collectio, quæ dicitur mare; & multæ collectiones, quæ maria pro regionibus nuncupantur. *[Multa maria, & vnum mare.]* Hieronymus, in Genesin: *Notandum*, inquit, *quod omnis congregatio aquarum, iuxta idioma linguæ hebraicæ, maria nuncupentur.* *Terram*, ait Chrysostomus, *quæ aquis, quasi velaminibus quibusdam obtegebatur, Deus despoliauit (vt sic dicam) & faciem illius nobis monstrauit, proprio etiam nomine imposito: & congregationes aquarum vocauit maria.* Mare dictum est ab amaritudine aquarum. Augustin. *[De genesi ad lit. cap. 10.]* *Hinc*, inquit, *probabilius credi potest aquam dictam esse superius, ipsam mundi materiam: nam si vniuersum aqua oppletum erat; vnde, vel quo potuit congregari? si enim quandam confusionem materialem aquæ nomine appellauerat, hæc congregatio accipienda est ipsa formatio, vt talis esset aquæ species, qualem nunc esse cernimus.* Congregetur ergo aqua, quæ sub cœlo est, id est, in formam redigatur materies corporalis, vt aqua ista sit quam sentimus in formam vnam: vis ipsa formæ commendatur nomine vnitatis; hoc est enim vere formari, in vnum aliquod redigi; quoniam summe vnum est omnis formæ principium. *[Arida quid.]* *Et appareat arida*, id est, speciem visibilem accipiat, atque à confusione distinctam: & factum est ita, id est, post rationalem, & incorpoream operationem, etiam corporalis est secuta. *[Origenes.]* *Aridam*, ait Origines, *appellauit terram, pro eo quod ei facultatem ferendorum fructuum Deus dederit. Et vocauit Deus*, ait Basilius, *aridam terram, quia siccitas quidem aut certe arida proprium quid est, quod naturam veluti delineat, & exprimit ipsius subiecti. terra autem nuda quædam est, ac tenuis appellatio rei.* *[Basilius.]* Proprium ergo, ac præcipuum illius nomen, arida, atque siccitas. Eadem quoque sentit Ambrosius, *Terra*, inquit, *potest luto esse permixta, aquis madida, cuius species superfusis aquis non appareat: arida autem non solum ad genus, sed etiam ad speciem terrarum refertur, vt sit vtilis, stabilis, & apta culturæ.* *[lib. 3. Hexam. c. 4.]* simul prospectum ne videatur, sole magis, quam Dei præcepto esse siccata, quia arida facta est antequam sol crearetur. Habet ergo terra propriam qualitatem, sicut & singula elementa habent. *Et vidit Deus quod esset bonum. & ait: Germinet terra herbam virentem*, hoc est, inquit Ambrosius, *ipsa per se germinet terra*, *[ibid. c. 6.]* *nullum alterius quærat auxilium, non cuiusquam indigeat ministerio. Antequam solis fiat luminare, herba nascatur: antiquior eius sit prærogatiua quam solis: germinet ergo terra herbam fœni* *[Ornatus terræ.]*

fecun-

De opere tertiæ diei.

secundum genus suum: & continuo parturiens terra, nouos se fudit in partus, & induit se amictu viriditatis. gratiam fœcunditatis assumpsit, diuersisque compta germinibus, proprios suscepit ornatus. Quis mirificum terræ ornatum explicare poterit: purpurascentes scilicet violas, candidata lilia, rutilantes rosas, depicta rura, nunc aureis, nunc variis, nunc luteis floribus, in quibus nescias vtrum species amplius florum, an vis odora delectet.

Fœcunditas terræ.

Pascuntur oculi grato spectaculo, longe lateque odor spargitur, cuius suauitate complemur. Ad imperium ergo domini, terrarum germina pullularunt, & diuersa rerum species refulserunt: hinc pratorum virens gratia, abundantiam pabuli ministrauit. inde camporum spica flauescens, imaginem pelagi fluctuantis commotione segetis vberiatis expressit: sponte omnes fructus terra suggessit in arata opimis messibus redundabat, & haud dubium quin maiore prouentu. Tunc certe prouentu spontaneo, terra fructus locupletibus inuehebat; quoniam is præceperat qui vniuersorum est plenitudo. verbum enim Dei fructificabat in terris, nec vllo erat adhuc terra damnata maledicto. Denique & hodie fœcunditas terræ, veterem affluentiam spontaneo vsu fertilitatis operatur. Hæc Ambrosius lib. 3. Hexameron cap. 10.

Lib. 5. in gen. c. 4. 5.

Augustinus putat causaliter dictum, quod terra produxerit herbam, hoc videlicet sensu, quod virtutem producendi acceperit. Huic autem sententiæ scriptura Genes. 2. cap. fauere videtur.

Genes. 2.

Istæ, inquit, sunt generationes cœli & terræ, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus cælum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret.

Tertia die causaliter producta sunt semina.

Ante ergo quam orirentur super terram, causaliter factæ sunt in terra. In illis ergo primis diebus creatura originaliter, atque causaliter à suo opifice condita est, qui post modum conditarum rerum administrationem per opus propagationis vsque modo operatur. Plantarum autem ex terra productio, ad opus attinet propagationis; non ergo actu, sed causaliter tantum tertia die facta est huiusmodi productio. Potest nihilominus dici, pro tuenda aliorum sententia, primam specierum institutionem, ad opera sex dierum pertinere, atque ex eisdem speciebus sic primo institutis, similium in specie generationem procedere, idque pro rerum administratione conseruanda. Consonat hæc expositio sanctis scripturis, ita loquentibus: Antequam, ait Moyses, oriretur super terram, vel antequam germinaret, id est, antequam ex similibus similia producerentur, sicut modo naturaliter fieri videmus. Bene ergo dictum est a Moyse, germinet terra herbam virentem, & facientem semen, quia perfectæ productæ sunt plantarum species, ex quibus semina orirentur aliarum.

Semina vnde sint.

Nec refert, vnde habeant vim seminariam, in radice videlicet, in semine, siue in fructu. *Produxit*, ait Moyses, *terra herbam fœni seminantem semen secundum genus, & secundum similitudinem, & lignum fructuosum faciens fructum, cuius semen in se secundum genus super terram.*

Augustinus. Genes. 5. lib. cap. 4.

His enim verbis, ait Augustinus, *magis apparet, semina esse exorta ex herbis & lignis: non autem illa ex seminibus, sed ex terra præsertim, quia & ipsa verba sic se habent. Non enim ait, germinent semina in terra herbam fœni, & lignum fructuosum; sed germinet terra herbam fœni seminantem semen, vt semen ex herba, non herbam insinuaret ex semine.* Hæc igitur omnia ita supra terram sunt, vt ipsi terræ radicitus cohæreant; ideoque ad opus tertiæ diei pertinent, in qua apparuit arida.

Hebræorum opinio.

Dicunt Hebræi, videlicet Rabbi Iosue, & qui eum imitantur in mense Martio, quando terra incipit nouos fœtus emittere, mundum à Deo conditum fuisse: Rabbi vero Eliezer & sui similes, in mense Septembri, quando arbores maturis fructibus, semina in seipsis habentibus, onerantur. quæ plane opinio, tanquam rationi magis consentanea, multis probatur Hebræorum.

Deut. 32.

Nam teste Moyse *Dei perfecta sunt opera*: tunc autem vnamquamque rem perfectam esse dicimus; cum ad simile sibi producendum, virtutem habet generandi: vnde & primus homo ea ætate productus atque formatus; vt potens esset ad generationem filiorum propagandam.

Hom. 5. hexam.

Dixerit quispiam, ait Basilius, *cur omnia quæ nascuntur ex terra semen efficere scriptura dicat, vbi non arundinem, non gramen, non mentam, non crocum, non allium, & alia genera plantarum semen efficere constat*:

Semina in radicibus.

Ad hoc sane dicimus. complura nascentium è terra vim seminum in ipsa propagine atque radicibus obtinere: quemadmodum arundo post annuum incrementum, ex radicibus quandam appendicem elicit seminis, rationem ad ortum futurum obtinentem. Idem, & alia innumera faciunt, quæcunque per humum dispersa, & vagantia in ipsis radicibus, suam sobolem succedaneam habent. Quamobrem, verum est, singulis in stirpibus, aut semen esse, aut quandam vim propagandi, perinde ac semen inesse. *Germinet ergo terra herbam fœni, &c.*

Basilius.

Animaduertat velim, ait Basilius, *hoc præcepto domini, terram ipsam per se frigescentem, ac infœcundam, parturientem protinus, atque ad edendos fructus promotam, & adproperantem: & perinde ac amictu mœsto, lugubrique deiecto, splendidiore veste sese induentem, ornamentisque propriis exultantem, ac infinita stirpium genera procreantem.* Chrysostom.

De opere tertiæ diei. Hom. 6.

Præcepit, inquit, Dominus, & statim terra suos partus maturans, ad germinanda semina, seipsam soluit. Dei enim verbo omnia facta sunt super terram: nõ enim erat homo, qui operaretur, non aratrũ, non boum cooperatio, non aliud eiusmodi studium, sed solum audiuit præceptum & statim quod iusserat, fecit. Ex quo discimus, quod etiam nunc, neque cura, neque labor agricolarum, neque aliæ in colendis agris ærumnæ, fructuum nobis prouentus concedunt; sed præ his omnibus, verbum Dei, quod ab initio ad terram factum est: vna eademque est Græcorum sententia, quibus consentit etiam noster Ambrosius.

CAP. II.

Argumenta contraria.

Posset aliquis *contra* prædicta sic *arguere*: Ea, quæ 1.
prima & secunda die condita sunt, solo Dei verbo, nempe factoris (vt ita dicam) facta esse legimus; sic enim loquitur scriptura: *Fiat lux, fiat firmamentum.* At tertia dies verbo congregationis exprimitur: *Congregentur*, inquit, *aquæ, in locum vnum*, &c. non ergo aquarum congregationem die tertia factam esse, conueniens est fateri. Terra præterea (vt dictum est) vndique erat aquis operta: vnde & inuisibilis dicebatur: non ergo reliquus erat locus, ad quem aquarum fieret congregatio.
Item, quæ non sunt continuata ad inuicem, vnum locum 2.
habere minime dici possunt. sed non omnes aquæ ad inuicem sunt continuæ: non ergo ad vnum locum sunt congregatæ. Sane, congregatio ad motum localem pertinet. sed aquæ infatigabili cursu mare petunt: non ergo egebant diuino imperio, vt id facerent, quod sua sponte faciunt semper.
Amplius, in omnium creationis exordio, terra nomi- 3.
natur: *In principio*, inquit, *creauit Deus cælum & terram*: non ergo necesse erat, vt die tertia nomen illi imponeretur. Plantæ præterea, instar animalium, vitæ beneficio potiuntur: non ergo inter distinctionis opera, sed magis inter opera ornatus ponendæ erant. Insuper, quod ad terræ maledictionem spectat, cum terræ formatione non erat numerandum. sed spinarum, ac tribulorum productio, est huiusmodi. ergo, &c.

Soluuntur argumenta. Augustin. 4. Genes.

Ad hæc sic resp. & ad primum quidem dicimus: Ideo in opere tertiæ diei (teste Augustino) scripturam vsam non fuisse verbo factionis, sicut & in superioribus, vt hoc modo superiorum formarum dignitas monstraretur, & inferiorum imperfectio. Aut quia opus tertiæ diei, secundum motum localem tantum perfectionem obtinet: idcirco scriptura non posuit verbum factionis, siue faciendi.
Ad *secundum*. sic responderi potest, nempe, aut aquas, 2.
maiorem altitudinem obtinuisse, aut congregatione densiores affectas, vel terram aliquas concauitates exhibuisse, quibus aquarum moles includeretur. Et hæc quidem iuxta Basilii, Ambrosii, Chrysostomi sententiam: nam iuxta Augustinum non est necesse dicere, terram prius fuisse aquis coopertam, deinde in vnum locum confluxisse; sed in tali potius congregatione productas.
Ad 2. vnum 2.
terminum, mare scilicet, ad quod manifestis, occultisque meatibus properant, omnes aquæ habent, ideoque dictum est, in vnum locum omnes conuenisse. vel sic intellige: *Congregentur aquæ in locum vnum*. scilicet seorsum in terra sicca; siquidem, vt pluralitas locorum, quibus aquæ continentur, ostenderetur, ait: Et congregationes aquarum appellauit maria.

Iussio Dei.

Ad *confir.* dico, Dei iussionem, naturalem, corporibus motum exhibere: proinde dicuntur suis naturalibus motibus, illius voluntatem facere. Aut dici potest, naturale quidem esse aquis, vt terram tegant: verum, vt animalia, & plantæ esse possent, super terram, in vnum locum secessere, quod quidem à phil. actioni solari tributum est.
Ad 3. August. per terram, cuius primo meminit 3.
scriptura, primam materiam intellexit: nunc vero ipsum terræ elementum. Basilius autem, dicit primo terram pro sua natura fuisse appellatam, nunc autem ex principali proprietate nomen sortitam, vt sicca diceretur. Ad *confirm.* quia vita plantarum est occulta. caret enim locali motu & sensu, quibus animatum ab animato secernitur; hac de causa, quia terræ immobiliter inhærent: earum ponitur productio, quasi quædam terræ formatio. Ad *confirm.* Ante illam maledictionem, spinæ, & tribuli producti erant, non tamen homini in pœnam; vt terra scilicet, quam vitæ sustentandæ gratia, coleret, infructuosa quædam afferret, & noxia: proinde dictum est ad Adam: *Germinabit tibi spinas*

De opere quintæ diei.

& tribulis. Porro, mineralia non sunt posita a Moyse ad terræ ornatum, quod in terræ visceribus occultam generationem habeant. & ab ipsa terra, nequaquam manifestam distinctionem.

MERCVRIVS.

Dimisit itaque hominem immortalis animantis, mortale animal.

Commentum V.

CAP. I.

Tex. expo.

POst terræ ornatum, ad hominis creationem accedit, eumque cœlitus dimissum esse asserit: *Dimisit*, inquit, hoc est, non sicut cætera animantia creatus est; sed animam habet immortalem à Deo dimissam: corpus vero ex elementorum mistione temperatum. Quamobrem, & mortale & immortale animal nuncupatur. Porro de humanæ animæ immortalitate dixi in sexto libro. Sequitur textus. *Et mundus quidem refertus est animalibus viuentis mundi, per intellectum & rationem*, id est, aer refertus volucribus, mare piscibus, terra rationalibus, & irrationalibus animantibus.

Mundum viuere.

Mundi viuentis, &c. quasi diceret, repletus est animalibus ipsius mundi; quem vult Mercurius intellectu vti, & ratione, aut quidem propter animam mundi, aut vero propter nobiliorem illius partem, angelum scilicet & hominem. Mundum autem huiusmodi esse, octauo Dialogo ab eo aperte docetur. *Primus*, inquit, *omnium vere sempiternus, immortalis, ingenitus Deus, omnium author. Secundus deinde ad illius imaginem mundus ab eo genitus, & ab eodem seruatus, nutritus, & immortalitate donatus, velut a proprio parente, viuens quidem semper, & immortalis.* Et Dialo. 9. *Mundus ô Aesculapi sensum motumque possidet, non humanis sensui, motuique consimilem, sed potentiorem sane, atque admodum simpliciorem. Nam sensus, & intelligentia mundi id vnum est, cuncta scilicet facere, ac facta resoluere.* Semper ergo mundus viuit, quia per generationis, corruptionisque vices, animalium ordo conseruatur vsque ad vltimum diem, quando cunctorum finis aduenier; sicut in tertio libro disputauit. Porro animalium productionem, quinta & sexta die factam esse, scriptura afirmat. Producant aquæ, ait reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento.

Piscium & auium procreatio.

Aues, & pisces ex sola aqua formatos innuere videtur scriptura. habet enim aqua & humorem, & vaporem: & humore quidem cum piscibus, vapore vero cum auibus cognationem habet. Verum non ignorare oportet, huiusmodi animalia a Deo quidem actiue, ab elementis vero passiue producta fuisse. Cæterum proles, ac pullulatio aquarum, Hebraice Scerem vocatur.

Reptile.

Nec proprie reptile significat, cum repere sit terrestrium: sed Hieronymus elegantius nomen inuenire non potuit; eodem enim modo pisces serpunt per aquas; quo reptilia per terram, Græce est ἑρπετά.

Cete.

Et creauit Deus Cete grandia, Hebraice hatanninim, id est, dracones. Eodem vero nomine dracones terrestres, atque marini vocantur. Quanquam igitur nomen Hebraicum draconem sonet; tamen & pisces, qui eadem forma ac magnitudine sint, significat. Inuenimus in psalm. 147. ingentes pisces dracones vocari:

Psalmus. Dracones.

Dracones, inquit, *& omnes abyssi:* per abyssos aquas copiosissimas intelligens. per dracones, maximos pisces. Nam dracones terrestres eodem loco inferius citatus, ait, seu vocat serpentes.

Isaiæ 27.

Et Isaias: *& interficiet draconem, qui est in mari*, hoc est, Tyri Regem, qui late maris imperium tenebat.

Ezechiel.

Ezechiel quoque 32. *Et draco in aquis* græce est, κῆτος ... , per cete vero omnes grandiores pisces sic vocantur, teste Theodorito: *Cete*, inquit, *omnia ea vocat, quæ inter aquea vasta sint, quanquam eorum quoddam sit discrimen, quamobrem addidit, magna. Vacabat aqua*, inquit Ambrosius:

lib. 5. c. 1. hexam.

& a diuina operationis fertata beneficiis videbatur. Habet adhuc creator quod illis conferat, quo munia terrarum posit aquare. Iubetur ea producere, quæ viuentis animæ vigorem dignitatemque præferrent.

Producant aquæ.

Producant aquæ, &c. *Venit mandatum, & subito aqua iussos fundebatur in partus. Non exigui gurgites, non cœnosa paludes vacabant: quin omnia datam sibi creandi assumerent potestatem. pisces exilibaat de flamine. Delphines præludebant in fluctibus: concha saxis. Ostrea adhærebant profundis: adolescebant echini. Producant aquæ, &c. breuis sermo, sed vehemens & late patens, communem minimis, & maximis naturam infudit. Eodem momento producitur balena, quo rana, eiusdem vi operationis nascitur. Non laborat in maximis Deus, non fastidit in minimis.*

Piscium genera.

Innumera genera piscium illico prodierunt, quorum alii oua generant, vt ii quos truttas vocant, & aquas foecunda committunt. Aqua igitur animat, & creat, & adhuc mandatis illius primi tanquam legis perpetua munus exequitur. blanda quædam mater animantium. Alii viuos fœtus edunt de suo corpore, vt Mustela, & Caniculæ, & Cete ingentia, Delphines, & Focæ, & similia multa. Quam bona mater est aqua, sine qua pisces viuere nequeunt. Quod est nobis spiritus, illis est aqua. In nobis pulmo per thoracis laxiora penetralia recipit spiritum. Pisces vero branchias habent, quas nunc

Piscium natura.

plicant & colligunt, nunc explicant, atque aperiunt. In hanc ergo collectionem, & apertionem dum suscipitur aqua, & transmittitur, ac penetrat respirationis munus videtur implere. Propria igitur natura est piscium, nec communis cum cæteris, specialis vsus, & à cæteris viuendi quædam separata, & secreta substantia. Vtraque pars piscium armata est dentibus, quia in aqua sunt: & si diutius cibum versarent, & non cito transmitterent, aquarum alluuione de dentibus eorum, esca posset auferri ac dilui. Ideo densos & acutos habent, vt cito mordeant, elis coasficiant: tibū facile, & sine aliqua mora & dilatione transmittant.

Dentes piscium.

Producant aquæ, &c. *In his per breuibus verbis*, ait Basilius

Basilius.

hom. 7. *nullum piscium genus omissum est, quod eodem pariquepræcepto productum non sit; ostendit natatilium animalium naturalem ad aquas affinitatem: quapropter vel paruum ab humoris natura pisces seclusi dispereunt. Vniuscuiusque generis primitias quasi natura semina quædam oriri iubet: multitudo vero succesiuis postea asseruatur, cum genera singula necesse sit in multitudinem crescere.*

Chrysost.

Chrysostomus, *verbum*, inquit, *breue, & verbum vnum, producant aqua, genera autem animalium diuersa, & varia. Verbum ergo Dei, subsistentiam dedit, & essentia ingressum.* Non ergo (vt quidam fabulantur) fortuito hæc facta sunt, aut ex præiacente materia; sed Dei verbo, ex nihilo.

Potentia & misericordia Dei.

Et fecit Deus Cete grandia, in quorum creatione Dei potentiam, & misericordiam agnuscimus: potentiam quidem, quia sermone & præcepto, ex aquis talia animantia produci fecerit: misericordiam autem, quia, vt ea produxit, propriam eis regionem tribuit, innauigabilem maris partem illis decernens, ita, vt nemini possint nocere.

August. lib. 3. Gen. cap. 3.

Augustinus: *Seruatus est ordo rerū, ait, quo prius sponte aquarum animalia, quam terrarum natura creata.* Nec vllo modo arbitrandum est, prætermissum esse in hac scriptura vllum mundi huius elementum, quia videtur hic, cœlum, & aquam, & terram commemorare, de aere autem tacere.

Aer nomine aqua intelligitur.

Consuetudo quippe nostrarum scripturarum est, aut cœli, aut terræ nomine, mundum appellare, aut interdum addere & mare. *Producant aqua, &c. Producat & aer volatilia volantia super terram:* vtrumque hoc animantium genus ex aquis productum esse narratur. Quidquid ergo aquarum siue labiliter vndosum, & fluidum est, siue vaporabiliter tenuatum, atque suspensum, vt illud reptilibus animarum viuarum, hoc volatilibus appareat distributum; vtrumque tamen humidæ naturæ deputatur.

Lib. 5. c. 14.

Ambrosius alias addit rationes, quarum prima est, quia cognatio est auibus cum piscibus; quoniam natandi communia quædam videntur vtriusque generis esse consortia.

Auium & piscium cognatio.

Secunda, eo quod volandi vsus species sit natandi: sicut enim aquam natando piscis incidit; ita auis aerem volatu celeri secat: atque vtrique generi similiter & cauda suppetit, alarumque remigium, vt pisces ad priora se alis subrigant, atque ad vlteriora procedant. Caudæ quoque gubernaculo, vel quo velint, se facile conuertant, vel impetu quodam, è regione, iter suum dirigant. Aues quoque aeri volatibus suis, velut aquis innatant, & quasi quædam extendunt brachia. Cauda quoque se vel ad superiora subrigunt, vel ad inferiora demergunt. Vnde quoniam in nonnullis idem vsus, & species, ideo de aquis vtriusque generis natiuitas, diuina præceptione processit. Sunt autem quædam volucres, quæ vnguibus armantur ad raptum, vt accipitres, & aquilæ, quæ rapinam venationis exercent: his auibus nihil est copulatorium, præter iugale consortium.

Auium genera diuersa.

Contra vero palumbes, grues, sturni, corui atque cornices, etiam turdi gaudent plurimorum connexione. Alia quoque auium genera enchoria, quæ manent in locis semper: alia aduenititia, quæ obeunt regiones alias & peracta hyeme reuertuntur. Sunt aliæ quæ hyeme redeunt, & æstate peregrinantur à nobis: siue quod hyemis tempore, ad calidiora se conferant, siue quod pleraque rursus æstatem in his locis exigant, quæ anxiora nouerunt.

Turdi.

Turdi autumni fine, hyemis confinio, quasi exacta æstate se referunt.

Ciconiæ.

Ciconiæ reditus, vexillum veris attollit.

Grues.

Grues, quæ alta petunt, amant frequenter peregrinari.

Mores auium diuersi.

Aliæ aues se ad manum subiiciunt, & mensæ herili assuescunt, tactuque mulcentur, aliæ reformidant. Aliæ iisdem quibus homines domiciliis delectantur. Aliæ secretam in deserto vitam diligunt.

Columba. Gallus. Pauo. Grues.

Aliæ sunt simplices, vt columbæ: aliæ astutæ, vt perdices: gallus iactantior: pauo speciosior: grues in nocte solicitam exercent custodiam, dispositus habent vigiles. & cæteris dormientibus

De opere quintæ diei. entibus, aliæ circumeunt, & explorant, ne qua ex parte insidiæ teneantur. vbi vigiliarum fuerit tempus impletum, perfuncta munere, in summum se, præmisso clamore componit, vt excitet dormientem, cui vicem muneris traditura est. At illa volens suscipit sortem, vicem exequitur, & quam accepit gratiam, pari cura atque officio repræsentat. *Ciconia.* Ciconias ferunt collecto proficisci agmine, si quo pergendum putant, & simul plerisque circa iuuentem lucis inuchi; & quasi tessera militari pariter omnes moueri. Exercitum credas cum signis suis pergere, sic omnes viandi, comitandique, & præeundi ordinem seruant. *Cornices. Hirundo.* Cornices autem deducunt eas, ac diligunt, & velut quibusdam turmis stipatricibus prosequuntur. Hirundo indiga rerum omnium, sapienter nidificat, cum hominum domiciliis paruulos suos, et tecta commendet, vbi sobolem nullus incutiet, legit festucas ore, easque luto illinit, vt conglutinare possit. sed quia lutum pedibus non potest deferre, summitatem pennarum aqua inlundit, vt facile his puluis adhæreat, & fiat lutus. habet hæc auis medicæ artis peritiam: nam si qua pulli eius fuerint cæcitate suffusi oculus, siue compuncti, habet quoddam medendi genus, quo possit eorum lumina intercepto vsu reformare. *Accipitres.* Accipitres feruntur in eo duram aduersus proprios fœtus habere inclementiam, quod vbi eos aduerterint tentare volatus primordia, nidis eiciunt suis, continuoque eliminant, ac si morentur, propulsant pennis, atque præcipitans, verberant alis, coguntque audere quod trepidant, nec vllum postea deferunt his munus alimoniæ. *Aquila.* Aquila quoque suos abdicat fœtus, sed non vtrumque, verum vnum ex pullis duobus: non quidem auaritia nutriendi, sed examine iudicandi; semper enim fertur probare quos genuit, ne generis sui degeneris pareus deformitas decoloret. Itaque asseritur, quod pullus suos radiis solis obiiciat, atque in aeris medio pio paruulos vngue suspendat. ac si quis repercussus solis lumine, intrepidam oculorum aciem inoffenso intuendi vigore seruauerit, probatur, quod veritatem naturæ synceri obtutus constantia demonstrauerit. Sin vero lumina sua perstrictus radio solis inflexerit, quasi degener, & tanto indignus parente reiicitur, nec æstimatur educatione dignus, qui fuit indignus susceptione: hanc autem regalis auis inclementiam, vt quibusdam videtur, plebeiæ auis excusat clementia. *Fulica.* Auis enim, cui Fulica nomen est, susceptum illum aquilæ pullum, cum sua prole connectit, ac pari fouet maternæ sedulitatis officio. *Turtur.* Fertur etiam Turtur, vbi iugalis fuerit proprii amissione viduata, pertæsum thalamos, & nomen habere coniugii; eo quod primus amor fefellerit eam dilecti morte deceptam: itaque iterare coniunctionem recusat, nec pudoris iura, aut complaciti viri resoluit fœdera. *Vulturis.* Negantur vultures indulgere concubitui, & coniugali quodam vsu, nuptialisque copulæ sorte misceri, atque ita sine vllo masculorum concipere semine, & sine coniunctione generare, natosque ex his in multam ætatem longæ vitæ procedere; vt vsque ad centum annos vitæ eorum series producatur. Quid aiunt, qui nostra solent ridere mysteria, quod virgo generauit? Impossibile putatur in Dei matre, quod in vulturibus possibile non negatur! *Apum natura.* Apes communem viuendi normam commendant, solæ enim in omni genere animantium communem omnibus sobolem habent: vnam omnes incolunt mansionem. vnios patriæ clauduntur limine. in commune omnibus labor: communis cibus: communis operatio: communis vsus, & fructus est: communis volatus: communis omnibus generatio, *Apum virginitas.* integritas quoque corporis virginalis omnibus communis, & partus; quoniam neque vllo concubitu miscentur, nec libidine resoluuntur, nec partus quatiuntur dolore: & subito maximum filiorum examen emittunt, è foliis & herbis ore suo prolem legentes. *Rex apum.* Ipsæ sibi regem ordinant: & populos creant: & licet positæ sub rege, sunt tamen liberæ: nam & prærogatiuam iudicii tenent, & fide deuotionis affectum; quia & tanquam à se substitutum diligunt, & tanto honorant examine. *Obedientia apum.* Rex autem naturæ claris formatur insignibus, vt magnitudine corporis præstet, & specie: tum quod in rege præcipuum est, morum mansuetudine. Nam etsi habeat aculeum, tamen eo non vtitur ad vindicandum. sed & apes illæ, quæ non obtemperant legibus regis, pœnitenti se mulctant condemnatione, vt immoriantur aculei sui vulneri. Nullæ è domibus exire audent: non in aliquos prodire pastus, nisi rex fuerit egressus, & volatus sibi vendicauerit principatum. *Ludus apum.* Progressus autem per rura redolentia, vbi inhalantes horti floribus, vbi fugiens riuus per gramina, vbi amœna riparum: illic ludus alacris iuuentutis, illic campestre exercitium, illic curarum remissio. *De opere quintæ diei.* *Opus Apum fucum.* Opus ipsum suaue, de floribus, de herbis dulcibus, fundamina castrorum prima ponuntur: Quid enim est aliud fauus, nisi quædam castrorum species? Denique ab his præsepibus apum fucus arcetur. Quis architectus eas docuit hexagonia illa cellarum indiscreta laterum æqualitate componere, ac tenues inter domorum septa ceras suspendere, stipare mella, & intexta floribus horrea, nectare quodam distendere? *Diuersa officia.* Cernas omnes certare de munere, alias inuigilare quærendo victualia, alias sollicitam castris adhibere custodiam. alias futuros explorare imbres, & speculari cursus nubium: alias de floribus ceras fingere. alias rorem infusam floribus ore colligere; nullam tamen alienis insidiari laboribus. habent tamen spicula sua, & inter mella fundunt venenum, si fuerint lacessitæ, animasque ponunt in vulnere ardure vindictæ. *Apum arcana.* Ergo mediis castrorum vallibus humor ille roris infunditur, paulatimque processu temporis in mella cogitur. cum fuerit liquidius ab exordio, & coalitu ceræ. florumque odore fragrare mellis incipit suauitatem. Habent etiam apes pennas inter mella, nectunt enim hæ entem, & animum omnia cupientem.

CAP. II.

De Cygno & aliis auibus.

Cygnus. CYgnus proceriore collo vtitur, quia est paululum segnior corpore, nec facile potest aquarum inferiora penetrare: ceruicem extendit ad prædam, quasi præuiam reliqui corporis escam quam inuenerit rapit, atque eruit de profundo. Adde & illud quia suauior, & magis canorus per procera modulus colla distinguitur: & longiore exercitatione purior longe resultat. *Cantus Cygni.* Quam dulcis etiam in exiguo cicadarum gutture cantilena, quarum cantibus medio æstu arbusta rumpuntur eo *Cicadæ.* quod magis canoræ meridianis caloribus: quia puriorem aerem id temporis attrahunt spiritu, eo cantus resonant clariores. *Apes.* Nec apes ipsæ insuaue quiddam canunt: habent gratam in rauco illo vocis suæ murmure suauitatem, quam nos fracto tubarum sonitu lentius primum videmur imitari: quo crepitu ad excitandos animos in vigorem, nihil aptius æstimatur. Et hæc illis gratia manet, cum pulmonem respirandique munus, atque vsum nequaquam habere prodantur, sed aereo vesci spiramine. *Phœnix.* Phœnix quoque auis in locis, Arabiæ perhibetur degere, atque ea vsque ad annos quingentos longæua ætate procedere quæ cum sibi finem vitæ adesse aduerterit, facit sibi thecam de thure, & myrrha, & cæteris odoribus, in quam impleto vitæ suæ tempore intrat, & moritur. de cuius humore carnis vermis exurgit, paulatimque adolescit, ac processu statuti temporis induit alarum remigia, atque in superioris auis speciem, formamque reparatur. *Theca Phœnicis.* Thecam autem illam, ex Æthiopia in Lycaoniam vehit, atque resurrectionem auis huius, locorum incolæ completum quingentorum annorum tempus intelligunt. *Luscinia.* Luscinia peruigil custos, cum oua quodam sinu corporis, & gremio fouet, insomnem longæ noctis laborem, cantilenæ suauitate solatur, vt hæc summa eius videatur esse inuentio, quo possit non minus dulcibus modulis quam fotu corporis animare in fœtus oua, quæ fouet. *Noctua.* Noctua ipsa quemadmodum magnis, & glaucis oculorum pupillis nocturnarum tenebrarum caligantem non sentit horrorem; & quo fuerit nox obscurior, eo contra vsum auium cæterarum inoffensos exercet volatus. Exorto autem die, & circumfuso splendore solis, visus eius hebetatur, quasi quibusdam erret in tenebris. *Vespertilio.* Vespertilio animal ignobile, a vespere nomen accepit: Est autem volatilis, eademque quadrupes, & dentibus vtitur, quos in aliis auibus reperire non soleas. parit vt quadrupedia, non oua, sed pullos viuentes: volitat autem in aere auium more, sed crepusculo vespertino consueuit offundi: volitat autem non aliquo pennarum, sed membranæ suæ fulta remigio, quo suspensa, velut pennarum volatu circumfertur, atque vegetatur. habet & illud hoc vile animal, quod sibi inuicem adhærent, & quasi in speciem botri ex aliquo loco pendent, ac si se vltima quæque laxauerit, omnes resoluuntur: quod fit quodam munere charitatis, quæ difficile in hominibus reperitur. *Gallus.* Est etiam galli cantus suauis in noctibus, nec solum suauis, sed etiam vtilis, qui quasi bonus cohabitator, & dormientem excitat, & solicitum admonet, & viantem solatur, processum noctis canora significatione protestans. *Opus sextæ diei.* Et hæc quidem de auium natura breuiter dicta sint. Nunc autem ad opus sextæ diei enodandum, ape-

De opere quintæ diei & sextæ. *Lib. 6. c. 3. hexam.*

riendumque accedamus: *Producat, inquit, terra animam viuentem pecorum, & bestiarum, & reptilium.* Currit, inquit Ambrosius: *in constitutione mundi per omnem creaturam Dei verbum, vt subito de terris omnia, quæ statuit Deus animantium genera producantur, & in futuro lege præscripta, secundum genus sibi similitudinemque vniuersa succedant; vt leo leonem generet, tigris tigridem, bos bouem, &c. similiter in omnibus se habeat ordo generandi, semel præceptum, in perpetuum inolenit naturæ: & ideo ministerii sui obsequium præbere terra non desinit, vt prisca animantium species reparabili generis successione, in nouas reparentur ætates. Omnia genera pecorum, bestiarum, ac piscium in aluum natura prostituit, vt alia ventre repant, alia quæ pedibus sustinentur, dimersa magis, quadrupo corporis gressu, & velut affixa terræ videatur esse quam libera, siquidem erigendi se non habent facultatem: de terra victum requirant, & ventris in quem deflectantur, solas sequuntur voluptates.*

Natura animalium prona.

Basilius, Producat terra: *Præceptum hoc sic impressum est terræ elementis, vt ne hodie quidem desinat deseruire suo creatori. Nam animalia partim ex antecedentibus oriuntur successione, partim nunc etiam ex ipsamet emergere terra generatque cernuntur.*

Hom. in hexam.

Mures. *Rana.* *Anguilla.*

Non solum enim cicadas humus plutuo tempore edit, & innumeras alias bestiolas in aere petulantes; quin & mures, ranasque ex seipsa iam proferri, & edit: vtpote circa AEgyptias, Thebas, post vehementes in æstibus pluuias, vniuersa arua soricibus impleri protinus nouimus. Anguillas quoque nec aliu vllo modo, nisi ex fœculenta constitui materia, limoque conspicimus; quarum nec ouum, nec alium vllum modum successionem efficere constat, sed è terra hæ progignuntur: non igitur prius insita telluri rationis expertium animantium anima diuino imperio tum emersit; sed vna cum imperio, tum primum in ratione rerum exorta est.

Hom. 8 in gen.

Chrysostomus: *Producat terra, &c. Vide, quomodo, inquit, & terra iterum duplicem nobis affert fructum, & mandata dominica ministrat. Tunc quidem seminum edebat germina. nunc autem animata animalia, quadrupedalia, & reptilia, pecora, & feras.*

Lib. 3. gen. ad litt. cap. 12.

Augustinus: *Consequens erat*, inquit, *vt alteram partem, quæ proprie terra dicitur, ornaret animalibus suis.* Et manifesta sunt quidem animalium genera, quæ in verbo Dei terra produxit. Producta sunt ergo animantia secundum genus suum: vbi & seminum vis, & similitudo intelligitur succedentium de succedentibus; quia nihil eorum creatum est, vt semel existeret, vel permansurum, vel nullo succedente decessurum.

Quæ animalia sint creata.

Cæterum, animalia, quæ de animalium gignuntur corporibus, & maxime mortuorum, absurdissimum est dicere tunc creata, cum animalia ipsa creata sunt: nisi quia inerat iam in omnibus animatis corporibus vis quædam naturalis, & quasi præseminata materia, & quodammodo initiata primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporum pro suo quæque genere, ac differentiis erant exoritura, per administrationem ineffabilem omnia mouente incommutabili creatore.

Animalia venenosa.

Animalia venenosa nihil nocuissent, si causa non extitisset: vel ad profectum cæterorum sunt condita; vt ipse sibi homo in tentationibus certius innotescat, & iuste salus illa perpetua, quæ turpiter amissa est per voluntatem, fortiter recipiatur per dolorem. Dicet aliquis, cur ergo inuicem bestiæ nocent, quibus nec peccata vlla sunt, vt vindicta ista dicatur, nec vllam recipiant ex tali exercitatione virtutem? Ideo nimirum, quia scilicet aliæ cibi sunt aliarum: nec recte possumus dicere, non essent aliæ, quibus aliæ vescerentur, habent enim omnia quamdiu sunt, mensuras, numeros, & ordines suos, quæ cuncta merito considerata laudantur.

Diuersa animalium natura.

Leo.

Est autem diuersa animalium natura: leo inprimis naturæ suæ vi superbus, ferocitatem sui aliarum ferarum generibus miscere nescit; sed quasi rex quidam plurimorum dedignatur consortium: qui etiam cibum fastidit hesternum, etiam ipsas suæ escæ reliquias aduersatur. quæ autem se ei sociare fera audeat, cuius voci tantus naturaliter inest terror; vt multa animantium, quæ per celeritatem possunt impetum eius euadere, rugientis eius sonitu velut quadam vi attonita atque icta deficiant? Leo ergo velut tyrannus quidam est animantium rationis expertium: pares honores congressionesque cum cæteris non acceptat, sed aspernatur.

Panthera.

Vehemens est Panthera, & ad impetus faciendos propensa: cui idoneum corpus flexile, agileque addidit natura, ad animæ motiones, agitationesque subministrandas.

Vrsa.

Pigerrima est Vrsæ natura solitaria, ingenii latentis, ac dolosi, profundique tecti. simile sane corpus & ipsam ambit, graue, compactum, indistinctum, siue inarticulatum, accommodatum sese occultanti pergelidæ feræ; fertur informes vtero partus edere, sed natos lingua fingere, atque in speciem sui, similitudinemque formare.

Partus Vrsæ informis.

Non miraris, in fera tam pigroris officia; cuius naturam pietas exprimit? graui affecta cæde, & consauciata vulneribus, mederi sibi nouit: herbæ, cui nomen est phlomos, vt græci dicunt, vlcera subiiciens sua, vt solo curentur attactu: calenti ergo adhuc vulneri, siccæ naturæ herba tegit, atque obturat.

De opere sextæ diei.

Serpens.

Serpens quoque pastu fœniculi cæcitatem repellit exceptam: itaque vbi oculos obduci sibi senserit, nota remedia petit, nec fraudator effectu.

Testudo.

Testudo visceribus pasta serpentis, cum venenum aduerterit sibi serpere, origano medicinam suæ salutis exercet: & cum sit volutabris palustribus mersa, curare se tamen proprio nouit antidoto.

Vulpes.

Videas etiam vulpem lachrymula pinus medentem sibi, & tali remedio imminentis mortis spatia proferentem: hoc fraudulentum animal foueis se latibulisque demergens, indicio est, infructuosum esse, odioque dignum propter rapinam, despectum propter infirmitatem.

Boues.

Boues impendente pluuia ad præsepia se tenere nouerunt. Iidem, vbi naturali sensu mutationem cœli collegerint, foras spectant, & vltra præsepia, ceruices extendunt suas, vna omnes specie, vt prodire se velle testentur: diutius ergo inclusi tempore hyemis, iam tandem ineunte vere, sensu naturali mutatione percepta, omnes vno impetu, lætis aspectibus è stabulis suis egrediuntur, & tecta ad viarum exitus spectant.

Oues. *Formicæ solertia.*

Oues accedente hyeme pabulum copiosius auidiusque ventri ingerunt: prouide quasi sibi viaticum prouidentes pro indigentia cibi futura. Formica temporis hyberni pabulum æstate sibi sedulo condit, & non quod hyemis incommoda nondum adsint, otiosa tempus traducat; sed incessabili quodam intentoque studio legendi semina tantisper incumbit, dum sufficiens alimentum in cellulis sibi recondat: secat vnguibus fructus medios, arrososque condit, ne rursus in fruges exeant è terra, atque inutiles inde sibi ad vsum alimoniæ fiant: cum senserit eos madefactos imbre, profert, atque exsiccat: nec omni tempore, id agit, sed cum præsenserit aereni serena in statione teneri, serenumque cœlum existere; etenim nunquam ex nubibus imbrem defluxisse conspexeris, quamdiu à formicis expositum frumentum videris.

Echinus siue hericius.

Echinus, quem vulgo hericium vocant, si quid insidiarum præsenserit, spinis suis clauditur, atque in sua se arma colligit, vt quicunque eum contingendum putauerit vulneretur. idemque echinus futuri prouidens, geminas sibi respirandi vias munit; vt quando Boream flaturum collegerit, septentrionalem obstruat: quando Nothum nouerit detegit aeris nubila, ad septentrionalem se conferat, vt flatus declinet obuios, & è regione nocituros.

Canis sagacitas.

Canis, vbi vestigium leporis, ceruique reperierit, atque ad diuerticulum semitæ venerit, & quoddam viarum compitum, quod partes in plurimas scinditur, obiens, singularum semitarum exordia tacitus secum ipse pertractat; velut syllogisticam sagacitatem colligendi odoris emittens, aut in hanc partem, inquit, deflexit, aut in illam: sed nec istam, nec illam ingressus est: superest igitur, vt se in istam partem sine dubitatione contulerit. Prius igitur mendacium deprehendit, deinde falsitate repudiata, veritatem inuenit.

Memoria bona. Gratitudo.

Tenax est beneficii, & memor gratiæ, quandoquidem pro domino etiam in latrones insilire nouit, & extraneorum accessus prohibere nocturnos, & mori pro domino, & commori cum domino est paratus. Sæpe etiam necis illatæ euidentia canes, ad redarguendos reos, indicia prodiderunt; vt muto eorum testimonio plerumque sit creditum.

Agniculi natura.

sæpe agniculus in magno grege per ouilia tota vagatur, errat à matre: & cum eam reperire non possit, balatu frequenti absentem incitat; vt responsuræ vocem excitet, quo ab eius sono errabunda replicet vestigia. multis licet versetur in millibus ouium, recognoscit vocem parentis, festinat ad matrem, lactisque quoque materni notos sibi fontes requirit. illa quoque inter multa agniculorum millia, solum filium nouit, vnus quamuis plurimorum balatus, eadem cæterorum species.

Lupus, si prius hominem viderit, vocem eripit, & despicit eum tanquam victor vocis ablatæ: idem si se præuisum senserit, deponit ferociam, non potest currere.

Leo gallum veretur.

Leo gallum, & maxime album veretur.

Caprea.

Caprea vulnerata diptamum petit, & de vulnere excutit sagittas. Leo æger simiam quærit vt deuoret, quo possit sanari. Leopardus capreæ agrestis sanguinem bibit, vt vim languoris euitet. Vrsus æger formicas deuorat: Ceruus oleæ ramusculos mandit.

Camelus.

Collum prolixum Camelus obtinet, quo par sis pedibus, & eam, qua vescitur herba attingere valeat. contra perbreue est, humeroque ingestum tam Vrsæ, quam Leoni, Tigridi, cæterisque generis huius animantibus collum: propterea quod haud ex herbis ipsis, pabulum recipiant.

Elephantus

De opere sextæ diei. *Elephas.* Elephantus, etiam prominentem promuscidem habet, quia cum sit eminentior cunctis, se inclinare ad pascendum non potest: itaque promuscidis ad colligendum cibum vtitur ministerio. Ea immani bestiæ largi potus infundit humorem, ideoque concaua est, quo ad restinguendam tantæ belluæ sitim plenos lacus hauriat, aut collecto flumine possit vndare potatorem. *Ceruix.* Ceruix sane minor est, quam poscit tanti corporis moles, neca quoque oneri magis esset, quam vsui: *Crura.* ideoque nec genua inflectit, quia rigidioribus opus fuit cruribus, quo velut columnis, tanta posset membrorum machina sustineri: calcaneum leuiter incuruat, rigent cætera pedum à summo vsque ad imum. voluendi se, atque recubandi vsum cum cæteris animantibus non potest habere communionem: *Somnus.* fulcitur hinc inde trabibus maximis, vt in somno aliquantulum sine periculo reflectatur; *Pes.* quia pes eius nulla artuum coniunctione distinguitur. Arbori igitur innixi in somno sese relaxant, quæ nonnunquam victa, atque inflexa tanto corpore, frangitur; *Quomodo capiatur Elephas.* atque ille, qui sesa in eandem refuderat, corruit, nec erigere, aut leuare se potest: ibique iacens interit, aut gemitu suo proditus, sternitur, dum ventre cæterisque mollioribus patet ad vulnus, nam dorsum eius cæteraque exteriora, non vlla facile solent tela penetrare. Sunt autem qui propter ebur has illi insidias parent, vt arbores eas, quibus se applicare consueuerint, ex alia parte, qua infrequentior eis vsus est, aliquantulum recidant; vt reflectente se Elephanto, pondus membrorum eius sustinere non possint. *Tempus vitæ.* Trecentis, & amplius feruntur annis vitam producere, quia omnia sibi ad magnitudinem membra conueniunt. *Dentes.* ideoque non distincti vt nobis, sed compacti artus sunt, quo sint robustiores: promuscide sua quidquid inuoluerint, frangunt: pede quidquid compresserint, velut quodam lapsu ruinæ ingentis examinant. Inuoluunt promuscide nemora ad sui escam, & quasi quidam altissimi dracones, serpentinis quos ceperint spiris flagellant: plerumque eas in orbem colligunt, maxime cum de terra cibus legitur, aut potus hauritur. Hæc secundum sacros breuiter collegimus: latius postea, vita comite, secundum philosophos, alibi locuturi. Recte ergo dictum est à sapientissimo Mercurio, mundum refertum esse animalibus.

CAP. III.

Argumenta contraria.

1. POsset aliquis *contra* prædicta sic *arguere*. Illud aquarum productioni est attribuendum, ad cuius productionem aquarum virtus sufficere potest. Sed ad omnium auium, piscium que productionem, sola aquarum virtus non sufficit; plura enim eorum generantur ex semine: non ergo aquæ produxerunt reptilia, & aues. Sane, auium, atque piscium corporibus, terræ magis, quam aquæ dominari conspicitur elementum, ad terram enim naturaliter mouentur, atque in ea libenter quietis locum accipiunt. Denique, sicut pisces in aquis motum exercent; ita plane, & aues in aere: ex aere ergo aues, sicut pisces ex aqua geniti sunt.
2. Amplius, non omnium piscium in aquis, est vna generatio; quandoquidem quidam ex illis, pedibus gradiantur in terra, veluti sunt vituli marini: non ergo sub reptilium nomine, omnia piscium genera comprehendi possunt. Adde, quod perfectiora, ordine naturæ, præcedere debeant. sed terræ animantia, naturæ perfectione, membrorumque distinctione, & piscibus præstant, & volucribus: erat ergo quinta, & non sexta die eorum ponenda generatio; vt, quibus naturæ antecellunt nobilitate, & temporis quoque prærogatiua antecellerent.
3. Item, quemadmodum auibus: atque piscibus naturaliter inest anima viuens, ita etiam & terrestribus animantibus: non ergo ipsa sunt anima viuens. quare ergo dictum est: Producat terra quadrupedia animæ viuentis? Genus præterea non diuiditur contra speciem. sed iumenta & bestiæ sub quadrupedibus numerantur: quare ergo è diuerso iumentis, & bestiis connumerantur quadrupedia? Denique, sicut cætera animantia sunt in determinato genere, & specie; ita plane, & homo. sed in hominis creatione, generis eiusdem, seu speciei scriptura non meminit: similis ergo ordo obseruandus erat in generatione, seu creatione cæterorum.
4. Ad hæc, hominis similitudinem, quæ diuinis benedictionibus cumulatius cæteris animantibus, adornatur; terrestria magis animantia, quam aues, & pisces præferre di-

gnoscuntur: si ergo auibus, & piscibus copiosam benedictionem, diuina impartita est clementia; quare terrestria animantia non eadem benedictione cumulauit? *De opere sextæ diei.* Adde, quod quædam animalium sunt venenosa: non ergo ab optimo opifice erant producenda; quædam vero ex putri corporum materia generantur: non ergo in prima rerum institutione omnia animantia fuere producta. *Soluuntur argumenta.* *Respondeo* ad primum, adducens Auicennæ sententiam, ex aliquali elementorum commistione, absque semine, etiam via naturæ, animantia omnia posse fieri, affirmantis. Verum huic sententiæ, ab omnibus propemodum contradicitur. Natura, inquiunt, per media determinata, suos procurat, tueturque effectus: quæ ergo naturaliter generantur ex semine; profecto sine semine gigni non possunt. *Principiū actiuum generationis.* *Dico* igitur ad argumentum: In naturali animalium generatione virtutem formatiuam, quæ est in semine, in his quæ ex semine generantur, & ex putrefactione natis, vice seminis, virtus cœlestis, actiuum esse principium: materiale vero in vtriusque animantibus, elementum aliquod, seu aliquod elementatum. Porro, in prima rerum institutione principii actiui vice functum est verbum Dei: materialis vero illa elementorum machina, ex qua verbum Dei viuificum cuncta produxit animantia. *Virtus generandi.* Non ergo terra, & aqua, vt dicit Auicenna, absque Dei verbi potentia, omnia animantia, procreandorum animalium habent virtutem. Quod autem, ex elementari materia, seminis, seu stellarum virtute, animalia producantur; ex illa proculdubio manat virtute, quæ primitus à Dei verbo est elementis impressa. *Elementum terræ in piscibus & auibus.* Ad *confirmationem* dico, quod si auium, atque piscium corpora secundum se intelligantur, sine dubio, terræ elementum illis dominari, facile cognoscere possumus: vt enim in corpore animalis fiat mixtionis contemperatio, terræ, quæ est minus actiua, elementum abundet, necesse est. At, si quatenus nata sunt talibus motibus moueri intelligantur; sic cum corporibus, in quibus mouentur, affinitatem maiorem habent. Ad *confirmationem* patet solutio ex dictis; aer enim cognationem habet cum aqua, ex ea parte, quæ exhalationibus, atque vaporibus repletur: ideoque aquæ ascribitur auium generatio.

Ad 2. Sub reptilium nomine, magni etiam pisces intelliguntur: vnde subdit scriptura: Et creauit Deus cete grandia. 2. Ad *confirmationem*, animalium productio, corporum ordinem, quæ huiusmodi erant animalibus ornanda, non ipsorum respicit dignitatem. In via præterea generationis, ab imperfectioribus ad perfectiora fit semper progressio.

Ad 3. Diuersus gradus vitæ (teste Basilio) qui diuersis in viuentibus inuenitur, ex modo loquendi scripturæ colligi potest; plantæ enim occultæ, atq; imperfectissimæ vitæ sunt: proinde in earum productione, nulla de illarum vita mentio fit, sed de generatione tantum; 3. propterea quod secundum illam tantummodo in eis actus vitæ inuenitur. Nutritiua enim, & augmentatiua generatiuæ deseruiunt. Pisces autem, quia minus perfecta animalia existunt, vocantur reptilia animæ viuentis. terrestria vero, quoniam perfectiora sunt, scriptura vocat animam viuentem, quasi animæ corporibus dominantes. *Vitæ gradus perfectiss.* Perfectissimus autem vitæ gradus in homine inuenitur, ideoque illius vitam à Deo immediate productam esse, non a quopiam elementorum, commemorat scriptura. Ad *confirmationem*. per iumenta, seu pecora intelliguntur animalia domestica, quæ hominum necessitatibus magis inseruiunt: per bestias vero, animantia inimicia, & crudelia. per reptilia autem, serpentes, lacertæ, formicæ, & quæ sunt generis eiusdem. Sed quia sunt quædam, quæ sub nullo istorum comprehensa sunt, vtpote cerui, caprei: iccirco addidit scriptura, quadrupedia. *Quadrupedia.* Aut quadrupedia, tanquam genus præmissa sunt: animalia vero postea commemorata, veluti species; sunt enim quædam reptilia quadrupedia, vt lacertæ scilicet, & formicæ. Ad *confirmationem*: In cæteris animantibus, & plantis, ideo de illorum genere, atque specie, mentionem fieri dicimus; vt illorum generationes ex similibus manare intelligeremus: in homine autem non fuit necessarium, quia intelligi oportebat; vel quia animalia & plantæ, quasi à diuina longe posita similitudine, secundum genus speciemque ipsorum producuntur; homo autem Deo cognatior, ad illius imaginem, similitudinemque dicitur esse formatus.

Ad 4. Quia Dei benedictio per generationem, virtutem præstat multiplicandi; 4. ideo in auium, piscium que productione, quæ primo occurrunt, huiusmodi posita legitur benedictio. quæ plane in animalium terrestrium benedictione, seu creatione repetenda non erat; propterea quod erat intelligenda. in hominis autem creatione reiteratur, propter benedictionem

Quod diuina essentia videatur ab intellectu humano. *Benedictio quibus datur animalibus.*

eam, quæ in hominibus intelligitur singularem, nempe propter electorum numerum adimplendum. Denique, ne quis diceret, in propagandis filiis nullum esse peccatum. Plantæ vero, quia nullum habent propagandæ prolis affectum: ac sine vllo prorsus sensu generant; idcirco indignæ habitæ sunt, quibus huiusmodi benedictionis gratia esset impartienda. Ad *confir.* quoniam generatio vnius est corruptio alterius: primæ rerum institutioni animalia, non repugnat, ex ignobilium corruptione, nobiliora generari. Quam ob causam, quæ ex inanimatarum corruptione rerum, seu plantarum prodeunt, tunc gigni potuisse, nullum sequitur absurdum: non autem, quæ ex animalium corruptione, nisi potentialiter tantum. Ad aliam patet solutio.

MERCVRIVS.

Homo effectus est diuini operis contemplator, quod profecto dum admiraretur, authorem eius agnouit.

Commentum VI.

CAP. I.

DE hominis dignitate, in principio tertii Pymandri nonnulla locuti sumus, & in primo Pymandri, quomodo ab humano intellectu percipi possit. Quia vero iterum Mercurius de eadem re differit; ideo aliquid addere placuit. *Homo effectus est*, inquit, post elementorum ornatum, animantiumque mirificam productionem, de hominis creatione, natura, proprietateque disputat: *Factus est*, inquit, *homo, diuini operis contemplator*: nam ad hunc finem conditus est; vt suum cognoscat, & amet opificem, quod profecto ex diuinorum operum contemplatione, paulatim assequitur; etenim ex his, quæ facta sunt, suum potest intelligere creatorem. Hoc idem Dial. 5. clarissime ostendit: *Deus*, inquit, *per omnia, & in omnibus fulget, & impræsertim apparet, quibus notitiam sui communicare voluit.* Et iterum: *Deus per singulas mundi partes vbique splendet, atque adeo se notum præstat, vt non intelligere modo, sed manibus etiam ipsis (vt ita dixerim) liceat attrectare. nam vndique nostris oculis eius obuersatur, seque & inculcat imago.* Et reuera, vnumquodque cognoscitur, quatenus est in actu. sed Deus est purus actus absque omni prorsus permixtione potentiæ: Deus ergo quantum ad se spectat, est maxime cognoscibilis. verum, quod ita se habet, alicui interdum est difficile cognitu; propterea quod excedit capacitatem intelligentis, sicut lumen solis, vespertilionis intuendi virtutem. Quam ob causam, diuinam essentiam ab intellectu humano videri non posse, quidam affirmerunt. Verum, cum vltima hominis beatitudo, in altissima eiusdem operatione, nempe in operatione intellectus, consistat: si ab intellectu humano diuina essentia nunquam esset videnda; alterum duorum sequi, necesse esset. aut ab alio, quam Deo, suam beatitudinem, hominem esse accepturum: aut nunquam beatum fore: quorum vtrumque falsum esse, omnibus constare puto. siquidem ille est vltima hominis perfectio, Deus scilicet, qui est homini principium essendi; vnumquodq; enim tum perfectum appellamus, cum suum principium attigerit. Amplius, naturale inest homini desiderium causæ cognoscendæ, cum effectum intuetur, ex quo admiratio in hominibus consurgit. si igitur rationalis creaturæ intellectus, ad primam causam attingere non posset: inane ergo profecto homini à Deo desiderium tributum fuisse diceremus; quod nefas est de Deo sentire; Deus enim & natura nihil otiose agunt: Deus ergo a homine cognosci potest. Cæterum visioni tum sensibili, tum etiam intellectuali duo sunt necessaria: quorum alterum, virtus visiua est. alterum vero vnio rei visæ cum ipso visu; non enim fieri potest visio in actu, nisi quia res visa sit quodammodo in vidente. Porro, in rebus corporalibus, rem visam non esse in vidente per suam essentiam, sed per suam tantum similitudinem, patet ad sensum: siquidem similitudo lapidis est in oculo, vnde fit visio in actu, non autem ipsa substantia lapidis. Quod si vna eademque esset res, quæ & principium virtutis visiuæ, & res visa existeret; hauddubium, quin necesse esset, ab eadem re, & virtutem videndi, & formam, per quam videre posset, habere videntem. Deum autem constat, intellectiuæ virtutis esse authorem, & ab intellectu humano posse videri. Quoniam vero, virtus intelligendi in creatura rationali, non est Dei essentia; reliquum est, vt aliqua sit participata ipsius similitudo, qui est primus intellectus. Quamobrem virtus intellectualis creaturæ, est quoddam lumen intelligibile, à prima quasi luce profluens: siue id de naturali virtute, siue de aliqua gratiæ, seu gloriæ perfectione superaddita, intelligere volueris. Itaque, vt Deus videri possit ab humano intellectu, opus habet Dei similitudine, qua intellectus idoneus redditur, vt Deum intueri possit. Verum, nulla rei visæ similitudo inueniri potest, per quam Dei essentia ab intellectu humano videri possit: etenim, per inferioris ordinis similitudines (authore Dionysio 1. cap. de dio. no.) superiora nullo modo cognosci possunt. Nam si incorporeæ essentia rei per corporis speciem inueniri non potest; 1.
quomodo per speciem rei creatæ videri poterit essentia creatoris? Amplius, Dei essentia, est eiusdem esse, quod 2.
nulli profecto formæ creatæ competere potest: aliqua ergo eiusmodi forma, Dei similitudinem exprimere nequit.
Item, diuina essentia est aliquod incircumscriptum, quid- 3.
quid potest significari, aut percipi ab intellectu humano, supereminenter continens. Sed id per aliquam repræsentari speciem creatam nequaquam potest, quippe cum omnis forma creata, secundum aliquam sapientiæ, seu virtutis, aut ipsius esse, vel alicuius huiusmodi sit determinata rationem. Quare, velle asserere, per huiusmodi similitudinem Deum videri posse; perinde est, ac si quis diceret, Dei essentiam nunquam videri, quod est falsum, atque impium. Vt igitur Deus videri possit ab intellectu creaturæ rationalis; opus est potentiæ visiuæ lumine diuinæ gloriæ, sicut dicit psalm. 35. In lumine tuo videbimus lumen: quo quidem lumine potentia huiusmodi adiuta, & confortata, Dei admiratur atque contemplatur essentiam: non ergo per aliquam similitudinem creatam, Dei essentia videri potest, à qua, vt in se est, exprimi, repræsentarique possit. Ex quo patet, non suis quidem naturalibus, sed Dei gratia, diuinam essentiam ab intellectu creato videri posse: *Gratia Dei*, inquit Apostolus: *vita æterna*. Sed vita æterna in diuinæ essentiæ visione consistit: *Hæc*, inquit Christus: *est vita æterna; vt cognoscant te Deum solum, & quem misisti eum Iesum Christum*. ergo, &c. Et reuera cognitio contingit quatenus cognitum est in cognoscente: cognitum vero est in cognoscente pro modo cognoscentis: cuiuslibet vero cognitio cognoscentis, sequitur modum suæ naturæ. si igitur modus essendi alicuius rei cognitæ, excedat modum naturæ cognoscentis; profecto illius rei cognitio, naturam superabit cognoscentis. Est autem multiplex modus essendi rerum. Quædam enim sunt, quarum natura non habet esse, nisi in hac materia indiuiduali, cuiusmodi sunt corporalia omnia: quædam vero, quarum naturæ per se subsistunt, non quidem in materia aliqua: neque ob id tamen sunt suum esse, sed potius esse habentes: in istarum autem numero, angeli haberi possunt: soli autem Deo conuenit, vt sit suum esse subsistens: Ea igitur, quæ in materia indiuiduali tantummodo esse habent, à nobis naturaliter cognoscuntur; propterea quod anima nostra, qua res cognoscimus, est forma alicuius materiæ. Insunt autem animæ duæ virtutes cognoscitiuæ: quarum aliqua est actus alicuius corporei organi, cui insitum est à natura; vt res, quæ sunt in materia indiuiduali, ab ea cognosci possint: vnde sensus, non nisi singularia cognoscit. altera vero, est intellectus, qui non est actus alicuius organi corporalis: quapropter per intellectum insita est nobis virtus cognoscendarum naturarum quæ etsi non habeant esse, nisi in materia indiuiduali; non ob id tamen, quatenus sunt in materia indiuiduali, sed quatenus abstrahuntur per intellectus considerationem intelliguntur. Ex quo patet, secundum intellectum, huiusmodi res à nobis cognosci, & quidem in vniuersali, quod quidem sensus vincit facultatem. Porro, intellectui angelico connaturale est, vt naturas cognoscat, quæ non existunt in materia, quod plane animæ humanæ in hisce inferioribus commoranti conuenire nequit. Non potest ergo intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi quatenus per suam gratiam, intellectui se coniunxerit creato; quia scilicet non est suum esse subsistens, sed per participationem subsistit. Igitur, intellectus tantummodo diuinus naturaliter intelligit, atque comprehendit diuinam essentiam. Itaque, vt dixi, intellectus rationalis lumine creato indiget, vt diuinam essentiam intueri possit: Omne enim, quod ad aliquid intelligendum promouetur, à quo naturæ intelligentis vires superantur, aliqua certe dispositione aptandum est, quæ illius naturam superet. Quemadmodum si aer formam ignis est inducturus…

Margin notes, left column:

Deus cognoscitur ex operibus. Rationes.

Deus est beatitudo hominis.

Visioni duo necessaria.

Similitudo rei visæ.

Margin notes, right column:

Quod diuina essentia videatur ab intellectu humano.

Dei similitudo in rebus corporeis non inuenitur.

Lumen diuinæ gloriæ.

Rom. 6. Visio Dei est per gratiam. Ioan. 17.

Modus essendi rerum multiplex.

Duæ virtutes cognoscitiuæ.

Lumen creatum necessarium visioni.

Quod diui. essentia videa. ab intel. humano.

duendus; aliqua profecto opus habet dispositione, qua idoneus fit, ad huiusmodi formam recipiendam. Intellectus ergo creatus, cum in infinitum a diuina essentia superetur, supernaturali vtique indiget dispositione, qua in tantam euehi possit sublimitatem intelligendi. Porro, huiusmodi dispositionem, siue illuminatiuæ virtutis augmentum, intellectus illuminationem appellamus, sicuti & ipsum intelligibile lumen, siue lux nominatur: *Claritas Dei*, inquit Ioan. *illuminabit eam*, nempe ciuitatem, cuius incolæ Deum clara visione intuentur: vnde & Deiformes efficiuntur: *Cum apparuerit*, inquit Ioan. *similes ei erimus quia videbimus eum sicuti est.* Videntium vero Deum per essentiam, vnus alio perfectius videbit, quod quidem non continget ob aliquam Dei similitudinem in vno magis, quam in alio perfectius existentem: quandoquidem illa visio, per huiusmodi similitudinem futura non sit, sed potius ob diuersam virtutem, facultatemque videntium. quæ quidem facultas Dei videndi, intellectui accidit creatu, non quidem per suam ipsius naturam, sed per lumen gloriæ, a quo intellectus in quadam Deiformitate constitutus, aptior est, qui diuinam intueri essentiam valeat perfectius cæteris. Quo igitur aliquis intellectus maius lumen assequutus est gloriæ; eo profecto maiorem facultatem habet Dei videndi. illi autem maior huius luminis claritas tribuitur, cui copiosius inest donum charitatis; vbi enim maior est charitas; ibi proculdubio maius inuenitur desiderium. at desiderium, ad desiderati susceptionem, aptum paratumque reddit desiderantem: qui ergo plus charitatis habuerit; cæteris perfectius, beatiusque Deum intuebitur. vnde, quamuis omnes beati Deum sint visuri; nemo tamen illorum, Deum comprehendere poterit: quemadmodum clarissime à Ieremia docetur, 32. *fortissime*, inquit, *magne potens, dominus exercituum nomen tibi: magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* nec propterea beati non erunt, quandoquidem, Deum videre clare, & non ænigmatice, perfecta sit intellectus creati beatitudo. Sane, illud comprehendi dicimus, quod perfecte cognoscitur; perfecte autem cognoscitur, quando tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile, siue cognosci potest. Quamobrem, si, quod est demonstratiue cognoscibile, opinione teneatur; ex aliqua ratione probabili concepta, minime comprehendi dixerim. at nullus intellectus creatus, eum perfecte intelligendi modum assequi potest, vt quantum est Deus intelligibilis, & cognoscibilis, ab eo intelligatur, & cognoscatur; est enim infinite talis; intellectus autem creatus, finitus ab intellectu ergo creatu Deus comprehendi non potest, vnumquodque enim est cognoscibile, secundum quod est ens in actu. sed Deus est ens actu infinitum: ergo quod prius. Item, intellectus, Deum intelligit virtute luminis creati & finiti: non ergo comprehendere potest Deum, qui est infinite cognoscibilis. Ex quo patet, quod videns Deum per essentiam, non videat omnia, quæ sunt in Deo; sic enim aliqua videntur, quatenus sunt in ipso: omnia autem sunt in Deo, sicuti effectus virtute in sua causa consistunt. patet autem, eo plures effectus videndos in causa, quo perfectius quis causam intellexerit: ille igitur intellectus, omnes causæ effectus percipere poterit, qui causam ipsam totaliter comprehenderit. at nullus intellectus creatus (vt dixi) Deum comprehendere potest: nullus ergo huiusmodi intellectus, Deum videndo, omnia quæ Deus facit, vel facere potest, valet cognoscere; perinde enim esset, ac si Deum comprehenderet. Vnusquisque igitur pro suæ charitatis, luminisque mensura, Deum magis, minusque cognoscit. Sane, idem manens semper idem, (quoad se pertinet) facit semper idem: in aliquo ergo gradu causa cognita, tum in esse, tum etiam in cognosci, manens eadem omnino semper facit idem. Vt ergo aliquem effectum magis cognosci faciat, quem prius non fecerat à principio, fieri non potest: proinde plurium effectuum notitiam parere nequit, sine sui mutatione. atqui in esse nõ mutatur: mutatur ergo in cognosci, & quidem in maius. Ex quo satis manifestum est, plura in causa videre, aliud esse nihil, quam perfectius eam videre, siue cognoscere: alioqui plura in eo videre, esset effectus sine causa. Etenim si perfectior modus causam videndi, huiusmodi causa non est: aliqua ergo alia noua dispositio, huius effectus causa erit: sed in esse, vel cognosci, illam dispositionem fingere, nulli profecto facile erit. Cæterum, quæ videntur in Deo ab his, qui diuinam essentiam intuentur, per aliquas certe similitudines nequaquam ea contemplantur: nam sicut Deus non videtur per aliquam similitudinem, sed per suam essentiam: nec ergo similiter ea, quæ in Deo videntur: vident ergo omnia in Deo per essentiam diuinam, illorum intellectui vnitam atque coniunctam. Etenim vnumquodque cognoscitur, quatenus ipsius similitudo est in cognoscente quod certe bifariam contingit. Cum enim quæcunque vni, & eidem sunt similia, sibi inuicem similia sint; virtus vtique cognoscitiua, ad aliquod cognoscibile, duplicem habet comparationem, siue similitudinem: Alteram quidem, qua directe eius similitudine informatur, sicq; illud secundum se cognosci dicitur: Alteram vero, qua informatur specie alicuius, quod est ei simile: atque ita dicitur res cognosci non in seipsa, sed in suo simili: alia est ergo cognitio, qua cognoscitur aliquis homo in seipso: & alia, qua cognoscitur in sua imagine. Itaque, cum res cognoscuntur per earum similitudines, quæ in cognoscente existunt; perinde est, ac si in seipsis, seu in propriis naturis cognoscerentur. sed in Deo cognoscuntur per earum similitudines, quæ in Deo existunt, & hæ quidem non sunt aliud, quam diuina essentia: igitur per solam essentiam diuinam, intellectui videntium præsentem, & Deum vident beati, & ea quæ sunt in Deo. Vident autem omnia simul, teste Augustino, vltim. de Trin. *Non erunt*, inquit, *volubiles nostræ cogitationes ab aliis in alia euntes sed omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus.* Et reuera, quæ videntur in verbo, non successiue, sed simul videntur: nam ideo nos simul multa intelligere nequimus, quia multa per diuersas species intelligimus. diuersis autem speciebus, vt per eas vnus intellectus intelligat, simul informari non potest, quemadmodum nec vnum, atque idem corpus diuersis figuris figurari. Verum quando aliqua multa, vna specie intelligi possunt, proculdubio simul intelliguntur: sicut multæ partes vna specie totius; cum omnia quæ videntur in Deo, per vnam Dei essentiam, & non per diuersas partes, aut similitudines videantur: simul ergo, & non successiue, quæ vident beati, in Deo contemplantur. Quomodo ergo beati videant Deum, & quid in eo videant, & modus videndi qualis sit, dixi satis.

Apoc. 21.
1. Ioan. 3.

Diuersus modus videntium Deum.

Intellectus non comprehendit Deum.

Quid sit comprehendere.

1.

2.

3.

Videns Deum non videt omnia.

In causa videntur effectus.

Res non videntur in Deo per similitudines.

De videndo Deo.

Virtus cognoscitiua duobus modis dicitur.

Vident in Deo omnia simul.

CAP. II.

Argumenta contraria.

POsset aliquis contra prædicta sic arguere: Quod est creabilis naturæ, non potest videre illud, cuius natura est increabilis, teste Chrysost. in illud Ioan. *Deum nemo vidit vnquam: Ipsum*, inquit, *quod est Deus, non solum Prophetæ, sed nec angeli viderunt, nec archangeli.* Et Dionysius Areopagita loquens de Deo, dicit. *Neque sensus est eius, neque phantasia, neque opinio, neque ratio, neque scientia.* Deus ergo ab intellectu humano cognosci non potest. Sane, omne infinitum, quatenus est infinitum, est ignotum. sed Deus est infinitus, vt in aliis libris dictum est: est ergo intellectui ignotus humano atque creato. Amplius, intellectus creati virtus cognoscendi circa existentia versatur: ens enim primo cadit in apprehensionem intellectus. sed Deus, authore Dionysio, non est existens, sed supra existentia: non ergo ab intellectu creato percipi potest; supra huiusmodi intellectum est enim. Sane, cognoscentis ad cognitum aliqua debet esse proportio; cognitum namque est perfectio cognoscentis. sed nulla potest esse intellectus creati, ad Deum increatum proportio, quia finiti ad infinitum nulla est proportio: ergo quod prius. Item, intellectus creatus non desiderat naturaliter videre Dei essentiam; natura enim non præstat alicui inclinationem ad aliquod habendum, ad quod propria virtute pertingere nequit: cuius signum est, quia cuilibet potentiæ, quam intus in anima posuit, extrinseca organa dederit. Vnde 2. cœli philosophus dicit: Quod si astra haberent vim progressiuam, natura dedisset eis organa opportuna. Implicat igitur visionis diuinæ desiderium, homini à natura fuisse tributum: virtutem autem id assequendi minime. Itaque Deus, in quantum est causa rerum, videri desideratur, non autem secundum suam substantiam: sicq; vt gubernator atq; creator a nobis sciri potest, non autem quid sit omnino. Desideramus enim ex primo motu scire, quid sit illa substantia, vt primus motor. & huiusmodi conditionibus sic notis acquiescit desiderium: ergo, &c. Item, Dei essentia per aliquam similitudinem ab intellectu creato cognosci potest, ergo, &c. Patet per illud Ioan. *Similes ei erimus & videbimus eum sicuti est. Cum Deum nouimus*, ait Augustinus *fit aliqua similitudo Dei in nobis.* Denique intellectus in actu, est intelligibile in actu: sicut sensus in actu, est sensibile in actu: quod certe fit per rei sensibilis similitudinẽ, quam sensus induit: similiter ergo se habet intellectus ad rem intellectam. Igitur, si Deus ab intellectu creato videtur in actu, per aliquã vtiq; similitudinẽ, videatur necesse est. Præterea, vnumquodq; videtur, dũ illius speculum

Quod non possit cognosci.
1. de diuin. nom.

2.

3.

Quod per similitudinem cognoscitur.

4.

De Trinit. 9.

Quod sint naturalibus.

5.

De videndo Deo. percipitur. sed angelus, teste Dionysio est purissimum speculum, totam, si fas est dicere, suscipiens Dei pulchritudinem: igitur, per sua naturalia; & seipsum videt, & Deum. *4. de diuin. nomin.* Sane quod est maxime visibile, propter nostri visus corporalis, seu intellectualis debilitatem, fit nobis minus visibile. sed intellectus angelicus non subit huiusmodi defectum.
6. at Deus est maxime intelligibilis: ab intellectu ergo angeli per sua intelligitur naturalia. nam si alia intelligit hoc modo: multo ergo magis ipsum Deum, qui est maxime intelligibilis. Item, quemadmodum sensus corporeus par non est, qui incorpoream substantiam percipere queat, neqoe ad id erigi vllo modo potest; ita plane, si intellectus creatus, Deum naturali virtute videre non potest, Deum nunquam intelliget; atque videbit, etiamsi multa gloriæ lumina habueret;

Quod non indigeat lumine creato. Amplius, quod suapte natura est lucidum in rebus sensibilibus, alio non indiget lumine, vt videri valeat: nec ergo in intelligibilibus. nam par in vtrisque videtur esse conditio. sed Deus est lux vera. non ergo eget alio lumi-
7. ne, vt videri posit. Profecto quod est creatum, nihil prohibet quin alicui rei posit esse naturale. Quare si per aliquod lumen creatum, Dei essentia videri potest. poteris ergo illud lumen, alicui esse naturale creaturæ atque ita absque aliquo alio lumine, Deus ab intellectu creato posset videri, quod plane theologis nun probatur: ergo quod prius. Item, vnus non videt Deum perfectius

1. Ioan. 3. altero. nam *videbimus Deum sicuti est*, teste Ioan. sed ipse vno *Quod vnus non perfectius altero non videat.* modo est. ergo vno modo videbitur ab omnibus. Suffragatur nobis August. *Eandem rem*, inquit, *non potest vnus alio plus intelligere.* sed omnes videntes Deum per essentiam, intelligunt Dei essentiam; intellectu enim, non sensu videtur Deus: videntium ergo diuinam essentiam, v-
8. nus non videt clarius altero. Adde, quod aliquid per- *Lib. 83. quæst.* fectius ab vno, quam ab altero videatur, ex duobus contingere potest: aut certe ex parte obiecti visibilis. aut ex parte potentiæ videntis. Ex parte autem obiecti, quando obiectum perfectius in vidente recipitur, secundum vtique perfectiorem similitudinem, quod in proposito locum non habet. Deus enim non per similitudinem, sed per suam essentiam est præsens intellectui, suam ipsius essentiam intuenti ex parte ergo potentiæ intellectiuæ, id proueniet: sed tunc sequeretur, quod cuius intellectiua potentia naturaliter est sublimior, Deum clarius videre posset. quod plane sacræ scripturæ minime congruit, æqualitatem angelorum omnibus ex æquo pollicenti: ergo quod

Quod Deus comprehendatur. prius. Amplius, videntes diuinam essentiam, ipsam etiam comprehendunt: Dicit enim Apostolus: *Sequor si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum.* & ad Corint. 1. 9. *Sic*
9. *currite, vt comprehendatis.* Potest ergo ab humano intellectu *Phil. 3.* comprehendi. Sic etiam docet Augustinus de videndo Deo. *Illud*, inquit, *comprehenditur, quod ita totum videtur, vt nihil eius lateat videntem.* sed Deus est summe simplex: à quocunque ergo videtur per essentiam, comprehenditur. Si dixeris, videtur totus, sed non totaliter, contra. Totaliter, vel dicit modum videntis, vel modum rei visæ. sed qui videt Deum per essentiam, videt eum totaliter, quoad spectat ad modum rei visæ; quia nimirum videt eum sicuti est. Similiter ex parte modi videntis, quia to-

Quod in Deo videant omnia. ta virtute intellectus, Deum videt. Quilibet ergo videns Deum per essentiam, totaliter videt, ac consequenter comprehendit. Præterea videntes Deum per essentiam,
10. omnia in Deo vident. *Quid est*, inquit Gregorius 4 Dialog. *quod non videant, qui videntem omnia vident?* sed Deus videt omnia ergo qui videt Deum, videt omnia. Sane, quicunque videt speculum; & ea, quæ in speculo splendent, videt. sed omnia quæ sunt, aut fieri possunt, in Deo, velut in quodam lucidissimo speculo resplendent: quisquis ergo Deum videt, omnia quæ sunt, videt, & quæ fieri possunt à Deo. Reuera, qui intelligit id, quod est maius vt dicitur 3. de anima, potest & intelligere minima, sed omnia quæ Deus facit, vel facere potest, sunt minus quam eius essentia: quicunque ergo Deum sic intelligit, potest intelligere omnia quæ Deus fecit, & facere potest.

Quod videant per similitudines. Adde, quod rationalis creatura, omnia naturaliter scire desiderat. Si igitur videndo Deum, non omnia videat, non satiabitur eius desiderium: atque ita videndo Deum, non erit perfecte beata, beatitudo enim est omnium ap-
11. petituum perfecta quies. omnia ergo videt in Deo. Item omnis cognitio est per assimilationem cognoscentis ad cognitum; sic enim intellectus in actu, fit intellectum in actu, & visus in actu, sensibile in actu, in quantum eius induit similitudinem, sicut & pupilla similitudinem coloris. si igitur intellectus videntis Deum per essentiam, in Deo aliquas creaturas intelligat; earum profecto similitudinibus informabitur. Ea præterea, quæ prius videmus, tenaci memoria retinemus. sed quæ vidit Paulus in raptu, *De videndo Deo.* nempe diuinam essentiam, teste Augustino 12. de gen. ad lit. memoria retinuit: *Audiui*, inquit, *arcana verba, quæ non licet homini loqui*, aliquæ ergo earum quas viderat rerum similitudines Paulinæ memoriæ insiderunt. *Visio Pauli in raptu. 2. Cor. 12.* Pari quoque ratione quando Dei præsentiam cernebat, eorum quæ in ipsa intuebatur, aliquas habebat species seu similitudines: ergo quod prius. Amplius, quod non videant omnia simul in Deo. *Contingit*, inquit Philosophus, *multa scire, intelligere vero vnum*. sed ea, quæ videntur in Deo; intelliguntur; intelle- *Quod non videant omnia simul in Deo.* ctu enim videtur Deus. non ergo contingit à videntibus Deum, simul multa videre. Adde, quod Deus mouet creaturam spiritualem, teste Augustino per tempus, id est, per
12. intelligentiam; & affectionem. sed creatura spiritualis *8. super gen.* est Angelus, qui Deum intuetur: Videntes ergo Deum, successiue intelligunt, & afficiuntur; tempus enim est successio motus. Hæc & similia dici possunt contra ea, quæ superius annotata sunt, ad quæ omnia ordinate respondere disposui.

CAP. III.

Soluuntur Argumenta.

AD *primum* dico, vtramque authoritatem de visione comprehensiua fuisse locutam, quod patet ex 1.
verbis Dionysii immediate sequentibus: *Omnibus*, inquit, *ipse est vniuersaliter incomprehensibilis.* Et Chrysostomus, *Notionem hic dico, certissimam patris considerationem, & tantam comprehensionem, quantam pater habet de filio.* Ad *confirmationem.* Duplex est infinitum, alterum quidem ex parte materiæ imperfectæ, quod necesse est ignorari: quandoquidem omnis cognitio per formam habeatur. Alterum vero ex parte formæ, quæ nullo materiæ limite clauditur: & huiusmodi est maxime notum. *Duplex infinitum, & quomodo est ignotum.* Sic autem Deus est infinitus, non autem primo modo: propterea argumenti illius ratio non militat contra nostrum propositum. Ad
2. Non sic Deus dicitur non existens, quasi nullo modo sit 2.
existens; sed quia est supra omne existens, quatenus est suum esse. Ex quo non licet inferre, nullo modo posse cognosci, sed potius quod omnem excedat creati intelle- *Duplex proportio.* ctus intelligendi facultatem, quod est, ipsum non posse comprehendi. Ad *confirmationem*, Proportio bifariam dicitur, vno quidem modo, certa vnius quantitatis ad alteram habitudo: secundum quem profecto modum, duplum, triplum, & æquale, sunt proportionis species: alio vero modo, quælibet habitudo vnius ad alterum: atque ita potest esse creaturæ proportio ad Deum; quatenus se habet ad ipsum, vt effectus ad causam, & potentia ad actum. hoc autem modo intellectus creatus proportionem habet ad Deum cognoscendum. Ad 3. creatura rationalis bifariam 3.
intelligi potest. vno quidem modo absolute: altero vero, quatenus ordinem habet, ad perpetuam felicitatem habendam. si primo modo consideretur, illius naturale desiderium, non superat naturæ terminum. atque ita illa ratio, locum habet. secus autem res se habet, si secundo modo intelligatur; nam sic Dei visionem, in qua vltima illius perfectio consistit, naturaliter appetit. Nec natura in hoc est auaritiæ crimine labefactanda, quasi non dederit homini organa, quibus suum vltimum finem assequi *Organa beatitudinis.* posset: præstitit enim intellectum, & voluntatem, quibus & suum finem posset intelligere, & amare pariter atque frui. Quam ob causam mirari non debemus, si inquietum sit cor nostrum donec in Deo, requieuerit, quia nimirum ipse est quies nostra. Ad 4. illa authoritas intelli- 4.
genda est de similitudine, quæ habetur per luminis gloriæ participationem. Augustinus præterea de cognitione Dei, quæ habetur in via, loquitur. *Ad aliam confirmat.* Diuina es- *Essentia diuina est forma intellectus.* sentia est ipsum esse: vnde, quemadmodum aliæ formæ intelligibiles, quæ non sunt suum esse, intellectui vniuntur secundum aliquod esse, quo intellectus ab ipsis informatur, redditurque in actu; ita plane diuina essentia intellectui vnitur angelico, atque humano; vt per seipsam faciat illum actu intelligere. Non ergo opus est aliqua alia similitudine. Cæterum, quamuis essentia diuina in genere entium, id est, in essendo, nullius forma esse posit; in genere tamen intelligibilium potest esse forma intellectus creati, propterea, quod est ipsa veritas, quæ est actualitas intellectus. Ad 5. Ille 5.
modus cognoscendi Deum, est angelo connaturalis, vt scilicet per similitudinem in ipso angelo refulgentem Deo cognoscat

De videndo Deo.

gnoscat, sed per aliquam similitudinem creatam Dei essentia, ut dictum est, cognosci non potest: non ergo angelus per sua naturalia Deum videre potest. Ad *confirm.* illa ratio valet negatiue: non autem priuatiue, non enim eo careret, quod habere debet; sed Deo comparatus, illa caret illa dignitatis excellentia, quæ in Deo inuenitur. Ad
6. 6. Negatur similitudo. nam sensus, visus, quia omnino materialis est, ad aliquod immateriale minime erigi potest: intellectus vero creaturæ rationalis, quia suapte natura aliquo modo est à materia liber; propterea gratia suffultus diuina, supra naturæ suæ terminos erigitur; ut diuinam essentiam intueri valeat. Reuera, quod in concreto, siue in hac materia a visu cognoscitur, seu videtur, in abstracto, hoc est, sine materia particulari conspici nequit. At quod ab intellectu in concreto cognoscitur, in abstracto consideratur.

Differentia sensus & intellectus.

Itaque etsi intellectus noster, & angelicus, res cognoscat in materia formam habentes; compositum tamen in vtrumque resoluit, formamque per se speculatur. Eodem quoque modo intellectus angelicus, licet connaturale sit ei, esse concretum aliqua in natura cognoscere; per intellectum tamen ipsum secernere valet, dum se a suo esse distinguit. Cum igitur intellectus creatus ex sua natura, per cuiusdam resolutionis modum, formam concretam, atque esse concretum, aptitudinem habeat apprehendendi. poterit ergo erigi, eleuarique per Dei gratiam, ut substantiam separatam subsistentem, & esse similiter tale
7. cognoscat, & intelligat. Ad 7. lumine creato eget potentia, diuinam essentiam intuentis, quo potens, atque idonea reddatur ad Dei visionem percipiendam, sicut potentia fit potentior ad operandum per habitum. Ad confirmat. lumen illud non est necessarium ad videndam Dei essentiam, quasi similitudo, in qua Deus videndus sit; sed potius quasi quædam intellectus perfectio, ipsum confortans, ut Deum videre possit. Est ergo medium, sub quo, non autem in quo Deus videtur: quod plane immediatam Dei visionem non aufert. Ad *confirm.* lumen gloriæ, asicut non potest esse naturale creaturæ, ni esset naturæ diuinæ, quod fieri non potest; siquidem per huiusmodi lu-
8. men Deiformis efficitur creatura. Ad 8. Illud aduerbium, sicuti est, ex parte rei visæ determinat modum visionis: quasi diceret, Videbimus Deum sicuti est, id est, ita esse, sicuti est, quia ipsius esse videbimus, quæ est eius essentia. Non autem determinat modum visionis ex parte videntis, ut sit sensus: Ita perfectus erit modus videndi, sicut in Deo est perfectus modus essendi. Ex hoc patet solutio ad confirmationem: Cum enim dicitur rem vnam non perfectius ab vno, quam ab alio intelligi, si ad modum rei intellectæ referatur, veritatem habet, siquidem quicunque aliter rem intelligit, quam sit, non vere intelligit: non autem si referatur ad modum intelligendi; intelligere enim vnius, est perfectius intelligere alterius.

Diuersitas videndi.

Ad aliam confirmat. Diuersitas videndi ex parte obiecti non erit: eadem enim omnibus videnda offeretur Dei essentia: nec ex diuersa obiecti participatione per differentes similitudines; sed potius ex diuersa intelligentium facultate, non qui-
9. dem naturali, sed gratuita. Ad 9. comprehensio bifariam dicitur: Vno quidem modo proprie, quatenus aliquid includitur in comprehendente; & sic nullo modo Deus comprehenditur. nec intellectiue, nec alio aliquo modo: cum enim sit infinitus, nullo clauditur finito, ut eum infinite capiat; & sic de comprehensione nulla est quæstio.

Comprehensio dupliciter.

Alio modo largius accipitur, quatenus comprehensio insecutioni opponitur. Qui enim aliquem attingit, cum iam manibus apprehendit, ipsum comprehendisse dicitur. hoc autem modo, Deum à beatis comprehendi, scriptura commemorat: Tenui eum, inquit Salomon Cant. 3. nec dimittam: sicque intelligendæ sunt Apostoli authoritates.

Tres dotes animæ.

Huiusmodi vero comprehensio vna est ex tribus dotibus animæ, quæ spei respondet, sicut visio fidei, & fruitio charitati: etenim apud nos non omne quod videtur, iam tenetur; multa siquidem interdum longe posita videmus, & plurima etiam, quæ non sunt in nostra posita potestate: neque iterum omnibus, quæ sunt in nostra potestate, fruimur, quippe qui non his delectamur, propterea quod nostrum desiderium non impleant, & quietent. Verum hæc tria habent in Deo beati; quia nimirum & Deum vident, & videndo tenent; quia semper vident, & tenentes fruuntur, sicuti vltimo fine, à quo illorum desiderium completur. Ad *confirm.* Non ideo Deus inuisibilis dicitur, quasi aliquid eius sit, quod videri non possit; sed potius, quia non ita perfecte videatur, sicut est visibilis. Vnde Augustinus ait, totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem. Ad *confirm.* Totaliter dicit modum obiecti, non quidem ita, ut totus modus obiecti sub cognitionem non cadat; sed quia modus obiecti non est modus cognoscentis.

De videndo Deo.

Qui igitur Deum videt per essentiam, quod infinite exstat, & sit cognoscibilis, videt: qui tamen modus infinitus ei non competit, ut scilicet ipse infinite cognoscat. Ad *decimam*, dico Gregorium de ob- 10.
iecti sufficientia fuisse locutum, quod scilicet Deus, quantum ad se spectat, sufficienter contineat, & demonstret omnia. Ex quo tamen non sequitur, vnumquemque Deum videntem cognoscere omnia, propterea quod non perfecte Deum comprehendat. Ad *confirm.* speculum intuenti non opus habet, ut omnia quæ sunt in speculo intueatur, nisi ipsum speculum suo visu perfecte comprehenderit. *Ad aliam confirmat.* licet maius sit videre Deum, quam alia omnia; maius tamen est, sic Deum videre, ut omnia etiam in eo cognoscantur quam pauciora; multa autem in Deo cognoscere, ex diuersa videntium pendere dixi facultate.

Naturale desiderium.

Ad aliam confirm. Inest rationali creaturæ naturale desiderium cognoscendi ea, quæ ad intellectus perfectionem attinent, & hæc quidem sunt species, & genera rerum, earumque rationes, quæ à quolibet videbuntur, qui diuinam intuetur essentiam. Cognoscere autem alia singularia, utpote hominum cogitationes, & similia, ad creati intellectus perfectionem non spectat. nec ad hoc naturale illius desiderium tendit. Nec iterum cognoscere illa, quæ nondum sunt; sed fieri possunt à Deo.

Deus replet naturale desiderium.

Proinde si solus Deus videretur, qui est fons, & principium totius esse, & veritatis, ita sane, naturale repleret desiderium sciendi, ut nihil aliud quærere auderet aut vellet. Hæc certe ab Augustino 5. *conf.* clarissime docentur: *Infelix homo*, inquit, *qui scit omnia illa*, scilicet creaturas? *te autem nescit. Beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat; qui vero te, & illa nouit, non propter illa beatior*

Obiectiones.

1. *erit, sed propter te solum beatus.* Sed *dicet aliquis* Deo inest infinitas intensiua, quæ est ratio, quare in Deo sunt omnia: Ad huius autem cognitionem seu visionem, non sequitur comprehensio Dei: nec ergo ad omnium quæ in Deo sunt
2. visionem. Item, cognoscens vnum effectum in verbo, non comprehendit illum, nec etiam verbum, quatenus est causa illius: igitur cognoscens omnes effectus, nec Deum, nec effectus comprehendit. *Respon.* aliqui atque dicunt: Ma-

Solutio.

1. iorem primi argumenti non esse veram, quia non seruatur idem ordo; visio enim causæ infert visionem formaliter existentium in ea, quæ clare patent, non autem visionem contentorum virtualiter, quæ latent in essentia diuina, quorum visio comprehensionem Dei sequitur. Ad 2. Ali- 2.
quem effectum comprehendere, dupliciter potest intelligi: vno quidem modo, ut cognoscatur secundum omnia possibilia per potentiam in eo existentem, & sic negant, videntem lapidem in verbo ab eo comprehendi non posse; alio modo, ut ipsum cognoscat secundum omnia etiam possibilia, etiam quomodolibet: siue per potentiam in se, siue in alio; & sic negatur vltima consequentia; quoniam aliquis & aliquis effectus, non sunt adæquatum obiectum diuinæ potentiæ. Peccat ergo argumentum ab inæquali
ad æquale arguens. Ad 11. Creatus intellectus Deum vi- 11.
dentis, rebus assimilatur, quæ videntur in Deo, quatenus diuinæ vnitur essentiæ, in qua omnium rerum similitudines præexistunt. Ad *confirm.* Aliquæ sunt potentiæ cognoscitiuæ, quæ ex speciebus primo conceptis, alias formare queunt. sic imaginatio, ex præconceptis montis, & auri speciebus, montis aurei format simulacrum: Et intellectus

Similitudines in mente Pauli.

ex præconceptis generis, & differentiæ speciebus, format rationem speciei. similiter ex imaginis similitudine, eius in nobis similitudo formatur. Sic ergo Paulus, ex diuinæ essentiæ visione, earum accepit similitudines rerum, quas in diuina intuitus est essentia verum huiusmodi visio qua videntur res per species sic conceptas, est alia ab ea visione,
qua res in Deo videri dicuntur. Ad 12. Sic vnum tantum in- 12.
telligimus, in quantum vna specie intelligimus. sed multa vna specie intellecta, simul intelliguntur, sicut in specie hominis, & animal, & rationale intelligimus: & in specie domus parietem, & tectum. Ad *confirm.* Angeli quoad cognitionem naturalem, qua res cognoscunt per species vniuersales illis inditas, non simul omnia cognoscunt. atque ita mouentur secundum intelligentiam per tempus. At quatenus vident res in Deo, simul eas vident. Multa quoque de his dicta sunt in 2. Pymandri, vbi de angelorum natura copiose disputaui. Non temere ergo dictum est à Mercurio, hominem ex magni huius mundi opificio Deum cognouisse.

Mens in homine.

Mercurius.

Sermonem quidem ô Tati singulis hominibus Deus impartit, mentem vero nequaquam: non quod inuiderit, quibus ne vtique inuidet; liuor quippe ab eo non prouenit, sed vna hic habitat cum animis hominum mente carentibus.

Commentum VII.

Congruo ordine omnia à Mercurio digesta ponuntur; nam postea quam dixit, solo verbo Deum mundum fabricatum fuisse, idque ob suam immensam bonitatem deinde enumeratis elementis, cum ipsorum pulchritudine, animantiumque diuersa natura, ad hominis conditionem accedens, ait. *Factus est homo, inquit, diuini operis contemplator, suumque creatorem ex operum magnificentia cognouit.* Sed ne quis posset dicere, quare non omnes ita Deum cognoscunt, siue cognouerunt? Quia, inquit, non omnes mentem perceperunt. Mens, vt dixi in 3. Pymandri aliquando Deum significat. nonnunquam vero donum sapientiæ, per quod hominibus vera Dei præstatur cognitio, Deus enim in hominibus habitat per donum Spiritus sancti, mentisque motricis fungitur officio. sic enim ab eo clare docetur dial. 12. *Hæc*, inquit, *mens Deus est in hominibus, atque idcirco nonnulli ex hominum numero dij sunt, eorumque humanitas diuinitati proxima*, Sensus est, homines propter inhabitantem Spiritum sanctum in eis, fiunt deiformes: *Vt efficiamini*, ait Petrus: *diuinæ consortes naturæ*. Et Paulus *Viuo iam non ego, viuit vero in me Christus* Et illud Psalm. *Ego dixi dij estis*. *Verus Deus*, inquit Augustinus in expositione istius Psal. & Psal. 94. *rex magnus super omnes deos, facit deos participatione, non natura.* Et Ambros. illos dixit Deos, &c. *Si calefacti*, inquit, *igne salutari dij efficiuntur; vnde calefiunt non est Deus? Si lumina illuminata dij sunt; lumen quod illuminat, non est Deus?* Vnde Mercurius dicit: *homo quidem terrenus, Deus est mortalis. Deus vero cælestis immortalis homo.* Sequitur Mercurius in eodem dialogo: *Quæcunque, inquit, hominum animæ, mentem nequaquam sortitæ sunt gubernatricem, eadem quæ & brutorum animæ patiuntur: dimisit eas mens cupiditatum imperio:* quasi diceret cum Psalm. *Dimisit eos secundum desideria cordium ipsorum: ibunt in adinuentionibus suis.* Non ergo vocat mentem hic Mercurius illam animæ portionem, quæ diuinis intendit, sed Deum per suum donum illius portionis gubernatorem. Et recte quidem, nam sicut speculum solari lumine illustratum, non amplius speculum videtur & dicitur, sed ipsemet sol, ita mens hominis, propter Deum inhabitantem, Deus nominatur, & vicissim, Deus mens hominis. In Asclepio intelligentiam veram appellat. *Quicunque etenim hominum, inquit, tantum felicitatis adepti sunt, vt illum intelligentiæ diuinum perciperent sensum, qui sensus est diuinior in solo Deo, & in humana intelligentia. Non enim omnes homines intelligentiam veram adepti sunt.* Quod ergo mentem in Pymandro, in Asclepio sensum diuinum, & veram intelligentiam appellat. De hoc vero intellectu loquitur Dauid. *Intellectum tibi dabo*, ait, *vt cognoscat te semper*, inquit Augustinus, *& semper gaudeas in spe ad Deum, donec ad illam patriam peruenias, vbi iam non spes, sed res erit.* & Psal. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus se.* Est autem hoc donum Spiritus sancti, qui intellectus ab Isaia nominatur diuina illustratio, quæ menti capacitatem addit, vt quæ fidei ac veræ cognitionis sunt, recte assequatur. Cum enim multa nobis proponantur credenda, quorum veritatem ratio non potest perspicere; necessaria est diuina illustratio, per quam mens assurgat in rectam apprehensionem eorum, quæ sunt veræ religioni consentanea. Apud Matth. 15. reprehenduntur discipuli, quod veram Dei intelligentiam non haberent: *Adhuc inquit, & vos sine intellectu estis?* Paulus: *Intellige quæ dico, dabit tibi Deus intellectum in omnibus.* Quam ob causam ab Augustino in 4. cap. Ioan. Vir animæ intellectus nominatur: *Vade, inquit, voca virum tuum: Idest, inquit, nescis quæ dico, quia intellectus tibi non adest.* Intellectus animam regit, & ad ipsam animam pertinet, & mens dicitur, sed non valet animam regere, nisi aliam habuerit mentem, aliumque intellectum, lucem vtique superiorem, à qua mens humana illustratur. Talis lux erat Christus cum muliere loquens, cuius intellectus non erat adhuc illa luce illustratus. Non temere ergo dictum est à Mercurio: Non omnes homines mentem habere; propterea quod magna est hominum multitudo, quæ vacat hoc dono intellectus. *Multi*, inquit Paulus. *ignorantiam Dei habent.*

Mens quid sit. — Dial. 12. — 2. Pet. 1. — Gal. 2. — Ps. 81. — Lib. 5. de fide c. 2. — Mercurius. — Ps. 80. — Deus est mens hominis. — Sensus diuinus. — Ps. 31. — Intellectus donum. — Isa. 11. — Matth. 15. — 2. Tim. 2. — Vir animæ intellectus. — 1. Cor. 15.

Et ad Thess. 1. 4. *Non in passione desiderii, sicut gentes, quæ Deum ignorant.* Mens, græce νοῦς, animus, ratio, intelligentia nominatur. sic nominata quasi eminens; est enim altior animi pars, qua diuina percipimus. Vnde Ouidius: *Mente deos adijt, & quod natura negabat visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.* Lactantius 7. lib. *Mens & anima non sunt idem.* Aliud est enim quo viuimus, aliud quo cogitamus. Nam dormientium mens, non anima extinguitur: & in furiosis res è contrario se habet. Thales Milesius. *Velocissimum, inquit, omnium quæ sunt, est mens:* tanta enim tantæ celeritatis est, vt vno temporis puncto, cœlum omne collustret, maria peruolet, terras & vrbes peragret. Est ergo mens cogitationis consiliique subtilitas quædam, certe rationi consentanea: ideoque amentes & dementes dicuntur, qui nullo consilio vtuntur. Animus vero est vitæ, & voluntatis fundamentum. Plautus in Cistel. *Nullam mentem animi habeo.* Ponitur interdum pro voluntate, seu intentione 1. AEneid. *In primis regina accipit in Teucros animum mentemque benignam.* Cicero: *Humanus autem animus qui decerptus est ex mente diuina, cum alio nullo, nisi cum ipso Deo, si hoc est fas dictu, comparari potest. Hic igitur si est excultus, & si eius acies ita curata, vt ne cæcetur erroribus, fit perfecta mens, id est, absoluta ratio quod est idem quod virtus.* Iuxta ergo hoc Ciceronis testimonium textum Mercurii sic interpretari valemus. Omnes homines habent sermonem, mentem autem nequaquam: id est, carent virtute sermonis, quia nimirum dicunt, & non faciunt. Sed *regnum Dei*, teste Apostolo: *non est in sermone sed in virtute.* hoc est, *non in splendore verborum commendatur*, ait Ambrosius, *sed in virtute signorum*: nam teste Cicerone in Off. *Laus virtutis in actione consistit.* Ponitur quandoque pro consilio, gnomi, Virg. *Nostram nunc accipite mentem.* homines ergo carent mente, qui sunt consilii expertes. Itaque cui non adest Deus per gratiæ habitationem, deest illi donum intelligentiæ, quo absente, mens illius obtenebratur, ac proinde abundat sermone, virtutem vero sermonis non habet. neque in causa est, quod Deus illi inuideat sapientiæ donum, quandoquidem inuidia, & liuor longe absit à superis. Sic etiam docet *dial.* 14. Mortalium passiones Deo ascribit, inuidiam, superbiam, ignorantiam, imbecillitatem. Quam ob causam Plato in Timæo ait: *Bonus erat opifex mundi, bonus autem nulla vnquam aliqua de re inuidia tangitur.* Ergo cum liuor ab eo alienissimus esset, omnia sibi, quantum fieri poterat, simillima fieri voluit. *Est autem inuidia*, vt ipsemet Plato dicit in Philebo, *tristitia quædam animæ de alienis bonis, & voluptas in alterum malis.* Sed Deus non inuidet hominibus bona, à quo omnia bona hominibus dantur. Arist. 2. *Rhetoricæ*, quatuor tristitiæ passiones ponit circa bonum alienum, videlicet timorem, æmulationem, indignationem, atque inuidiam. Timorem vult dolorem esse de alterius prosperitate, quatenus ex illa aliquod nobis imminet malum; Æmulationem vero, dolorem de alieno bono: non quia alio hoc habet: sed quia ipse illo caret: & hæc quidem est bona, seruata proportione, atque rei congruentia. Indignatio autem est dolor, de prosperitate indigni: & hæc quidem ab eodem philosopho vocatur nemesis, & pertinet ad bonos mores, vt ipse dicit. Verum aliud sentiunt Christiani, qui aiunt; à Deo iuste disponi omnia. *Inuidia vero est dolor de prosperitate æqualis.* Obiectum ergo inuidiæ, est prosperitas æqualis, se habens, vt bonum excedens: *tristitia* autem, teste Augustino, *est de his, quæ nobis nolentibus fiunt.* Superaddendo itaque dicto inuidiæ obiecto noliti rationem, dicimus prosperitatem æqualis nolitam, esse proprium obiectum inuidiæ. Semper ergo inuidia est mala; quia bonum offendit, & naturæ, & gratiæ, & fortunæ. Augustinus: *Cum igitur*, inquit, *superbia sit amor excellentiæ propriæ, inuidia vero, odium sit felicitatis alienæ: quid vnde nascatur, satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus inuidet, quod ei æquantur. vel inferioribus, ne sibi coæquentur, vel superioribus, quod eis non coæquentur.* Plautus in Lyside ait Hesiodus. *Inuidet figulus figulo, sive faber fabro*, nec non poeta poetæ, quoniam vicinitas vel temporis, vel loci, vel accidentis qualitatis inuidiæ sunt sorores. Licet enim similitudo: delectationem causet, si voluntati concordat, tamen tristitiam parit, si excellentiam alicuius impedit. Quamobrem, inuidus est pusillanimis: omnibus ex vitiis nullum pigrius inuidia: altos in animos non ascendit. Hinc ait Iob: *Paruulum occidit inuidia*: quod sic à Gregor. exponitur: *Inuidere enim, inquit, non possumus, nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Paruulus ergo est, qui liuore occiditur, quia ipse testimonium sibi perhibet, quod eo minor sit, cuius inuidia torquetur.* Hieronymus. *Semper virtutes persequitur inuidia, feriuntque altos fulgura montes. In paradiso quoque serpentis fuit, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum.* Plutarchus. *quemadmodum cantharides lætioribus frumentis, & rosis decoribus maxime innascuntur; ita & inuidia eos præcipue tangit, qui bona*

In Deo non est inuidia. — Mens quid significet. — 15. Metam. — Lactantius. — Thales. — Plautus. — 4. Tusc. quæst. — Tex. expo. — 1. Cor. 4. — Ambrosius — 1. Æneid. — In Deo non est inuidia. — Quatuor tristitiæ passiones. — Quid sit inuidia. — Lib. 11 de Genesi cap. 14. — Vnde nascatur inuidia. — Plautus. — Hesiodus. — Iob 4. — Lib. 5. moral. c. 33. — Hieron. — Plutarchus.

sunt,

In Deo non est inuidia.

sunt, quique ad virtutem, gloriamque grassari videntur. Basilius: *Basil.* *Quemadmodum, inquit, vultures ad putrescentia cadauera solent in pastus discurrere, complura prata, complures amœnos, atque odoriferos agros superuolantes, & velut muscæ consueuerunt integras corporis partes prætermittentes, ad vlcera sese conferre, eodem modo inuidi splendores vitæ, & rerum gestarum magnitudinem prætermittentes, hominum duntaxat vitiis immorantur.* *Inuidi similes.* *Quod si a recto nonnunquam (quod sæpe mortalibus accidit) deflectere videantur, hoc diuulgant, & per eas res eorum vitam esse in aperto volunt, ignauis pictoribus similes, qui per obtortum nasum, aliamue huiusmodi cicatricem, aut naturalem aliquem defectum, aut casu prouenientem, eorum, quos effingere conantur formam ostendunt.* Et in oratione: *Est & illud in hac ægritudine molestissimum, quod dolorem suum nemini detegere potest, sed defixos in terra tenens oculos, disrumpitur dolore, & ægritudine cruciatur.* *Collat. 18. cap. 17.* Simon Cassianus: *Sicut, inquit, ille, qui primus eiusdem mali peste corruptus est, nec medelam pœnitentiæ, nec fomentum alicuius curationis admisit, ita & hi, qui iisdem se percutiendos morsibus tradiderunt. Vnde quemadmodum sues lutosa immunditia, & dæmones nostro damno lætantur, sic inuidi calamitate proximorum exaltant.* *Hom. 14. sup. Matt.* Vnde Chrysostomus. *Alienas iacturas, inquit, suos inuidus quæstus existimat, nec magni considerat, quid ipse suaue consequatur, an quid proximo calamitosum inferatur.* *Ad Rom. c. 10.* Ambrosius. *Nulla res, ait, sic consumit hominem, ac inuidia, quam ideo Deus vltorem posuit incredulitatis, quia graue est peccatum.* Et de fuga seculi cap. 4. *Fuge inuidiam, quæ non solum alienos, verum multo magis eum, quem possidet, lacerare solet.* Vnde poeta de transformatione 2. *Carpitque, & carpitur vna, suppliciumque suum est.* hinc præclare dictum est a philosopho, quod cum multa in se mala habeat inuidia, hoc solum bonum habet, quod maximum malum inuidentibus est. *Hesiodus.* Hesiodus: *Inuidia inquit, est pessimum quid, sed habet quoddam pulchrum in se, consumit enim inuidentium oculos, & cor.* *Periander.* *Quoniam, vt ait Periander, quemadmodum ærugo ferrum, sic inuidia animam illius, in quo est, consumit.* Hinc apud antiquos inuidi pingebantur stringentes sibi guttur, & seipsos suffocantes. *Menander.* Proinde Menander recte dixit: *Inuidia sibiipsi inimica existit, sponteque volentes semper afficit dolore.* *Democritus.* Democritus etiam: *Inuidus seipsum, vt inimicum, conturbat; semper enim in luctu est inter prospera cæterorum.* *Horatius.* Horatius: *Inuidia Siculi non inuenere tyranni maius tormentum.* *Ouidius.* Et Naso: *Risus abest, nisi quem fecere dolores. Sed videt ingratos, intabescitque videndo successus hominum.* Sed omnia hæc in Deum nullo modo cadere possunt: est igitur ab omni inuidia liber. *Textus expo.* Sequitur textus: *Sed vna hic habitat cum animis hominum mente carentibus.* Distinguere videtur inter animum & mentem, vt vel ex eo animaduertamus, per mentem, sensum illum diuinum intellexisse, qui insidet animis hominum per habitantem spiritum sanctum. Sensus ergo est: tanta est bonitas nostri opificis, qua non solum in his inuenitur, qui diuinæ intelligentiæ participes sunt; verumetiam, & in his, qui huiusmodi carent, ac velut bruta animantia viuunt. *Ierem. 23.* Sic enim per prophetam Dominus loquitur: *Cælum, & terram ego impleo:* hoc est, animam, & corpus, iustos, & iniustos, cœlestia, & terrena. Verum non parum interest inter modum, quo in iustis habitat, & eum modum, quo etiam adest iniustis: *Epist. 28.* *Deus, inquit August. licet essentialiter, actatus sit in omnibus, in illis tamen plenius esse dicitur, quos inhabitat, id est, quibus ita est, vt faciat eos templum suum: & hi tales cum eo sunt, iam ex parte, sed in beatitudine perfecte. mali vero, etsi ibi sint vbi ipse est, qui nusquam deest, non tamen sunt cum eo.* Propterea exponens illud Ioan. 17. *Vbi ego sum, & illi sint. addidit, mecum, quia & ibi miseri possunt esse, vbi & ille est, qui nusquam deest.* Sed beati sunt cum illo, qui fruuntur eo, & vident illum sicut est. *Quomodo est in malis.* Mali vero non sunt cum illo, vt cœci in luce, non sunt cum luce. Est autem & illud mirabile, quod Deus sit quorundam habitator nondum cognoscentium Deum. illi autem ad Dei templum non pertinent, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt. *Paruuli templum Dei.* Ad templum Dei pertinent paruuli sanctificati sacramento Christi, & regenerati Spiritu sancto, qui nondum valent cognoscere Deum. Beati vero illi sunt, in quibus Deus ita habitat, vt ab eis cognoscatur, & diligatur; qui quidem throni Dei appellantur. *Isa. 66.* *Cælum mihi sedes est*, ait Dominus per Isaiam: *Sap. 7.* Quæ autem sit ista sedes, Sap. 7. describitur: *Anima iusti sedes est sapientiæ*, quia in iustis specialis, quam in aliis, in quibus tamen omnibus est totus: & hoc est, quod dicit Mercurius, Deum inueniri cum animis hominum mente carentibus; quia nulli deest creaturæ, vt conditor, & conseruator: non autem vt pater, & amicus. *Sancti estote,* *Leuit. 11.* inquit, *quia ego sanctus sum dicit Dominus.*

MERCVRIVS.

De cæsia.

Tatius. Cur ô pater non omnibus Deus mentem communicauit? Mer. Quoniam voluit eam, ô fili, in medio tanquam certamen præmiumque animarum proponere. Tatius. Vbinam hanc locauit? Mer. Cum Craterem hac implesset, præconem misit, iubens talia quædam animis hominum nunciare: mergat se ipsam in hunc pateram quæcunque potest, quæ videlicet credit craterem, animam ad eum qui demiserat, reducturum, quæue finem nouit, cuius gratia nata fuerat.

Commentum VIII.

TATIO sciscitanti causam, ob quam non omnibus Deus mentem communicauerit: In tantum, inquit, abest ô fili, quod sensum hunc diuinum, veramque sui intelligentiam Deus hominibus non inuiderit, vt etiam in propatulo posuerit omnibus, & videndam, & habendam, *Virtus est circa difficile.* modo se illa dignos reddiderint: neque enim illius coronam quis accipere merebitur, nisi legitime certauerit. In certamen proposuit, & præmium, vt sine victoria, illius præmium habeat nemo; siquidem virtus est circa arduum, & difficile, & non nisi propriis est paranda laboribus; propterea plures cum sint desides, atque ignaui, pauci admodum sunt mentis possessores. Cum autem non ignorare vis, quo in loco hanc mentem Deus collocauerit: scias fili in cratere, siue poculo magno posuisse, illudque huiusmodi *Crater quid.* mente implesse: deinde misisse præconem, qui inuitaret ad bibendum, diceretque inuitatis: Mergite vos ipsos in huiusmodi craterem, atque inprimis credite, tantam esse huius crateris virtutem, vt animas ad Deum referat, a quo & demissæ, & conditæ sunt. Denique intelligite cuius gratia nati estis. Quid sit mens, ex superioribus patet. Reliquum nobis est, vt sciamus quid sit crater, quid mersio, quid præco, & quæ sunt generis eiusdem. Crater est poculum, siue cuppa grandis & patens, ἀπὸ [illegible], quod est tenere, siue miscere dictus, continens tres vrnas (vt quidam volunt.) Vnde Virgilius: *Crateras magnos statuunt, & vina coronant.* *1. Æneid.* Horatius etiam in serm. *Siue grauis veteris cratera limus adhæsit.* *Horat.* Crater patulus, euidens, manifestus, omnibus patens. Post pauca, vocat diuinum craterem, & sapientiam mentis, diuinorum contemplationem, & intelligentiam Dei. Sed dicas mihi quæso, vbi est diuinorum contemplatio, & intelligentia Dei, nisi in Ecclesia Dei, quæ est ille diuinus crater, vera Dei intelligentia repletus, & diuinorum con- *Mersio.* templatione exuberans: hæc est, quæ animas ad Deum reuocat, à quo aufugerant: in quam mergi oportet credentem, & intelligentem, cuius gratia natus sit. Mergi, inquam, vt abluatur à tabe veteris vitæ, fide purificante corda hominum. *Mergat se, inquit, qui crediderit craterem, animam ad Deum reducturum.* Seruat metaphoram crateris, sine qua talis potest esse sensus, quisquis cupit veram Dei intelligentiam habere, suæque animæ salutem acquirere illius religionem, seu ecclesiam ingrediatur, quæ est columna, & firmamentum veritatis, in qua vera datur remissio peccatorum, sine qua non patet reditus ad cœlum animabus hominum, nullique est, aut esse potest tuta via ad Deum pergendi. *Misit præconem*, nempe angelos, patriarchas, *Præco.* prophetas, Apostolos, aliosque Dei nuntios, qui inuitarent ad craterem, denique qui venirent ad nuptias. Simile quiddam proponitur à Salomone: *Sapientia, inquit, ædificauit sibi domum, & excidit columnas septem, immolauit suas victimas, miscuit in cratere vinum suum, & parauit mensam suam. Misit seruos suos conuocans cum excellenti prædicatione ad craterem dicens: Qui est insipiens diuertat ad me.* *Sapientia ædificauit domum. Prou. 9.* His certe, inquit Augustinus *Lib. 17. ciuit. c. 20.* lib. 17. de ciuit. Dei, cap. 20. *agnoscimus Dei sapientiam, hoc est, verbum patri coæternum, in vtero virginali domum sibi ædificasse, corpus humanum, & huic tanquam capiti membra ecclesiam subiunxisse: martyrum victimas immolasse mensam, in vino, & panibus præparasse; vbi apparet etiam sacerdotium secundum ordinem Melchisedech: insipientes, & inopes sensu vocasse, quia infirma mundi elegit Deus.* *1. Cor. 1.* Hieronymus in commentario istius loci, *Sapientia, &c. Quia hominem filius Dei, in vnitatem suæ personæ accepit, excidit columnas septem, ecclesias per orbem septiformi gratia spiritus erexit, vel certe sapientiæ domus, eccle-*

[*De Ecclesia.*] [*Columna ecclesiæ.*] *sia Christi est, ex lapidibus viuis constructa. Columnæ autem fuit doctores septiformi spiritu pleni*, Galat. 2. *Qui videbantur columnæ esse. Immolauit victimas, suis passionibus, atque suorum ecclesiam consecrauit. Miscuit vinum, & proposuit. Diuinitatis suæ arcana aperire non valentibus, assumpta humanitatis sacramenta patefecit, & scripturæ sacræ pabulum nobis aperiendo patefecit.* [*Ancillæ.*] *Misit ancillas, vt vocaret ad arcem. prædicatores infirmos, ac despicabiles elegit, qui fideles populos ad supernæ patriæ cælestis ædificia colligerent. Si quis est paruulus, veniat ad me.* [*Panis.* *Vinum.*] *Paruulos dicit humiles: insipientes vero, qui de mundanæ sapientiæ fastu nihil habent. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum. In pane, diuina eloquia: in vino mixto, coniuncta in vnam Christi personam deitatis & humanitatis eius natura exprimitur. vel certe in pane, corporis ipsius: in vino mixto, sanguinis sacrosancti mysterium.* [*Lib. 8. moral. c. 14.*] Gregorius. *Domus sapientiæ, ecclesia*, inquit, *vocatur, quæ septem sibi columnas excidit. quia ab amore præsentis seculi disiunctas ad portandam eiusdem ecclesiæ fabricam, mentes prædicantium erexit, quæ pro eo, quod perfectionis virtute subnixæ sunt, septenario numero signantur. Immolauit victimas, quia vitam prædicantium mactari in persecutione permisit. Vinum miscuit, quia diuinitatis, & humanitatis suæ nobis pariter arcana prædicauit. Mensam proposuit, quia scripturæ sacræ nobis pabula aperiendo præparauit?* Hæc ergo cum ita se habeant, operæpretium esse arbitror, verissimis probatissimisque rationibus palam facere, quanta sit huius crateris, siue diuinæ sapientiæ domus authoritas, potentia, atque maiestas: nam si iuxta Mercurium, tanta inest illi virtutis potentia, vt animas hominum ad Deum reducere valeat; profecto cæteris antecellit rebus, & virtute, & maiestatis imperio. [*Ecclesiæ nomen.*] Porro, quod à Mercurio crater patulus vocatur: à domino *Matth.* 16. vocatur ecclesia: *Et super hanc petram*, inquit, *ædificabo ecclesiam meam.* [*1. Tim. 3.*] A Paulo autem, *Ecclesia Dei viui.* Et à Dauide: *Confitebor tibi in ecclesia magna.* Et Psal. 21. *In medio ecclesiæ laudabo te.* Est autem nomen græcum, quod latine conuocatio dicitur; & quidem magna, ad quam omnes aliæ conuocationes referuntur: est autem hæc conuocatio ad æternam beatitudinem, quæ plane ex angelis, & hominibus in fine seculi est complenda. [*Col. 1.* *Eph. 1.*] Hoc modo de ecclesia Paulum locutum fuisse, scimus, *ipse est caput corporis ecclesiæ.* Et ad Ephes. *Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam.* Verum in sacris scripturis, ecclesiæ nomen, ad electos ex hominibus sæpe contrahitur, cum dicitur lauisse ecclesiam sanguine suo. [*Eph. 5.*] Ephes. 5. *Christus dilexit ecclesiam*, inquit, *& seipsum tradidit pro ea; vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ;* neque enim angeli lauacro aquæ, mundati sunt. [*Ecclesia sine macula.*] *Vt exhiberet sibi ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi.* quod certe veritatem habebit in ecclesia triumphante, siue post resurrectionem futura. *Tunc*, inquit Augustinus de perfectione iustitiæ, *ecclesia non habebit maculam, neque rugam, quando erit gloriosa: non enim modo in tantis periculis potest esse gloriosa*, huiusmodi autem ecclesia est cœtus bonorum, quos inhabitat spiritus sanctus, qui à Salomone Cant. 6. & 4. vocatur *hortus conclusus, & fons signatus.* Accipitur autem nonnunquam ecclesia in scripturis pro baptizatorum cœtu, malos, bonosque complectente: [*Ecclesia præsens mixtos habet.*] de quo canticum canticorum loquitur, 1. cap. *Nigra sum, sed formosa:* formosa inquam, ob bonorum splendorem: nigra vero, propter commixtionem malorum. Apud *Matth.* 13. areæ comparatur, in qua sicut est triticum: ita sunt & paleæ: vocatur etiam ager, in quo cum tritico crescunt & zizania: sagena insuper, in qua congregantur boni pisces, & mali: vinea, in qua sunt palmites afferentes vinum, sunt etiam, & qui labruscas proferant: denique inutiles, & infructuosi omnino. Ab *Ezechiele* 34. gregi confertur, in quo sunt & hœdi, [*2. Tim. 2.* *Nomina ecclesiæ.*] & oues, & arietes, & hirci. Ab Apostolo vocatur domus, in qua sunt vasa aurea, & argentea; sunt etiam lignea, & fictilia, quædam in honorem, quædam vero in contumeliam. *Matth.* 25. Assimilatur decem virginibus, quarum quædam, siue quinque sunt prudentes, reliquæ vero fatuæ. Hæc est arca Noe, quæ simul continet oues, & lupos, columbas, & accipitres; soli enim boni in cœlo sunt: mali vero, soli in inferno: hic mixti sunt boni cum malis. Hæc est illa terra, de [*Ps. 103.*] qua Dauid loquitur: *Fundasti eam super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi.* hoc est, illud regnum, de quo [*Regnum.*] Psal. 144. *Regnum tuum, regnum omnium seculorum, & dominatio tua in generatione seculorum.* Et iterum: Regnum ipsius omnibus dominabitur. Vnde *Isaias* 60. *Gens, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit.* Hæc est illa, quam sponsus in cantico, terribilem pronunciat, vt castrorum aciem ordinatam. [*Castrorum acies.*] Hæc sunt *castra Dei*, quæ vidit Iacob. Hæc est domus domini, vt dicit *Zacharias* 9. quam militibus se muniturum, dominus [*Cant. 6.*] prædixit: *Circumdabo*, inquit, *domum meam*, (ex iis) *qui militant mihi.* [*Mons ps. 67.*] Hic est ille mons caseatus, & pinguis, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Mons eleuatus super verticem montium, teste *Isa.* 2. Et *Michæas* 5. [*De Ecclesia.*] Hoc est tabernaculum Dei cum hominibus, [*Tabernaculum.*] sponsa gloriosa, & virgo: quæ, dum persequutiones patitur, floret; dum opprimitur, crescit: dum contemnitur, proficit: dum læditur, vincit: dum arguitur, intelligit: tunc stat quum superari videtur. [*Virgo.* *in cap. 20. Luc. lib. 9.*] *Vt vinea*, inquit Ambrosius, *dum ligatur erigitur vt reciso non minuitur, sed augetur sic ecclesia dum ligatur, exsurgit: dum humiliatur attollitur: dum recidatur, coronatur.* Meminit etiam scriptura ecclesiæ cuiusdam, quæ vocatur cœtus malignantium: [*Ecclesia malignantium.* *Ps. 25.*] *Odiui ecclesiam malignantium*, ait Dauid: *& cum impiis non sedebo.* Congregationem vtique impiorum, quæ ab initio mundi contra Dei ecclesiam bellum gessit, & gerere non cessat: *iustitiam namque*, teste Cypriano, *ab initio laborat.* Augustinus *lib. 1. in expositione epist. ad Rom.* ecclesiæ, atque synagogæ discrimen posuit: *Ecclesia*, inquit, *ex vocatione appellata est, synagoga vero ex congregatione; conuocari enim magis hominibus congruit: congregari autem magis pecoribus, vnde greges proprie pecorum dici solent.* [*Ecclesia & synagogæ discrimen.*] *Quanquam ergo plerisque scripturarum locis ipsa ecclesia grex Dei, & ouile Dei, & pecus Dei vocetur, tamen cum in comparatione homines pecora dicuntur, ad vitam veterem pertinent. Et appares huiusmodi homines, non cibo sempiternæ veritatis, sed temporalium promissione tanquam terreno pabulo esse contentos.* Et de catechizandis rudibus cap. 1. *Ecclesia est populus Dei, ait, per omnes gentes. quod est corpus eius: adiuncti atque annumerati omnibus sanctis, qui etiam ante aduentum domini in hoc seculo vixerunt; ita enim eum crediderunt esse venturum sicut nos credimus venisse.* Et in Psal. 90. *Ecclesia est corpus Christi, non quæ hoc loco tantum, sed quæ per totum orbem est. nec illa, quæ hoc tempore, sed quæ ab ipso Abel vsque ad eos qui nascituri sunt, vsque ad finem, & credituri in Christum, totus populus sanctorum, ad vnam ciuitatem pertinentium quæ ciuitas corpus est Christi, cui caput est Christus.* [*Ecclesia describitur.*] Item de baptismo contra Donatistas: *Ecclesia, quæ est populus Dei etiam in istius vitæ peregrinatione, antiqua res est, in aliis hominibus habens animalem portionem, in aliis autem spiritualem.* [*Lib. 1. cap. 15.*] Ecclesia, quippe omnes per baptismum parit, siue apud se, id est, ex vtero suo; siue extra se, de semine viri sui; siue de se, siue de ancilla. [*Gen. 16. & 25.*] Prior fuit Ismael, & postea Isaac & prior Esau, posterior autem Iacob non quia prior peperit hæresis, quam ecclesia: aut ecclesia ipsa prius carnales, vel animales, postea vero spirituales; sed quia in ipsa sorte mortalitatis nostræ, ex quo de Adam nascimur, non est prius spirituale, sed quod animale, postea spirituale. [*Cor. 1. 2.*] Ex ipso autem animali sensu, quia homo animalis non percipit, quæ sunt spiritus Dei, omnes dissensiones, & schismata generantur. In quo sensu perseuerantes, Apostolus dicit ad vetus testamentum pertinere, ad terrenorum promissorum cupiditatem. [*Esau. Iacob.*] Esau de vxore natus est, Genes. 25. propter fraternam tamen discordiam, separatus est à populo. Et Aser per vxoris quidem potestatem, ex ancilla natus; propter fraternam nihilominus concordiam, terram repromissionis accepit vnde & Ismaeli, vt separaretur à populo Dei, non obfuit mater ancilla, sed obfuit fraterna discordia: non profuit potestas vxoris, cuius magis filius erat, quia per ipsius iura coniugalia, & in ancilla seminatus erat, & ex ancilla susceptus. [*Ismael. Isaac. Ismaelis separatio.*] Hæc in Genesi habentur. [*Gen. 28. 30. 15.*] Et lib. 5. cap. 25. *Scribitur*, inquit, *a Salomone* cant. 4. [*Ortus.*] *Ortus conclusus, soror mea sponsa, fons signatus, puteus aquæ viuæ paradisus cum fructibus pomorum: hoc intelligere non audeo, nisi in sanctis & iustis: non in peccatoribus, qui habent cum iustis baptismum communem non autem charitatem. Istæ sunt spinæ, in quarum medio est ecclesia sicut lilium.* [*Lilium.*] *Est ergo fons signatus, & ortus conclusus iustis, qui in occulto sunt; quia omnis pulchritudo filiæ regis intrinsecus:* Psal. 44. *In quibus est numerus certus prædestinatus eorum, qui ad cœnam agni venturi sunt.* [*Reprobi.*] *Illa vero multitudo spinarum: siue occultis, siue apertis separationibus, forinsecus adiacet super numerum. Annunciaui*, inquit Psal. 39. *& locutus sum. Multiplicati sunt super numerum. Numerus ergo ille iustorum, de quo Apostolus dicit: Nouit dominus, qui sunt eius: est ortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viuæ paradisus cum fructibus pomorum.* [*2. Tim. 2.* *Puteus.* *Paradisus.*] In expositione illius versiculi Psal. 44. *Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato. Vestitus*, inquit, *istius reginæ pretiosus & varius est. Sacramenta doctrinæ in linguis omnibus variis. Quemodo autem omnis varietas vestis in vnitate concordat; sic & omnes linguas ad vnam fidem in veste ista varietas fit scissura non fit.* [*Regina.*] Ambrosius in Psal. 118. Præuaricantes reputaui. &c. [*Ciuitas.*] *Ciuitas Dei ecclesia est, ecclesia corpus est Christi. Peccat in cœlum, qui cœlestis ciuitatis iura contemnit.* In Hexameron [*Hex. lib. 3. cap. 5.*] [*Mare.*] *Mari plerunque*, ait, *comparatur ecclesia, quæ primo ingredientis populi agmine totis vestibulis vndas vomit: deinde in oratione totius plebis tanquam vndis refluentibus stridet: tum responsoriis psalmorum, tum cantu virorum, ac mulierum, cæterorumque fidelium.* Et cap. 12. eiusdem libri: [*Vitis.*] *Ecclesia viti comparatur, quæ velut quadam fidei radice plantatur, & reprimitur humilitatis propagine. posuit in ea turrim Apostolorum, aliorumque nuntiorum: circumfodit, quando exonerauit terrenarum mole curarum: sed ea vitis, vbi circumfossa fuerit,*

religatur,

De ecclesiæ vnitate. religatur, & erigitur, ne resiccatur in terram. Reciduntur alia sarmenta, alia propagantur. reciduntur, quæ manus effusione luxuriant: propagantur ea, quæ bonus agricola iudicauerit fructuosa. De nomine ergo crateris, hæc dicta sint.

QVÆSTIONIS PRIMÆ

CAP. I.

De vnitate Crateris, siue Ecclesiæ.

Postquam audiuimus nomina crateris, restat nobis videndum, audiendumque pariter, cur vnum tantummodo, & non plures crateres Mercurius posuerit: *Cum impleßet, inquit, craterem mente illa:* vnitatem vtique ecclesiæ commendauit, & mentis similiter. Non enim dixit, impleuit craterem varijs mentibus, sed vna mente; propterea, quia in ecclesia, est vna Dei cognitio, vnus sensus, vna sapientia, denique vnus spiritus fidei. *Sicut,* inquit Apostolus, *in vno corpore multa membra habemus; omnia autem membra, eundem actum non habent; ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Hoc est *diligere Christum,* ait Ambrosius in commentario istius loci, *si inuicem sic membra exhortentur, vt impleant modum, quo corpus in Christo perfectum sit. Exemplo enim corporis nos docet, non posse nos singulos omnia; quia sumus inuicem membra, vt alter alterius non egeat, ac ideo vnum non debet alii obsistere.* *Vnitas Ecclesiæ. Rom. 12. Ambr.*

epist. 49. Augustinus Sicut in vno corpore, &c. *Ac per hoc,* inquit, *nemo poterit esse iustus, quamdiu fuerit ab vnitate huius corporis separatus. Quemadmodum enim membrum, si præcidatur ab hominis viui corpore, non potest tenere spiritum vitæ; sic homo, qui præciditur de Christi iusti corpore, nullo modo potest tenere spiritum iustitiæ; etiamsi figuram membri teneat, quam sumpsit in corpore.* Idem sentit omnino Cyprianus de simplicitate prælatorum. *Cum Deo manere non possunt,* inquit, *qui esse in ecclesia Dei vnanimes noluerunt: ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestiis, animas suas ponant: non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.* Et iterum in eodem libello: *Exordium ecclesiæ ab vnitate proficiscitur, vt ecclesia vna monstretur; quam vnam ecclesiam in cantico canticorum cap. 6. Sp. S. designat.* vna est columba mea: *vnum principem constituit, Petrum scilicet, cui dixit:* Pasce oues meas. *Hanc ecclesiæ vnitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui ecclesiæ renititur, & resistit, in ecclesia se esse confidit? Ecclesia est vna, quæ in multitudine latius incremento fœcunditatis extenditur: quomodo solis multi radij, sed lumen vnum: & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte vno riuuli plurimi defluant, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate; vnitas tamen seruatur in origine. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit. A fonte præcide riuulum, præcisus arescit: sic & ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur. Vna est origo, vna mater fœcunditatis successibus copiosa: illius fœtu nascimur: illius lacte nutrimur: spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta, & pudica: vnam domum nouit: vnius cubilis sanctitatem casto pudore custodit. hæc nos Deo seruat: hæc filios regno, quos generauit, assignat. Quisquis ab ecclesia segregatus, adulteræ iungitur; à promissis ecclesiæ separatur: nec pertinet ad Christi præmia, qui relinquit ecclesiam Christi: alienus est, profanus est, & hostis est. habere iam non potest Deum patrem, qui non habet ecclesiam matrem. Si potuit euadere, qui extra arcam fuit: & qui extra ecclesiam foris fuerit, euadet? Vnitas ecclesiæ ostensa est in tunica Domini, quæ scindi non potuit. E contrario moriente Salomone, futuram regni diuisionem Achias propheta ostendit per indumenti scissuram.* In Ioan. legitur: Erit vnum ouile, & vnus pastor: *quomodo ergo in vno loco poterunt esse plures pastores, aut plures greges?* Paulus ad Cor. *Sitis vnanimes* in eodem sensu. Iosue 2. *Tota domus Raab saluatur.* Exod. 12. *Agnus in vna domo comeditur. Apostolus loquitur ad Ephes. 4. Vnum corpus, vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ: vna est terra, vnus labis, vnus Christus in ea adoratur.* David Psalm. 67. *cecinit: Qui habitare facit vnanimes in domo. Idcirco & in columba venit Spiritus sanctus, simplex animal, & lætum, non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum: hospitia humana diligit, vnius domus consortium noscit; cum generant, simul filios edunt: cum commeant; volatibus inuicem cohærent: communi conuersatione vitam suam degunt: oris osculo, concordiam pacis agnoscunt: legem circa omnia vnanimitatis implent: hæreses, & facta sunt frequenter, & fiunt, dum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans, non tenet ecclesiæ vnitatem.* Et lib. 3. epistolarum, epistola 2. *Ecclesia altera institui non potest: Christi membra discerpi non possunt: vnanimitas ergo, & concordia est seruanda.* Et lib. 4. epist. 2. *Petri cathedram,* quam epist. 8. matricem appellat ecclesiarum, *non rite quis tenebit,* inquit, *nisi is electus fuerit à cæteris episcopis. Vnde quisquis episcopus fieri voluerit, non ex consensione aliorum, foris fiat necesse est; nec habet ecclesiæ ordinationem, qui ecclesiæ non tenet vnitatem; quisquis ille fuerit, profanus est, alienus est, foris est: Christianus ergo non est, qui in Christi ecclesia non est: qui fraternam charitatem, & ecclesiasticam vnitatem non tenet. Vna est ecclesia à Christo per totum mundum, in multa membra diuisa. Item episcopatus vnus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus. Si quis igitur post traditionem, post connexam, & vbicunque coniunctam Catholicæ ecclesiæ vnitatem, humanam conatur ecclesiam facere, & per plurimas ciuitates, nouos Apostolos suos mittere, vt quadam recentia institutionis suæ fundamenta constituat, volens ecclesiastici corporis compaginem, discordiæ suæ seminatione rescindere, schismaticus est, cuius initium est seruere: postmodum vero, incrementa habere non poterit.* Hæc Cyprianus. Clemens epistola prima ad Iacobum fratrem Domini: *Similis est,* inquit, *omnis ecclesiæ status naui magnæ, quæ per vndosum pelagus, de diuersis locis, & regionibus viros portat, ad vnam potentis regni vrbem properare cupientes. Sit ergo huius nauis portus, Dominus ipse omnipotens: gubernator vero sit Christus: ministri ecclesiæ sint boni, & fideles nautæ, & piscatores.* Irenæus. *Vna est domus,* ait, *id est, ecclesia, vnum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sint; sed tamen vna est virtus traditionis in omnibus ecclesiis per orbem constitutis.* Et lib. 3. cap. 40. *Vbi est ecclesia, ibi & spiritus Dei: & vbi spiritus Dei, illic ecclesia, & omnis gratia: spiritus autem est veritas. Quapropter, qui non participant eum, neque à mamillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem: sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis, & de cœno putridam bibunt aquam, foris sunt, profani sunt, inimici Christi sunt.* Tertullianus, de præscriptionibus hæreticorum: *Apostoli,* inquit, *ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt: quibus traducem fidei, & semina doctrinæ commiserunt: cæteræ exinde ecclesiæ multæ sunt, & quotidie mutuantur, vt ecclesiæ fiant; ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputabuntur, vt soboles Apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur, necesse est: proinde tot, ac tantæ ecclesiæ, vnam illam habent ab Apostolis primam. sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem, communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contestatio hospitalitatis, quæ iura non alia ratio regit, quam eiusdem sacramenti vna traditio: non ergo probandi sunt, aut recipiendi prædicatores, nisi quos Christus misserit. Sed vnde poterunt dignosci si vtique eorum prædicatio conformis sit matricibus, & originalibus fidei Christianæ ecclesiis, tenens quod ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli vero à Christo, Christus autem à Deo suscepit. Reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapit contra veritatem ecclesiarum.* Et lib. 1. aduersus Marcionem: *Non alia agnoscenda est traditio Apostolorum, quam quæ hodie apud ipsorum ecclesias editur. Quod si à primordio erant corrupta, quæ erunt integra?* Et lib. 4. *His fere compendiis, ait, vtimur contra hæreticos, qui scripturas nostras negant; quoniam authoritas ecclesiarum, & traditio Apostolorum eas probauit. Id enim verum, quod prius: id prius, quod ab initio: id ab initio, quod ab Apostolis. Pariter vtique, constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum: Ecclesiæ illæ sunt multæ, & vna propter vnius primæ & matricis ecclesiæ Romanæ vnitatem.* Ignatius epist. 5. *Sicut filij lucis,* inquit, *fugite diuisionem vnitatis, ex qua exiit coinquinatio in omnem terram. Vbi ergo erit pastor, illuc sicut oues congregemini. Nolite errare fratres: quicunque separat se ab vnitate, hic regnum Dei non hæreditabit; vna est enim caro Domini Iesu Christi, & vnus eius sanguis, qui pro nobis effusus: vnus etiam panis pro nobis confractus: & vnus calix totius ecclesiæ, & vnus episcopus: quia vnus est pater, vnus filius, & vnus paracletus spiritus, vna prædicatio, vna fides, vnum baptisma, & vna ecclesia, quam fundauerunt sancti Apostoli à finibus vsque ad fines in sanguine Christi propriis sudoribus, & laboribus. & vos oportet tanquam gentem sanctam in concordiam omnes Christi consummari.* Similis sententia habetur prioris epistolæ ad Cor. cap. 10. *Quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus: omnes quidem de vno pane, & de vno calice participamus. Quemadmodum,* inquiunt Chrysost. &

Marginal notes (left column): *Vna columba.* — *Ecclesiæ fœcunditas.* — *Vna mater ecclesia.* — *Arca Noe.* — *Ioan. 10.* — *Tunica Domini* — *Vnū ouile.* — *1. Cor. 1.* — *Domus Raab.* — *Vna domus agni.* — *Vna terra.*

Marginal notes (right column): *De ecclesiæ vnitate.* — *S. S. in columba venit.* — *Matrix ecclesiarū.* — *Vnus episcopatus.* — *Schismatici.* — *Clement.* — *Vna nauis.* — *Irenæus. lib. 1. c. 2.* — *Vnus fons.* — *Tertullianus.* — *Prima ecclesia.* — *Vna traditio.* — *Modus respondendi hæreticis.* — *Ignatius.* — *Vna caro, vnus sanguis.* — *1. Cor. 10.* — *Chrysost.*

De ecclesiæ vnitate. soft. & Theophil *panis vnus è pluribus granis conficitur; sic & nos*
plures cum simus, vnum efficimur Christi corpus. August. lib. 21.
de ciuit. Dei cap. 25. Vnus panis &c. *Qui ergo est in eius corpo-*
August. *ris vnitate, id est, in Christianorum compage membrorum, cuius*
corporis sacramentum fideles communicantes de altari sumere con-
sueuerunt, ipse vere dicendus est manducare corpus Christi. Et epist.
57. Vnus panis &c. *per caput nostrum reconciliamur Deo, quia in*
illo est diuinitas vnigeniti facta particeps mortalitatis nostræ; vt &
nos participes eius immortalitatis essemus. Ambr. in Comm. suo:
Ambros. *Quemadmodum, ait, vnum sumus, alter alterius membra: vnum nos sentire*
debere dicit, vt fides vna, vnum habeat sensum & opus. cap. 12. a-
1. Cor. 12. iusdem epist. huiusmodi ecclesiæ vnitatem commendat.
Varietas membrorum. *Sicut enim, inquit, corpus vnum est, & membra habet multa, om-*
nia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus
sunt. ita & Christus. Etenim in vno spiritu, omnes nos in vnum
corpus baptizati sumus. & post multa vos autem estis corpus Chri-
sti, & membra de membro. Ostendit, ait Ambros. *vnitatem varie-*
tatis effici aeternum, & diuersitatem hanc non discrepare in vnitate po-
testatis: quando corporis vnitas non in singularitate consistit, sed in
multis membris, vt inuicem sibi præstent quod debent: non enim om-
nes possumus eadem, sed singuli pro qualitate fidei, gratiam habemus
concessam. Namquemadmodum, ait Chrysost. & Theophila-
Chrysost. ctus, *corpore, & capite homo vnus efficitur: sic ecclesiam ipsam &*
Christum, tanquam præ corpore, & capite ducens Apostolus, pro ec-
clesia Christum constituit. Itaque hanc ob causam, ecclesiam
Quare vocatur corpus. vnum corpus appellat Apostolus, quod ex multis visibili-
bus constet membris: ne quis commentitiam aliquam esse
dicat, quæ sub hominum aspectum non cadat. Congrega-
tur autem hæc ecclesia, atque viuificatur à Spiritu sancto, à
quo in cordibus credentium charitas diffunditur; vt vnitas
corporis seruetur in vinculo pacis. Vna est ergo Catholica
ecclesia, in qua vna est charitas: vnus spiritus charitatis, vna
prædicatio veritatis. Denique vt dicitur Actor. 4 *Multitudi-*
Cor vnū. Anima vna. *nis credentium, erat cor vnum, & anima vna.* Et reuera, Omnes
per orbem Catholici, vnam veritatis regulam sequuntur:
Ose. 10. non autem omnes hæretici: *diuisum est cor illorum*, ait Oseas.
propterea interibunt In Babelis constructione, linguarum v-
nitas per spiritum superbiæ scissa est. in Ierosolyma per gra-
tiam sancti spiritus, linguarum varietas adunata; nam qui
non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum,
dispergit. Ex his ergo quæ dicta sunt, vnam esse ecclesiam,
patet satis.

CAP. II.

Argumenta contraria.

QVoniam eliquirationibus, authoritatibusue supra
1. positis obuiare contendunt; idcirco illorum argu-
tias adduxi, vt ex illorum solutionibus pateat,
quam vera sit Catholica fides, quæ ecclesiæ vnita-
tem profitetur, atque defendit. *Arguunt* ergo hoc modo: Si
nos sumus corpus Christi; Christus ergo est caput nostrum:
non quidem secundum diuinam naturam; nam vnius sint
naturæ, caput & membra, necesse est, inquit Augustinus in
illud Ioan. 15. *Ego sum vitis vera*: vnius, ait, sunt naturæ vitis,
& palmites: igitur, non est vna eademque ecclesia, quæ
Christi incarnationem præcessit, cum ea, quæ postmodum
secuta est. Quamobrem ipse in carne existens nostra mor-
tali, nouam ecclesiam se ædificaturum promisit supra pe-
tram firmissimam: nondum ergo ecclesia initium habebat
fundamenti. Amplius, Christi ecclesia à Ierosolyma suæ
2. accepit natiuitatis principium: Quoniam *de Sion exibit lex &*
verbum Domini de Ierusalem, ait Isaias 2. quod ab Augustino
contra epistolam Petiliani præclare docetur. Non ergo
ante iacta illius terrenæ ciuitatis fundamenta, Christi ec-
clesia fuisse dicenda est: atque ita à primis hominibus, vs-
que ad nouissimos, non est vna, atque eadem Christi eccle-
sia. Item, veterem Iudæorum ecclesiam destructum iri,
3. scripturæ professæ sunt, Isa. 1. Et derelinquetur filia Sion,
sicut vmbraculum in vinea: & sicut tugurium in cucume-
rario, & sicut ciuitas, quæ vastatur. Et Matth. 23. *Ecce relin-*
quetur domus vestra deserta. Non ergo est vna ecclesia Chri-
sti in Iudæis, & in credentibus ex nationibus gentium. Ad-
de, quod Christus dixerit se omnia noua facturum, noua
mandata, nouam legem, nouos lapides, denique nouam
ecclesiam. Præterea, quæ secundum materiam, atque for-
4. mam ab inuicem separantur; sub vna eademque minime
continentur compage societatis. sed huiusmodi esse digno-
scitur ecclesia Iudæorum, & ecclesia gentium; nam illius
veteris ecclesiæ alia extiterunt membra, alius denique spi-
ritus, timoris scilicet, & non amoris, alia lex, sacerdotium,
cæremoniæ, ritusque celebrandi, sacrificandique, quam De ecclesiæ vnitate.
eius ecclesiæ, quæ nunc est: non ergo vna eademque eccle-
sia. Ad hæc, & similia sic respondere valemus: & ad pri- Soluuntur argumenta.
mum dicimus, Christum esse huius ecclesiæ caput secun-
dum humanam naturam: his autem, qui illius natiuitatem
in carne præcessere, per eundem spiritum fidei & charita- 1.
tis: *Habentes,* ait Apostolus, *eundem spiritum fidei.* Quem enim 2. Cor. 5.
credimus venisse, & vitam præstitisse, illi venturum crede-
bant, atque huiusmodi hominibus salutis opera præstitu-
rum. Cum ergo in vtrisque sit, atque fuerit spiritus amoris,
& fidei; haud dubium quin vnam connectit compagem
corporis ecclesiæ. *Ad illud* de nouæ ecclesiæ promissione di- Noua ecclesia.
ce: nouum ritum, nouamque ecclesiæ conditionem futu-
ram prædixisse, priorem vero minime negasse. Præterea
spiritus nouus dicitur, & lex noua, propter vtrique charita-
tis omnia renouantis causam, quæ temporibus Christi pa-
lam futura erat: cuius gratia & beneficio, destructo veteri
homine cum actibus suis, nouum hominem, iuxta Aposto- a
lum, induimus. denique, vt ipse dicit ad Gal. 6. *Noua creatu-*
ra effecti sumus. Etenim vetus illa lex Iudæorum, in qua erat
spiritus timoris, ad veterem pertinebat hominem: noua
vero ad nouum; vna tamen atque eadem vtriusque tem-
poris ecclesia: vnum caput vtriusque, imo vnius ecclesiæ.
Ad 2. Christi ecclesia à Ierosolyma exordium accepit nati- 2
uitatis, scilicet nouæ conditionis sacramentorum, non au-
tem noui capitis, aut corporis, neque noui spiritus: sed ille
idem, qui priscis illis hominibus pro qualitate temporum
hominumque, timorem immiserat, in nos amorem con-
tulit, vt iam seruitute veteri exuta timoris, in libertate de-
inceps viueremus amoris. *Ad* 3. Non totam ecclesiam Iu- 3.
dæorum repudiandam prædixerat scriptura; sed partem
duntaxat, quæ in sua erat incredulitate remansura: alteram
vero perficiendam consolidandamque, vnus ergo trun-
cus, nouos palmites protulit. *Vineam suam,* ait Dominus *lo-*
cabit aliis agricolis: non dixit plantauit aliam vineam. Paulus Matth. 21.
ad Rom. 11. dicit nos esse insitos: *Cum esses oleaster, insertus es* Rom. 11.
in bonam oliuam. Dauid, *Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti* Psalm. 79.
gentes, & plantasti eam. Domine respice de cælo, perfice vineam istā:
non dixit institue aliam, sed perfice. Patet ergo quomodo
vna sit vinea Domini sabaoth. *Ad* 4. Vnitas ecclesiæ, ab vni- 4.
tate spiritus proficiscitur: quo membra inuicem connexa,
fouentur. vnde quamuis sancti prioris seculi è vita migra-
uerint; remanserunt nihilominus, atque remansura sunt
ecclesiæ membra vsque in finem mundi: *Ecce,* inquit Do-
minus Matth. vlt. *vobiscum sum vsque in finem seculi*: habuit er-
go illa ecclesia alias cæremonias, non tamen aliud caput,
ante cæremoniarum finem. Vna est ergo ecclesia, de qua A-
postolus manifeste loquitur: *Et ipse,* inquit, *quosdam dedit A-* Ephes. 4.
postolos, quosdam doctores, quosdam prophetas, & pastores, ad in-
structionem sanctorum, in opus ministerij, ad ædificationem corporis
Christi, Quia, ait Hieronymus in suo Commentario, *corpus* Hieronym.
Domini ecclesia est, de viuis lapidibus est construenda, vt corpus Chri-
sti ædificent. Et in cap. Isa. 51. *Consolabitur Dominus Sion. Sara*
princeps sterilis, ait Hieronymus, *interpretatur ecclesia, quæ alio no-* Sara.
mine appellatur Sion quam Dominus consolatus est: & posuit de- Sion.
serta eius, quasi paradysum, Et cap. 55. *Lætare sterilis quæ non paris,*
&c. hunc locum Paulus ad Galat. 4. refert ad ecclesiam sub
nomine Saræ, & Isaac, quod prior populus de monte Sion
& Agar seruiat cum filijs suis: sequens autem, liber. Eccle-
sia autem gentium deserta & sterilis appellata, quæ vnum Sterilis.
non habuerat Deum, nec legem acceperat, nec prophetas,
sed iubetur gaudere, propter prolis futuræ multitudinem:
Multi, inquit, filij desertæ magis, quam eius, quæ habebat virum. Deserta.
Sic etiam canit Anna mater Samuelis. *Sterilis peperit septem,* 1. Reg. 2.
& quæ multos habebat filios, infirmata est. Et Psal. 112. *Qui ha-* Psal. 112.
bitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Dilata,
inquit, *locum tentorij tui, quia ad dexteram & leuam penetrabis,*
& semen tuum gentes hæreditabit: de quo semine Matth. 13. lo-
quitur: *Exiit, qui seminat seminare semen suum.* Et Isa. 1. *Nisi* Isa. 1.
Dominus reliquisset nobis semen &c. Hoc de ecclesiæ magnitudine
dicit, quæ pro vno Iudææ loco, & ipso angustissimo, in toto orbe terra-
rum suos terminos dilatauit. Chrysostomus in expositione il- Chrysost.
lius verbi: *In omni loco ipsorum & nostro. Ostendit,* inquit, *in* 1. Cor. 1.
vniuerso orbe, vnam oportere esse ecclesiam, quanquam locis diuisam
pluribus. Nam etsi locis separetur, eam tamen Deus coniungit, cum
omnibus sit communis. Quemadmodum enim qui eodem in loco
sunt, si diuersos habeant dominos, ipsi quoque differunt, nihilque loco- Vna ecclesia.
rum similitudine ad concordiam, dominorum differentia proficiunt;
sic qui diuersis locis absunt, si eundem habeant Dominum, nihil eis
locorum diuersitas obest, cum ab vno in concordiam trahantur. Et in
cap. 4. ad Ephes. *Vnum corpus, vnus spiritus &c. Quid est autem*
vnum

De ecclesiæ vnitate. Vnum corpus. Quid ecclesia.

vnum corpus, inquit: Omnes vbique terrarum fideles, & qui iam sunt, & qui fuerunt, & qui futuri sunt, denique & qui ante Christi aduentum Deo placuerunt, vnum corpus sunt: non est diuisum corpus Spiritus, alioqui corpus non esset; nihil enim aliud est ecclesia, quam ex nostris animabus constructa domus. Non est autem ipsa domus eiusdem honoris in omnibus, sed lapidum ex quibus est perfecta, quidam quidem splendidi sunt, quidam vero minoris gloriæ. sic etiam se habet ecclesia politia, in qua est varietas membrorum. Augustinus epistola contra Petiliani Donatistæ epistolam de ecclesiæ vnitate copiosissime, doctissimeque disputat cap. 2. *Ecclesia vna est* inquit, *quam maiores nostri Catholicam nominauerunt, vt ex ipso nomine ostenderent, quod per totum sit; secundum totum enim catholon dicitur Græce.*

August. Catholica. Caput. Colos.

Hæc autem ecclesia corpus Christi est, sicut Apostolus dicit pro corpore eius quod est ecclesia; vnde etiam manifestum est eum, qui non est in membris Christi, Christianam salutem habere non posse. Membra vero Christi per vnitatis charitatem sibi copulantur: & per eandem capiti cohærent, quod est Christus Iesus. Totum igitur, quod annunciatur de Christo, caput & corpus est, id est, Christus & ecclesia, sponsus & sponsa, duo in carne vna. Quicunque igitur de ipso capite à scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inueniantur, in quibus ecclesia designata est, non sunt in ecclesia. Et rursus, quicunque de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, & vnitati ecclesiæ non communicant, non sunt in ecclesia, quia de Christi corpore, quod est ecclesia, ab ipsius Christi testificatione recedunt.

Corpus. Arca. Bitumen charitatis. Arca Gedeonis. Iud. 6.

Hæc ecclesiæ vnitas per arcam Noe figurata, quæ bitumine ita erat intrinsecus & extrinsecus, ne aquam emitteret suam, aut ne admitteret alienam: per bitumen, violentum gluten, rē feruentissimam, charitas significata est, qua ecclesiæ vnitas connectitur atque conseruatur. Hæc est area Gedeonis, Per aream orbem terrarum intelligimus, locum vero velleris populum Israeliticum. Nouimus illum quondam gentem diuini Sacramenti gratia tanquam cœlesti rore perfusum, cuius muneris per omnem in circuitu gentes, quia eo carebant, tanquam siccitas erat. Erat autem apud illum populū hoc munus in vellere, idem in velamine, & quasi in nube secretum; quia nondum fuerat reuelatum. Nunc autem videmus orbem terrarum iam reuelato rore saginari per euangelium Domini nostri Iesu Christi, illam vero gentem amisso Sacerdotio, tanquam in sicco vellere remansisse.

Semen Abrahæ.

Ad Abraham dictum est Genes. 22. *Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli: & in semine tuo benedicentur omnes tribus terræ.* Apost. ad Gal. 3. dicit in Christo & ecclesia hoc fuisse impletum: & in semine tuo, qui est Christus, in quo benedicendæ erant omnes gentes. De hoc semine locutus Dominus ad Isaac, *Tibi, & semini tuo dabo terram hanc*: Et ad Iacob. *Noli timere, terram in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo. Et erit semen tuum sicut arena terræ, & multiplicabitur supra mare, & in Aphricum, & in Aquilonem, & in Orientem. Ecce ego sum tecum in omni via tua, & non derelinquam te, donec faciam omnia quæ locutus sum.*

Gen. 26. Gen. 28.

Isaia 11. Radix Iessæ.

De hac ecclesiæ vnitate atque multitudine cecinit. *Et erit in die illa radix Iesse, & qui exurget principium habere in nationes. & in eum gentes sperabunt.* Radix Iesse Christus Dominus secundum carnem. Et cap. 27. *Germinabit & florescet Israel, & replebitur orbis terrarum fructu eius.* Et cap. 41. *Ego Deus primus, & in his quæ aduenient ego sum. Viderunt gentes, & timuerunt fines terræ.* Et 42 *In nomine eius gentes sperabunt.* Et 49. *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad fines terræ; vt possideas hæreditatem desertis. Ecce isti à longinquo venient: hi ab oriente ab aquilone & mari; alij autem ex terra Persarum. Exulta cœlum, & in lætitia esto terra: Emittant montes iucunditatem, quoniam misertus est Deus populi sui, & humiles populi sui allocutus est.* Et subdit, *in breui ædificaberis ab his, à quibus euersa es.* hoc autem de ecclesia gentium intelligi debere 2. Cor. cap 6. aperte docet Apostolus. *In tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te.* Et 51. ca. *Audite populus meus, quoniam lex à me prodiet, & iudicium meum in lucem gentibus: & in brachio meo gentes salabuntur*: de quo brachio, id est, Christo cap. 53. sic loquitur: *Et brachium Domini cui reuelatum est,* Et cap. 54. *Lætare sterilis quæ non paris &c.* Hæreditas Christi ecclesia eius est, cuius multi sunt filij, propterea cap 54. dicit: *Dilata locum tabernaculi tui. Adhuc in dexteram & sinistram extende, & semen tuum gentes possidebit, & ciuitates desertas inhabitabit.* Iussa est extendere funiculos suos, donec Deus eius Israel vniuersæ terræ vocetur. Et cap. 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam &c.* Et subdit. *Et eris diadema regni in manu Dei tui, & iam non vocaberis derelicta, & terra tua non vocabitur deserta: sed vocaberis voluntas mea, & terra tua orbis terrarum.* Ex his ergo huius Prophetæ testimonijs, quæ nam sit ecclesiæ vnitas, & latitudo, patet satis.

Lux gentium. Templum acceptabile. Brachiū. Diadema regni.

Adsunt quoque testimonia Dauidica, quæ ecclesiæ vnitatem mirifice commendant. *Postula à me,* inquit, *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Hæreditas Christi, ecclesia est, quæ quia bonos & malos intra eadem retia erat habitura, propterea ei dicitur: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Eadem quippe firma & inflexibilis iustitia boni reguntur, mali conteruntur. Psal. 21. *Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ: & adorabunt in conspectu eius, vniuersæ patriæ gentium.* 21.

De ecclesiæ vnitate. Hæreditas. Psal. 2.

Nonne Apostolus ad Rom. 10. de prædicatoribus noui testamenti dictum exposuit, quod scriptum est: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum?* 18.
Psal. 49. *Deus deorum locutus est. & vocauit terram, à solis ortu* 49.
vsque ad occasum ex Sion species decoris eius. Psal. 56. *Exaltare su-* 56.
per cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua. Et vnde gloria eius super omnē terram: nisi quia ecclesia eius per omnem 71.
terram? Psal 71. *Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* A flumine vtique, vbi eū S.S. in columbæ specie, & vox de cœlo manifestauit. Sequitur, *& replebitur gloria eius omnis terra.* Psalm. 44. *Astitit regina* 44.
à dextris tuis: id est ecclesia, *vario vestimentorum ornatu circumamicta,* hoc est, ecclesia, quæ vario gentium ordine conditioneque vestitur.

Osea. Dotes ecclesiæ.

Oseas cap. 2 *Sponsabo te mihi, inquit, in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide.* Perpetuæ igitur dotes ecclesiæ sunt, Spiritus sancti magisterium, iudicium, iustitia, fides, atque authoritas. August. epist. 120. de gratia noui testamenti exponens illum Psal. 21. versiculum: *Et de manu canis vnicam meam. Nihil aptius, inquit, quam vnica ecclesia mihi videtur intelligi: eandem vero appellauit vnicam, non ratione, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantem.* *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ cantabo te. Hæc est vera Catholica, quæ toto orbe copiosa diffunditur, quæ vsque ad vltimas gentes (crescendo) porrigitur.* Et in Psal. 141. *Propter vnitatem ecclesiæ, ait, vna est ecclesia, vna columba mea, vna est matris suæ; propter congregationes vero fraternas, per loca multæ sunt ecclesiæ.* Et in Psal. 33. *A leonibus vnicam meam, id est, ecclesiam meam à sæuientibus potestatibus.* Vnde sequitur: *Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo graui laudabo te. Plane in ecclesia multa confitebor tibi, in populo graui laudabo te. Fit enim confessio in omni multitudine; sed non in omnibus Deus laudatur; in ista enim multitudine, id est, in ecclesia, quæ toto orbe terrarum diffusa est, palea est & triticum, palea volat, frumenta manent, quod populus grauis dicitur, ie quo & Deus laudatur: in palea vero blasphematur.* Quod ergo vna sit ecclesia Dei toto orbe terrarum diffusa, ex sacris scripturis, atque doctoribus, manifestum esse puto.

Vnica mea. Vna, & multæ ecclesiæ. Psal. 33.

CAP. III.

Vnum esse caput Ecclesiæ.

Capitis necessitas. Ephes. 4.

Ecclesiæ vnitas, sine vnius capitis vnitate consistere nequit, quemadmodum docet Apostolus. *Veritatem, inquit, facientes in charitate, crescamus in ipsum per omnia, qui est caput, nempe Christus:* propterea de capite istius crateris, huius ecclesiæ disputare constitui. Sequitur Apostolus: *Ex quo capite totum corpus coaptatum, & compactum, per omnem commissuram subministrationis, iuxta vniuscuiusque membri admensuratum actum, incrementum corporis facit, in ædificationem sui in charitate.* Quemadmodum, inquit, Chrysost. *spiritus ille sensibilis, qui ex cerebro per neruos in corpus descendit, non simpliciter omnibus, omnia tradit, sed iuxta cuiusque membri analogiam; ita & Christus, eius prouidentia charismatum administratio in membra sibi cohærentibus fit.* Spiritus, inquam, ille vitalis, iuxta cuiusque captum subministratus, incrementum facit, vnde si manus fuerit à corpore diuulsa, spiritus à cerebro descendens, inueniēsque eam extra corpus, ad illā viuificandam non egreditur, ita & hic, nisi charitate colligati fuerimus, spiritus subministrationem non capiemus. Nec sufficit esse vnitum corpori; sed oportet & proprium locum obtinere, vtpote, qui nec vnitus esse queas, nec spiritum accipere, si loco cesseris. Quemadmodū enim in corpore organa sunt necessariorum capacia, ita sunt & in spiritu, omni radicatio supernis existente, vtpote organum spiritus cor, & sanguinis iecur, splen fellis, & alia aliorum. Omnia vero ista, à cerebro causam habent; ita & Deus, hominē honore afficiens, causam ipsam per seipsum administrans, cooperatores sibi constituit. ipse vero vitam administrat, &

Chrysost. Politia corporis. Organum spiritus.

Christus caput ecclesiae.

mundum. Praeclare docet Apostol. ecclesiam à suo capite, à Christo videlicet, & motum habere, & vitam. Ad Ephes. 1. *Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet.* Omnem ecclesiam dicens, ait Ambrosius, *summatim totum comprehendit, quod in caelo est, & in terra, ut in nouum hominem membratim efficiantur: omnes confitentur hunc esse per quem facta à Deo sunt. Subijciuntur autem illi, quasi capiti membra, ex quo trahunt originem, ut omnia in omnibus adimpleantur.* Cum enim regressa ad confessionem vnius Dei, flectentes genu Christo, adimplentur in omnibus, ut sint omnia; quia ab ipso sunt, ac per hoc ipse in eis est, qui a virtute eius subsistunt: recedentes autem à Deo, euacuare illum videntur. Ad Colos. 1. *Et ipse est caput corporis ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis.*

Christus caput ecclesiae. Ephes. 1. Ambr.

August. August. de agone Christiano: *Quamuis, inquit, eadem natura sit, corporis ecclesiae, multum tamen distare inter caput & membra caetera, quis non intelligat? si enim ecclesiae caput est homo ille, cuius susceptione verbum caro factum est, & habitauit in nobis, membra caetera sunt omnes sancti, quibus perficitur, & completur ecclesia.* Totus Christus, id est, caput & corpus praedicatur, etenim caput & corpus vnus Christus: non quia sine corpore non est integer; sed quia & nobiscum integer esse dignatus est. Quomodo autem corpus eius nos, si non & nobiscum vnus Christus? Isa. 61. loquitur. *Velut sponsam induit me ornamento. & velut sponsae alligauit mihi mitram.* Eundem dicit sponsum secundum caput, & sponsam secundum corpus. Duo videntur, & vnus est. Ab Abel iusto, vsque in finem mundi, omnes iusti, vnum corpus Christi sunt; Apost. 1. Cor. 12. *Vos estis corpus Christi, & membra de membro:* & ipse caput corporis ecclesiae; quae erit completa in fine mundi ciuitas regis magni: modo vero peregrinatur in terris.

Membra ecclesiae. Sponsus & sponsa.

Proprietates capitis. Tres autem capitis in homine conditiones, seu proprietates enumerantur: Vna quidem naturae, cum reliquis membris affinitas, atque conformitas; licet situs altitudine, sensuum, 1. operationumque eminentia, membris caeteris antecellat; etenim in capite quinque sensus intrinseci, atque totidem extrinseci vigent, omnisque organorum, neruorum, at- 2. que sensuum principatus. Altera conditio est eiusdem, quod in vnoquoque caput sit principium, atque animalium virium origo: à quo caeteris membris motus praestatur & sensus.

Cor principium vitae. Nam etsi in animali, vitalis virtutis principium, vitaeque radix, cor esse dicatur: à quo in caetera membra, vita, spiritusue deriuentur vitales: vnde, secundum quorundam sententiam, primum, quod in animali viuit, & quod postremo moritur, cor sit; caput nihilominus praestantissimum est membrorum, ac caelo proximum, ob sensuum rationem, quae in eo viget, denique propter dominium, quod exercet in vitam à corde manantem; est enim caput principium virtutis sentiendi, atque mouendi, omnium sensuum initium, neruorumque motionis voluntariae.

Officium capitis. Vltima conditio capitis est, qua illius officium cognoscitur. Est autem capitis, suis in operationibus, caetera dirigere membra, idque propter sensus, & vires cognitiuas, quae in ipso maxime dominantur. Porro huiusmodi conditiones excellentissimo modo Christo capiti ecclesiae aptari possunt; nam & eiusdem fuit naturae (peccato duntaxat excepto) cum membris sui corporis; & omnium gratiam donorum, non ad mensuram accepit: denique ipsius merito, ecclesiae membra reguntur, & viuunt.

Lib. de agone Christ. c. 20. *Quomodo ergo,* inquit Augustinus, *anima totum corpus nostrum animat, & viuificat, sed in capite & videndo sentit, & audiendo, & odorando, & gustando, & tangendo: in caeteris autem membris tangendo tantum; & ideo capiti subiecta sunt ad operandum: illud autem supra collatum est ad consulendum; quia ipsius animae quae consulit corpori, quodam modo personam sustinet caput, ibi enim omnes sensus apparent, sic in vniuerso populo sanctorum, tanquam vni corpori caput, est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Et propterea sapientia Dei, & verbum per quod facta sunt omnia non sic assumpsit illum hominem, ut caeteros sanctos, sed multo excellentius: quoniam ipsum solum assumi oportuit, in quo sapientia Dei patris hominibus appareret, sicut eam visibiliter decebat ostendi. Quapropter aliter sunt sapientes caeteri homines, & aliter ille vnus mediator Dei & hominum: qui sapientiae ipsius, per quam sapientes fiunt quicunque homines, non solum beneficium habet, sed & personam gerit.* Haec Augustinus.

Caput uno-bilium.

Sapientia Christi hominum.

Differentia capitis corporalis & spiritualis. Verum inter spirituale caput, & corporale magni interest: Et primum quidem, quia Christus secundum humanam naturam, non opus habet ministerio suorum membrorum, aut alimentis, vnde vitam tueatur: caput vero corporale, vitam mutuat à membris suis, ut puta à corde, ab epate, à stomacho. Item, sua non interest, ut membrum faciat de non membro: Christus vero quod prius non erat membrum viuum, ob peccati labem labefactum, & corruptum, remotum, sui sanguinis pretio, huiusmodi sorde peccati in vitam reuocauit. Itaque Christus caput est ecclesiae, secundum formam serui, in qua sunt duo in carne vna; *Sacramentum hoc magnum est,* ait Apostolus, *dico in Christo, & ecclesia:* propter vnitatem etiam spiritus, à quo totum corpus viuificatur & regitur.

Christus caput ecclesiae. Ephes. 5.

Mittam, inquit, *ad vos spiritum veritatis, ut vobiscum maneat, quem mundus non videt, nec potest accipere:* siquidem Christi merito, in nos dilapsus est: *Spiritus,* ait Ioan. 7. *non erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* *Ioan. 14. 7.* *Nullum maius donum,* inquit Aug. *potuit Deus praestare hominibus, quam ut verbum suum, per quod omnia condidit, faceret illis caput, & illos tanquam membra sibi coaptaret, ut vnus Deus & homo Iesus Christus esset, qui & oraret pro nobis, & oraret in nobis, & oraretur à nobis. Oraret quidem in nobis, ut caput nostrum: oraret autem pro nobis, ut Sacerdos, & pontifex animarum nostrarum: oraretur à nobis, ut Deus noster.*

Aliae rationes capitis. Amplius, quemadmodum ecclesia corpus Christi mysticum dicitur; ita etiam & Christus corporis eiusdem caput mystica ratione nominatur, ordine quidem, perfectione, atque virtute; caput enim est pars animalis superior: proinde quodlibet principium, caput vocari consueuit: perfectionem autem, propter eam, quae superius dicta est rationem: virtute, quia virtus & motus in membra à capite descendit. Itaque Christus caput est ecclesiae, ordine, propterea quod in eo gratiae donum praeeminet: *Plenum gratiae,* est Ioan. 1. *& veritatis,* à quo omnes gratiam accepimus.

Gratia capitis.

Quos praesciuit, ait Paulus, *hos & praedestinauit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* *Rom. 8.* perfectione, quia donorum perfectione caeteris praestat membris ecclesiae: virtute autem ob virtutem influendi in reliqua membra. Quamobrem, cum corpus humanum, naturalem ad suam animam, formam, & motricem eiusdem, ordinem habeat, & quatenus est huiusmodi, vitam & caeteras proprietates ab ea recipiat: influxus ergo capitis non solum in animam hominis, sed etiam in corpus redundabit. *Qui suscitauit,* inquit, *Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum sanctum in nobis.* *Rom. 8.* Et ad Phil. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.* *Phil. 3.*

Caput omnium hominum. Dicitur praeterea Christus caput omnium hominum, *Ipse,* inquit, *est saluator omnium hominum, maxime fidelium:* *1 Tim. 4.* Et primae epist. Ioan. cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis, & non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi,* quae omnia Christo capiti sunt tribuenda. igitur est caput omnium hominum. Hoc autem interest inter corpus hominis naturale, & corpus Christi mysticum, quod corporis naturalis membra, omnia simul esse, sit necessarium; ut compagem, atque structuram corporis complere valeant: membra autem corporis mystici: neque quoad esse naturae, neque quoad esse gratiae, pro praesentis vitae conditione, ut simul sint, necesse est; nisi post resurrectionis tempus, quando tota simul erit ecclesia, non habens maculam, neque rugam: sed gloriosa permanebit.

Membra in actu.

Quam ob causam mystici corporis membra, non tantum actum, verum & potentiam respiciunt. Propterea quaedam sunt in potentia, quae nunquam erunt in actu: quaedam vero ad actum tandem deuenient, fide primum, deinde charitate, quae est praesentis temporis: postremo, perfecta, atque absoluta patriae fruitione. Christus ergo est caput omnium hominum secundum diuersos gradus hominum atque temporum, & eorum qui potentia sunt illius membra, & qui fide, & charitate ei adhaerent: denique & illorum, qui aeternae societatis bonis potiuntur, & gaudent.

Colos. 2. Caput angelorum. Chrys. Hier. Est praeterea caput angelorum, authore Apostolo. *Qui est,* inquit, *caput omnis principatus, & potestatis,* id est, omnium supremus, causa, & author, ait Chrysostomus, non autem consubstantialis. Hieronymus exponens illud Apostoli ad Ephes. 4. ut adimpleret omnia: *Descendit ad inferiora terrae,* ait, *& ascendit super omnes caelos filius Dei, ut non tantum legem prophetasque compleret, sed & alias quasdam occultas dispensationes quas solus ipse nouit cum patre. Neque enim scire possumus, quomodo & angelis, & his qui in inferno erant sanguis Christi profuerit, & tamen quin profuerit, nescire non possumus.* Si itaque angelis profuit sanguis Christi: est ergo illorum caput, non naturae conformitate; sed redemptionis virtute.

Sanguis Christi profuit Angelis.

Etenim quemadmodum diximus, beatam Dei matrem, pretioso filij sui sanguine fuisse redemptam, nobilissimo utique redemptionis modo; propterea quod illius merito praeseruata fuerit ab omni labe peccati; sic etiam fateri possumus cum Hieronymo, sanguinem Christi, angelis profuisse, quod illius virtute, draconis pugnam vicerint, atque omnis peccati labe immunes euaserint. Non ergo ut efficiens causa tantum gratiae, verum etiam, ut meritoria, Christus Dominus caput est, & hominibus & Angelis. Ad vnum praeterea finem, diuinae scilicet fruitionis gloriam, angeli atque homines ordinantur, quorum omnium caput Christus dicitur; quia nimirum dona gratiae, cumulatius, abundantiusque caeteris omnibus acceperit: vnde ex eius plenitudine, & homines accipiunt,

Omnes acceperunt gratiam à Christo.

& an-

& angeli. Omnes, inquit Ioan. 1. de plenitudine eius accepimus. Paul. dicit Christum esse constitutum à Deo in cœlestibus, super omnem principatum, & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Filius Dei, ait Ambrosius in suo commentario, homo factus super omnes cælos esse dicitur & super omnem creaturem sedere ad dexteram Dei, habens nomen Dei per naturam, non per adoptionem, honor enim quem dedit illi pater per generationem, tunc manifestatus est, cum natus homo ... à morte resurrexit, ascenderet, unde descenderat, super omnes cælos. Et omnia subiecit sub pedibus eius: Patrem dicit filio omnem creaturam subiecisse, vt qui omnia per ipsum fecit, ipse omnium caput sit & Dominus. Est ergo Christus caput angelorum, non quidem naturæ conformitate, sed redemptionis virtute, & gratiæ præeminentia: non solum gratiæ vnionis; sed etiam singularis personæ; sicut docet Ioan. 3. Non, inquit, datus est illi spiritus ad mensuram. Sed dicet aliquis: angeli Christo homini nequaquam sunt subiecti, non quidem gratiæ, aut naturæ ratione; nam quatenus est homo, eiusdem est nobiscum speciei: & proinde inferior angelorum natura: quod vero ad gratiæ rationem spectat; angelis quoque minor esse conspicitur. nam pro proportione naturalium, angelis gratia præstatur. sed illa maior est in natura angelica, quam in natura humana: nullo ergo modo angeli Christo homini videntur esse subiecti. Resp. angelos, tum ratione diuinæ vnionis, tum etiam gratiæ singularis personæ, Christo homini esse subiectos. Et cum dicitur, angelos accepisse gratiam secundum proportionem naturalium, sicque, quibus dignior erat natura, maiorem gratiam adhibitam, seu præstitam fuisse. Dico, hoc veritatem habere in proportione naturalium, quæ angeli habent à diuinitate: nam pro vniuscuiusque proportione, facta est donorum gratiæ distributio, non autem si ad Christi humanam naturam conferantur, quando quidem Christo homini non est gratia concessa, ... conatu, conuersione ad Deum, sed ab instanti suæ incarnationis, accepit omnem gratiæ plenitudinem pro mensura voluntatis diuinæ, atque ipsius animæ obedientiali potentia. gratia ergo in Christo abundantior est, atque copiosior, quam in qualibet alia creatura. Omnia ergo subiecta sunt Christo homini, ratione quidem voluntatis; quanto enim aliqua natura creata Deo est proximior, tanto vtique est sublimior: ac proinde, quæ illa sunt natura inferiore, ei subiecta sint, necesse est. sed natura humana in Christo est huiusmodi. omnia ergo sunt ei subiecta, præter eum, qui subiecit sibi omnia. Nunc, inquit August. ita est, quod natura humana in Christo, est propinquior, quam natura aliqua angelica: quia coniuncta est ipsi Deo non solum per vnionem operationis, sicut ipsi angeli, sed secundum esse hypostaticum, quia in vnitate suppositi. Natura ergo angelica est Christo homini subiecta. Amplius, actiones sunt suppositorum, (inquit philosophus) ideo licet humana natura in Christo passionis certamen gesserit; meritum tamen erat suppositi diuini: proinde quando dicitur caput, & redemptor, non humanæ tantum, sed etiam diuinæ est actio consideranda naturæ: solus enim homo vincere mortem, ac peccatorum abolitionem facere non poterat: nec etiam solus Deus mortis subire supplicium. propterea optimus est mediator, quia vtriusque naturæ operationes exercuit. Adde, quod in Christo homine est maior gratia, igitur maior excellentiæ imperandi. Omnia ergo subiecta sunt pedibus eius.

CAP. IV.

Argumenta contraria.

Contra supradicta posset quispiam sic arguere: Caput in homine est particulare membrum, adminiculo indigens cæterorum membrorum. et Christus est caput vniuersale non ergo recte dicitur caput ecclesiæ. Sane, capitis non est aliud caput, alioqui processus esset in infinitum. sed Christi hominis (authore Apost.) Deus caput est, non est ergo ipse caput. Adde, quod capitis interest, in membra sensum & motum influere. Sensus autem, & motus spiritualis influxus, ad Christum hominem non spectat, teste August. lib. de Trinit. igitur propriè caput ecclesiæ dici non potest.
2. Amplius, si Christus est caput ecclesiæ propter donorum influxum in membra sui corporis: non ergo est caput hominum, quoad ipsorum corpora, propterea quod illorum non participia sunt donorum: alioqui (quod nefas est dicere) brutorum caput dici posset, corporibus enim, brutis similes sumus.
3. Denique, à sancta virgine suum corpus accepit. sed caput inter cætera membra, primum obtinet locum: non ergo, quoad corpore humana, caput est hominum. Amplius, caput relationem habet, ad sui corporis membra: Christus ergo non est caput omnium hominum. Tenet conseq. infideles enim sunt membra ecclesiæ. Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare? cum ergo infideles sint extra ecclesiam, authore Apostolo; sub Christo capite minime continentur. Adde illud Apostoli Christus, inquit, se tradidit pro ecclesia, vt exhiberet sibi gloriosam ecclesiam, non habentem rugam, neque maculam, aut aliquid huiusmodi. sed infideles omnes, incredulitatis tabe sunt labefacti, & maculati; plurimi etiam fidelium, vitiorum labe coinquinantur: non omnium ergo hominum Christus est caput. Postremo, non videtur eorum esse caput, qui in veteri lege, Deo seruierunt; nam illi exemplari, & vmbræ deseruiebant cœlestium: ad Hebr. Vetus enim lex ita refertur ad Christum, sicut vmbra ad corpus, sic enim docet Apost. Quæ sunt vmbra futurorum. Corpus autem Christi est veritas vmbrarum. ergo quod prius. Item, caput, & corpus sunt eiusdem naturæ, vt iam dictum est. sed Christus quoad humanam naturam, est paulo minoratus ab angelis vnde Apost. clamat. Minuisti eum paulo minus ab angelis & iterum. Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Non ergo est caput angelorum. Reuera illorum Christus est caput, qui in numero membrorum sui corporis habentur. sed angeli non sunt in numero membrorum ecclesiæ. quæ ecclesia est congregatio fidelium; fides autem non est in angelis quippe, qui non per fidem, sed per speciem ambulant, alioqui peregrinarentur à Domino, vt ergo ait Apostolus, ergo. Adde illud Augustini super Ioan. Sicut, inquit, verbum, quod erat in principio apud patrem, viuificat animas, ita verbum caro factum, viuificat corpora, quibus carent angeli. sed verbum caro, est Christus, quatenus est homo, non ergo influit vitam in angelos, ac consequenter, non est caput angelorum. Respond. ad primum, atque dico, capitis spiritualis, atque corporalis non easdem esse rationes omnino, sicut dictum est. propterea argumentum non concludit. Ad confirm. ideo naturalis capitis non est aliud caput, quia corpus humanum non est pars alterius corporis: non sic autem res se habet in capite mystico. Nam, quemadmodum multitudo domesticæ est pars multitudinis ciuilis, ac propterea paterfamilias, domesticæ caput multitudinis, aliud supra se caput habet, rectorem ciuitatis scilicet; sic etiam nihil prohibet, caput Christi esse Deum, ipso nihilominus capitis ecclesiæ officio fungente. Ad confirm. Christus meruit suis membris gratiam; non autem creat, vt homo, sed vt Deus: & hoc intellexit Augustinus. Patet ergo quomodo sit caput ecclesiæ. Ad 2. dico. Spiritualis gratiæ sensum, non primo, sed secundario in corpora beatorum descendere. Ad confirm. negetur similitudo; non enim corpus bruti aliquam ad animam habet rationalem habitudinem, quam habet & corpus humanum. Ad aliam confirm quamuis corporis dominici materia ex beata matre sumpta sit, vitam tamen immortalem, & animabus, & corporibus beatorum ipse promeruit: Sicut, inquit Apostolus. in Adam omnes moriuntur. ita & in Christo omnes viuificabuntur. Ad 3. Etsi infideles non sint actu ecclesiæ membra; sunt tamen potentia, quæ quidem potentia, Christi virtutem intuetur; quæ potens est omnibus præstare virtutem salutis, & vitæ, & saluandorum etiam arbitrii libertatem Ad confirm Pauli sententia de ecclesiæ futuri, non præsentis sæculi est intelligenda. Ad aliam confirm. Patres veteris legis habebant eundem spiritum fidei, sicut & nos; propterea sacramentis legalibus, veluti vmbris, non autem rebus veris vacabant: ex quo patet, membra esse Christi, capitis corporis sui, quæ est ecclesia. Ad 4. Christi influentia in homines, in eorum animas præcipue tendit: quarum respectu, in naturæ genere, homines cognationem, affinitatemque cum Angelis habent: quam ob causam huius ratione conformitatis, caput angelorum Christus dicitur; licet desit conformitas illa, quæ corpora intuetur humana. Ad confirm. Ecclesia pro statu huius vitæ, est congregatio viatorum fidelium pro statu vero patriæ, est congregatio comprehendensium: cum autem Christus, & viator extiterit, & comprehensor; recte, & caput hominum dicitur, & angelorum. Ad confirm. Dico Augustinum locutum fuisse secundum quandam similitudinem causæ ad effectum: qualiter scilicet res corporalis agit in corpus, & spiritualis in spiritum. humanitas nihilominus Christi, ex spiritualis naturæ virtute, personalis vtique vnionis, & in homines habet virtutem, & in angelos etiam gratiæ influendæ Ex his ergo, quæ dicta sunt, Christum esse caput ecclesiæ, patet.

Christus ca. ecclesiæ. — 1. Cor. 6. — Ephe. 5. — Hebr. 8. — Colos. 2. — 4. — Heb. 2. — 1. Cor. 5. — Soluuntur argumenta. 1. — 2. — 1. Cor. 4. — 3. — 4. — Christus caput angelorum. — August. — Omnia Christo homini subiecta.

Quod diuina essentia videatur ab intelle humano.

eam, quæ in hominibus intelligitur singularem, nempe propter electorum numerum adimplendum. Denique, ne quis diceret, in propagandis filiis nullum esse peccatum. Plantæ vero, quia nullum habent propagandæ prolis affectum: ac sine vllo prorsus sensu generant, iccirco indigne habitæ sunt, quibus huiusmodi benedictionis gratia esset impartienda. Ad *confir.* quoniam generatio vnius est corruptio alterius: primæ rerum institutioni animalia, non repugnat, ex ignobilium corruptione, nobiliora generari. Quam ob causam, quæ ex inanimatarum corruptione rerum, seu plantarum prodeunt, tunc gigni potuisse, nullum sequitur absurdum: non autem, quæ ex animalium corruptione, nisi potentialiter tantum. Ad aliam patet solutio.

Benedictio quibus datur animalibus.

MERCVRIVS.

Homo effectus est diuini operis contemplator, quod profecto dum admiraretur, authorem eius agnouit.

Commentum VI.

CAP. I.

De hominis dignitate, in principio tertii Pymandri nonnulla locuti sumus, & in primo Pymandri, quomodo ab humano intellectu percipi possit. Quia vero iterum Mercurius de eadem re disserit; ideo aliquid addere placuit. *Homo effectus est*, inquit, post elementorum ornatum, animantiumque mirificam productionem, de hominis creatione, natura, proprietateque disputat: *Factus est*, inquit, *homo, diuini opera contemplator*. nam ad hunc finem conditus est, vt suum cognoscat, & amet opificem, quod profecto ex diuinorum operum contemplatione, paulatim assequitur; etenim ex his, quæ facta sunt, suum potest intelligere creatorem. Hoc idem Dial. 5. clarissime ostendit: *Deus*, inquit, *per omnia, & in omnibus fulget, & iis præsertim apparet, quibus notitiam sui communicare voluit*. Et iterum: *Deus per singulas mundi partes vbique splendet, atque adeo se notum præstat, vt non intelligi modo, sed manibus etiam ipsis (vt ita dixerim) liceat attrectare. nam vndique nostris oculis eius obuersatur, seque, & insculcat imago*. Et reuera, vnumquodque cognoscitur, quatenus est in actu. sed Deus est purus actus absque omni prorsus permixtione potentiæ: Deus ergo quantum ad se spectat, est maxime cognoscibilis. verum, quod ita se habet, alicui interdum est difficile cognitu, propterea quod excedit capacitatem intelligentis, sicut lumen solis, vespertilionis intuendi virtutem. Quam ob causam, diuinam essentiam ab intellectu humano videri non posse, quidam affirmarunt. Verum, cum vltima hominis beatitudo, in altissima eiusdem operatione, nempe in operatione intellectus, consistat: si ab intellectu humano diuina essentia nunquam esset videnda; alterum duorum sequi, necesse esset. aut ab alio, quam Deo, suam beatitudinem, hominem esse accepturum: aut nunquam beatum fore: quorum vtrumque falsum esse, omnibus constare puto. siquidem ille est vltima hominis perfectio, Deus scilicet, qui est homini principium essendi; vnumquodq; enim tum perfectum appellamus, cum suum principium attigerit. Amplius, naturale inest homini desiderium causæ cognoscendæ, cum effectum intuetur, ex quo admiratio in hominibus consurgit. si igitur rationalis creaturæ intellectus, ad primam causam attingere non posset: inane ergo profecto homini à Deo desiderium tributum fuisse diceremus; quod nefas est de Deo sentire; Deus enim & natura nihil ociose agunt: Deus ergo à homine cognosci potest. Cæterum visioni tum sensibili, tum etiam intellectuali duo sunt necessaria: quorum alterum, virtus visiua est. alterum vero vnio rei visæ cum ipso visu; non enim fieri potest visio in actu, nisi quia res visa fit quodammodo in vidente. Porro, in rebus corporalibus, rem visam non esse in vidente per suam essentiam, sed per suam tantum similitudinem, patet ad sensum: siquidem similitudo lapidis est in oculo, vnde fit visio in actu, non autem ipsa substantia lapidis. Quod si vna eademque esset res, quæ & principium virtutis visiuæ, & res visa existeret; hauddubium, quin necesse esset, ab eadem re, & virtutem videndi, & formam, per quam videre posset, habere videntem. Deum autem constat, intellectiuæ virtutis esse authorem, & ab intellectu humano posse videri. Quoniam vero, virtus intelligendi in creatura rationali, non est Dei essentia; reliquum est, vt aliqua sit participata ipsius similitudo, qui est primus intellectus. Quamobrem virtus intellectualis creaturæ, est quoddam lumen intelligibile, à prima quasi luce profluens: siue id de naturali virtute, siue de aliqua gratiæ, seu gloriæ perfectione superaddita, intelligere volueris. Itaque, vt Deus videri possit ab humano intellectu, opus habet Dei similitudine, qua intellectus idoneus redditur, vt Deum intueri possit. Verum, nulla rei visæ similitudo inueniri potest, per quam Dei essentia ab intellectu humano videri possit: etenim, per inferioris ordinis similitudines (authore Dionysio 1. cap. de diu. no.) superiora nullo modo cognosci possunt. Nam si incorporeæ essentia rei per corporis speciem inueniri non potest; quomodo per speciem rei creatæ videri poterit essentia creatoris? Amplius, Dei essentia, est eiusdem esse, quod nulli profecto formæ creatæ competere potest: aliqua ergo eiusmodi forma, Dei similitudinem exprimere nequit. Item, diuina essentia est aliquod incircumscriptum, quidquid potest significari, aut percipi ab intellectu humano, supereminenter continens. Sed id per aliquam repræsentari speciem creatam nequaquam potest, quippe cum omnis forma creata, secundum aliquam sapientiæ, seu virtutis, aut ipsius esse, vel alicuius huiusmodi sit determinata rationem. Quare, velle asserere, per huiusmodi similitudinem Deum videri posse; perinde est, ac si quis diceret, Dei essentiam nunquam videri, quod est falsum, atque impium. Vt igitur Deus videri possit ab intellectu creaturæ rationalis; opus est potentiæ visiuæ lumine diuinæ gloriæ, sicut dicit psalm. 35. In lumine tuo videbimus lumen: quo quidem lumine potentia huiusmodi adiuta, & confortata, Dei admiratur atque contemplatur essentiam: non ergo per aliquam similitudinem creatam, Dei essentia videri potest, à qua, vt in se est, exprimi, repræsentarique possit. Ex quo patet, non suis quidem naturalibus, sed Dei gratia, diuinam essentiam ab intellectu creato videri posse: *Gratia Dei*, inquit Apostolus: *vita æterna*. Sed vita æterna in diuinæ essentiæ visione consistit: *Hæc*, inquit Christus: *est vita æterna; vt cognoscant te Deum solum, & quem misisti Iesum Christum*. ergo, &c. Et reuera cognitio contingit quatenus cognitum est in cognoscente: cognitum vero est in cognoscente pro modo cognoscentis: cuiuslibet vero cognitio cognoscentis, sequitur modum suæ naturæ. si igitur modus essendi alicuius rei cognitæ, excedat modum naturæ cognoscentis; profecto illius rei cognitio, naturam superabit cognoscentis. Est autem multiplex modus essendi rerum. Quædam enim sunt, quarum natura non habet esse, nisi in hac materia indiuiduali, cuiusmodi sunt corporalia omnia: quædam vero, quarum naturæ per se subsistunt, non quidem in materia aliqua: neque ob id tamen sunt suum esse, sed potius esse habentes: in istarum autem numero, angeli haberi possunt: soli autem Deo conuenit, vt sit suum esse subsistens: Ea igitur, quæ in materia indiuiduali tantummodo esse habent, à nobis naturaliter cognoscuntur; propterea quod anima nostra, qua res cognoscimus, est forma alicuius materiæ. Insunt autem animæ duæ virtutes cognoscitiuæ: quarum aliqua est actus alicuius corporei organi, cui insitum est à natura; vt res, quæ sunt in materia indiuiduali, ab ea cognosci possint: vnde sensus, non nisi singularia cognoscit. altera vero, est intellectus, qui non est actus alicuius organi corporalis: quapropter per intellectum insita est nobis virtus cognoscendarum naturarum quæ etsi non habeant esse, nisi in materia indiuiduali; non ob id tamen, quatenus sunt in materia indiuiduali, sed quatenus abstrahuntur per intellectus considerationem intelliguntur. Ex quo patet, secundum intellectum, huiusmodi res à nobis cognosci, & quidem in vniuersali, quod quidem sensus vincit facultatem. Porro, intellectui angelico connaturale est, vt naturas cognoscat, quæ non existunt in materia, quod plane animæ humanæ in hisce inferioribus commoranti conuenire nequit. Non potest ergo intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi quatenus per suam gratiam, intellectui se coniunxerit creato; quia scilicet non est suum esse subsistens, sed per participationem subsistit. Igitur, intellectus tantummodo diuinus naturaliter intelligit, atque comprehendit diuinam essentiam. Itaque, vt dixi, intellectus rationalis lumine creato indiget, vt diuinam essentiam intueri possit: Omne enim, quod ad aliquid intelligendum promouetur, à quo naturæ intelligentis vires superantur, aliqua certe dispositione aptandum est, quæ illius naturam superet. Quemadmodum si aer formam ignis est induc-

Deus cognoscitur ex operibus.

Rationes.

Deus est beatitudo hominum.

Visioni duo necessaria.

Similitudo rei visæ.

Quod diuina essentia videatur ab intellectu humano.

Dei similitudo in rebus corporeis non inuenitur.

2.

3.

Lumen diuinæ gloriæ.

Rom. 6.

Visio Dei est per gratiam.

Ioan. 17.

Modus essendi rerum multiplex.

Duæ virtutes cognoscitiuæ.

Lumen creatum necessarium visioni.

Quod diui. essentia videa. ab intel. humano.
Apoc. 21.
1. Ioan. 3.

duendus; aliqua profecto opus habet dispositione, qua idoneus sit, ad huiusmodi formam recipiendam. Intellectus ergo creatus, cum in infinitum à diuina essentia superetur; supernaturali vtique indiget dispositione, qua in tantam euehi possit sublimitatem intelligendi. Porro, huiusmodi dispositionem, siue illuminatiuæ virtutis augmentum, intellectus illuminationem appellamus, sicuti & ipsum intelligibile lumen, siue lux nominatur: *Claritas Dei*, inquit Ioan. *illuminabit eam*, nempe ciuitatem, cuius incolæ Deum clara visione intuentur. vnde & Deiformes efficiuntur. *Cum apparuerit*, inquit Ioan. *simi. lis ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Videntium vero Deum per essentiam, vnus alio perfectius videbit, quod quidem non continget ob aliquam Dei similitudinem in vno magis, quam in alio perfectius existentem: quandoquidem illa visio, per huiusmodi similitudinem futura non sit, sed potius ob diuersam virtutem, facultatemque videntium. qua quidem facultas Dei videndi, intellectui accidit creato, non quidem per suam ipsius naturam, sed per lumen gloriæ, quo intellectus in quadam Deiformitate constitutus, aptior est, qui diuinam intueri essentiam valeat perfectius cæteris. Quo igitur aliquis intellectus maius lumen assequutus est gloriæ, eo profecto maiorem facultatem habet Dei videndi. illi autem maior huius luminis claritas tribuitur, cui copiosius inest donum charitatis; vbi enim maior est charitas; ibi proculdubio maius inuenitur desiderium. at desiderium, ad desiderati susceptionem, aptum paratumque reddit desiderantem: qui ergo plus charitatis habuerit; cæteris perfectius, beatiusque Deum intuebitur. vnde, quamuis omnes beati Deum sint visuri; nemo tamen illorum, Deum comprehendere poterit: quemadmodum clarissime à Ieremia docetur, 32. *Fortissime*, inquit, *magne, potens, dominus exercituum nomen tibi: magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* nec propterea beati non erunt, quandoquidem, Deum videre clare, & non ænigmatice, perfecta sit intellectus creati beatitudo. Sane, illud comprehendi dicimus, quod perfecte cognoscitur; perfecte autem cognoscitur, quando tantum cognoscitur, quantum est

Diuersus modus videntium Deum.

Intellectus non comprehendit Deum.

Quid sit comprehendere.

1. cognoscibile, siue cognosci potest. Quamobrem, si, quod est demonstratiue cognoscibile, opinione teneatur; ex aliqua ratione probabili concepta, minime comprehendi dixerim. at nullus intellectus creatus, cum perfecte intelligendi modum assequi potest, vt quantum est Deus intelligibilis, & cognoscibilis, ab eo intelligatur, & cognoscatur; est enim infinite talis; intellectus autem creatus, finitus: ab intellectu ergo creato Deus comprehendi non potest; vnumquodque enim est cognoscibile, secundum quod
2. est ens in actu. sed Deus est ens actu infinitum: ergo quod
3. prius. Item, intellectus, Deum intelligit virtute luminis creati & finiti: non ergo comprehendere potest Deum, qui est infinite cognoscibilis. Ex quo patet, quod videns Deum per essentiam, non videat omnia, quæ sunt in Deo; sic enim aliqua videntur, quatenus sunt in ipso: omnia autem sunt in Deo, sicuti effectus virtute in sua causa consistunt. patet autem, eo plures effectus videndos in causa, quo perfectius quis causam intellexerit: ille igitur intellectus, omnes causæ effectus percipere poterit, qui causam ipsam totaliter comprehenderit. at nullus intellectus creatus (vt dixi) Deum comprehendere potest: nullus ergo huiusmodi intellectus, Deum videndo, omnia quæ Deus facit, vel facere potest, valet cognoscere; perinde enim esset, ac si Deum comprehenderet. Vnusquisque igitur pro suæ charitatis, luminisque mensura, Deum magis, minusque cognoscit. Sane, idem manens semper idem, (quoad se pertinet) facit semper idem: in aliquo ergo gradu causa cognita, tum in esse, tum etiam in cognosci, manens eadem omnino semper facit idem. Vt ergo aliquem effectum magis cognosci faciat, quem prius non fecerat a principio; fieri non potest: proinde plurium effectuum notitiam parere nequit, sine sui mutatione. atqui in esse nó mutatur: mutatur ergo in cognosci, & quidem in maius. Ex quo satis manifestum est, plura in causa videre, aliud esse nihil, quam perfectius eam videre, siue cognoscere: alioqui plura in eo videre, esset effectus sine causa. Etenim si perfectior modus causam videndi, huiusmodi causa non est: aliqua ergo alia noua dispositio, huius effectus causa erit: sed in esse, vel cognosci, illam dispositionem fingere, nulli profecto facile erit. Cæterum, quæ videntur in Deo ab his, qui diuinam essentiam intuentur, per aliquas certe similitudines nequaquam ea contemplantur: nam sicut Deus non videtur per aliquam similitudinem, sed per suam essentiam. nec ergo similiter ea, quæ in Deo videntur. vident ergo omnia in Deo per essentiam diuinam, illorum intellectui vnitam atque coniunctam. Etenim vnumquodque cognoscitur, quatenus ipsius similitudo est in cognoscente quod certe bifariam contingit. Cum enim quæcunque vni, & eidem sunt similia, sibi inuicem similia sint; virtus vtique cognoscitiua, ad aliquod cognoscibile, duplicem habet comparationem, siue similitudinem: Alteram quidem, qua directe eius similitudine informatur, sicq; illud secundum se cognosci dicitur: Alteram vero, qua informatur specie alicuius, quod est ei simile: atque ita dicitur res cognosci non in seipsa, sed in suo simili: alia est ergo cognitio, qua cognoscitur aliquis homo in seipso. & alia, qua cognoscitur in sua imagine. Itaque, cum res cognoscuntur per earum similitudines, quæ in cognoscente existunt; perinde est, ac si in seipsis, seu in propriis naturis cognoscerentur. sed in Deo cognoscuntur per earum similitudines, quæ in Deo existunt, & hæ quidem non sunt aliud, quam diuina essentia: igitur per solam essentiam diuinam, intellectui videntium præsentem, & Deum vident beati, & ea quæ sunt in Deo. Vident autem omnia simul, teste Augustino, vltim. de Trin. *Non erunt*, inquit, *volubiles nostræ cogitationes ab aliis in alia euntes, sed omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus.* Et reuera, quæ videntur in verbo, non successiue, sed simul videntur: nam ideo nos simul multa intelligere nequimus, quia multa per diuersas species intelligimus. diuersis autem speciebus, vt per eas vnius intellectus intelligat, simul informari non potest. quemadmodum nec vnum, atque idem corpus diuersis figuris figurari. Verum quando aliqua multa, vna specie intelligi possunt, proculdubio simul intelliguntur: sicut multæ partes vna specie totius; cum omnia quæ videntur in Deo, per vnam Dei essentiam, & non per diuersas partes, aut similitudines videantur: simul ergo, & non successiue, quæ vident beati, in Deo contemplantur. Quomodo ergo beati videant Deum, & quid in eo videant, & modus videndi qualis sit, dixi satis.

Videns Deum non videt omnia.

In causa videntur effectus.

Res non videntur in Deo per similitudines.

De vidēdo Deo.

Virtus cognoscitiua duobus modis dicitur.

Vident in Deo omnia simul.

CAP. II.

Argumenta contraria.

Quod non possit cognosci.

Posset aliquis *contra* prædicta sic *arguere*: Quod est creabilis naturæ, non potest videre illud, cuius natura est increabilis, teste Chrysost. in illud Ioan. *Deum nemo vidit vnquam: Ipsam*, inquit, *quod est Deum, non solum Prophetæ, sed nec angeli viderunt, nec archangeli.* Et Dionysius Areopagita loquens de Deo, dicit: *Neque sensus est eius, neque phantasia, neque opinio, neque ratio, neque scientia*: Deus ergo ab intellectu humano cognosci non potest. Sane, omne infinitum, quatenus est infinitum, est ignotum. sed Deus est infinitus, vt in aliis libris dictum est: est ergo intellectui ignotus humano atque creato. Amplius, intellectus creati virtus cognoscendi circa existentia versatur: ens enim primo cadit in apprehensionem intellectus. sed Deus, authore Dionysio, non est existens, sed supra existentia: non ergo ab intellectu creato percipi potest; supra huiusmodi intellectum est enim. Sane, cognoscentis ad cognitum aliqua debet esse proportio; cognitum namque est perfectio cognoscentis. sed nulla potest esse intellectus creati, ad Deum increatum proportio, quia finiti ad infinitum nulla est proportio: ergo quod prius. Item, intellectus creatus non desiderat naturaliter videre Dei essentiam; natura enim non præstat alicui inclinationem ad aliquod habendum, ad quod propria virtute pertingere nequit: cuius signum est, quia cuilibet potentiæ, quam intus in anima posuit, extrinseca organa dederit. Vnde 2. coeli philosophus dicit: Quod si astra haberent vim progressiuam, natura dedisset eis organa opportuna. Implicat igitur visionis diuinæ desiderium, homini a natura fuisse tributum: virtutem autem id assequendi minime. Itaque Deus, in quantum est causa rerum, videri desideratur, non autem secundum suam substantiam: sicq; vt gubernator atq; creator a nobis sciri potest, non autem quid sit omnino. Desideramus enim ex primo motu scire, quid sit illa substantia, vt primus motor: & huiusmodi conditionibus sic notis acquiescit desiderium: ergo, &c. Item, Dei essentia per aliquam similitudinem ab intellectu creato cognosci potest, ergo, &c. Patet per illud Ioan. *Similes ei erimus & videbimus eum sicuti est.* *Cum Deum nouimus*, ait Augustinus *fit aliqua similitudo Dei in nobis.* Denique intellectus in actu. est intelligibile in actu: sicut sensus in actu, est sensibile in actu: quod certe fit per rei sensibilis similitudinē, quam sensus induit: similiter ergo se habet intellectus ad rem intellectam. Igitur, si Deus ab intellectu creato videtur in actu, per aliquā vtiq; similitudinē, videatur necesse est. Præterea, vnumquodq; videtur, dū illius speculum

1.
1 de diuin. nom.

2.

3.

Quod per similitudines cognoscatur.

4.

De Trinit. 9.

Quod sint naturales.

5.

De videndo Deo. *4. de diuin. nom.*

percipitur. sed angelus, teste Dionysio est purissimum speculum, totam, si fas est dicere, suscipiens Dei pulchritudinem: igitur, per sua naturalia; & seipsum videt, & Deum. Sane quod est maxime visibile, propter nostri visus corporalis, seu intellectualis debilitatem; fit nobis minus visibile. sed intellectus angelicus non subit huiusmodi defectum.
6. at Deus est maxime intelligibilis: ab intellectu ergo angeli per sua intelligitur naturalia. nam si alia intelligit hoc modo: multo ergo magis ipsum Deum, qui est maxime intelligibilis. Item, quemadmodum sensus corporeus par non est, qui incorpoream substantiam percipere queat, neque ad id erigi vllo modo potest; ita plane, si intellectus creatus, Deum naturali virtute videre non potest, Deum nunquam intelliget, atque videbit, etiamsi multa gloriæ lumina habuerit;

Quod non indigeat lumine creato.

Amplius, quod suapte natura est lucidum in rebus sensibilibus, alio non indiget lumine, vt videri valeat: nec ergo in intelligibilibus nam par in vtrisque videtur esse conditio sed Deus est lux vera: non ergo eget alio lumi-
7. ne, vt videri possit. Profecto quod est creatum, nihil prohibet quin alicui rei possit esse naturale. Quare si per aliquod lumen creatum, Dei essentia videri potest. poterit ergo illud lumen, alicui esse naturale creaturæ. atque ita absque aliquo alio lumine, Deus ab intellectu creato posset videri, quod plane theologis non probatur. ergo quod prius. Item, vnus non videt Deum perfectius

1. Ioan. 3. *Quod vnus perfectius altero non videat.*

altero. nam *videbimus Deum sicuti est*. teste Ioan. sed ipse vno modo est. ergo vno modo videbitur ab omnibus. Suffragatur nobis August. *Vnam rem*, inquit, *non potest vnus alio plus intelligere*. sed omnes videntes Deum per essentiam, intelligunt Dei essentiam; intellectu enim, non sensu videtur Deus: videntium ergo diuinam essentiam, v-
8. nus non videt clarius altero. Adde, quod aliquid perfectius ab vno, quam ab altero videatur, ex duobus contingere potest: aut certe ex parte obiecti visibilis aut ex parte potentiæ videntis. Ex parte autem obiecti, quando obiectum perfectius in vidente recipitur, secundum vtique perfectiorem similitudinem, quod in proposito locum non habet, Deus enim non per similitudinem, sed per suam essentiam est præsens intellectui, suam ipsius essentiam intuenti: ex parte ergo potentiæ intellectiuæ, id proueniet: sed tunc sequeretur, quod cuius intellectiua potentia naturaliter est sublimior, Deum clarius videre posset. quod plane sacræ scripturæ minime congruit, æqualitatem angelorum omnibus ex æquo pollicenti: ergo quod

Lib. 83. quæst.

Quod Deus comprehendatur.

prius. Amplius, videntes diuinam essentiam, ipsam etiam comprehendunt: Dicit enim Apostolus: *Sequor si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum & ad Corint. 1. 9. Sic*
9. *currite, vt comprehendatis*. Potest ergo ab humano intellectu comprehendi. Sic etiam docet Augustinus de videndo Deo: *illud*, inquit, *comprehenditur, quod ita totum videtur, vt nihil eius lateat videntem*. sed Deus est summe simplex: à quocunque ergo videtur per essentiam, comprehenditur. Si *dixeris*, videtur totus, sed non totaliter, contra. Totaliter, vel dicit modum videntis, vel modum rei visæ. sed qui videt Deum per essentiam, videt eum totaliter, quoad spectat ad modum rei visæ; quia nimirum videt eum sicuti est. Similiter ex parte modi videntis, quia tota virtute intellectus, Deum videt. Quilibet ergo videns Deum per essentiam, totaliter videt, ac consequenter comprehendit. Præterea videntes Deum per essentiam,

Phil. 3.

Quod in Deo videant omnia.

10. omnia in Deo vident. *Quid est*, inquit Gregorius 4. Dialog. *quod non videant, qui videntem omnia vident?* sed Deus videt omnia: ergo qui videt Deum, videt omnia. Sane, quicunque videt speculum; & ea, quæ in speculo splendent, videt. sed omnia quæ sunt, aut fieri possunt, in Deo, velut in quodam lucidissimo speculo resplendent: quisquis ergo Deum videt, omnia quæ sunt, videt, & quæ fieri possunt à Deo. Reuera, qui intelligit id, quod est maius vt dicitur 3. de anima, potest & intelligere minima, sed omnia quæ Deus facit, vel facere potest, sunt minus quam eius essentia: quicunque ergo Deum sic intelligit, potest intelligere omnia quæ Deus fecit, & facere potest.

Quod videat per similitudines.

Adde, quod rationalis creatura, omnia naturaliter scire desiderat. Si igitur videndo Deum, non omnia videat, non satiabitur eius desiderium: atque ita videndo Deum, non erit perfecte beata, beatitudo enim est omnium ap-
11. petituum perfecta quies. omnia ergo videt in Deo. Item omnis cognitio est per assimilationem cognoscentis ad cognitum; sic enim intellectus in actu, fit intellectum in actu, & visus in actu, sensibile in actu, in quantum eius induit similitudinem, sicut & pupilla similitudinem coloris. si igitur intellectus videntis Deum per essentiam, in Deo aliquas creaturas intelligat; earum profecto similitudinibus informabitur. Ea præterea, quæ prius videmus, recoaci memoria retinemus. sed quæ vidit Paulus in raptu, nempe diuinam essentiam, teste Augustino 12. de geneer. memoria retinuit: *Audiui*, inquit, *arcana verba, quæ non licet homini loqui*, aliquæ ergo earum quas viderat rerum similitudines Paulinæ memoriæ insiderunt. Pari quoque ratione, quando Dei præsentiam cernebat, eorum quæ in ipsa intelligebatur, aliquas habebat species seu similitudines. ergo quod prius. Amplius, quod non videant omnia simul in Deo. *Contingit*, inquit Philosophus, *multa scire intelligere vero vnum*. sed ea, quæ videntur in Deo; intelliguntur; intellectu enim videtur Deus. non ergo contingit à videntibus Deum, simul multa videre. Adde, quod Deus mouet creaturam spiritualem, teste Augustino per tempus, id est, per intelligentiam; & affectionem. sed creatura spiritualis est Angelus, qui Deum intuetur: Videntes ergo Deum, successiue intelligunt; & afficiuntur; tempus enim est successio motus. Hæc & similia dici possunt contra ea, quæ superius annotata sunt, ad quæ omnia ordinate respondere disposui.

De videndo Deo. *Visio Pauli in raptu. 2. Cor. 12.*

Quod non videant omnia simul in Deo.

12. *8. super gen.*

CAP. III.

Soluuntur Argumenta.

AD *primum* dico, vtramque authoritatem de visione comprehensiua fuisse locutam, quod patet ex verbis Dionysii immediate sequentibus: *Omnibus*, inquit, *ipse est vniuersaliter incomprehensibilis*. Et Chrysostomus, *Notionem hic dico, certissimam patris considerationem, & tantam comprehensionem, quantam pater habet de filio*. Ad 1.
confirmationem. Duplex est infinitum, alterum quidem ex parte materiæ imperfectæ, quod necesse est ignorari: quandoquidem omnis cognitio per formam habeatur. Alterum vero ex parte formæ, quæ nullo materiæ limite clauditur: & huiusmodi est maxime notum. Sic autem Deus est infinitus, non autem primo modo: propterea argumenti illius ratio non militat contra nostrum propositum. Ad
2. Non sic Deus dicitur non existens, quasi nullo modo sit existens; sed quia est supra omne existens, quatenus est suum esse. Ex quo non licet inferre, nullo modo posse cognosci; sed potius quod omnem excedat creati intellectus intelligendi facultatem, quod est, ipsum non posse comprehendi. Ad *confirmationem*, Proportio bifariam dicitur, vno quidem modo, certa vnius quantitatis ad alteram habitudo: secundum quem profecto modum, duplum, triplum, & æquale, sunt proportionis species: alia vero modo, quælibet habitudo vnius ad alterum: atque ita potest esse creaturæ proportio ad Deum; quatenus se habet ad ipsum, vt effectus ad causam, & potentia ad actum. hoc autem modo intellectus creatus proportionem habet ad Deum cognoscendum. Ad 3. creatura rationalis bifariam intelligi potest: vno quidem modo absolute: altero vero, quatenus ordinem habet, ad perpetuam felicitatem habendam. si primo modo consideretur, illius naturale desiderium, non superat naturæ terminum: atque ita illa ratio, locum habet. secus autem res se habet, si secundo modo intelligatur; nam sic Dei visionem, in qua vltima illius perfectio consistit, naturaliter appetit. Nec natura in hoc est auaritiæ crimine labefactanda, quasi non dederit homini organa, quibus suum vltimum finem assequi posset: præstitit enim intellectum, & voluntatem, quibus & suum finem posset intelligere, & amare pariter atque frui. Quam ob causam mirari non debemus, si inquietum sit cor nostrum donec in Deo, requieuerit, quia nimirum ipse est quies nostra. Ad 4. illa authoritas intelligenda est de similitudine, quæ habetur per luminis gloriæ participationem. Augustinus præterea de cognitione Dei, quæ habetur in via, loquitur. *Ad aliam confirmat*. Diuina essentia est ipsum esse: vnde, quemadmodum aliæ formæ intelligibiles, quæ non sunt suum esse, intellectui vniuntur secundum aliquod esse, quo intellectus ab ipsis informatur, redditurque in actu; ita plane diuina essentia intellectui vnitur angelico, atque humano, vt per seipsam faciat illum actu intelligere. Non ergo opus est aliqua alia similitudine. Cæterum, quamuis essentia diuina in genere entium, id est, in essendo, nullius forma esse possit; in genere tamen intelligibilium potest esse forma intellectus creati, propterea, quod est ipsa veritas, quæ est actualitas intellectus. Ad 5. Ille modus cognoscendi Deum, est angelo connaturalis, vt scilicet per similitudinem in ipso angelo refulgentem Deũ cognoscat

Duplex infinitum, & quomodo est ignotum.

2.

Duplex proportio.

3.

Organa beatitudinis.

4.

Essentia diuina est forma intellectus.

5.

De vi-dendo Deo.
gnoscat, sed per aliquam similitudinem creatam Dei es-
sentia, vt dictum est, cognosci non potest: non ergo an-
gelus per sua naturalia Deum videre potest. Ad *confirm.*
illa ratio valet negatiue: non autem priuatiue, non enim
eo caret, quod habere debet; sed Deo comparatus, illa de-
est illi dignitatis excellentia, quæ in Deo inuenitur. Ad
6. 6. Negatur similitudo. nam sensus, visus, quia omnino ma-
terialis est, ad aliquod immateriale minime erigi potest:
intellectus vero creaturæ rationalis, quia suapte natura
aliquo modo est à materia liber; propterea gratia fulful-
tus diuina, supra naturæ suæ terminos erigitur; vt diui-
nam essentiam intueri valeat. Reuera, quod in concreto,
siue in hac materia à visu cognoscitur, seu videtur, in abs-
tracto, hoc est, sine materia particulari conspici nequit. At
Differentia sensus, & intellectus.
quod ab intellectu in concreto cognoscitur, in abstracto
consideratur. Itaque etsi intellectus noster, & angelicus,
res cognoscat in materia formam habentes; compositum
tamen in vtrumque resoluit, formamque per se specula-
tur. Eodem quoque modo intellectus angelicus, licet con-
naturale sit ei, esse concretum aliqua in natura cognoscere;
per intellectum tamen ipsum secernere valet, dum se à suo
esse distinguit. Cum igitur intellectus creatus ex sua natu-
ra, per cuiusdam resolutionis modum, formam concre-
tam, atque esse concretum, aptitudinem habeat apprehen-
dendi: poterit ergo erigi, eleuarique per Dei gratiam, vt
substantiam separatam subsistentem, & esse similiter tale
7. cognoscat, & intelligat. Ad 7. lumine creato eget poten-
tia, diuinam essentiam intuentis, quo potens, atque ido-
nea reddatur ad Dei visionem percipiendam, sicut poten-
tia fit potentior ad operandum per habitum. Ad confir-
mat. lumen illud non est necessarium ad videndam Dei es-
sentiam, quasi similitudo, in qua Deus videndus sit; sed
potius quasi quædam intellectus perfectio, ipsum confor-
tans, vt Deum videre possit. Est ergo medium, sub quo,
non autem in quo Deus videtur: quod plane immedia-
tam Dei visionem non aufert. Ad *confirm.* lumen gloriæ, a-
licui non potest esse naturale creaturæ, nisi esset naturæ di-
uinæ, quod fieri non potest; siquidem per huiusmodi lu-
8. men Deiformis efficitur creatura. Ad 8. Illud aduerbi-
um, sicuti est, ex parte rei visæ determinat modum visio-
nis; quasi diceret, Videbimus Deum sicuti est, id est, ita es-
se, sicuti est, quia ipsius esse videbimus, quæ est eius essen-
tia. Non autem determinat modum visionis ex parte vi-
dentis, vt sit sensus: Ita perfectus erit modus videndi, sic-
ut in Deo est perfectus modus essendi. Ex hoc patet solu-
tio ad confirmationem: Cum enim dicitur rem vnam non
perfectius ab vno, quam ab alio intelligi, si ad modum rei
intellectæ referatur, veritatem habet; siquidem quicun-
que aliter rem intelligit, quam sit, non vere intelligit: non
autem si referatur ad modum intelligendi; intelligere e-
Diuersitas videndi.
nim vnius, est perfectius intelligere alterius. *Ad aliam con-*
firmat. Diuersitas videndi ex parte obiecti non erit. eadem
enim omnibus videnda offeretur Dei essentia: nec ex di-
uersa obiecti participatione per differentes similitudines;
sed potius ex diuersa intelligentium facultate, non qui-
9. dem naturali, sed gratuita. Ad 9. comprehensio bifariam
dicitur: Vno quidem modo proprie, quatenus aliquid
includitur in comprehendente; & sic nullo modo Deus
comprehenditur. nec intellectiue, nec alio aliquo mo-
do: cum enim sit infinitus, nullo clauditur finito, vt eum
Comprehensio duplex.
infinite capiat; & sic de comprehensione nulla est quæstio.
Alio modo largius accipitur, quatenus comprehensio in-
secutioni opponitur. Qui enim aliquem attingit, cum iam
manibus apprehendit, ipsum comprehendisse dicitur. hoc
autem modo, Deum à beatis comprehendi, scriptura com-
memorat: Tenui eum, inquit Salomon Cant. 3. nec dimit-
Tres dotes animæ.
tam: sicque intelligendæ sunt Apostoli authoritates. Hu-
iusmodi vero comprehensio vna est ex tribus dotibus ani-
mæ, quæ spei respondet, sicut visio fidei, & fruitio chari-
tati: etenim apud nos non omne quod videtur, iam tene-
tur; multa siquidem interdum longe posita videmus, &
plurima etiam, quæ non sunt in nostra posita potestate:
neque iterum omnibus, quæ sunt in nostra potestate,
fruimur, quippe qui non his delectamur, propterea quod
nostrum desiderium non impleant, & quietent. Verum
hæc tria habent in Deo beati; quia nimirum & Deum vi-
dent, & videndo tenent; quia semper vident, & tenentes
fruuntur, sicuti vltimo fine, à quo illorum desiderium com-
pletur. Ad *confirm.* Non ideo Deus inuisibilis dicitur, quasi
aliquid eius sit, quod videri non possit; sed potius, quia
non ita perfecte videtur, sicut est visibilis. Vnde Augusti-
nus ait, totum comprehenditur videndo, quod ita vide-
tur, vt nihil eius lateat videntem. Ad *confirm.* Totaliter di-
cit modum obiecti, non quidem ita, vt totus modus obie- *De videndo Deo.*
cti sub cognitionem non cadat; sed quia modus obiecti,
non est modus cognoscentis. Qui igitur Deum videt per
essentiam, quod infinite existat, & sit cognoscibilis, videt:
cui tamen modus infinitus ei non competit, vt scilicet i-
pse infinite cognoscat. Ad *decimam*, dico Gregorium de ob- 10.
iecti sufficientia fuisse locutum, quod scilicet Deus, quan-
tum ad se spectat, sufficienter contineat, & demonstret o-
mnia. Ex quo tamen non sequitur, vnumquemque Deum
videntem cognoscere omnia, propterea quod non perfe-
cte Deum comprehendat. Ad *confirm.* speculum intuenti
non opus habet, vt omnia quæ sunt in speculo intueatur,
nisi ipsum speculum suo visu perfecte comprehenderit. *Ad*
aliam *confirmat.* licet maius sit videre Deum, quam alia o-
mnia; maius tamen est, sic Deum videre, vt omnia etiam in
eo cognoscantur quam pauciora: multa autem in Deo co-
gnoscere, ex diuersa videntium pendere dixi facultate. *Ad*
aliam *confirm.* Inest rationali creaturæ naturale desiderium *Naturale desiderium.*
cognoscendi ea, quæ ad intellectus perfectionem attinent,
& hæc quidem sunt species, & genera rerum, earumque ra-
tiones, quæ à quolibet videbuntur, qui diuinam intue-
tur essentiam. Cognoscere autem alia singularia, vt po-
te hominum cogitationes, & similia, ad creati intellectus
perfectionem non spectat. nec ad hoc naturale illius desi-
derium tendit. Nec iterum cognoscere illa, quæ nondum
sunt; sed fieri possunt à Deo. Proinde si solus Deus videre- *Deus replet naturale desiderium.*
tur, qui est fons, & principium totius esse, & veritatis, ita
sane, naturale repleret desiderium sciendi, vt nihil aliud
quærere auderet aut vellet. Hæc certe ab Augustino 5. *conf.*
clarissime docentur: *Infelix homo*, inquit, *qui scit omnia illa,*
scilicet creaturas? *te autem nescit. Beatus autem qui te scit,* *Obiectiones.*
etiamsi illa nesciat; qui vero te, & illa nouit, non propter illa beatior
erit, sed propter te solum beatus. Sed *dicet aliquis*: Deo inest infini- 1.
tas intensiua, quæ est ratio, quare in Deo sunt omnia: Ad
huius autem cognitionem seu visionem, non sequitur
comprehensio Dei: nec ergo ad omnium quæ in Deo sunt
visionem. Item, cognoscens vnum effectum in verbo, 2.
non comprehendit illum, nec etiam verbum, quatenus est
causa illius: igitur cognoscens omnes effectus, nec Deum,
nec effectus comprehendit. *Respon.* aliqui atque dicunt: Ma- *Solutio.*
iorem primi argumenti non esse veram, quia non seruatur 1.
idem ordo; visio enim causæ infert visionem formaliter
existentium in ea, quæ clare patent, non autem visionem
contentorum virtualiter, quæ latent in essentia diuina,
quorum visio comprehensionem Dei sequitur. Ad 2. Ali- 2.
quem effectum comprehendere, dupliciter potest intelli-
gi: vno quidem modo, vt cognoscatur secundum omnia
possibilia per potentiam in eo existentem, & sic negant, vi-
dentem lapidem in verbo ab eo comprehendi non posse:
alio modo, vt ipsum cognoscat secundum omnia etiam
possibilia, etiam quomodolibet: siue per potentiam in se,
siue in alio; & sic negatur vltima consequentia; quoniam
aliquis & aliquis effectus, non sunt adæquatum obiectum
diuinæ potentiæ. Peccat ergo argumentum ab inæquali
ad æquale arguens. Ad 11. Creatus intellectus Deum vi- 11.
dentis, rebus assimilatur, quæ videntur in Deo, quatenus
diuinæ vnitur essentiæ, in qua omnium rerum similitudi-
nes præexistunt. Ad *confirm.* Aliquæ sunt potentiæ cogno-
scitiuæ, quæ ex speciebus primo conceptis, alias formare
queunt. sic imaginatio, ex præconceptis montis, & auri spe-
ciebus, montis aurei format simulacrum: Et intellectus *Similitudines in mente Pauli.*
ex præconceptis generis, & differentiæ speciebus, format
rationem speciei. similiter ex imaginis similitudine, eius in
nobis similitudo formatur. Sic ergo Paulus, ex diuinæ es-
sentiæ visione, earum accepit similitudines rerum, quas in
diuina intuitus est essentia. verum huiusmodi visio qua vi-
dentur res per species sic conceptas, est alia ab ea visione,
qua res in Deo videri dicuntur. Ad 12. Sic vnum tantum in- 12.
telligimus, in quantum vna specie intelligimus. sed multa
vna specie intellecta, simul intelliguntur, sicut in specie ho-
minis, & animal, & rationale intelligimus. & in specie do-
mus parietem, & tectum. Ad *confirm.* Angeli quoad cogni-
tionem naturalem, qua res cognoscunt per species vniuer-
sales illis inditas, non simul omnia cognoscunt: atque ita mo-
uentur secundum intelligentiam per tempus. At quatenus
vident res in Deo, simul eas vident. Multa quoque de his
dicta sunt in 2. Pymandri, vbi de angelorum natura copio-
se disputaui. Non temere ergo dictum est à Mercurio,
hominem ex magni huius mundi opificio
Deum cognouisse.

MER-

Mens in homine.

MERCVRIVS.

Sermonem quidem ô Tati singulis hominibus Deus impartit, mentem vero nequaquam: non quod inuiderit, quibus ne vtique inuidet; liuor quippe ab eo non prouenit, sed vna hic habitat cum animis hominum mente carentibus.

Commentum VII.

Congruo ordine omnia à Mercurio digesta ponuntur; nam postea quam dixit, solo verbo Deum mundum fabricatum fuisse, idque ob suam immensam bonitatem deinde enumeratis elementis, cum ipsorum pulchritudine, animantiumque diuersa natura, ad hominis conditionem accedens, ait. *Factus est homo, inquit, diuini operis contemplator, suumque creatorem ex operum magnificentia cognouit.* Sed ne quis posset dicere, quare non omnes ita Deum cognoscunt, si ita cognouerunt? Quia, inquit, non omnes mentem perceperunt.

Mens quid sit.

Mens, vt dixi in 3. Pymandri aliquando Deum significat. nonnunquam vero donum sapientiæ, per quod hominibus vera Dei præstatur cognitio, Deus enim in hominibus habitat per donum Spiritus sancti, mentisque motricis fungitur officio. sic enim ab eo clare docetur dial. 12.

Dial. 12.

Hæc, inquit, *mens Deus est in hominibus, atque ideo nonnulli ex hominum numero dii sunt, eorumque humanitas diuinitati proxima.* Sensus est, homines propter inhabitantem Spiritum sanctum in eis, fiunt deiformes: *Vt efficiamini*, ait Petrus: *diuinæ consortes naturæ.* Et Paulus. *Viuo iam non ego, viuit vero in me Christus.* Et illud Psalm. *Ego dixi dii estis.* *Verus Deus*, inquit Augustinus in expositione illius Psal. & Psal. 94. *rex magnus super omnes deos, facit deos participatione, non natura.* Et Ambros. illos dixit Deos, &c. *Si calefacti*, inquit, *sunt salubri dii efficiuntur; vnde calefiunt non est Deus? Si lumina illuminata dii sunt; lumen quod illuminat, non est Deus?*

2. Pet. 1.
Gal. 2.
Ps. 81.
Lib. 5. de fide. c. 2.
Mercurius.

Vnde Mercurius dicit: *homo quidem terrenus, Deus est mortalis, Deus vero cælestis immortalis homo.* Sequitur Mercurius in eodem dialogo: *Quæcunque, inquit, hominum anima, mentem nequaquam sortita sunt gubernatricem, eadem quæ & brutorum animæ patiuntur: dimittit eas mens cupiditatum imperio:* quasi diceret cum Psalm. *Dimisit eos secundum desideria cordium ipsorum: ibunt in adinuentionibus suis.*

Ps. 80.

Non ergo vocat mentem hic Mercurius illam animæ portionem, quæ diuinis intendit, sed Deum per suum donum illius portionis gubernatorem.

Deus est mens hominis.

Et recte quidem, nam sicut speculum solari lumine illustratum, non amplius speculum videtur & dicitur, sed ipsemet sol, ita mens hominis, propter Deum inhabitantem, Deus nominatur, & vicissim, Deus mens hominis. In Asclepio intelligentiam veram appellat. *Quicunque etenim hominum*, inquit, *tantam felicitatem adepti sunt, vt illum intelligentia diuinum perciperent sensum, qui sensus est diuinior in solo Deo, & in humana intelligentia. Non enim omnes homines intelligentiam veram adepti sunt.*

Sensus diuinus.

Quod ergo mentem in Pymandro, in Asclepio sensum diuinum, & veram intelligentiam appellat. De hoc vero intellectu loquitur Dauid: *Intellectum tibi dabo*, ait, *vt cognoscas te semper*, inquit Augustinus. *& semper gaudeas in spe ad Deum, donec ad illam patriam peruenias, vbi iam non spes, sed res erit.* & Psal. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

Ps. 31.
Intellectus donum.

Est autem hoc donum Spiritus sancti, qui intellectus ab Isaia nominatur diuinus illustratio, quæ menti capacitatem addit, vt quæ fidei ac veræ cognitionis sunt, recte assequatur. Cum enim multa nobis proponantur credenda, quorum veritatem ratio non potest perspicere; necessaria est diuina illustratio, per quam mens assurgat in rectam apprehensionem eorum, quæ sunt veræ religioni consentanea.

Isa. 11.
Matth. 15.

Apud Matth. 15. reprehenduntur discipuli, quod veram Dei intelligentiam non habeant: *Adhuc*, inquit, *& vos sine intellectu estis?* Paulus: *Intellige quæ dico, dabit tibi Deus intellectum in omnibus.*

2. Tim. 2.

Quam ob causam ab Augustino in .4. cap. Ioan. Vir animæ intellectus nominatur: *Vade*, inquit, *voca virum tuum: Idest*, inquit, *nescis, quæ dico, quia intellectus tibi non adest.*

Vir animæ intellectus.

Intellectus animam regit, & ad ipsam animam pertinet, & mens dicitur, sed non valet animam regere, nisi aliam habuerit mentem, aliumque intellectum, lucem vtique superiorem, à qua mens humana illustratur. Talis lux erat Christus cum muliere loquens, cuius intellectus non erat adhuc illa luce illustratus. Non temere ergo dictum est à Mercurio Non omnes homines mentem habere, propterea quod magna est hominum multitudo, quæ vacat hoc dono intellectus. *Multi*, inquit Paulus. *ignorantiam Dei habent.*

1. Cor. 15.

Et ad Thess. 1. 4. *Non in passione desiderii, sicut gentes, quæ Deum ignorant.* Mens, græce νοῦς, animus, ratio, intelligentia nominatur. sic nominata quasi eminens; est enim altior animi pars, qua diuina percipimus.

In Deo non est inuidia.
Mens quid significet.

Vnde Ouidius: *Mente deos adiit, & quod natura negabat visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.*

15. Metam.
Lactantius.

Lactantius 7. lib. *Mens & anima non sunt idem.* Aliud est enim quo viuimus, aliud quo cogitamus. Nam dormientium mens, non anima extinguitur: & in furiosis è contrario se habet. Thales Milesius. *Velocissimum, inquit, omnium quæ sunt, est mens.* nam tantæ celeritatis est, vt vno temporis puncto, cœlum omne collustret, maria peruolet, terras & vrbes peragret.

Thales.

Est ergo mens cogitationis consiliique subtilitas quædam, certe rationi consentanea: ideoque amentes & dementes dicuntur, qui nullo consilio vtuntur. Animus vero est vitæ, & voluntatis fundamentum. Plautus in Cistel. *Nullam mentem animi habeo.*

Plautus.

Ponitur interdum pro voluntate, seu intentione 1. Æneid. *In primis regina accipit in Teucros animum mentemque benignam.* Cicero. *Humanus autem animus, qui decerptus est ex mente diuina, cum alio nullo, nisi cum ipso Deo, si hoc est fas dictu, comparari potest. Hic igitur si est excultus, & si eius acies ita curata, vt ne cæcetur erroribus, fit perfecta mens, id est, absoluta ratio quod est idem quod virtus.*

4. Tusc. quæst.

Iuxta ergo hoc Ciceronis testimonium textum Mercurii sic interpretari valemus. Omnes homines habent sermonem, mentem autem nequaquam: idest, carent virtute sermonis, quia nimirum dicunt, & non faciunt.

Tex. expo.

Sed *regnum Dei*, teste Apostolo: *non est in sermone sed in virtute.* hoc est, *non in splendore verborum commendatur*, ait Ambrosius, *sed in virtute signorum.* nam teste Cicerone in Off. e. *laus virtutis in actione consistit.*

1. Cor. 4.
Ambrosius.
1. Æneid.

Ponitur quandoque pro consilio, gnomi, Virg. *Nostram nunc accipite mentem* homines ergo carent mente, qui sunt consilii expertes. Itaque cui non adest Deus per gratiæ habitationem, deest illi donum intelligentiæ, quo absente, mens illius obtenebratur, ac proinde abundat sermone, virtutem vero sermonis non habet. neque in causa est, quod Deus illi inuideat sapientiæ donum, quandoquidem inuidia, & liuor longe absit à superis.

In Deo non est inuidia.

Sic etiam docet *dial.* 14. Mortalium passiones Deo ascribit, inuidiam, superbiam, ignorantiam, imbecillitatem. Quam ob causam Plato in Timæo ait: *Bonus erat opifex mundi, bono autem nulla vnquam aliqua de re inuidia tangitur.* Ergo cum liuor ab eo alienissimus esset, omnia sibi, quantum fieri poterat, simillima fieri voluit. *Est autem inuidia*, vt ipsemet Plato dicit in Philebo, *tristitia quædam animæ de alienis bonis, & voluptas in alterorum malis.* sed Deus non inuidet hominibus bona, à quo omnia bona hominibus dantur.

Arist. 2. *Rhetorices*, quatuor tristitiæ passiones ponit circa bonum alienum, videlicet timorem, æmulationem, indignationem, atque inuidiam.

Quatuor tristitiæ passiones.

Timorem vult dolorem esse de alterius prosperitate, quatenus ex illa aliquod nobis imminet malum; Æmulationem vero, dolorem de alieno bono: non quia alio hoc habet: sed quia ipse illo caret: & hæc quidem est bona, seruata proportione, atque rei congruentia. Indignatio autem est dolor, de prosperitate indigni: & hæc quidem ab eodem philosopho vocatur nemesis, & pertinet ad bonos mores, vt ipse dicit. Verum aliud sentiunt Christiani, qui aiunt: à Deo iuste disponi omnia. *Inuidia vero est dolor de prosperitate æqualis.*

Quid sit inuidia.

Obiectum ergo inuidiæ, est prosperitas æqualis, se habens, vt bonum excedens: *tristitia* autem, teste Augustino, *est de his, quæ nobis nolentibus fiunt.* Superaddendo itaque dicto inuidiæ obiecto noliti rationem, dicimus prosperitatem æqualis nolitam, esse proprium obiectum inuidiæ. Semper ergo inuidia est mala, quia bonum offendit, & naturæ, & gratiæ, & fortunæ. Augustinus: *Cum igitur*, inquit, *superbia sit amor excellentiæ propriæ, inuidia vero, odium sit felicitatis alienæ; quid vnde nascatur, satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus inuidet, quod ei æquantur. vel inferioribus, ne sibi coæquentur. vel superioribus, quod eis non coæquatur.*

Lib. 11. de Genesi cap. 14.
Vnde nascatur inuidia.

Plautus in Lyside ait Hesiodus: *Inuidet figulus figulo, siue faber fabro.* nec non poeta poetæ, quoniam vicinitas vel temporis, vel loci, vel accidentis qualitatis inuidiæ sunt sorores. Licet enim similitudo: delectationem causet, si voluntati concordat; tamen tristitiam parit, si excellentiam alicuius impedit.

Plautus.
Hesiodus.

Quamobrem, inuidus est pusillanimis: omnibus ex vitiis nullum pigrius inuidia: altos in animos non ascendit. Hinc ait Iob: *Paruulum occidit inuidia:* quod sic à Gregor. exponitur: *Inuidere enim*, inquit, *non possumus, nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Paruulus ergo est, qui liuore occiditur. quia ipse testimonium sibi perhibet, quod eo minor sit, cuius inuidia torquetur.*

Iob. 4.
Lib. 5. moral. c. 33.

Hieronymus: *Semper virtutes persequitur inuidia, feriuntque altos fulgura montes. In paradiso quoque serpens fuit, cuius inuidia mors intrauit in orbem terrarum.*

Hieron.

Plutarchus, *quemadmodum cantharides lætioribus frumentis, & viridioribus rosis ebus, maxime innascuntur; ita & inuidia eos præcipue tangit, qui boni sunt,*

Plutar.

In Deo non est inuidia.

Basil.

sunt, quique ad virtutem, gloriamque grassari videntur. Basilius: *Quemadmodum,* inquit, *vultures ad putrescentia cadauera solent in pastum discurrere, complura prata, complures amœnos, atque odoriferos agros superuolantes: & velut muscæ consueuerunt integras corporis partes prætermittentes, ad vlcera sese conferre, eodem modo inuidi splendorem vitæ, & rectum gestarum magnitudinem prætermittentes, hominum duntaxat vitiis immorantur.*

Inuidi similes.

Quod si a recto nonnunquam (quod sæpe mortalibus accidit) deflectere videantur, hoc diuulgant, & per tectores eorum vitam esse in aperto volunt, ignauis pictoribus similes, qui per obtortum nasum, aliamue huiusmodi cicatricem, aut naturalem aliquem defectum, aut casu prouenientem, eorum, quos effingere conantur formam ostendunt. Et in oratione: *Est & illud in hac ægritudine molestissimum, quod dolorem suum nemini detegere potest, sed defixos in terra tenens oculos, disrumpitur dolore, & ægritudine cruciatur.*

Collat. 18. cap. 17.

Senior Cassianus: *Sicut,* inquit, *ille, qui primum eiusdem mali peste corruptus est, nec medelam pœnitentiæ, nec fomentum alicuius curationis admisit, ita & hi, qui iisdem se percutiendos morsibus tradiderunt. Vnde quemadmodum sues lutosa immunditia, & dæmones nostris damnis lætantur, sic inuidi calamitate proximorum exultant.*

Rom. 14. sup. Matt.

Vnde Chrysostomus. *Alienas iacturas,* inquit, *suos inuidus quæstus existimat, nec magis considerat, quid ipse suaue consequatur, an quid proximo calamitosum inferatur.*

Ad Rom. 8. 10.

Ambrosius: *Nulla res,* ait, *sic consumit hominem, sicut inuidia, quam ideo Deus vltorem posuit incredulitatis, quia graue est peccatum.* Et de fuga seculi cap. 4. *Fuge inuidiam, quæ non solum alienot, verum multo magis eum, quem possidet, lacerare solet.* Vnde poeta de transformatione 2. *Carpitque, & carpitur vna, suppliciumque suum est.* hinc præclare dictum est à philosopho, quod cum multa in se mala habeat inuidia, hoc solum bonum habet, quod maximum malum inuidentibus est.

Hesiodus. Periander.

Hesiodus: *Inuidia* inquit, *est pessimum quid, sed habet quoddam pulchrum in se, consumit enim inuidentium oculos, & cor. Quoniam,* vt ait Periander, *quemadmodum ærugo ferrum, sic inuidia animam illius, in qua est conterit.* Hinc apud antiquos inuidi pingebantur stringentes sibi guttur, & seipsos suffocantes.

Menander. Democritus. Horatius. Ouidius.

Proinde Menander recte dixit: *Inuidia sibi ipsi inimica existit, sponteque volentes semper afficit dolore.* Democritus etiam: *Inuidus seipsum, vt inimicum, conturbat; semper enim in luctu est inter prospera cæterorum.* Horatius. *Inuidia Siculi non inuenere tyranni maius tormentum.* Et Naso: *Risus abest, nisi quem fecere dolores. Sed videt ingratos, intabescitque videndo successus hominum.*

Textus expo.

Sed omnia hæc in Deum nullo modo cadere possunt est igitur ab omni inuidia liber. Sequitur textus. *Sed vna hæc habitat cum animis hominum mente carentibus.* Distinguere videtur inter animum & mentem: vt vel ex eo animaduertamus, per mentem, sensum illum diuinum intellexisse, qui insidet animis hominum per habitantem spiritum sanctum. Sensus ergo est: tanta est bonitas nostri opificis, qua non solum in his inuenitur, qui diuinæ intelligentiæ participes sunt; verumetiam, & in his, qui huiusmodi carent, ac velut bruta animantia viuunt.

Ierem. 23.

Sic enim per prophetam Dominus loquitur: *Cælum, & terram ego impleo:* hoc est, animam, & corpus, iustos, & iniustos, cœlestia, & terrena. Verum non parum interest inter modum, quo in iustis habitat, & eum modum, quo etiam adest iniustis:

Epist. 1. 8.

Deus, inquit August. *licet essentialiter, ac totus sit in omnibus; in illis tamen plenius esse dicitur, quos inhabitat, id est, quibus ita est, vt faciat eos templum suum: & hi tales cum eo sunt, iam ex parte, sed in beatitudine perfecte. mali vero, etsi ibi sint vbi ipse est, qui nusquam deest, non tamen sunt cum eo.* Propterea exponens illud Ioan. 17. *Vbi ego sum, & illi sint,* addidit, *mecum. quia & ibi miseri possunt esse, vbi & ille est, qui nusquam deest. Sed beati sunt cum illo, qui fruuntur eo, & vident illum sicut est.*

Quomodo est in malis.

Mali vero non sunt cum illo, vt cæci in luce, non sunt cum luce. Est autem & illud mirabile, quod Deus sit quorundam habitator nondum cognoscentium Deum. illi autem ad Dei templum non pertinent, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt.

Paruuli templum Dei.

Ad templum Dei pertinent paruuli sanctificati sacramento Christi. & regenerati Spiritu sancto, qui nondum valent cognoscere Deum. Beati vero illi sunt, in quibus Deus ita habitat, vt ab eis cognoscatur, & diligatur; qui quidem throni Dei appellantur.

Isa. 66. Sap. 7.

Cælum mihi sedes est, ait Dominus per Isaiam: Quæ autem sit ista sedes, Sap. 7. describitur: *Anima iusti sedes est sapientiæ;* quia in iustis specialis, quam in aliis, in quibus tamen omnibus est totus: & hoc est, quod dicit Mercurius, Deum inueniri cum animis hominum mente carentibus; quia nulli deest creaturæ, vt conditor, & conseruator: non autem vt pater, & amicus.

Leuit. 11.

Sancti estote, inquit, *quia ego sanctus sum dicit Dominus.*

Mercvrivs.

De ecclesia.

Tatius. Cur ô pater non omnibus Deus mentem communicauit? Mer. Quoniam voluit eam, ô fili, in medio tanquam certamen præmiumque animarum proponere. Tatius. Vbinam hanc locauit? Mer. Cum Craterem hac implesset, præconem misit, iubens talia quædam animis hominum nunciare: mergat se ipsam in hanc pateram quæcunque potest, quæ videlicet credit craterem, animam ad eum qui demiserat, reducturum, quæue finem nouit, cuius gratia nata fuerat.

Commentum VIII.

TATIO sciscitanti causam, ob quam non omnibus Deus mentem communicauerit: In tantum, inquit, abest ô fili, quod sensum hunc diuinum, veramque sui intelligentiam Deus hominibus non inuideat, vt etiam in propatulo posuerit omnibus, & videndam, & habendam; modo se illa dignos reddiderint: neque enim illius coronam quis accipere merebitur, nisi legitime certauerit.

Virtus circa difficile.

In certamen proposuit, & præmium, vt sine victoria, illius præmium habeat nemo; siquidem virtus est circa arduum, & difficile, & non nisi propriis est paranda laboribus; propterea plures cum sint desides, atque ignaui, pauci admodum sunt mentis possessores. Cum autem non ignorare vis, quo in loco hanc mentem Deus collocauerit, scias fili in cratere, siue poculo magno posuisse, illudque huiusmodi mente implesse, deinde misisse præconem, qui inuitaret ad bibendum, diceretque inuitatis: Mergite vos ipsos in huiusmodi craterem, atque inprimis credite, tantam esse huius crateris virtutem, vt animas ad Deum referat, a quo & demissæ, & conditæ sunt. Denique intelligite cuius gratia nati estis.

Crater quid.

Quid sit mens, ex superioribus patet. Reliquum nobis est, vt sciamus quid sit crater, quid mersio, quid præco, & quæ sunt generis eiusdem. Crater est poculum, siue cuppa grandis & patens, ἀπὸ τοῦ κεράω, quod est tenere, siue miscere dictus, continens tres vrnas (vt quidam volunt.) Vnde Virgilius: *Crateras magnos statuunt, & vina coronant.*

3. Æneid. Horat.

Horatius etiam in serm. *Sine grauis veteri cratera limus adhæsit.* Crater patulus, euidens, manifestus, omnibus patens. Post pauca, vocat diuinum craterem, & scientiam mentis, diuinorum contemplationem, & intelligentiam Dei. Sed dicas mihi quæso, vbi est diuinorum contemplatio, & intelligentia Dei, nisi in Ecclesia Dei, quæ est ille diuinus crater, vera Dei intelligentia repletus, & diuinorum contemplatione exuberans? hæc est, quæ animas ad Deum reuocat, à quo aufugerant: in quam mergi oportet credentem, & intelligentem, cuius gratia natus sit.

Mersio.

Mergi, inquam, vt abluatur à tabe veteris vitæ, fide purificante corda hominum. *Mergat se,* inquit, *qui crediderit craterem, animam ad Deum reducturum.* Seruat metaphoram crateris, sine qua talis potest esse sensus, quisquis cupit veram Dei intelligentiam habere, suæque animæ salutem acquirere illius religionem, siue ecclesiam ingrediatur, quæ est columna, & firmamentum veritatis, in qua vera datur remissio peccatorum, sine qua non patet reditus ad cœlum animabus hominum, nullique est, aut esse potest tuta via ad Deum pergendi.

Præco.

Misit præconem, nempe angelos, patriarchas, prophetas, Apostolos, aliosque Dei nuntios, qui inuitarent ad craterem, denique qui venirent ad nuptias. Simile quiddam proponitur à Salomone:

Sapientia ædificauit domum. Prou. 9.

Sapientia, inquit, *ædificauit sibi domum, & excidit columnas septem, immolauit victimas, miscuit in cratere vinum suum, & parauit mensam suam. Misit seruos suos conuocans cum excellenti prædicatione ad craterem dicens: Qui est insipiens diuertat ad me.*

Lib. 17. ciuit. c. 20.

Hic certe, inquit Augustinus libr. 17. de ciuit. Dei, cap. 20. *agnoscimus Dei sapientiam, hoc est, verbum patri coæternum, in vtero virginali domum sibi ædificasse, corpus humanum, & huic tanquam capiti membra ecclesiam subiunxisse: martyrum victimas immolasse mensam, in vino, & panibus præparasse; vbi apparet etiam sacerdotium secundum ordinem Melchisedech: insipientes, & inopes sensu vocasse, quia infirma mundi elegit Deus.*

1. Cor. 1.

Hieronymus in commentario istius loci, *Sapientia,* &c. *Quia hominem filius Dei, in vnitatem suæ personæ accepit, excidit columnas septem, ecclesias per orbem septiformi gratia spiritus erexit; vel certe sapientia domus, ecclesia*

[De Ecclesia. Columnæ ecclesiæ.] *sia Christi est, ex lapidibus viuis constructa.* Columnæ autem sunt *doctores septiformis spiritu pleni*, Galat. 2. *Qui videbantur columnæ esse. Immolauit victimas, suis passionibus, atque suorum ecclesiam consecrauit. Miscuit vinum, & proposuit. Diuinitatis suæ arcana capere non valentibus, assumptæ humanitatis sacramenta patefecit, & scripturæ sacræ pabulum nobis aperiendo patefecit.* [Ancilla.] *Misit ancillas vt vocaret ad arcem: prædicatores infimos, ac despicabiles elegit, qui fideles populos ad superna patriæ cælestis ædificia colligerent. Si quis est paruulus, veniat ad me.* [Panis. Vinum.] *Paruulos dicit humiles: insipientes vero, qui de mundana sapientia fastu nihil habent. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum. In pane diuina eloquia: in vino mixto coniuncta in vnam Christi personam deitatis & humanitatis eius natura exprimitur. vel certe in pane, corporis ipsius, in vino mixto, sanguinis sacrosancti mysterium.* [Lib. 8. moral. c. 14.] Gregorius. *Domus sapientiæ, ecclesia*, inquit, *vocatur, quæ septem sibi columnas excidit, quia ab amore præsentis seculi disiunctas ad portandam eiusdem ecclesiæ fabricam, mentes prædicantium erexit, quæ pro eo, quod perfectionis virtute subnixæ sunt, septenario numero signantur. Immolauit victimas, quia vitam prædicantium mactari in persecutione permisit. Vinum miscuit, quia diuinitatis, & humanitatis suæ nobis patitur arcana prædicari. Mensam proposuit, quia scriptura sacra nobis pabula aperiendo præparauit?* Hæc ergo cum ita se habeant, operæpretium esse arbitror, verisimie probatissimisque rationibus palam facere, quanta sit huius crateris, siue diuinæ sapientiæ domus authoritas, potentia, atque maiestas: nam si iuxta Mercurium, tanta inest illi virtutis potentia, vt animas hominum ad Deum reducere valeat; profecto cæteris antecellit rebus, & virture, & maiestatis imperio. [Ecclesiæ nomen.] Porro, quod à Mercurio crater patulus vocatur: à domino *Matth. 16.* vocatur ecclesia: *Et super hanc petram*, inquit, *ædificabo ecclesiam meam.* [1. Tim. 3.] A Paulo autem, *Ecclesia Dei viui.* Et à Dauide: *Confitebor tibi in ecclesia magna.* Et Psal. 21. *In medio ecclesiæ laudabo te.* Est autem nomen græcum, quod latine conuocatio dicitur; & quidem magna, ad quam omnes aliæ conuocationes referuntur: est autem hæc conuocatio ad æternam beatitudinem, quæ plane ex angelis, & hominibus in fine seculi est complenda. [Col. 1. Eph. 1.] Hoc modo de ecclesia Paulum locutum fuisse, scimus, *ipse est caput corporis ecclesiæ.* Et ad Ephes. *Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam.* Verum in sacris scripturis, ecclesiæ nomen, ad electos ex hominibus sæpe contrahitur, cum dicitur lauisse ecclesiam sanguine suo. [Eph. 5.] Ephes. 5. *Christus dilexit ecclesiam*, inquit, *& seipsum tradidit pro ea; vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ;* neque enim angeli lauacro aquæ, mundati sunt. [Ecclesia sine macula.] *Vt exhiberet sibi ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi.* quod certe veritatem habebit in ecclesia triumphante, siue post resurrectionem futura. *Tunc*, inquit Augustinus de perfectione iustitiæ, *ecclesia non habebit maculam, neque rugam, quando erit gloriosa: non tum modo in tantis periculis potest esse gloriosa*, huiusmodi autem ecclesia est cœtus bonorum, quos inhabitat spiritus sanctus, qui à Salomone Cant. 6. & 4. vocatur *hortus conclusus, & fons signatus.* Accipitur autem nonnunquam ecclesia in scripturis pro baptizatorum cœtu, malos, bonosque complectente: [Ecclesia præsens mixtos habet.] de quo canticum canticorum loquitur, 1. cap. *Nigra sum, sed formosa:* formosa inquam, ob bonorum splendorem: nigra vero, propter commixtionem malorum. Apud *Matth.* 13. areæ comparatur, in qua sicut est triticum ita sunt & paleæ: vocatur etiam ager, in quo cum tritico crescunt & zizania: sagena insuper, in qua congregantur boni pisces, & mali: vinea, in qua sunt palmites afferentes vinum, sunt etiam, & qui labruscas proferant: denique inutiles, & infructuosi omnino. Ab *Ezechiele* 34. gregi confertur, in quo sunt & hœdi, & oues, & arietes, & hirci. [2. Tim. 2. Nomina ecclesiæ.] Ab Apostolo vocatur domus, in qua sunt vasa aurea, & argentea; sunt etiam lignea, & fictilia, quædam in honorem, quædam vero in contumeliam. *Matth.* 25. Assimilatur decem virginibus, quarum quædam, siue quinque sunt prudentes, reliquæ vero fatuæ. Hæc est arca Noe, quæ simul continet oues, & lupos, columbas, & accipitres; soli enim boni in cœlo sunt: mali vero, soli in inferno: hic mixti sunt boni cum malis. Hæc est illa terra, de qua Dauid loquitur: [Ps. 103.] *Fundasti eam super stabilitatem suam non enclinabitur in seculum seculi.* hoc est, illud regnum, de quo [Regnum.] Psal. 144. *Regnum tuum, regnum omnium seculorum, & dominatio tua in generatione seculorum.* Et iterum. Regnum ipsius omnibus dominabitur. Vnde *Isaias 60. Gens, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit.* Hæc est illa, quam sponsus in cantico, terribilem pronunciat, vt castrorum aciem ordinatam. [Castrorum acies.] Hæc sunt *castra Dei*, quæ vidit Iacob. Hæc est domus domini, vt dicit *Zacharias* 9. quam militibus se muniturum, dominus [Cant. 6.] prædixit: *Circumdabo*, inquit, *domum meam*, (ex iis) *quæ militant mihi.* [Mons. ps. 67.] Hic est ille mons caseatus, & pinguis, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Mons eleuatus super verticem montium, teste *Isa.* 2. Et *Michea* 5. Hoc est tabernaculum Dei cum hominibus, sponsa gloriosa, & virgo: quæ, dum persequutiones patitur, floret: dum oppremitur, crescit: dum contemnitur, proficit: dum læditur, vincit: dum arguitur, intelligit: tunc stat, quum superari videtur. [De Ecclesia. Tabernaculum. Virgo. in cap. 10. Luc. lib. 9.] *Vt vinea*, inquit Ambrosius, *dum ligatur erigitur vt recisa non minuitur, sed augetur: sic ecclesia dum ligatur, erigitur: dum humiliatur attollitur, dum recidatur, coronatur.* [Ecclesia malignantium. Ps. 25.] Meminit etiam scriptura ecclesiæ cuiusdam, quæ vocatur cœtus malignantium: *Odiui ecclesiam malignantium*, ait Dauid: *& cum impiis non sedebo.* Congregationem vtique impiorum, quæ ab initio mundi contra Dei ecclesiam bellum gessit, & gerere non cessat: *Iustitia namque*, teste Cypriano, *ab initio laborat.* Augustinus *lib. 1. in expositione epist. ad Rom.* ecclesiæ, atque synagogæ discrimen posuit: *Ecclesia*, inquit, *ex vocatione appellata est, synagoga vero ex congregatione; conuocari enim magis hominibus congruit: congregari autem magis pecoribus, vnde greges proprie pecorum dici solent.* [Ecclesiæ & synagogæ discrimen.] *Quanquam ergo plerisque scripturarum locis ipsa ecclesia grex Dei, & ouile Dei, & pecus Dei vocetur; tamen cum in comparatione homines pecora dicuntur, ad vitam veterem pertinent. Et appares huiusmodi homines, non cibo sempiternæ veritatis, sed temporalium promissione tanquam terreno pabulo esse contentos.* Et de catechizandis rudibus cap. 1. *Ecclesia est populus Dei, ait, per omnes gentes quod est corpus eius: adiunctis atque annumeratis omnibus sanctis, qui etiam ante aduentum domini in hoc seculo vixerunt; ita enim eum crediderunt esse venturum sicut nos credimus venisse.* Et in Psal. 90. [Ecclesia describitur.] *Ecclesia est corpus Christi, non quæ hoc loco tantum, sed quæ per totum orbem est. nec illa, quæ hoc tempore, sed quæ ab ipso Abel vsque ad eos qui nascituri sunt, vsque ad finem, & credituri in Christum, totus populus sanctorum, ad vnam ciuitatem pertinentium: quæ ciuitas corpus est Christi, cui caput est Christus.* Item de baptismo [Lib. 1. ca. 15.] contra Donatistas: *Ecclesia, quæ est populus Dei, etiam in istius vitæ peregrinatione, antiqua res est; in aliis hominibus habens animalem portionem, in aliis autem spiritualem.* [Gen. 16. & 25.] Ecclesia, quippe omnes per baptismum parit, siue apud se, id est, ex vtero suo; siue extra se, de semine viri sui; siue de se, siue de ancilla. Prior fuit Ismael, & postea Isaac: & prior Esau, posterior autem Iacob: non quia prior peperit hæresis, quam ecclesia: aut ecclesia ipsa prius carnales, vel animales, postea vero spirituales; sed quia in ipsa sorte mortalitatis nostræ, ex quo de Adam nascimur, non est prius spirituale, sed quod animale, [Cor. 1. 2.] postea spirituale. Ex ipso autem animali sensu, quia homo animalis non percipit, quæ sunt spiritus Dei, omnes dissensiones, & schismata generantur. In quo sensu perseuerantes, Apostolus dicit ad vetus testamentum pertinere, ad terrenorum promissorum cupiditatem. [Esau. Iacob.] Esau de vxore natus est, Genes. 25. propter fraternam tamen discordiam, separatus est à populo. [Ismael. Isaac. Ismaelis separatio.] Et Aser per vxoris quidem potestatem, ex ancilla natus; propter fraternam nihilominus concordiam, terram repromissionis accepit. vnde & Ismaeli, vt separaretur à populo Dei, non obfuit mater ancilla, sed obfuit fraterna discordia: non profuit potestas vxoris, cuius magis filius erat, quia per ipsius iura coniugalia, & in ancilla seminatus erat, & ex ancilla susceptus. Hæc in Genesi habentur. [Gen. 28. 30. 15.] Et lib. 5. cap. 25. *Scribitur*, inquit, *à Salomone* cant. 4. [Ortus.] *Ortus conclusus, soror mea sponsa, fons signatus, puteus aquæ viuæ, paradisus cum fructibus pomorum: hoc intelligere non audeo, nisi in sanctis & iustis: non in peccatoribus, qui habent cum iustis baptismum communem, non autem charitatem.* [Lilium.] *Ista sunt spinæ, in quarum medio est ecclesia sicut lilium. Est ergo fons signatus, & ortus conclusus iusti, qui in occulto sunt; quia omnis pulchritudo filiæ regis intrinsecus:* Psal. 44. [Reprobi.] *In quibus est numerus certus prædestinatus eorum, qui ad cœnam magni venturi sunt. Illa vero multitudo spinarum, siue occultis, siue apertis separationibus, forinsecus adiacet super numerum.* An*nunciaui*, inquit Psal. 39. *& locutus sum: Multiplicati sunt super numerum. Numerus ergo ille iustorum, de quo Apostolus dicit.* [2. Tim. 2.] *Nouit dominus, qui sunt eius: est ortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ* [Puteus.] *viuæ paradisus cum fructibus pomorum.* [Paradisus.] In expositione illius versiculi Psal. 44. [Regina.] *Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato: Vestitus*, inquit, *istius reginæ pretiosus & varius est. Sacramenta doctrinæ in linguis omnibus variis. Quomodo autem omnis varietas vestis in vnitate concordat; sic & omnes linguæ ad vnam fidem. In veste ista varietas sit scissura non sit.* [Ciuitas.] Ambrosius in Psal. 118. Præuaricantes reputaui. &c. *Ciuitas Dei ecclesia est, ecclesiæ corpus est Christi. Peccat in cœlum, qui cœlestis ciuitatis iura contemnit.* [Hex. lib. 3. cap. 5. Mare.] In Hexameron *Mari plerunque, ait, comparatur ecclesia, quæ primo ingredientis populi agmine totis vestibulis vndas vomit: deinde in oratione totius plebis tanquam vndis refluentibus stridet: tum responsoriis psalmorum, tum cantu virorum, ac mulierum, cæterorumque fidelium.* Et cap. 12. [Vitis.] eiusdem libri: *Ecclesia viti comparatur, quæ velut quadam fidei radice plantatur, & reprimitur humilitatis propagine. posuit in eaturrim Apostolorum, aliorumque iustiorum: circumfodit, quando exonerauit terrenarum mole curarum: sed ea vitis, vbi circumfossa fuerit,*

religatur,

De ecclesiæ vnitate. *relegatur, & erigitur, ne esse stater in terram. Reciduntur alia sarmenta, alia propagantur: reciduntur, quæ manus effusione inxmiant: propagantur ea, quæ bonus agricola iudicauerit fructuosa.* De nomine ergo crateris, hæc dicta sint.

QVÆSTIONIS PRIMÆ

CAP. I.

De vnitate Crateris, siue Ecclesiæ.

POstquam audiuimus nomina crateris; restat nobis videndum, audiendumque pariter, cur vnum tantummodo, & non plures crateres Mercurius posuerit: *Cum implesset, inquit craterem mente illa:* vnitatem vtique ecclesiæ commendauit, & mentis similiter. Non enim dixit: impleuit craterem varijs mentibus, sed vna mente; propterea, quia in ecclesia, est vna Dei cognitio, vnus sensus, vna sapientia, denique vnus spiritus fidei. *Sicut,* inquit Apostolus, *in vno corpore multa membra habemus; omnia autem membra, eundem actum non habent; ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* (*Vnitas Ecclesia. Rom. 12. Ambr.*) *Hoc est diligere Christum,* ait Ambrosius in commentario istius loci, *ipsi inuicem se membra exhortentur: vt impleant modum, quo corpus in Christo perfectum sit. Exemplo enim corporis nos docet, non posse nos singulos omnia; quia sumus inuicem membra, vt alter alterum non egeat, ac ideo vnum non debet alii obsistere.* (*epist. 49.*) Augustinus Sicut in vno corpore, &c. *Ac per hoc,* inquit, *nemo poterit esse iustus, quamdiu fuerit ab vnitate huius corporis separatus. Quemadmodum enim membrum, si præcidatur ab hominis viui corpore, non potest tenere spiritum vitæ; sic homo, qui præciditur de Christi iusti corpore, nullo modo potest tenere spiritum iustitiæ; etiamsi figuram membri teneat, quam sumpsit in corpore.* Idem sentit omnino Cyprianus de simplicitate prælatorum. (*Cyprian.*) *Cum Deo manere non possunt,* inquit, *qui esse in ecclesia Dei vnanimes noluerunt: ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestiis, animas suas ponant: non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.* Et iterum in eodem libello: *Exordium ecclesiæ ab vnitate proficiscitur, vt ecclesia vna monstretur: quam vnam ecclesiam in cantico canticorum cap. 6. Sp. S. designat.* (*Vna columba.*) vna est columba mea: *vnum principem constituit, Petrum scilicet, cui dixit:* Pasce oues meas. *Hanc ecclesiæ vnitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui ecclesiæ renititur, & resistit, in ecclesia se esse confidit? Ecclesia est vna, quæ in multitudine latius incremento fœcunditatis extenditur:* (*Ecclesiæ fœcunditas.*) *quomodo solis multi radij, sed lumen vnum: & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte vno riuuli plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate; vnitas tamen seruatur in origine. Ab arbore frange ramum, fructum germinare non poterit. A fonte præcide riuulum, præcisus arescit: sic & ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur.* (*Vna mater ecclesia.*) *Vna est origo, vna mater fœcunditatis successibus copiosa: illius fœtu nascimur: illius lacte nutrimur: spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta, & pudica: vnam domum nouit: vnius cubilis sanctitatem casto pudore custodit. hæc nos Deo seruat: hæc filios regno, quos generauit, assignat. Quisquis ab ecclesia segregatus, adulteræ iungitur; à promissis ecclesiæ separatur: nec peruenit ad Christi præmia, qui relinquit ecclesiam Christi: alienus est, profanus est, & hostis est. habere iam non potest Deum patrem, qui non habet ecclesiam matrem. Si potuit euadere, qui extra arcam fuit: & qui extra ecclesiam foris fuerit, euadet! Vnitas ecclesiæ ostensa est in tunica Domini, quæ scindi non potuit.* (*Arca Noe. Ioan. 10. Tunica Domini.*) *E contrario moriente Salomone, futuram regni diuisionem Achias propheta ostendit per indumenti scissuram.* In Ioan. legitur: Erit vnum ouile, & vnus pastor: (*Vnū ouile. 1. Cor. 1.*) *quomodo ergo in vno loco poterunt esse plures pastores, aut plures greges?* Paulus ad Cor. *Sitis vnanimes* in eodem sensu. Iosue 6. *Tota domus Raab saluatur.* (*Domus Raab.*) Exod. 12. *Agnus in vna domo comeditur. Apostolus loquitur* ad Ephes. 4. *Vnum corpus, vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ: vna est terra, vnus labij, vnus Christus in ea adoratur.* David Psalm. 67. cecinit: *Qui habitare facit vnanimes in domo.* (*Vna domus agni.*) *Idcirco & in columba venit Spiritus sanctus, simplex animal, & lætum, non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum:* (*Vna terra.*) *hospitia humana diligit, vnius domus consortium nouit; cum generant, simul filios edunt: cum commeant; volatibus inuicem cohærent: communi conuersatione vitam suam degunt: oris osculo, concordiam pacis agnoscunt: legem circa omnia vnanimitatis implent:* (*De ecclesiæ vnitate. S. S. in columba venit.*) *hæreses, & facta sunt frequenter, & fiunt, dum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans, non tenet ecclesiæ vnitatem.* Et lib. 3. epistolarum, epistola 2. *Ecclesia altera institui non potest: Christi membra discerpi non possunt: vnanimitas ergo, & concordia est seruanda.* Et lib. 4. epist. 2. *Petri cathedram,* quam epist. 8. matricem appellat ecclesiarum, (*Ma[ter] ecclesiarū.*) *non rite quis tenebit,* inquit, *nisi is electus fuerit à cæteris episcopis. Vnde quisquis episcopus fieri voluerit, non ex consensione aliorum, foris fiat necesse est, nec habet ecclesiæ ordinationem, quæ ecclesiæ non tenet vnitatem: quisquis ille fuerit, profanus est, alienus est, foris est: Christianus ergo non est, qui in Christi ecclesia non est: qui fraternam charitatem, & ecclesiasticam vnitatem non tenet. Vna est ecclesia à Christo per totum mundum, in multa membra diuisa. Item episcopatus vnus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.* (*Vnus episcopatus.*) *Si quis igitur post traditionem, post connexam, & vbicunque coniunctam Catholicæ ecclesiæ vnitatem, humanam conetur ecclesiam facere, & per plurimas ciuitates, nouos Apostolos suos mittere, vt quædam recentia institutionis suæ fundamenta constituat, volens ecclesiastici corporis compaginem, discordiæ suæ seminatione rescindere, schismaticus est,* (*Schismaticus.*) *cuius initium est feruere: postmodum vero, incrementa habere non poterit.* Hæc Cyprianus. Clemens epistola prima ad Iacobum fratrem Domini: (*Clemens.*) *Similis est,* inquit, *omnis ecclesiæ status naui magnæ, quæ per vndosum pelagus, de diuersis locis, & regionibus viros portat, ad vnam potentis regis vrbem properare cupientes. Sit ergo huius nauis portus, Dominus ipse omnipotens: gubernator vero sit Christus: ministri ecclesiæ sint boni, & fideles nautæ, & piscatores.* (*Vna nauis.*) Irenæus. (*Irenæus. lib. 1. c. 2.*) *Vna est domus, ait, id est, ecclesia, vnum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sint; sed tamen vna est virtus traditionis in omnibus ecclesiis per orbem constitutis.* Et lib. 3. cap. 40. *Vbi est ecclesia, ibi & spiritus Dei: & vbi spiritus Dei, illic ecclesia, & omnis gratia: spiritus autem est veritas.* (*Vnus fons.*) *Quapropter, qui non participant eum, neque à mamillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem: sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis, & de cœno putridam bibunt aquam, fures sunt, profani sunt, inimici Christi sunt.* Tertullianus, de præscriptionibus hæreticorum: (*Tertullianus.*) *Apostoli,* inquit, *ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt: quibus traducem fidei, & semina doctrinæ commiserunt: cæteræ exinde ecclesiæ multæ sunt, & quotidie mutuantur, vt ecclesiæ fiant; ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputabuntur, vt soboles Apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur, necesse est: proinde tot, ac tantæ ecclesiæ, vnam illam habent ab Apostolis primam. sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem, communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contestatio hospitalitatis, quæ iura non alia ratio regit, quam eiusdem sacramenti vna traditio:* (*Prima ecclesia.*) *non ergo probandi sunt, aut recipiendi prædicatores, nisi quos Christus miserit.* (*Vna traditio.*) *Sed vnde poterunt dignosci? si vtique eorum prædicatio conformis sit matricibus, & originalibus fidei Christianæ ecclesiis, tenens quod ecclesia ab Apostolis, Apostoli vero à Christo, Christus autem à Deo suscepit. Reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapit contra veritatem ecclesiarum.* Et lib. 1. aduersus Marcionem: *Non alia agnoscenda est traditio Apostolorum, quam quæ hodie apud ipsorum ecclesias editur. Quod si à primordio erant corrupta, quæ erunt integra?* Et lib. 4. *Hic ferè compendiis, ait, vtimur contra hæreticos, qui scripturas nostras negant;* (*Modus respondendi hæreticis.*) *quoniam authoritas ecclesiarum, & traditio Apostolorum eas probauit. Id enim verum, quod prius: id prius, quod ab initio. id ab initio, quod ab Apostolis. Pariter vtique, constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum: Ecclesiæ illæ sunt multæ, & vna propter vnius primæ & matricis ecclesiæ Romanæ vnitatem.* Ignatius epist. 5. (*Ignatius.*) *Sicut filij lucis,* inquit, *fugite diuisionem vnitatis, ex qua exit coinquinatio in omnem terram. Vbi ergo erit pastor, illuc sicut oues congregemini. Nolite errare fratres: quicunque separat se ab vnitate, hic regnum Dei non hereditabit; vna est enim caro Domini Iesu Christi, & vnus eius sanguis, qui pro nobis effusus: vnus etiam panis pro nobis confractus.* (*Vna caro, vnus sanguis.*) *& vnus calix totius ecclesiæ, & vnus episcopus: quia vnus est pater, vnus filius, & vnus paracletus spiritus, vna prædicatio, vna fides, vnum baptisma, & vna ecclesia, quam fundauerunt sancti Apostoli à finibus vsque ad fines in sanguine Christi proprijs sudoribus, & laboribus. & vos oportet tanquam gentem sanctam in concordiam omnes Christi consummari.* Similis sententia habetur prioris epistolæ ad Cor. cap. 10. (*1. Cor. 10.*) *Quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus: omnes quidem de vno pane, & de vno calice participamus. Quemadmodum,* inquiunt Chrysost, & (*Chrysost.*)

De ecclesiæ vnitate. Aug. — soft. & Theophil. *panis vnus è pluribus granis conficitur; sic & nos plures cum simus, vnum efficimur Christi corpus.* August. lib. 21. de ciuit. Dei cap. 25. Vnos panis &c. *Qui ergo est in eius corpora vnitate, id est, in Christianorum compage membrorum, cuius corporis sacramentum fideles communicantes de altari sumere consueuerunt; ipse vere dicendus est manducare corpus Christi.* Et epist. 57. Vnus panis &c. *per caput nostrum reconciliamur Deo, quia in illo est diuinitas vnigeniti facta particeps mortalitatis nostræ; vt & nos participes eius immortalitatis essemus.* Ambr. in Comm. suo: *Quoniã, ait, vnum sumus, alter alterius membra: vnum nos sentire debere dicit, vt fides vna, vnum habeat sensum & opus.* cap. 12. eiusdem epist. huiusmodi ecclesiæ vnitatem commendat. *Sicut enim, inquit, corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in vno spiritu, omnes nos in vnum corpus baptizati sumus: & post multa. vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Ostendit,* ait Ambros. *vnitatem varietatis officiorum, & diuersitatem hanc non discrepare in vnitate potestatis: quando corporis vnitas non in singularitate consistit, sed in multis membris, vt inuicem sibi præstent quod debent: non enim omnes possumus eadem, sed singuli pro qualitate fidei, gratiam habemus concessam.* Nam quemadmodum, ait Chrysost. & Theophilactus, *corpore, & capite homo vnus efficitur: sic ecclesiam ipsam & Christum, tanquam pro corpore, & capite ducens Apostolus, pro ecclesia Christum constituit.* Itaque hanc ob causam, ecclesiam vnum corpus appellat Apostolus, quod ex multis visibilibus constet membris: ne quis commentitiam aliquam esse diceret, quæ sub hominum aspectum non cadat. Congregatur autem hæc ecclesia, atque viuificatur à Spiritu sancto, à quo in cordibus credentium charitas diffunditur; vt vnitas corporis seruetur in vinculo pacis. Vna est ergo Catholicæ ecclesiæ, in qua vna est charitas, vnus spiritus charitatis, vna prædicatio veritatis. Denique vt dicitur Actor. 4. *Multitudinis credentium, erat cor vnum, & anima vna.* Et reuera, Omnes per orbem Catholici, vnam veritatis regulam sequuntur: non autem omnes hæretici. *diuisum est cor illorum,* ait Oseas. *propterea interibunt.* In Babelis constructione, linguarum vnitas per spiritum superbiæ scissa est: in Ierosolyma per gratiam sancti spiritus, linguarum varietas adunata; nam qui non est mecum, contra me est. & qui non colligit mecum, dispergit. Ex his ergo quæ dicta sunt, vnam esse ecclesiam, patet satis.

August. — *Ambros.* — *1. Cor. 12. Varietas membrorum.* — *Chrysost.* — *Quare vocatur corpus.* — *Cor vnũ. Anima vna. Ose. 10.*

CAP. II.

Argumenta contraria.

Voniam aliqui rationibus, authoritatibusue supra
1. positis obuiare contendunt; idcirco illorum argu-
tias adduxi, vt ex illorum solutionibus pateat,
quam vera sit Catholica fides, quæ ecclesiæ vnita-
tem profitetur, atque defendit. *Arguunt* ergo hoc modo. Si
nos sumus corpus Christi; Christus ergo est caput nostrum:
non quidem secundum diuinam naturam; nam vnius sint
naturæ, caput & membra, necesse est, inquit Augustinus in
illud Ioan. 15. *Ego sum vitis vera*: vos, ait, sunt naturæ vitis,
& palmites: igitur, non est vna eademque ecclesiæ, quæ
Christi incarnationem præcessit, cum ea, quæ postmodum
secuta est. Quamobrem ipse in carne existens nostra mor-
tali, nouam ecclesiam se ædificaturum promisit supra pe-
tram firmissimam: nondum ergo ecclesia initium habebat
fundamenti. Amplius, Christi ecclesia à Ierosolyma suæ
2. accepit natiuitatis principium: Quoniam *de Sion exibit lex &*
verbum Domini de Ierusalem, ait Isaiae 2. quod ab Augustino
contra epistolam Petiliani præclare docetur. Non ergo
ante iacta illius terrenæ ciuitatis fundamenta, Christi ec-
clesia fuisse dicenda est: atque ita à primis hominibus, vs-
que ad nouissimos, non est vna, atque eadem Christi eccle-
sia. Item, veterem Iudæorum ecclesiam destructum iri,
3. scripturæ professæ sunt, Isa. 1. Et derelinquetur filia Sion,
sicut vmbraculum in vinea: & sicut tugurium in cucume-
rario, & sicut ciuitas, quæ vastatur. Et Matth. 23. *Ecce relin-*
quetur domus vestra deserta. Non ergo est vna ecclesia Chri-
sti in Iudæis, & in credentibus ex nationibus gentium. Ad-
de, quod Christus dixerit se omnia noua facturum, noua
mandata, nouam legem, nouos lapides, denique nouam
ecclesiam. Præterea, quæ secundum materiam, atque for-
4. mam ab inuicem separantur, sub vna eademque minime
continentur compage societatis. sed huiusmodi esse digno-
scitur ecclesia Iudæorum, & ecclesia gentium; nam illius
veteris ecclesiæ alia extiterunt membra, alius denique spi-
ritus, timoris scilicet, & non amoris, alia lex, sacerdotium,
cæremoniæ, ritusque celebrandi, sacrificandique, quam De ecclesiæ vnitate.
eius ecclesiæ, quæ nunc est: non ergo vna eademque eccle-
sia. Ad hæc, & similia sic respondere valemus: & ad pri-
mum dicimus, Christum esse huius ecclesiæ caput secun- *Soluuntur argumenta.*
dum humanam naturam: his autem, qui illius natiuitatem 1.
in carne præcessere, per eundem spiritum fidei & charita-
tis: *Habentes*, ait Apostolus, *eundem spiritum fidei.* Quem enim *2. Cor. 5.*
credimus venisse, & vitam præstitisse, illi venturum crede-
bant, atque huiusmodi hominibus salutis opera præstitu-
rum. Cum ergo in vtrisque sit, atque fuerit spiritus amoris,
& fidei; haud dubium quin vnam connectit compagem
corporis ecclesiæ. *Ad illud* de nouæ ecclesiæ promissione di- *Noua ecclesia.*
ce: nouum ritum, nouamque ecclesiæ conditionem futu-
rem prædixisse, priorem vero minime negasse. Præterea
spiritus nouus dicitur, & lex noua, propter vtique charita-
tis omnia renouantis causam, quæ temporibus Christi pa-
lam futura erat: cuius gratia & beneficio, destructo veteri
homine cum actibus suis, nouum hominem, iuxta Aposto-
lum, induimus: denique, vt ipse dicit ad Gal. 6. *Noua creatu-*
ra effecti sumus. Etenim vetus illa lex Iudæorum, in qua erat
spiritus timoris, ad veterem pertinebat hominem: noua
vero ad nouum; vna tamen atque eadem vtriusque tem-
poris ecclesia: vnum caput vtriusque, imo vnius ecclesiæ.
Ad 2. Christi ecclesia à Ierosolyma exordium accepit nati- 2.
uitatis, scilicet nouæ conditionis sacramentorum, non au-
tem noui capitis, aut corporis, neque noui spiritus: sed illa
idem, qui priscis illis hominibus pro qualitate temporum
hominumque, timorem immiserat, in nos amorem con-
tulit, vt iam seruitute veteri carentes timoris, in libertate de-
inceps viueremus amoris. *Ad 3.* Non totam ecclesiam Iu-
dæorum repudiandam prædixerat scriptura; sed partem 3.
duntaxat, quæ in sua erat incredulitate remansura: alteram
vero perficiendam consolidandamque. vnus ergo trun-
cus, nouos palmites protulit. *Vineam suam*, ait Dominus *lo-*
cabit aliis agricolis: non dixit plantauit aliam vineam. Paulus *Matth. 21.*
ad Rom. 11. dicit nos esse insitos: *Cum esses oleaster, insertus es*
in bonam oliuam. Dauid, *Vineam de AEgypto transtulisti, eiecisti* *Rom. 11.*
gentes, & plantasti eam. Domine respice de cælo, perfice vineam istã: *Psalm. 79.*
non dixit institue aliam, sed perfice. Patet ergo quomodo
vna sit vinea Domini sabaoth. *Ad 4.* Vnitas ecclesiæ, ab vni- 4.
tate spiritus proficiscitur: quo membra inuicem connexa,
fouentur. vnde quamuis sancti prioris seculi è vita migra-
uerint; remanserunt nihilominus, atque remansura sunt
ecclesiæ membra vsque in finem mundi: *Ecce*, inquit Do-
minus Matth. vlt. *vobiscum sum vsque in finem seculi*: habuit er-
go illa ecclesia alias cæremonias, non tamen aliud caput,
aut cæremoniarum finem. Vna est ergo ecclesia, de qua A-
postolus manifeste loquitur: *Et ipse*, inquit, *quosdam dedit A-* *Ephes. 4.*
postolos, quosdam doctores, quosdam prophetas, & pastores, ad in-
structionem sanctorum, in opus ministerij, ad ædificationem corporis
Christi, Quia, ait Hieronymus in suo Commentario, *corpus* *Hieronym.*
Domini ecclesia est, de viuis lapidibus est construenda, vt corpus Chri-
sti ædificent. Et in cap. Isa. 51. *Consolabitur Dominus Sion. Sara* *Sara.*
prius sterilis, ait Hieronymus, *interpretatur ecclesia, quæ alio no-*
mine appellatur Sion quam Dominus consolatus est: & posuit de- *Sion.*
serta eius, quasi paradysum. Et cap. 55. *Lætare sterilis quæ non paris*,
&c. hunc locum Paulus ad Galat. 4. refert ad ecclesiam sub
nomine Saræ, & Isaac, quod prior populus de monte Sion
& Agar seruiret cum filijs suis: sequens autem, liber. Eccle-
sia autem gentium deserta & sterilis appellatur, quæ vnum *Sterilis.*
non habuerat Deum, nec legem acceperat, nec prophetas,
sed iubetur gaudere, propter prolis futuræ multitudinem:
Multi, inquit, *filij desertæ magis, quam eius, quæ habebat virum.* *Deserta.*
Sic etiam cecinit Anna mater Samuelis. *Sterilis peperit septem,* *1. Reg. 2.*
& quæ multos habebat filios, infirmata est. Et Psal. 112. *Qui ha-* *Psal. 112.*
bitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Dilata,
inquit, *locum tentorij tui, quia ad dexteram & læuam penetrabis,*
& semen tuum gentes hereditabit: de quo semine Matth. 13. lo-
quitur: *Exiit, qui seminat seminare semen suum.* Et Isa. 1. *Nisi* *Isa. 1.*
Dominus reliquisset nobis semen &c. Hoc de ecclesiæ magnitudine
dicit, quæ pro vno Iudææ loco, & ipso angustissimo, in toto orbe terra-
rum suos terminos dilatauit. Chrysostomus in expositione il- *Chrysost.*
lius verbi: *In omni loco ipsorum & nostro. Ostendit*, inquit, *in* *1. Cor. 1.*
vniuerso orbe, vnam oportere esse ecclesiam, quanquam loca diuisam
pluribus. Nam etsi loco separetur, eam tamen Deus coniungit, cum
omnibus sit communis. Quemadmodum enim qui eodem in loco
sunt, si diuersos habeant dominos, ipsi quoque differant, nihilque loco- *Vna ecclesia.*
rum similitudine ad concordiam, dominorum differentia proficiunt;
sic qui diuersis locis absunt, si eundem habeant Dominum, nihil eis
locorum diuersitas obest, cum ab vno in concordiam trahantur. Et in
cap. 4. ad Ephes. *Vnum corpus, vnus spiritus &c. Quid est autem*
vnum

De ecclesiæ vnitate. *vnum corpus,* inquit: Omnes vbique terrarum *fideles, & qui iam sunt, & qui fuerunt, quique futuri sunt: denique & qui ante Christi aduentum Deo placuerunt, vnum corpus sunt: non est diuisum corpus Spiritu, alioqui corpus non esset; nihil enim* *Vnum corpus.* *aliud est ecclesia, quam ex nostris animabus constructa domus.* *Quid ecclesia.* *Non est autem ipsa domus eiusdem honoris in omnibus, sed lapidum ex quibus est perfecta, quidam quidem splendidi sunt, quidam vero minoris gloriæ, sic etiam se habet ecclesia politia, in qua est varietas membrorum.* Augustinus epistola contra Petilian. Donatistæ epistolam de ecclesiæ vnitate copiosissime, doctissimeque disputat cap. 2. *Augustin. Catholica.* *Ecclesia vna est* inquit, *quam maiores nostri Catholicam nominauerunt, vt ex ipso nomine ostenderent, quod per totum sit; secundum totum enim catholon dicitur Græce.* *Caput. Colos.* *Hæc autem ecclesia corpus Christi est, sicut Apostolus dicit pro corpore eius quæ est ecclesia. vnde etiam manifestum est eum, qui non est in membris Christi, Christianam salutem habere non posse.* *Membra* *Corpus* *vero Christi per vnitatis charitatem sibi copulantur: & per eandem capiti cohærent, quod est Christus Iesus. Totum igitur, quod annunciatur de Christo, caput & corpus est, id est, Christus, & ecclesia, sponsus & sponsa, duo in carne vna. Quicunque igitur de ipso capite à scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inueniantur, in quibus ecclesia designata est, non sunt in ecclesia.* Et rursus, quicunque *de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, & vnitati ecclesiæ non communicant, non sunt in ecclesia. quia de Christi corpore, quod est ecclesia, ab ipsius Christi testifica sono recedunt.* Hæc *Arca. Bitumen charitatis.* ecclesiæ vnitas per arcam Noe figurata, quæ bitumine linita erat intrinsecus & extrinsecus, ne aquam emitteret suam, aut ne admitteret alienam: per bitumen, violentum gluten, & feruentissimum, charitas significata est, qua ecclesiæ vnitas *Area Gedeonis. Iud. 6.* connectitur atque conseruatur. Hæc est area Gedeonis, Per aream orbem terrarum intelligimus, locum vero vellerio populum Israeliticum. Nouimus illam quondam gentem diuini Sacramenti gratia tanquam cœlesti rore perfusam, cuius muneris per omnes in circuitu gentes, quia eo carebant, tanquam siccitas erat. Erat autem apud illum populum hoc munus in vellere, idem in velamine, & quasi in nube secretum; quia nondum fuerat reuelatum. Nunc autem videmus orbem terrarum iam reuelato rore saginari per euangelium Domini nostri Iesu Christi, illam vero gentem amisso Sacerdotio, tanquam in sicco vellere remansisse. Ad *Semen Abrahæ.* Abraham dictum est Genes. 22 *Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli: & in semine tuo benedicentur omnes tribus terræ.* Apost. ad Gal. 3. dicit in Christo & ecclesia hoc fuisse impletum: & in semine tuo, qui est Christus, in quo benedicendæ erant omnes gentes. De hoc semine locutus Dominus ad Isaac, *Gen. 26.* *Tibi, & semini tuo dabo terram hanc:* Et ad Iacob. *Noli timere,* *Gen. 28.* *terram in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo. Et erit semen tuum sicut arena terræ, & multiplicabitur supra mare, & in Aphricum, & in Aquilonem, & in Orientem. Ecce ego sum tecum in omni via tua, & non derelinquam te, donec faciam omnia quæ locutus sum.* *Isaia 11.* De hac ecclesiæ vnitate atque multitudine cecinit. *Et erit in die illa radix Iesse, & qui exurget principium habere in nationes: & in eum gentes sperabunt.* *Radix Iesse.* Radix Iesse Christus Dominus secundum carnem. Et cap. 27. *Germinabit & florescet Israel, & replebitur orbis terrarum fructibus.* Et cap. 41. *Ego Deus primus, & in his quæ aduenient ego sum. Viderunt gentes, & timuerunt fines* *Lux gentium.* *terræ.* Et 42 *In nomine eius gentes sperabunt.* Et 49. *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad fines terræ, vt possideas hæreditatem desertam. Ecce isti à longinquo venient: hi autem ab aquilone & mari, alii autem ex terra Persarum. Exulta cælum, & in lætitia esto terra: Emittant montes iucunditatem, quoniam misertus est Deus* *Templum acceptabile.* *populi sui, & humiles populi sui allocutus est.* Et subdit, *in breui ædificaberis ab his, à quibus euersa es.* hoc autem de ecclesia gentium intelligi debere 2. Cor. cap 6. aperte docet Apostolus. *In tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te.* Et 51. ca. *Audite populus meus, quoniam lex à me prodiet, & iudicium meum in lucem gentibus: & in brachio meo gentes saluabuntur:* de quo *Brachiũ.* brachio, id est, Christo cap. 53. sic loquitur: *Et brachium Domini cui reuelatum est,* Et cap. 54. *Lætare sterilis quæ non paris &c.* Hæreditas Christi ecclesia eius est, cuius multi sunt filii, propterea cap. 54. dicit: *Dilata locum tabernaculi tui. Adhuc in dexteram & sinistram extende, & semen tuum gentes possidebit, & ciuitates desertas inhabitabit.* Iussus est extendere funiculos suos, donec Deus eius Israel vniuersæ terræ vocetur. Et cap. *Diadema regni.* 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam &c.* Et subdit. *Et eris diadema regni in manu Dei tui, & iam non vocaberis derelicta, & terra tua non vocabitur deserta; sed vocaberis voluntas mea, & terra tua orbis terrarum.* Ex his ergo huius Prophetæ testimoniis, quænam sit ecclesiæ vnitas, & lati-

tudo, patet satis. Adsunt quoque testimonia Dauidica, quæ *De ecclesiæ vnitate.* ecclesiæ vnitatem mirifice commendant. *Postula à me,* inquit, *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam* *Hæreditas. Psal. 2.* *terminos terræ.* Hæreditas Christi, ecclesia est, quæ quia bonos & malos intra eadem retia erat habitura, propterea ei dicitur: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Eadem quippe firma & inflexibili iustitia boni reguntur: mali conteruntur. Psal. 21. *Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ: & adorabunt in conspectu eius, vniuersæ patriæ* 21. *gentium.* Nonne Apostolus ad Rom. 10. de prædicatoribus noui testamenti dictum exposuit, quod scriptum est: *In omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum?* 18. Psal. 49. *Deus deorum locutus est, & vocauit terram, à solis ortu vsque ad occasum: ex Sion species decoris eius.* Psal 56. *Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua.* Et vnde gloria 49. 56. eius super omnem terram; nisi quia ecclesia eius per omnem terram? Psal. 71. *Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* A flumine videlicet, vbi cum 71. S. S. in columbæ specie, & vox de cœlo manifestauit. Sequitur, *& replebitur gloria eius omnis terra.* Psalm. 44. *Astitit regina à dextris tuis: id est ecclesia, vario vestimentorum ornatu circum* 44. *amicta,* hoc est, ecclesia, quæ vario gentium ordine conditioneque vestitur. Oseas cap. 2. *Sponsabo te mihi,* inquit, *in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide.* Perpetuæ igitur dotes ecclesiæ sunt, Spiritus sancti magisterium, *Osea.* *Dotes ecclesiæ.* iudicium, iustitia, fides, atque authoritas. August. epist. 120. de gratia noui testamenti exponens illum Psal. 21. versiculum. *Et de manu canis vnicam meam. Nihil aptius,* inquit, *quam vnica ecclesia mihi videtur intelligi: canem vero appellauit mundum, non ratione, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantem.* *Vnica mea.* *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ cantabo te. Hæc est vna Catholica, quæ toto orbe copiosa diffunditur, quæ vsque ad vltimas gentes* (crescendo) *porrigitur.* Et in Psal. 121. *Propter vnitatem ecclesiæ, ait, vna est ecclesia. vna columba mea, vna est matris suæ; propter congregationes vero fraternas, per loca multa sunt ecclesiæ.* Et in Psal. 33. *A leonibus vnicam meam, id est, ecclesiam meam à sæuientibus potestatibus.* Vnde sequitur: *Vna, & multæ ecclesiæ.* *Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo graui laudabo te. Plane in ecclesia multa confitebor tibi, in populo graui laudabo te. Fit enim confessio in omni multitudine, sed non in omnibus Deus laudatur; in ista enim multitudine, id est, in ecclesia, quæ toto orbe terrarum diffusa est, palea est & triticum, palea volat, frumentum manet, quod populus grauis dicitur, in quo & Deus laudatur: in palea vero blasphematur.* Quod ergo vna sit ecclesia Dei toto orbe terrarum diffusa, ex sacris scripturis, atque doctoribus, manifestum esse puto.

CAP. III.

Vnum esse caput Ecclesiæ.

Ecclesiæ vnitas, sine vnius capitis vnitate consistere nequit, quemadmodum docet Apostolus. *Veritatem, inquit, facientes in charitate, crescamus in ipsum per omnia, qui est caput, nempe Christus:* propterea de capite vltimo eius loco, siue ecclesiæ disputare constitui. *Caput nec fit u. Ephes. 4.* Sequitur Apostolus: *Ex quo capite totum corpus coaptatum, & compactum, per omnem commissuram subministrationis, iuxta vniuscuiusque membri admensurationem actum, incrementum corporis facit, in ædificationem sui in charitate. Quemadmodum,* inquit, Chrysost. *spiritus ille sensibilis, qui ex cerebro per neruos in corpus* *Chrysost.* *descendit, non simpliciter omnibus, omnia tradit, sed iuxta cuiusque membri analogiam; ita & Christus, cuius prouidentia charismatum administratio in membris sibi cohærentibus fit.* Spiritus, inquam, *Policia corporis.* ille vitalis, iuxta cuiusque captum subministratus, incrementum facit. vnde si manus fuerit à corpore diuulsa, spiritus à cerebro descendens, inueniensque eam extra corpus, ad illam viuificandam non egreditur, ita & hic, nisi charitate colligati fuerimus, spiritus subministrationem non capiemus. Nec sufficit esse vnitum corpori; sed oportet & proprium locum obtinere, vtpote, qui nec vnitos esse queas, nec spiritum recipere, si loco cesseris. Quemadmodum enim in corpore organo sunt necessariorum capacia; ita sunt & in spiritu, omnia radicitus superius existente, vtpote organum spiritus cor, & sanguinis iecur, splen fellis, & cet. Omnia vero illa, à cerebro causam habent, ita & Deus, hominem honore afficiens, causam ipsam per seipsum administrans, cooperatores sibi constituit. ipse vero vitam administrat, & *Organum spiritus.*

modum

Christus caput ecclesiæ. Christus caput ecclesiæ. Ephes. 1. Ambr.

mundum. Præclare docet Apostol. ecclesiam à suo capite, à Christo videlicet, & motum habere & vitam. Ad Ephes. 1. *Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius qui omnia in omnibus adimplet. Omnem ecclesiam* dicens, ait Ambrosius, *summatim totum comprehendit. quod in cœlo est, & in terra; vt in vnum hominem membratim efficiantur: omnes confitentur bonum esse per quem facti à Deo sunt. Subijciuntur autem illi, quasi capiti membra, ex quo trahunt originem, vt omnia in omnibus adimpleantur.* Cum enim regressi ad confessionem vnius Dei, flectentes genu Christo, adimplentur in omnibus, vt sint omnia; quia ab ipso sunt, & per hoc ipse in cis est, quia virtute eius subsistunt: recedentes enim à Deo, euacuare illum videntur. Ad Colos. 1. *Et ipse est caput corporis*

August.

ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis. August. de agone Christiano: *Quamuis, inquit, eadem natura sit, corporis ecclesiæ, multum tamen distare inter caput & membra cætera, quis non intelligat? si enim ecclesiæ caput est homo ille, in cuius susceptione verbum caro factum est, & habitauit in nobis; membra cætera sunt omnes sancti, quibus perficitur, & completur ecclesia.* Totus Christus, id est, caput & corpus prædicatur; etenim caput & corpus vnus Christus: non quia sine corpore non est integer;

Membra ecclesiæ. Sponsus & sponsa.

sed quia & nobiscū integer esse dignatus est. Quomodo autē corpus eius nos, si nō & nobiscū vnus Christus? Isa. 61. loquitur: *Velut sponsum induit me ornamento: & velut sponsam alligauit mihi mitrā.* Eundē dicit sponsum secundū caput, & spōsam secundum corpus. Duo videntur, & vnus est. Ab Abel iusto, vsq; in finem mundi, omnes iusti, vnū corpus Christi sunt; Apost. 1. Cor. 12. *Vos estis corpus Christi, & mēbra de mēbro:* & ipse caput corporis ecclesiæ: q́ erit cōpleta in fine mundi

Proprietates capitis.

ciuitas regis magni: modo vero peregrinatur in terris. Tres autem capitis in homine conditiones, seu proprietates numerantur: Vna quidem naturæ, cum reliquis membris affinitas, atque conformitas; licet situs altitudine, sensuum,

1. operationumque eminentia, membris cæteris excellat; etenim in capite quinque sensus intrinseci, atque totidem extrinseci vigent, omniusque organorum, neruorum, at-

2. que sensuum principatus. Altera conditio est eiusdem, quod in vnoquoque caput sit principium, atque animalium virium origo: à quo cæteris membris motus præstatur & sen-

Cor principium vitæ.

sus. Nam etsi in animali, vitalis virtutis principium, vitæque radix, cor esse dicatur: à quo in cætera membra, vita, spiritusue deriuentur vitales: vnde, secundum quorundam sententiam, primum, quod in animali viuit, & quod postremo moritur, cor sit; caput nihilominus præstantissimum est membrorum, ac cœlo proximum, ob sensuum rationem, quæ in eo viget, denique propter dominium, quod exercet in vitam à corde manantem; est enim caput principium virtutis sentiendi, atque mouendi, omnium sensuum initium, neruorumque motionis voluntariæ. Vltima con-

Officium capitis.

ditio capitis est, qua illius officium cognoscitur: Est autem capitis, suis in operationibus, cætera dirigere membra, idque propter sensus, & vires cognitiuas, quæ in ipso maxime dominantur. Porro huiusmodi conditiones excellentissimo modo Christo capiti ecclesiæ aptari possunt: nam & eiusdem fuit naturæ (peccato duntaxat excepto) cum membris sui corporis, & omnium gratiam donorum, non ad mensuram accepit: denique ipsius merito, ecclesiæ membra reguntur, & viuunt. *Quomodo ergo,* inquit Augusti-

Li. de agone Christ. c. 20.

nus, *animatus totum corpus nostrum animat, & viuificat, sed in capite & videndo sentit, & audiendo, & odorando, & gustando, & tangendo in cæteris autem membris tangendo tantum; & ideo capiti subiecta sunt ad operandum: illud autem supra collatū est ad consulendum; quia ipsius animæ quæ consulit corpori, quodam modo personam sustinet caput, ibi enim omnes sensus apparent, sic in*

Capitis nobilitas.

vniuerso populo sanctorum, tanquam vni corpori caput, est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Et propterea sapientia Dei, & verbum per quod facta sunt omnia, non sic assumpsit illum hominem,

Sapientia Christi hominis.

vt cæteros sanctos, sed multo excellentius: quoniam ipsum solum assumi oportuit; in quo sapientia Dei patris hominibus appareret; sicut tam visibiliter docebat ostendi. Quapropter aliter sunt sapientes cæteri homines, & aliter ille vnus mediator Dei & hominum: qui sapientia ipsius, per quam sapientes fiunt quicunque homines, non solum

Differentia capitis corporalis & spiritualis.

beneficium habet: sed & personam gerit. Hæc Augustinus. Verum inter spirituale caput, & corporale magnū interest: Et primum quidem, quia Christus secundum humanam naturam, non opus habet ministerio suorum membrorum, aut alimentis, vnde vitam tueatur: caput vero corporale, vitam mutuat à membris suis, vt pote à corde, ab epate, à stomacho. Item, sue non interest, vt membrum faciat de non membro. Christus vero quod prius non erat membrum viuum, ob peccati labem tabefactum, & corruptum, remota, sui sanguinis pretio, huiusmodi sorde peccati in vitam reuocauit. Itaque Christus caput est ecclesiæ, secūdum for-

Christus caput ecclesiæ.

mam scilicet, in qua sunt duo in carne vna. *Sacramentum hoc magnum est,* ait Apostolus, *dico in Christo, & ecclesia* propter vnitatem etiam spiritus, à quo totum corpus viuificatur & regitur. *Mittam, inquit, ad vos spiritum veritatis, vt vobiscum*

Ephes. 5.

maneat, quem mundus non videt, nec potest accipere: siquidē Christi merito, in nos dilapsus est Spiritus, ait Ioan. 7. *non erat da-*

Ioan. 14. 7.

tus, quia Iesus nondum erat viuificatus. Nullum maius donum, inquit Aug. *potuit Deus præstare hominibus, quam vt verbum suum, per quod omnia condidit, faceret illis caput: & illos tanquam membra sibi coaptaret, vt vnus Deus & homo Iesus Christus esset, qui & oraret pro nobis, & oraret in nobis, & oraretur à nobis. Orat et quidem in nobis, vt caput nostrum: orat et autem pro nobis, vt Sacerdos, & pontifex animarum nostrarum: oratur à nobis, vt Deus noster.*

Aliæ rationes capitis.

Amplius, quemadmodum ecclesia corpus Christi mysticum dicitur; ita etiam & Christus corporis eiusdem caput mystica ratione nominetur, ordine quidem, perfectione, atque virtute; caput enim est pars animalis superior. proinde quodlibet principium, caput vocari consueuit: perfectione autem, propter eam, quæ superius dicta est rationē: virtute, quia virtus & motus in membra à capite descendit. Itaque Christus caput est ecclesiæ, ordine, propterea quod

Gratiæ caput.

in eo gratiæ donum præeminet: *Plenum gratiæ,* ait Ioan. 1. *& veritatis,* à quo omnes gratiam accepimus. *Quos præsciuit,* ait Paulus, *hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt*

Rom. 8.

sit ipse primogenitus in multis fratribus. perfectione, quia donorum perfectione cæteris præstat membris ecclesiæ: virtute autem ob virtutem influendi in reliqua membra. Quamobrem, cum corpus humanum, naturalem ad suam animam, formam, & motricem eiusdem, ordinem habeat, & quatenus est huiusmodi, vitam & cæteras proprietates ab ea recipiat: influxu ergo capitis non solum in animam hominis, sed etiam in corpus redundabit. *Qui suscitauit,* inquit,

Rom. 8.

Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum sanctum in nobis. Et ad Phil. 3. *Re-*

Phil. 3.

formabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis

Caput omnium hominum.

suæ. Dicitur præterea Christus caput omnium hominum, *ipse,* inquit, *est saluator omnium hominum, maxime fidelium:* Et

1. Tim. 4.

primæ epist. Ioan. cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis, & non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi,* quæ omnia Christo cepit sunt tribuenda igitur est caput omnium hominū. Hoc autem interest inter corpus hominis naturale, & corpus Christi mysticum, quod corporis naturalis membra,

Membra in actu.

omnia simul esse, sit necessarium; vt compagem, atq; structuram corporis complere valeant: membra autem corporis mystici: neque quoad esse naturæ, neque quoad esse gratiæ, pro præsentis vitæ conditione, vt simul sint, necesse est; nisi post resurrectionis tempus, quando tota simul erit ecclesia, non habens maculam, neque rugam, sed gloriosa permanebit. Quam ob causam mystici corporis membra, non tantum actum, verum & potentiam respiciunt. Propterea quædam sunt in potentia, quæ nunquam erunt in actu: quædam vero ad actum tandem deuenient, fide primū; deinde charitate, quæ est præsentis temporis: postremo, perfecta, atque absoluta patriæ fruitione. Christus ergo est caput omnium hominum secundum diuersos gradus hominum atque temporum, & eorum qui potentiæ sunt illius membra, & qui fide, & charitate ei adhærent: denique & illorum, qui æternæ societatis bonis potiuntur, & gaudent. Est præterea caput angelorum, authore Apostolo. *Qui est,*

Colos. 2. Caput angelorum.

inquit, *caput omnis principatus, & potestatis,* id est, omnium supremus, causa, & author, ait Chrysostomus, non autem cōsubstantialis. Hieronymus exponens illud Apostoli *ad Ephes.*

Chrys. Hier.

4. vt adimpleret omnia *Descendit ad inferiora terræ,* ait, *& ascendit super omnes cœlos filius Dei, vt non tantum legem prophetasq; compleret: sed & alias quasdam occultas dispensationes quas solus ipse nouit cum patre. Neque enim scire possumus, quomodo & angelis, & his qui in inferno erant sanguis Christi profuerit, & tamen quin*

Sanguis Christi profuit Angelis.

profuerit, nescire non possumus. Sit itaque angelis profuit sanguis Christi; est ergo illorum caput, non naturæ conformitate, sed redemptionis virtute. Etenim quemadmodum dicimus, beatam Dei matrem, pretioso filij sui sanguine fuisse redemptam, nobilissimo vtique redemptionis modo; propterea quod illius merito præseruata fuerit ab omni labe peccati; sic etiam fateri possumus cum Hieronymo, sanguinem Christi, angelis profuisse, quod illius virtute, draconis pugnam vicerint, atque omni peccati labe immunes euaserint. Non ergo vt efficiens causa tantum gratiæ, verum etiam, vt meritoria, Christus Dominus caput est, & hominibus & Angelis. Ad vnum præterea finem, diuinæ scilicet fruitionis gloriam, angeli atque homines ordinantur,

Omnes acceperunt gratiam à Christo.

quorum omnium caput Christus dicitur; quia nimirum dona gratiæ, cumulatius, abundantiusque cæteris omnibus acceperit: vnde ex eius plenitudine, & homines accipiunt,

& an-

[illegible] & angeli. *Omnes*, inquit Ioan. 1. *de plenitudine eius accepimus*. Paul. dicit Christum esse constitutum à Deo in cœlestibus, super omnem principatum, & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. *Filius Dei*, ait Ambrosius in suo commentario, *homo factus super omnes cœlos esse dicitur, & super omnem creaturam sedet ad dextram Dei, habens nomen Dei per naturam, non per adoptionem, honor enim quem dedit illi pater per generationem, tunc manifestatus est, cum natus homo passus est, & victa morte resurrexit, ascendens, vnde descenderat, super omnes cœlos. Et omnia subiecit sub pedibus eius: Patrem dicit filio omnem creaturam subiecisse, vt quia omnia per ipsum fecit, ipse omnium caput sit & Dominus.* Est ergo Christus caput angelorum, non quidem naturæ conformitate, sed redemptionis virtute, & gratiæ præeminentia, non solum gratiæ vnionis; sed etiam singularis personæ: sicut docet Ioan. 3. Non, inquit, datus est illi spiritus ad mensuram. Sed *dicet aliquis*: angeli Christo homini nequaquam sunt subiecti, non quidem gratiæ, aut naturæ ratione: nam quatenus est homo, eiusdem est nobiscum speciei: & proinde inferior angelorum natura: quoad vero ad gratiæ rationem spectat; angelis quoque minor esse conspicitur: nam pro proportione naturalium, angelis gratia præstatur. sed illa maior est in natura angelica, quam in natura humana. nullo ergo modo angeli Christo homini videntur esse subiecti. *Resp.* angelos, tum ratione diuinæ vnionis, tum etiam gratiæ singularis personæ, Christo homini esse subiectos. Et cum *dicitur*, angelos accepisse gratiam secundum proportionem naturalium, sieque, quibus dignior erat natura, maiorem gratiam adhibitam, seu præstitam fuisse. *Dico*, hoc veritatem habere in proportione naturalium, quæ angeli habent ad inuicem: nam pro vniuscuiusque proportione, facta est donorum gratiæ distributio, non autem si ad Christi humanam naturam conferantur; quandoquidem Christo homini non est gratia concessa, pro liberi arbitrij conatu, conuersioneque ad Deum, sed ab instanti suæ incarnationis, accepit omnem gratiæ plenitudinem pro mensura voluntatis diuinæ, atque ipsius animæ obedientialis potentia: gratia ergo in Christo abundantior est, atque copiosior, quam in qualibet alia creatura. Omnia ergo subiecta sunt Christo homini, ratione quidem vnionis, quanto enim aliqua natura creata Deo est proximior, tanto vtique est sublimior: ac proinde, quæ illa sunt natura inferiora, ei subiecta sint, necesse est. sed natura humana in Christo est huiusmodi: omnia ergo sunt ei subiecta, præter eum, qui subiecit sibi omnia. *Nunc*, inquit August. *in acl, quod natura humana in Christo, est propinquior, quam natura aliqua angelica: quia coniuncta est ipsi Deo non solum per vnionem operationis, sicut ipsi angeli, sed secundum esse hypostaticum, quia in vnitate suppositi.* Natura ergo angelica est Christo homini subiecta. Amplius, actiones sunt suppositorum, (inquit philosophus) ideo licet humana natura in Christo passionis certamen gesserit; meritum tamen erat suppositi diuini: proinde quando dicitur caput, & redemptor, non humanæ tantum, sed etiam diuinæ est actio consideranda naturæ: solus enim homo vincere mortem, ac peccatorum abolitionem facere non poterat: nec etiam solus Deus mortis subire supplicium; propterea optimus est mediator, quia vtriusque naturæ operationes exercuit. Adde, quod in Christo homine est maior gratia, igitur maior excellentia imperandi. *Omnia ergo subiecta sunt pedibus eius.*

Quomodo angeli [illegible] Christo subiecti [illegible]

August. de Trinit.

Omnia Christo homini subiecta.

CAP. IV.

Argumenta contraria.

CONtra supradicta posset quispiam sic *arguere*: Caput in homine est particulare membrum, adminiculo indigens cæterorum membrorum. et Christus est caput vniuersale. non ergo recte dicitur caput ecclesiæ. Sane, capitis non est aliud caput, alioqui processus esset in infinitum. sed Christi hominis (authore Apost.) Deus caput est, non est ergo ipse caput. Adde, quod capitis interest, in membra sensum & motum influere. Sensus autem, & motus spiritualis influxus, ad Christum hominem non spectat, teste August. *lib. de Trinit.* igitur proprie caput ecclesiæ dici non potest. Amplius, si Christus est caput ecclesiæ propter donorum influxum in membra sui corporis: non ergo est caput hominum, quoad ipsorum corpora, propterea quod illorum non participia sunt donorum: alioqui (quod nefas est dicere) brutorum caput dici posset, corporibus enim, brutis similes sumus. Denique, à sancta virgine suum corpus accepit. sed caput inter cætera membra, primum obtinet locum: non ergo,

1.

2.

3.

quoad corpore humana, caput est hominum. Amplius, caput relationem habet, ad sui corporis membra: Christus ergo non est caput omnium hominum. Tenet conseq. non fideles enim sunt membra ecclesiæ. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare?* cum ergo infideles sint extra ecclesiam, authore Apostolo; sub Christi capite minime continentur. Adde illud Apostoli *Christus*, inquit, *se tradidit pro ecclesia, vt exhiberet sibi gloriosam ecclesiam, non habentem rugam, neque maculam, aut aliquid huiusmodi.* sed infideles omnes, incredulitatis tabe sunt labefactati, & maculati; plurimi etiam fidelium, vitiorum labe coinquinantur. non omnium ergo hominum Christus est caput. Postremo, non videtur eorum esse caput, qui in veteri lege, Deo seruierunt; nam illi exemplari, & vmbræ deseruiebant cœlestium: ad Hebr. 8 Vetus autem lex ita refertur ad Christum, sicut vmbra ad corpus, sic enim docet Apost. *Quæ sunt vmbra futurorum.* Corpus autem Christi est veritas vmbrarum. ergo quod prius. Item, caput, & corpus sunt eiusdem naturæ, vt iam dictum est. sed Christus quoad humanam naturam, est paulo minoratus ab angelis: vnde Apost. clamat. *Minuisti eum paulo minus ab angelis* & iterum. *Nunquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Non ergo est caput angelorum. Reuera illorum Christus est caput, qui in numero membrorum sui corporis habentur. sed angeli non sunt in numero membrorum ecclesiæ, quia ecclesia est congregatio fidelium; fides autem non est in angelis. quippe, qui non per fidem, sed per speciem ambulant, alioqui peregrinarentur à Domino, vt arguit Apostolus, ergo. Adde illud Augustini super Ioan. *Sicut*, inquit, *verbum, quod erat in principio apud patrem, viuificat animas, ita verbum caro factum, viuificat corpora, quibus carent angeli.* sed verbum caro, est Christus, quatenus est homo; non ergo influit vitam in angelos, ac consequenter, non est caput angelorum. *Respond.* ad primum, atque dico, capitis spiritualis, atque corporalis non easdem esse rationes omnino, sicut dictum est: propterea argumentum non concludit. *Ad confirm.* ideo naturalis capitis non est aliud caput; quia corpus humanum non est pars alterius corporis: non sic autem res se habet in capite mystico. Nam, quemadmodum multitudo domestica est pars multitudinis ciuilis, ac propterea paterfamilias, domesticæ caput multitudinis, aliud supra se caput habet, rectorem ciuitatis scilicet; sic etiam nihil prohibet, caput Christi esse Deum, ipso nihilominus capitis ecclesiæ officio fungente. *Ad confirm.* Christus meruit suis membris gratiam; non autem creat, vt homo, sed vt Deus: & hoc intellexit Augustinus. Patet ergo quomodo sit caput ecclesiæ. *Ad 2. dico*: Spiritualis gratiæ sensum, non primo, sed secundario in corpora beatorum descendere. *Ad confirm.* negatur similitudo; non enim corpus bruti aliquam ad animam habet rationalem habitudinem, quam habet & corpus humanum. *Ad aliam confirm.* quamuis corporis dominici materia ex beata matre sumpta sit, vitam tamen immortalem, & animabus, & corporibus beatorum ipse promeruit: *Sicut*, inquit Apostolus. *in Adam omnes moriuntur ita & in Christo omnes viuificabuntur.* *Ad 3.* Etsi infideles non sint actu ecclesiæ membra; sunt tamen potentia, quæ quidem potentia, Christi virtutem innititur; quæ potens est omnibus præstare virtutem salutis, & vitæ, & saluandorum etiam arbitrij libertatem. *Ad confirm* Pauli sententia de ecclesia futuri, non præsentis seculi est intelligenda. *Ad aliam confirm.* Patres veteris legis habebant eundem spiritum fidei, sicut & nos, propterea sacramentis legalibus, veluti vmbris, non autem rebus veris vacabant: ex quo patet, membra esse Christi, capitis corporis sui, quæ est ecclesia. *Ad 4.* Christi influentia in homines, in eorum animas præcipue tendit: quarum respectu, in naturæ generis, homines cognationem, affinitatemque cum Angelis habent. quam ob causam huius rationis conformitatis, caput angelorum Christus dicitur, licet desit conformitas illa, quæ corpore intuetur humana. *Ad confirm.* Ecclesia pro statu huius vitæ, est congregatio viatorum fidelium pro statu vero patriæ, est congregatio comprehendentium: cum autem Christus, & viator extiterit, & comprehensor; recte, & caput hominum dicitur, & angelorum. *Ad confirm.* Dico Augustinum locutum fuisse secundum quandam similitudinem causæ ad effectum: qualiter scilicet res corporalis agit in corpora, & spiritualis in spiritum. humanitas nihilominus Christi, ex spiritualis naturæ virtute, personalis vtique vnionis, & in homines habet virtutem, & in angelos etiam gratiæ influendæ. Ex his ergo, quæ dicta sunt, Christum esse caput ecclesiæ, patet.

Christus ca. ecclesiæ.

1. Cor. 6.

Ephe. 5.

Hebr. 8.

Colos. 2.

4.

Heb. 2.

2. Cor. 5.

Soluuntur argumenta.

1.

2.

1. Cor. 4.

3.

4.

Christus caput angelorum.

Petrus ca. ecclesiæ.

QVÆSTIONIS SECVNDÆ

CAP. I.

Petrus Apostolus caput Ecclesiæ.

Petrus caput ecclesiæ.

QVia Christi ecclesia, ex visibilibus est membris constituta, Christo eius capite, ad patrem redeunte, Petro Apostolo suas vices commisit, vt capitis vice fungeretur in terris. Sic enim legimus in synagoga Iudæorum, quæ vmbra fuit duntaxat ecclesiæ, vnum præfuisse principem, sub quo plurimi hominum ordines, atque gradus militabant. In ecclesia præterea triumphanti, cui, velut exemplari nostra militans respondet, vnum habet præsidem Deum, sub quo diuersi famulantur gradus angelorum. Quomodo ergo ecclesia, quæ media est inter vmbram, & veritatem, hac nobilitatis conditione, præeminentiæque prærogatiua carebit? Sapientis quoque naturæ consilium, hunc in rebus propriè omnibus præeminentiæ ordinem perpetuo seruare videtur: omnis quippe multitudo ad vnum caput refertur. sic in arboribus multi sunt ramorum ordines, qui profecto omnes, ab vna radicis pinguedine prodeunt. In animantibus multa quoque membra; sed omnia reguntur à capite. *In apibus*, ait Cyprianus, *rex vnus est, & dux vnus in gregibus. & in armentis rector vnus: & demum in quauis politia optime instituta, ad vnum refertur totius administratio.* Erat hoc ecclesiæ necessarium, vt ab vno capite visibili regeretur; vt quoties de rebus fidei lites emergerent, aut de scripturarum rebus controuersia, vnius sequeretur iudicium: vtque præterea generalia vnius fierent concilia authoritate: denique, vt contumaces, pastoris vnius baculo punirentur. Quamobrem, etsi in relaxandis, remittendisque peccatis, sacerdotalisque officio dignitate administranda, omnes propemodum Apostolos pares fuisse, scripturæ protestentur; Petrum tamen omnibus fuisse caput, & pastorem à Christo institutum, & scripturæ docent, & veteres Theologi minime tacent. In primis à Christo Cephas, id est, Petrus vocatus est, cum antea Simon vocaretur: mutatio autem nominis in scripturis sanctis, alicuius cuiusdam mysterij indicium semper extitit. *Et imposuit*, inquit Euangelium Marci 3. *Simoni nomen Petrus, & duobus filiis Zebedæi, Boanerges.* his namque tribus, præ cæteris familiariter Dominus vtebatur. Simon tamen, vt singularis eius præeminentia notissima fieret, nomen haud aliunde, quam ab ipso Christo deriuatum accepit: Christus enim, authore Apostol. petra fuit: *Petra*, inquit, *erat Christus*: ac proinde à Christo petra, dictus est Petrus; vt hac profecto nominis deriuatione, Christus nobis innueret, suas vices, præcipuamque authoritatem, Petro commisisse. Amplius, quamuis Petrus non esset vocatione primus; Euangelia tamen, vbique primas ei partes tribuisse, constat. Sic enim docet Matthæus. *Petro*, inquit, *duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui vocatur Petrus &c.* Marcus 3. Lucas 6. Hunc in Apostolorum ordine primum locarunt. Tertia eius prærogatiua, qua claues ecclesiæ illi datæ sunt, Matth. 16. *Et ego dico tibi. quia tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo ecclesiam meam.* Augustinus. *In hoc libro*, inquit, *dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tanquam in petra fundata sit ecclesia. qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait: hoc ipsa petra ecclesiæ canente, culpam diluit. Sed scio me postea sæpissime sic exposuisse, quod à Domino dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo ecclesiam meam, vt super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: Tu es Christus filius Dei viui. Ac sic Petrus ab hac petra appellatus, personam ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur; & accepit claues regni cœlorum. non enim dictum est illi, tu es petra, sed tu es Petrus: petra autem erat Christus, quem confessus est Simon. sicut eum tota ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector.* vtraque ergo sententia probatur ab Augustino, contra epistolam Donati de Apostolo Petro sermonem faciens. quamquam alibi petram, Petri fidem interpretetur; ibi tamen affirmat, in Petro tanquam in petra, fundatam esse ecclesiam: suamque sententiam comprobat carmine Ambrosij, de gallo gallinaceo. Et sermone 26. de sanctis: *Primum signum mirabile*, inquit, *quod beatus Apostolus Petrus fecit, claudo pedum restituendo vestigia. Audistis frequenter ipsum Petrum à Domino petram nuncupatum, sicut ait*, Matt. 16. Tu es Petrus. &c. *si ergo Petrus petra est, supra quam ædificatur ecclesia, recte prius pedes sanat. vt sicut in ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine, membrorum fundamenta confirmet. Recte, inquam, pedes Christiano curat, vt iam non trepidus quis, nec imbecillis possit supra petram ecclesiæ stare, sed robustus, & fortis incedere.* Hieronymus Christi verba ita exponit: *Ego*, inquit, *dico tibi, non sermone cassum, & nullum habente opus, sed dico tibi, quia meum dixisse, & fecisse est. Quia tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo ecclesiam meam. Sicut ipse lumen Apostolis donauit, vt lumen mundi appellarentur, cæteraque ex Domino sortiti sunt vocabula, ita & Simoni qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen. Ac secundum metaphoram petræ, recte dicitur ei, ædificabo ecclesiam meam super te.* Ambrosius, apertissime affirmat, Petrum fuisse petram, supra quam Christus fundauit ecclesiam. *Pro soliditate deuotionis*, inquit, *Petrus ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo ecclesiam meam. petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus, fidei fundamenta posuerit: & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat. Petra ergo, pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur: sicut ait Apostolus. Petra autem erat Christus. Recte consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis. In eadem enim domo Petrus fundamentum posuit, Petrus plantat, Dominus incrementum dat, & irriguum subministrat.* Hilarius quoque in Matth. sic loquitur: *Beatus hic est*, inquit, *vt vltra humanos oculos, & intendisse, & vidisse laudatus est, non id quod ex carne, & sanguine erat contuens, sed Dei filium, cælestis patris reuelatione conspiciens, dignusque iudicatus, qui quod in Christo Dei esset, primus cognosceret. O in nuncupatione noui nominis felix ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O Beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur: cuius terrestre iudicium præiudicata authoritas sit in cœlo; vt quæ in terris, aut ligata sint, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cœlo.* Gregorius ad Eulogium: *Quis*, inquit, *nesciat, sanctam ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam? Qui firmitatem traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claues regni cœlorum: cui rursum dicitur: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Iterumque. Simon Ioannis, amas me, pasce oues meas. Itaque cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu, sola Apostolorum principis sedes, in authoritate conualuit.* Leo sermone quodam de anniuersario pontificatus suæ assumptionis die, prædicta Christi verba sic exponit: *Et ego dico tibi*, inquit: *hoc est, sicut meus pater tibi manifestauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus: id est, cum ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum: ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria; sint tibi mecum participatione communia. Et super hanc petram, ædificabo ecclesiam meam.* Tertullianus de præscriptionibus hæreticorum: *Latuit aliquid*, inquit, *Petrum ædificandæ ecclesiæ petram dictum, claues regni cœlorum consecutum, & soluendi, & alligandi in cœlis, & in terris potestatem. Affirmat ergo Petrum dictum fuisse petram ædificandæ ecclesiæ.* Cyprianus similia quædam in quadam epistola describit: *Nec Petrus*, inquit, *quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit ecclesiam suam, cum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, sibi vindicauit, seu aliquid, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & posteris sibi potius oportere.* Et in epistola 3. ad Cornelium: *Petrus*, inquit, *super quem ædificata ab eodem Domino fuerat ecclesia, vnus pro omnibus loquens, & ecclesiæ voce respondens, ait: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Basilius de pœnitentia: *Petrus audiuerat*, inquit, *se esse petram licet enim petra esset, non tamen petra erat vt Christus, nam Christus vere est immobilis petra, Petrus vero propter petram. Axiomata namque sua ipsis largitur alijs. Largitur autem ea non euacuatus, sed nihilominus habens.* Soluit postmodum Basilius, quæ nostris temporibus fiunt obiectiones. *Lux est*, Ioan. 8. *Vos estis lux mundi*, inquit, *Sacerdos est: Tu es sacerdos in æternum. Et facit sacerdotes:* Apoc 5. *Et fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Ouis est. Tanquam ouis ad occisionem ducetur. Et Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum. Petra est, Petra autem erat Christus, & petram facit. Quæ sua sunt largitur seruis suis. Argumentum hoc est opulentis, habere videlicet, & aliis da-*

Ve-

Margin notes (left): *Omnia quærunt unū principem.* — *Quare habet vnum caput ecclesia.* — *Petri prærogatiua.* — *Petrus à petra.* 1. Cor. 10. — 2. — Matth. 10. — 3. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* lib. retract. 1. cap. 21. — Act. 3.

Margin notes (right): Petrus ca. ecclesiæ. — *Petra ecclesiæ Petrus in Matth.* 16. — *Ambr.* — *Quare dicitur pe[trus]* — 1 Cor 10. — *Hilarius.* — lib. 6 ep. — *Cyprian.* — *Basilius.* hom 19. — *Christus suas communicat dignitates.* Matt. 4. Psal. 1. Isa. 53. Luc. 1 Cor 10.

ri. Verum, qui apud nos diuites sunt, vbi sua largiuntur alijs, quæ habent imminuunt, diuites enim non fuimus, quia aliena possidemus. Christus vero ita diues est, vt quantum alijs elargitur tantum nihilo secius ipse diues permanet, est enim instar fontis perpetuo fluentis. Et lib. 2. aduersus Eunomium: *Petrus, inquit, quoniam fide præstabat, ecclesiæ commissam sibi ædificationem suscepit.* Et de iudicio Dei. *Petrum beatum, qui & cæteris antelatus discipulis fuit, cui claues regni cœlestis commissæ sunt.* Chrysost. in 16. caput Matth. *Quæ Deus con. cædere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & vt futura ecclesia tot tantisq; fluctibus impetu irruentibus immobilis maneat, autem pastor & caput piscator homo, atque ignobilis terrarum orbe reluctante Adamantis naturam firmitate superet: hæc inquam omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum. Ita & pater ad Ieremiam dicebat: Sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posuite.* Cyrillus lib. 4. de trinitate: *Et super hanc petram &c. Petram opinor per agnominationem aliud nihil, quam inconcussam, & firmissimam discipuli fidem vocasse, in qua ecclesia Christi ita fundata, & firmata esset, vt non laberetur, & esset inexpugnabilis inferorum portis in perpetuum manens. Petri autem fides sic in filium non inconsiderate fiebat, nec ex humanis mentibus scaturiebat, sed ex ineffabili eruditione superna. Non, inquit, caro, & sanguis, id est, parentes, qui te genuerunt, hoc tibi indicarunt, sed pater meus, qui est in cælis.* Origenes homelia 5. super Exodum. *Qui, inquit, ita beatus est, vt nulla in ti eius cogitatio ambiguitatis obrepat? Vide magno illo ecclesiæ fundamento, & petra solidissima, super quam Christus fundauit ecclesiam, quid dicatur à Domino: Modicæ fidei quare dubitasti?* Itaque super fidelem Petrum, qui primus Christum vere confessus est, fundata est ecclesia Catholica: alij quippe antea confessi sunt, Christum esse filium Dei, vt pote Nathanael, & qui in oaurgio sedatam viderant tempestatem. Sed hi Christum quendam inter multos à Deo magis dilectum putabant. non autem ex ipsa patris natum substantia. Petrus vero filium Dei, ex ipsa Dei genitum substantia confessus est, cuius confessionis merito, dictum est illi. *Beatus es Simon Bariona, filius Ionæ. &c.* Magnum sane donum fuit, quod Deus pater contulerat Petro, nempe reuelationem diuinitatis filij sui: verum propter huius doni vsum confessionemque fidelem, præmium longe cumulatius Christus adiecit: *Super te, inquit, petram ædificabo ecclesiã meam,* quia primus omnium hanc fidem Petrus confessus est, idcirco ab eo voluit, suæ ecclesiæ exordium sumere. Etenim quos Christus collecturus venerat, ad Christi ecclesiam peculiariter pertinebant. Quem ob causam, & hanc, quam cœpit à Petro congregationem, peculiari nomine suã Christus vocauit. Quæ quoniam hæc iam futura erat, propetra se ædificaturum promisit: *Tu es, inquit, Petrus,* id est, saxum immobile, *super quod ædificabo ecclesiam meam,* quæ est viuorum lapidum, non confusa, sed ordinatissima constructio. sic enim ipsemet Petrus confitetur clarissime: *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spirituales.* Non ergo intelligi debet super hanc fidem; sed super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Etenim nullum ecclesiæ membrum fide vacare constat quippe, qui sine fide est, extra ecclesiam numeretur ab omnibus. Quare, si fides est ecclesiæ fundamentum, cum omnes fideles, fidem habeant. non vnum ergo, sed plura erunt ecclesiæ fundamenta; quod falsum esse, vel ex ipsius ecclesiæ vnitate, maxime patet. Amplius, ecclesiæ fundamentum est visibile *Dic ecclesiæ.* inquit, Cum enim esset mihi dicendum, si videri non potest? sed fides est res inuisibilis, vtpote qualitas desuper menti infusa credentis. non ergo fides est illa petra, supra quam Christus suam fundauit ecclesiam; sed Petrus cum illa fide, atque confessione fideli. Adde, quod tunc Christus, ecclesiæ fundamentum nequaquam dici posset; vtpote qui fide carnos, vera semper fruebatur visione nobis tamen Christus fundamentum est, sic nos docente Apostolo, *Fundamentum, inquit, aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Nec propterea duo, sed vnum tantummodo ecclesiæ fundamentum; nam Petrus non nisi vicem occupat Christi. vnde & petræ nomen sortitus est, supra quam Christi ecclesiam fuisse fundatam, per multam nubem testium, & quidem fidelium, satis manifestum esse puto.

Fides non est petra supra quã ædi. est ecclesia.

Vnum fundamentũ. 1. Cor. 3.

CAP. II.

Petrus pascit oues Christi.

Audiuimus quonam pacto Petrus sit ecclesiæ fundamentũ: Audiamus etiam eiusdem cæteras prærogatiuas potestatis. Soli Petro nominatim claues regni cœlestis cõmissæ sunt: *Tibi (inquit) dabo claues regni cælorum.* Dedit eucem Ioan. vltimo, quando dictum est illi à Domino *Pasce oues meas.* Altera vero illius prærogatiua non parui facienda, quæ *Matth. 17.* scribitur, in soluendo didrachmate, in quo Petrum præ cæteris Christus sibi parem eduxit: quod profecto futuræ in Petro præeminentiæ indicium fuit. Sexta Petri prærogatiua apud Lucam scribitur: vbi commemorata contentione inter Apostolos orta, mox Dominus ad Petrum conuersus dixerit. *Simon, ecce sathanas expetiuit, vt cribraret vos sicut triticum. sed ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quibus profecto verbis Dominus Petri præeminentiam & primatum ostendit singularem. Septima, ex voce Angeli ad mulieres Mar. vlt. dignoscitur: *Ite, (inquit) dicite discipulis eius, & Petro.* Magnum id omnino fuit in Petro præcellentiæ argumentum. Octaua, quod primus ipse Christi monumentum ingressus fuerit, quasi, imo vere primum locum post Christum in ecclesia accepturus. Nona, habetur Ioan. vltimo. *Sequere me.* vbi Petri quædam præ cæteris in sequela Christi præeminentia declaratur. Vltima, Quod præ cæteris Petro nominatim, suarum ouium curam commiserit, idque non sine magno, ne diligenti studio: *Simon Ioannis, inquit, diligis me plus his? respondet ei Petrus: Etiam Domine, tu scis quia amo te. dicit igitur ei Iesus: Pasce agnos meos.* Sicque ter totum ouile, agnos cum ouibus, Petri curæ commisit. Duplici verbo illic Christus vsus est, βόσκε, quod est pasce, eoque bis, & ποίμαινε quod est rege, vel pasce. Hoc etiam verbo vsus est Dauid psalmo 2. *Reges eos in virga ferrea.* Et in Actis Apostolorum: *Attendite vobis, inquit Paulus, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere ecclesiam Dei.* vbi pro verbo regere, hoc verbum ponitur ποιμαίνειν. Item, 1. Petri cap. 5. sic traduxit Hieronymus ad Euagrium: *Presbyteros in vobis precor compresbyter, & testis passionum Christi, regite ecclesiam Christi.* regere autem præesse, & superiorem esse est. Vniuersam ergo ecclesiam Petro regendam Christus tradidit. Nisi quis dixerit pro solis illis, qui tunc nati fuerant, Christum obijsse mortem, quod falsissimum est. *Non pro eis, inquit Dominus, tantum rogo; sed & pro his, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint.* Et vltima verba apud Matthæum hæc sunt. *Ecce vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi.* quod profecto de successione fidelium intelligi debet, cum quibus, virtute suæ maiestatis, vsque ad consummationem seculi, se adfuturum, clarissime Dominus repromisit. Porro, vtrumque verbum, & pascere & regere, ad summum Pontificem maxime spectat; sua enim interest, esurientes verbo pascere: duros vero, iustæ correctionis virga regere. *Pasce agnos meos. &c. Quid,* inquit Chrysostomus, *aliis omissis, dumtaxat Petrum affatur? os erat Apostolorum, & princeps: propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit. Si amas me, fratrum curam suscipias.* Et homel. 4. in 2. cap. actuum Apost. *Petrus omnium os erat: sed astabant illi vndecim testimonio suo comprobantes ea, quæ ab illo dicebantur.* Et ser. de præmijs sanctorum: *Petrum reliquis præfert, inquit, dicens: Petre, amas me plus his.* Et in Psalmo 44. *Christus Apostolorum principem Petrum constituit: & ideo dixit, Simon, ecce sathanas expetiuit, vt cribraret* &c. Bernardus in lib. 2. circa medium de consideratione ad Eugenium: *Alij pastores, inquit, habent greges sibi assignatos, singuli singulos, ecclesiæ autem Romanæ Pontifici vniuersi greges sunt crediti, non modo oues, sed & pastores. proinde vnus ipse omnium pastor, qui locum Petri tenet.* Et in epist. ad Mediolanenses. *Plenitudo, inquit, potestatis super vniuersas orbis ecclesias singulari prærogatiua Apostolicæ sedi donata est. pasce ergo oues meas non has, vel illas, sed omnes omnino, id est, loco mei esto præpositus, & caput fratrum.* Gregorius 26. moralium sic loquitur: *Petrus, ambore Deo, ecclesiæ principatum tenet.* Hieronymus contra Iouinianum: *Inter duodecim, ait, vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio:* electum vtique à Christo intelligit. Vnde & ibidem dissoluens quæstionem, cur non Ioannes electus est? *quia, inquit, ætas delatum est, Petrus senior erat enim.* Aduersus Ruffinum. *Romana fides, inquit, Apostolico ore laudata, non recipit contra fidem vllas præstigias, etiam si angelus aliter nunciet, quam semel prædicatum est.* Item: *Romana ecclesia nullam hæresim fouit vnquam: sed semper immaculata permansit. & Domino prouidente, ac beato Apostolo ferente opem, in futuro manebit.* Bernard. in ep. ad Innoc. Papam

Petrus fun. ea. ecclesiæ.

Petro claues dantur.

Matth. 16. Luc. 22.

Ioan. 20.

Pasce oues meas.

Ioan. 17.

Matt. vlt.

Papa pascit & regit.

hom. 87. in Ioan.

Bernard.

Epist. 131.

Gregor.

Hier.

Bernard.

Petrus ca ecclesiæ. Papam: *Oportet, inquit, ad vestrum apostolatum referri pericula quæque & scandala in regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Cuinam alteri sedi aliquando dictum est: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua?* Cyprianus ad Cornelium Papam, apertissime docet Petri cathedram, atque ecclesiam esse principalem, vnde vnitas sacerdotalis est exorta: illamque esse ecclesiam Romanorum, quorum fides est Apostolico ore laudata, ad quos non possit perfidia habere accessum. Et de simplicitate prælatorum, ostendit, vt dixi, vnitatem ecclesiæ ab voltata episcopatus Petri pendere. Ipsum ergo fatetur vnum caput, vnamque originem esse; sed & vnam eandemque omnibus communem esse matrem, ecclesiam videlicet, fœcunditatis successibus copiosam. Alibi etiam, vocat matricem ecclesiarum. Hilarius: *Pro Petro pater rogatus est, ne fides eius in tentatione deficeret, quia iterata à se dilectionis in Deum postulata professione, tentari se adhuc tanquam ambiguum, & incertum, tertia interrogatione congemuit: per id quoque à Domino post tertiam tentationis purgationem infirmitatem, Pasce oues meas, ter meruit audire, qui in cunctorum Apostolorum silentio, Dei filium reuelauit, supereminentem beata fides sua confessione promeruit.* Ambrosius sermone quodam de pœnitentia Petri: *Post lachrymas Petrus pastor assumptus est, & alios regendos accepit, qui prius seipsum non rexit. Tertio interrogatur: Simon, amas me? pasce oues meas: Quod quidem dictum, ad compensationem prioris professi erroris. Qui enim Dominum tertio negauerat, tertio confitetur: & quoties culpam delinquendo contraxerat, toties gratiam diligendo conquirit.* Leo sermone 3. de pontificiæ assumptionis suæ anniuersario, sic loquitur: *De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque ecclesiæ patribus præponatur: vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores: omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Gregorius in regist. n. *Cunctis, inquit, Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica, sancto, & omnium Apostolorum Petro principi Apostolo totius ecclesiæ cura commissa est. ipsi quippe dicitur: Petre, amas me? pasce oues meas.* Et Homel. 21. *Magna actum esse pietatis dispensatione cognoscimus, vt is qui futurus erat pastor ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset.* Anacletus in epistola, quam scripsit omnibus ecclesiis, docet in maioribus causis ad sedem Apostolicam appellari posse: *Quoniam hoc Apostoli, inquit, statuerunt iussione Saluatoris, vt maiores causæ, & difficiliores ad sedem referantur apostolicam.* Euaristus Anacleti successor, in epistola quam scripsit ad fratres vniuersos Aphricæ regionis, & ponitur distinct. 22. cap. sacrosancta, in decretis, sic loquitur: *Dilectio vestra, inquit, normam secuta prudentium, ad sedem apostolicam reddere maluit, quasi ad caput, quid deberet de rebus dubijs custodire potius, quam vsurpare, & præsumere.* Alexander successor Euaristi in epistola decretali ad omnes patres orthodoxos, plane affirmat sanctæ Romanæ sedis apicem esse caput, cui summarum causarum dispensationes, & omnium ecclesiarum negotia ab ipso Domino sunt tradita. Marcellus quartus ante beatum Syluestrum, Antiochenis, & vniuersis in Dardania consistentibus: *Beatus Petrus caput est, inquit, totius ecclesiæ: huius sedes primitus apud vos fuit, quæ postea (iubente Domino) Romam translata est.* Concilium Calcedonense declarauit, ecclesiæ Romanæ pontificem, esse petram refugij, ad quam & cæteri Episcopi liberam habent potestatem appellandi. *Cui soli ius est decernendi episcoporum infamiam, secundum claues sibi à Deo datas.* Cyprianus, & cæteri episcopi, quæ in synodis gesserunt, ad Romanum pontificem detulerunt. Sic Augustinus ad Papam Innocentium, Flauianus Constantinopolitanus episcopus, Leonem magnum appellauit. Athanasius suæ sedi restitutus est per Marcum Romanum pontificem: Chrysostomus vero per Innocentium: Hieronymus ad papam Damasum scribit: Ambrosius super illud ad Gal. 1. *Post annos tres ascendi Ierosolymam videre Petrum: Dignum, inquit, est vt cuperet videre Petrum, quia primus erat Apostolorum, cui delegauerat Dominus curam Ecclesiarum: pasce oues meas.* Augustinus in epistola ad Generosum, recensito ordine Episcoporum Romanorum vsque ad sua tempora. *In hoc ordine, inquit, successionis nullus Donatista reperitur Episcopus.* In illum ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium, qui nunc in eadem cathedra sedet, etiamsi quisquam traditor per ista tempora subrepsisset, nihil præiudicaretur ecclesiæ, cui Dominus prouidens, ait de præpositis malis: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere. Et si quispiam *dixerit*, quod Augustin. dixerit, Petrum vniuersalis ecclesiæ figuram gessisse. *Resp.* Augustinum voluisse, quod fides nunquam esset à sede Petri recessura: proinde acta Concilij Mileuitani, Romanæ sedis authoritate muniendaesse curarunt. Et *cap. 1 lib. 1. ad Bonifacium Papam*, vbi dicit Romanum Episcopum alijs Episcopis altius præsidere: quodque licet omnibus Episcopis communis sit specula pastoralis; tamen Romanus in ea præeminet celsiori fastigio. Et *lib. 1. aduersus Iulianum*, adducens Innocentium Papam, ait: *Cum illo etiam consides, etsi posteriori tempore, prior tamen loco.* Et *lib. 22. contra Faustum cap. 70. Quid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum, factus est pastor ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Ægyptium, factus est princeps synagogæ?* Et quod officium pastorale transmissum sit ad successores, ex lib. contra epistolam fundamenti c. 4. clare docet. *Tenet*, inquit, *ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas, post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, successio sacerdotum.* Item in fine libri de vtilitate credendi, ait: *Dubitamus nos eius ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit.* Ex his omnibus patet, ad mentem Augustini, imo ipsius veritatis, Romanum Episcopum Petri esse successorem, aliis orbis Episcopis prælatum, in dignitate, præeminentia, & authoritate, atque cura pastorali. Sed *ambigeret* aliquis, si Petrus est totius ecclesiæ princeps, quare Augustinus ait *in Psalm. 108. circa principium*, sic quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum proprie pertinere videntur: non habent tamen illustrem intellectum nisi referantur ad ecclesiam, cuius ille personam gerebat. *Resp.* quod quæ Petro attribuuntur prærogatiuæ, primario sensu de Petro sunt intelligendæ, mystico vero de ecclesia, cuius personam gerebat; sicut & Iudas personam malorum. *Fiant dies eius pauci. & Episcopatum eius accipiat alter*: Quæ omnia licet de Iuda propheta prænunciauerit; secundum tamen mysticum intellectum de malorum multitudine intelligi possunt. Similiter Augustini verba intelligenda sunt, quæ *in lib. de verbis Domini Ser. 13.* describuntur. *Petrus à Domino, inquit, vocatus est, idque vt ea figura significaret ecclesiã. Quia n. Christus petra, Petrus populus Christianus, petra .n. principale nomẽ est; ideo Petrus à petra, non petra à Petro: quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur &c.* In Ps. 86. *Fundamẽta eius in montib. sanctis*: fundamentum fundamentorum Christum nominat, quia omnia portat, & sustinet, & à nullo sustinetur: sic enim loquitur Paulus ad Heb. 1. *Portansque omnia verbo virtutis suæ.* sed hæc non aduersantur his, quæ superius dicta sunt, quod scilicet Petrus non sit ecclesiæ fundamentum; ista siquidem dicuntur de Christo per similitudinem ad caput animalis in corpore naturali, & ad fundamentum domus, vel templi materialis. Quamobrem, quemadmodum duplex est influxus capitis in membra: vnus quidem intrinsecus, vtpote virtus motiua, & sensitiua à capite ad cætera membra decurrens: alius vero extrinsecus secundum exteriorem quandam gubernationem, quatenus scilicet secundum visum, aliosque sensus, qui in capite radicantur, homo ad exteriores actus dirigitur, sic etiam in influxus capitis spiritualis ad membra ecclesiæ. Et primus quidem Christo tantum competit, proprieque caput, & fundamentum appellatur; quia propria virtute, atque authoritate, secundum omnem locum, tempus atque statum, ecclesiam vegetat, gubernat, atque sustentat. Item, ecclesia, quæ dicitur, & quamlibet suam petram, immediate super Christum fundatur; quantum ad gratiam, & gloriam, quæ à Christo & creatur & conseruatur. hominibus autem competit secundus influxus, cuius gratia Petrus ecclesiæ fundamentum, & quidem primum atque præcipuum inter alia Apostolorum fundamenta nominatur. *Murus ciuitatis*, inquit Ioan. *habens fundamenta duodecim.* Et ad Ephes. 2. *Superædificati super fundamenta Apostolorum & Prophetarum.* Itaque quomodo Petrus sit fundamentum ecclesiæ, & pastor gregis Dominici, dixi.

[Margin notes, left column:] Cyprian. — Lib. 6. de Trin. — Ambr. — Leo. — Epist. 32. — Anaclet. — Euaristus. — Alexand. — Marcell. — Concilium Calcedonense. — Athanas. — Ambr. — August.

[Margin notes, right column:] Petrus caput ecclesiæ. — Romanus Episc. omnibus prælatus. — Successio Episcoporum. — Quomodo Petrus gerebat personã eccl. — Fundamentum fundamentorum. — Duplex influxus capitis. — Apoc. 21.

CAP. III.

Argumenta contraria.

1. Claues. POsset aliquis ex scripturis perperam intellectis, atque ex falso eorum sensu, quæ à sacris doctoribus dicta sunt, sic *contra* prædicta *arguere*: Claues datæ

sunt

Petrus non princeps ecclesiæ. sunt ecclesiæ, non autem Petro: non ergo Petrus princeps est, atque pastor totius ecclesiæ. Antecedens patet: ideo enim Petrus pastor omnium dicitur ecclesiarum; quia præcipua apud ipsum residet potestas ligandi atque soluendi: Conseq. probatur: Quando Papa eligitur, aut secum affert claues, aut non: si affert, erat ergo Papa antequam eligeretur, si non affert, à quo accipit? Nunquid ab Angelo de cœlo? Nonne ab ecclesia? Item, quando Papa moritur, cui relinquit claues? aufert eas secum? si non aufert: cui relinquit, nisi ecclesiæ à qua accepit? Ecclesiæ ergo claues à Christo datæ sunt, cuius personam Petrus gerebat. Adde, quod pollicitus est se daturum, nusquam tamen legimus eidem dedisse. Amplius, Ex verbo illo, pasce oues meas, vniuersalis minime pastor ostendi potest: siquidem, quando aliquis vniuersalem accipit prouinciam regendi; tunc quidem vniuersis præficitur regendis. sed id Petro non legimus fuisse concessum: ergo &c. non enim dictum est illi, pasce omnes oues meas. Adde, quod per oues intellexerit Iudæos, quos regendos Petrus suscepit: Paulus vero gentiles. propterea ab Apostolo Paulo Iudæorum, seu circumcisionis Apostolus Petrus appellatur. Denique pascere, & præesse, siue primatum habere, ab inuicem multum differunt: non ergo ex illo verbo, *Pasce oues*, aperte ostendi potest, omnium ouium curam à Christo fuisse Petro delegatam: præsertim cum Romanus Pontifex, non possit per seipsum, vt Christi præceptum sonare videtur, omnes Christi oues pascere.

3\. Item, Iure diuino nullus Episcopus alteri est prælatus: Papa igitur non est pastor pastorum. Conseq. nota est: antecedens patet ex epistola Hieronymi ad Euagrium. *Apostolus perspicue docet*, inquit, *eosdem esse Presbyteros quos Episcopos.* Audi testimonium Pauli, *Omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconis.* Et in actis Apostolicis: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, vt regeretis ecclesiam Dei.* Ac nequis contentiose, in vna ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi & aliud testimonium, in quo manifestissime comprobatur eundem esse Episcopum atque Presbyterum. *Huius rei gratia*, inquit, *reliqui te Cretæ, vt quæ deerant corrigeres, & constitueres Presbyteros per ciuitates, sicut & ego tibi mandaui*: & multa similia dicit, ex quibus videtur, nullum inter Presbyterum & Episcopum esse discrimen. Adde verba Hieronymi, quæ posita sunt in epistola ad Titum: *Sicut*, inquit, *presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita Episcopi se, magis consuetudine, quam dispensationis diuinæ veritate, presbyteris esse maiores, & in commune debere ecclesiam regere.* Romana ergo consuetudine, non autem iure diuino Pontifex Romanus est princeps pastorum.

Epis. & presb. Hieron. Philip. 1. Tit. 1.

4\. Iterū: Nulla consuetudo contra Ius diuinum præceptiuum valet; sed potius corruptela vocanda est. C. Postremo de consuetudine. Si ergo præceptum diuinum est, omnes presbyteros esse æquales; consuetudo cuius meminit Hieronymus, corruptela dicenda est. Cum enim consuetudo sit ius quoddam, non scriptum, quod à nullo homine, vel hominum multitudine statui potest, vim legis per consuetudinem nequit obtinere: vsus enim quantumuis diuturnus, vim iuris non habet, nisi ex tacito populi consensu, qui aduersus Dei legem nihil valet: *Irritum*, inquit Dominus, *fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Ergo quod prius.

Matth. 15.

Cyprian. Præterea, vnus Episcopus non potest ab altero iudicari: igitur Papa non potest suam in totam ecclesiam exercere potestatem. Conseq. patet, antecedens probatur authoritate beati Cypriani, quæ recitatur ab Augustino *lib. 2. de baptismo cap. 2.* Nec enim quisquam nostrum, Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem, Collegas suos adigit: quando habet omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non possit: quomodo nec ipse potest alterum iudicare, sed expectamus vniuersi, iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus est solus habens potestatem, & præponendi nos in ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi. Omnes ergo Episcopi sunt æquales: nec vnus est alteri superior: quippe, qui ab alio nequeat iudicari.

Quod Episc. non iudicetur nisi à Christo.

6\. Ad hæc: Totius ecclesiæ pastor est princeps sacerdotum alioqui princeps minime esset appellandus; sed Pontifex Romanus princeps sacerdotum censendus non est, vt habetur *99. dist. cap. primæ sedis*, quod est Concilii Aphricani. *Primæ sedis*, inquit, *Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus: vniuersalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur.* Petro igitur non est totius ecclesiæ regimen commissum.

7\. Item, ecclesiæ primatus ab ipsomet salutis authore excluditur, & nullo modo acceptatur: sic enim loquitur apud Matth. 20. cap. *Quicunque voluerit*, inquit, *inter vos primus esse erit vester seruus.* Vnde Chrysostomus: *Velle*, inquit, *esse super omnes, vituperabile est*: sed quæ à Christo ordinata sunt, non sunt vituperatione digna: Non ergo in Ecclesia est primatus præeminentiæ.

Petrus ca. ecclesiæ. Matt. 20. de filiis Zebadei.

8\. Præterea, Petrus æqualis scribitur in Actis Apostolorum cæteris Apostolis: Vnde & confirmationem à Iacobo accepit; nullum insuper Apostolorum ipse ordinauit, nec vllus sub ipso fuit: quomodo ergo vicarius Petri princeps est omnium episcoporum? Item, Matthiam, nec ipse, nec omnes simul, ausi sunt in Apostolum ordinare, sed à Deo postularunt tantum. Adde quod Antiochiæ Petrus à Paulo reprehensus sit. *In faciem*, inquit, *ei restiti, quia reprehensibilis erat.* In quo patet, Romanum Pontificem, alterius correptioni subditum esse: Non ergo est omnium pastor & rector.

Reprehensio Petri. ad Gal. 2.

Victor. Victor primus Romanus Pontifex, vt recitat *historia ecclesiastica lib. 5.* Asiæ Episcopos excommunicare volens, redargutus est ab Irenæo Lugdunensi Episcopo. Item ibidem, Anicetus quoque cessit Polycarpo Smyrneo Episcopo, nec eum cogere potuit in sua decreta. *Anicetus.* Iulius primus præterea, vt refert *historia tripartita lib. 4.* ne citra suam authoritatem concilium cogerent orientales Episcopi: & in cassum laborauit, cum ab illis suis mandatis assensum non fuerit. Ergo.

9\. Iterum, Romanum Pontificem omnibus esse superiorem, humano decreto sancitum: non ergo immediate à Deo est illi omnium ecclesiarum cura commissa. Antecedens patet, ex decreto Constantini quarti Græcorum Imperatoris, vt scribit Platina in *Benedicto II.* Nec sic tamen obseruatum est Episcopis aliis. Adde, quod Cyprianus & Augustinus aliique Africæ Episcopi, à Romano Pontifice confirmati non fuerint, tametsi in ecclesia Latina extiterint, nec eorum Concilia Romanus Pōtifex impediuit. Eodem modo, quando Alexandrum Antiochenum, Ierosolymitanum, & alios Ægypti, Arabiæ, Syriæ, Asiæ, totiusque orientis Episcopos Papa Romanus constituit: nec tamen hæretici dicti sunt. Non ergo Pontifex Romanus est omnium pastor ecclesiarum; quandoquidem regnum Christi non sit Romam coarctum, cuius sunt omnes fines terræ. Ex his ergo patet quomodo Episcopus sedis Romanæ, non sit pastor totius ecclesiæ.

CAP. IV.

Solvuntur Argumenta.

1\. AD *primum*, negatur antecedens; non enim ecclesiæ, sed Petro dictum est à Domino: Tibi dabo claues regni cœlorum; vocantur autem claues ecclesiæ propter vnionem membrorum in vno corpore: multi enim sumus vnum Corpus in Christo, ait Paulus *ad Rom. 12.* Ideo quæ membris data sunt, recte ipsi corpori data esse dicuntur. Amplius, quia teste Hieronymo, in Episcopis, & Presbyteris claues ecclesiæ datæ sunt, quæ potiores partes ecclesiæ sunt. Tertio quia potestas, quæ in vno aut pluribus alicuius communitatis perpetuari non potest, sed per successionem tantum, communitatis potestas nominari solet, tametsi quibusdam, & non omnibus de communitate conueniat. vnde recte dicitur dignitas regalis data populo Iudæorum, quamuis in sola tribu Iuda, & in illa, solum in domo Dauid. Quia etiam ad bonum, & vtilitatem totius ecclesiæ, Petro & successori eius datæ sunt claues: sicut de sua potestate loquitur Paulus, *Secundum potestatem*, inquit, *quam dedit mihi Dominus ad ædificationem, & non ad destructionem.* Denique quia per eas clauditur, & aperitur ecclesia: atque in ipsis operatur fides ecclesiæ. Et cum dicis, aut papa qui eligitur &c. *Dico*, claues immediate dari à Christo diuinitus ipsi ordinato, per ministerium Episcopi ordinantis: per quod, sicut accipit ordinatus consecrandi potestatem; ita etiam & potestatem dimittendi, vel retinendi peccata. Et cum iterum dicis, promisit, sed non dedit: falsum est; non enim est in Christo, est & non. *2. Cor. 1.* Sed tam firma est illius promissio, quam certa donatio: Dedit autem Petro claues, quando illi dixit: *Pasce oues meas*; sic enim toti ecclesiæ præpositum constituit. hanc autem authoritatem habebat vbicunque locorum esset; sed Romæ postremo locauit. Testis est Hieronymus de viris illustribus 25. annis cathedram sacerdotalem ten[illegible] & post eius dormitionem, ad successores [illegible]testatem illius transisse eandē sedem regentes, quam Pe[illegible] suo martyrio decorauit, quæ quidā nō est illi loco ita necessario alligata, quatenus est hæc terra.

Claues ecclesiæ. 1. Cor. 13. Dantur à Christo. Quando dedit claues. Cathedra Petri. Autem &c.

ecclesiæ. terrena particularis ciuitas: quin ex eo usu, transferri possit
ad alium; vt fecerunt sibi succedentes pontifices, an-
nis circiter septuaginta, in Auinione sedentes: semper ta-
men Romanus pontifex vocatur, totius ecclesiæ pastor, &
2. Episcopus animarum nostrarum. *Ad 2.* Nec etiam Christus
dixit, pasce quasdam oues meas. Ideo indefinite dictum, re-
cte intelligi potest vniuersaliter, vt cum dicitur. *Diliges pro-
ximum,* non additur, omnem; sed tamen intelligitur. Quod
autem vnum sit ouile dominicum, & vnus pastor, *Ioan. 10.*
Petrus minister circumcisionum. Dominus ostendit: *Et fiet,* inquit, *vnum ouile, & vnus pastor:*
genti ergo sub nomine suarum ouium continentur, quas
voluit colligi in vno ouili, cui præfecit Petrum, dicens:
Pasce oues meas. Quod igitur à Paulo dicitur *ad Gal. 2.* Petro
Act. 10. creditum apostolatum circumcisionis, non excludit, quin
sit Apostolus gentium; alioqui Dominus ei non præcepis-
set, vt ad Cornelium se conferret: sed quod prius, ac spe-
cialius, ad Iudæorum conuersionem perficiendam missus
Matth 15. fuerit. *Non sum missus,* inquit Dominus, *nisi ad oues perditas*
Rom. 14. *Israel.* ideoque ab Apostolo circumcisionis minister appel-
Isa. 49. latur: ad confirmandas promissiones patrum: qui tamen,
Petrus pascit omnes oues. iuxta Isaiam *datus est in lucem gentium.* De Paulo non legitur,
quod alicubi sederit, aut sacerdotalem Cathedram rexerit:
quemadmodum Petrus Antiochiæ primum, deinde Ro-
mæ sedit: ne scilicet præiudicaretur vnitati, quam Domi-
nus demonstrauit, teste Cypriano, dum Petro ecclesiam
commisit *Ad aliam confirm.* Romanus Pontifex pascit om-
nes oues, etsi non suæ ipsius personæ, authoritatis tamen
præsentia. vnde eo ipso quod oues tradita sunt Petro, pote-
statem accepit educendi, & reducendi, morbidas à sanis
separandi, lupósque arcendi. Illo ergo verbo: pasce oues
meas, primatus Romani Pontificis rectissime exprimitur.
3. Et sic soluitur alia confirmatio, quæ est circa verbum pasce-
re & regere. *Ad 3.* dico, ex verbis Hieronymi non conclu-
di, nullum Episcopum iure diuino, alteri esse prælatum;
loquitur enim de potestate ordinis, non iurisdictionis, vo-
lens sacerdotem ordine maiorem esse Diacono: quod pro-
Episcopi & sacerdotis discrimen. bat in fine allegatæ epistolæ; quia ex Diacono prouehitur
ad sacerdotium. Eodem ergo argumento probatur Episco-
pus esse maior simplici sacerdote; quia videlicet è sacerdo-
te ordinatur Episcopus. Nec ea ordinatio, post tempora
Hieronymi nata est, sed antea fuit: quam & Dionysius in
lib. ecclesiasticæ Hierarchiæ scribit. Item, quod loquatur
de potestate super corpus Christi verum, in qua omnes sa-
cerdotes & Episcopi simpliciter æquales sunt, constat ex e-
pistolæ principio, vbi ait, quod ad preces eorum corpus
sanguisque Christi conficitur: deinde addit, postea vnum
electum, qui cæteris præponeretur, in schismatis reme-
dium, rationabilem Christi ordinationem ostendit: vnde
primo lib. aduersus Iouinianum: *Petrus,* inquit, *à Christo, A-
postolis caput constituitur, vt schismatis occasio tolleretur.* *Non er-
go in potestate ordinis æquales facit, presbyterum & Episcopum: dum
Episcopo & non presbytero ordinationem concedit. dicens: Quid e-
nim facit Episcopus, quod non presbyter, excepta ordinatione?* Et in
Dialogo, aduersus Luciferianos: *Ecclesia,* inquit, *salus in
summi sacerdotis dignitate pendet: cui, si non exors quædam & ab o-
Nomen Episcopi commune. mnibus eminens detur potestas; tot in ecclesiis efficerentur schismata,
quot sacerdotes.* Ad testimonia scripturarum: In principio ec-
clesiæ, nomen Episcopi commune erat omnibus presbyte-
ris. cum autem omnis Episcopus sit presbyter; mirum non
est, si Petrus Apostolus se compresbyterum vel consacer-
dotem vocauerit. Et cum dicit Hieronymus: Vbicunque
fuerit Episcopus, eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdo-
tij; intendit quemlibet Episcopum in sua ciuitate omnia
posse facere, quæ ad Episcopalem ordinem pertinent. Non
autem loquitur de potestate regiminis, administrationis,
vel iurisdictionis; nam sic ipse loquitur ibidem. Cæterum,
inquit, omnes apostolorum successores sunt: Apostolos
autem vni subdidit: & successores Apostolorum, successo-
ribus Petri. Ex his ergo patet responsio ad vltimam *confirm.*
vtraque enim ordinatio, diuina est: & quod mutua chari-
Duplex ordinatio diuina. tate, sibi mutuo inseruiant Christiani; & quod quidam a-
liis præpositi sint, cum potestate malos coercendi, bonos
vero tuendi. Prior autem veluti legislatoris Christi princi-
palis intentio, diuinæ ab Hieronymo dispensationis veritas
appellatur, iuxta illud Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum,
& humilis corde.* Altera vero secundaria legislatoris inten-
tio: non quidem per se bona, aut per se expetenda; sed pro-
pter schisma tollendum, aut impediendum necessaria.
eodem quoque iure, ante peccatum omnia erant commu-
nia: post peccatum vero ab illa vnitate recessum est, etiam
diuina ordinatione, propter hominum malitiam. Stante i-
gitur inter Apostolos vinculo charitatis fraternæ, non opus

erat Præposito, secunda ordinatione vti: tametsi princeps, *Petrus caput ecclesiæ.*
& caput esset cæterorum, sed malitia hominum postea ir-
rumpente, atque inualescente, ecclesiæ prælatus secundam
exercuit ordinationem, vt vnitatem ecclesiæ, quoad fieri
potest, conseruaret atque tueretur. *Cœpit ergo fieri executio
potentiæ & superioritatis,* dicit Hieronym. *ex ecclesia consuetu-
dine, vt vnus alteri præesset.* *Ad 4.* Aliqua diuina ordinatio, est 4.
interdum ius concedens, non imperans; vnde liberum est
vti, vel non vti. 1. *Corin.* 9. Dominus ordinauit his, qui euan-
gelium annuntiant, de euangelio viuere. Hæc Domini or-
dinatio præceptum non est: alias contra præceptum Paulus *Ius concedens.*
fecisset, gratis prædicans Euangelium apud Corinthios. Si-
mile est in multis, ius præeminentiæ & principatus, diuini-
tus concessi: quo superior vti non tenetur omnibus mo-
dis, quibus potest erga subiectos; vt quamuis se iure possit
defendere, inclinet in partem mitiorem, nisi in quantum
Dei honor, & subditorum vtilitas postulat. Eodem iure
potest superior aliis vices suas committere: nec potestate
concessa, in omnes semper vti tenetur. Non ergo Petrus,
aut quilibet loco Petri, iure diuino omnibus superior pec-
cauit, primatum suum in omnes non exercendo. Patrum *Canones.*
canones in Concilio Nicæno decreuerunt, quod vnicui- *Nicænum.*
que Episcopo grauato libere liceat appellare Romanam se-
dem. Item, vt Romano Episcopo inconsulto, non destitua-
tur Episcopus. Quæ res obseruata est in Concilio Aphrica-
no contra Pelagium, & in Concilio Mileuitano, contra e- *Mileuitanum*
undem; vt ex epist. August. ad Innocentium, & Innocentij
ad patres Concilij, constat. Item in Concilio Calcedonen- *Calcedonense.*
si, sub Leone primo, & similibus. Extat epistola Leonis 54.
ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem. *Quia etiam,*
inquit, *sicut præcessores mei præcessoribus tuis, ita etiam ego dile-
ctioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis dele-
gaui, vt curam, quam vniuersis ecclesiis principaliter ex diuina or-
dinatione debemus, imitator nostræ mansuetudinis adiuuares, &
longinquis ab Apostolica sede prouinciis, præsentiam quodam modo* *Leonis ep.*
nostræ visitationis impenderes. Et post multa ait: *Nec poterit vni-
tatis nostræ firma esse compago: nisi nos ad inseparabilem soliditas-
tem, vinculum charitatis astrinxerit.* ex quibus patet responsio
ad argumentum. *Ad 5.* Negatur antecedens, & ad probatio- 5.
nem dico, non eam fuisse mentem Cypriani, sicut patet at-
tente consideranti epistolam 4. *lib.* primi ipsius Cypriani ad *Cyprianus*
Papam Cornelium: vbi scribit de Basilide, in cuius locum *elucidatur.*
ordinatus est Sabinus. Item, ea quæ narrat de priuato quo-
dam, quem scribit ob multa & grauia delicta nonaginta E-
piscoporum sententia, condemnatum, cui & ipse Cypria-
nus in concilio audientiam denegauit. Item Cyprianus,
Iouinus, & Maximus, & Fœlix, ob nefanda sacrificia, & cri-
mina in se probata, sententia, inquit, nonam collegarum
nostrorum condemnati, & iterato quoque à pluribus nobis
anno priori in Concilio. hinc patere arbitror, Episcopos
ab Episcopis fuisse iudicatos, & damnatos. Non igitur vo-
luit Cyprianus nullo casu, Episcopum ab Episcopo posse *In re dubia diuino iudicio relinquendum.*
iudicari: alioquin omnium veterum Conciliorum facta re-
scinderet; sed intendit in re ambigua, & obscura, ex scri-
pturis & regulis Patrum, nondum ad plenum declarata an-
te plenariam determinationem, Episcopum diuino iudi-
cio relinquendum. Neque à diuersum sentientibus à Com-
munione separandum. Sic etiam docet Augustinus vbi
quasi exponens verba Cypriani sic loquitur. *Optime,* inquit, *3. de bapt. ca. 3.*
*in iis quæstionibus, quæ nondum eliquatissima perfectione discussæ
sunt; viuebat enim quanta sacramenti profunditate, tunc in vna ec-
clesia varia disputatione versabat: liberumque faciebat quærendi ar-
bitrium; vt examinata veritas panderetur.* Similiter loquitur in
epistola ad Vincentium Donatistam, & *lib. 6 de baptismo cap.*
7. Ex quibus omnibus patet, quæ fuerit mens beati Cypria-
ni. *Ad 6.* Primæ sedis Episcopus dicitur non Romanus so- 6.
lum, sed primas quilibet, vel patriarcha. Vnde in capite *Qui Archiepiscopi primates vocari debent.*
præcedenti eadem dist. dicitur. *Nulli archiepiscopi primates
vocentur, nisi illi qui primas sedes tenent, quarum Episcopi, Apo-
stoli, eorumque successores, regulariter patriarchas, vel primates esse
constituerunt: nisi aliqua gens deinceps ad fidem conuertatur: cui* *Sedes Patriarchales.*
necesse sit pro multitudine primatem constitui. Itaque textus non
loquitur peculiariter de sede Romana; sed in genere de se-
de Patriarchali. Clausula vero. *Vniuersalis autem, &c.* non
est Concilij Aphricani, cuius Canon sextus ponitur
dicto capitulo; sed est ipsius Gratiani, quam probat duo-
bus capitulis sequentibus: quibus non probatur, quin a-
liquo vero sensu Episcopus sedis apostolicæ dici possit
vniuersalis. *Ad 7.* Ex illis scripturarum testimoniis, hu- 7.
militas commendatur; & fraternæ charitatis affe-
ctus: non aufert tamen dignitatis primatum, à Christo,
suo

Petrus ca. ecclesiæ.

suo Apostolo Petro delegatum; non enim dixit Dominus: nullus inter vos erit princeps, aut nullus erit maior, siue superior; sed dedit modum, & formam principatus inter Christianos, inter quos princeps non tam sibi, quam alijs principatum gerit: atque ne parum facerent verba sui dedit exemplum, qui inter discipulos, serui & non Domini officio fungebatur.

Modus principatum inter Christianos

8. *Ad* 8. Omnis pene actuum Apostolorũ historia, Petro defert primatus honorem, atque dignitatis præeminẽtiam: In electione Matthiæ, primus surgit in medio: accepto Spiritu sancto ipso die pentecostes, ipse solus ad populum habuit concionem: claudum in nomine Iesu sanat: ad tanti miraculi nouitatem stupenti populo satisfacit: principibus constanter loquitur: terribilem in Ananiam sententiam & Saphiram profert: illius vmbra ægros sanabat: ipsi dicitur, occide & manduca: ad Cornelium cẽturionem gentilem mittitur: Ecclesia sine intermissione orante pro eo, de manu Herodis liberatur: quæstione mota de lege, primus verbum facit: in cuius sententiam, Iacobus & cæteri Apostoli ac seniores iuerunt. Nec video quam aliam confirmationem sui sermonis à Iacobo Petrus acceperit. Nullum autem Apostolorum à Petro ordinatũ, qualiscunque sit, eius non meminit actuum historia. Ex his ergo patet in omnibus Petri præeminentiæ, atque primatus, quo cæteris superior demonstratur apostolis.

Primatus Petri ex scripturis probatur.

Ad reprehensionem Petri: Dico rationem illam nihil aliud concludere, quam non peccatorem peccante, cæteris paribus, esse meliorem: & eum qui peccat posse redargui, vel clam, vel palam, pro facti qualitate: nihil autem concludit de prælatione aut primatu. *Non ausus esset*, inquit, Hieronymus in suo commentario, *Petrum Apostolorum maximum ita reprehendere, nisi ipsi Petro placuisset; vt hi qui crediderant ex gentibus, seruarentur.*

Petrus à Paulo reprehenditur.

Ad confirm. illa non ostendunt Romanum Pontificem non habere principatum in totius orbis Episcopos, sed è contrario: vt recitat historia allegata. *Ob quam causam*, inquit, *conuentus Episcoporum, & Concilia per singulas prouincias, & ecclesiasticum dogma confirmant, ne liceat aliquando, nisi in die dominico pascha dominicum celebrare.*

lib. 5. c. 22. Pascha celebratio.

9. *Ad* 9. constat ex prædictis, regulas ecclesiasticas longe ante Benedictum secundum, vel Constantinum Imperatorem quartum, Concilia non debere celebrari, aut Episcopum deponi, non consulto Romano Pontifice. Ex quo apparet, sanctiona Constantini quarti non primitus Romanum Pontificem omnibus fuisse prælatum; sed Platina dicit Imperatorem concessisse, vt Pontifex legitime Pontificatũ administraret, non prærequisito Imperatoris, aut Hexarchi Italiæ consensu. Id enim ratum erat in creando Pontifice, quod princeps confirmasset, vel qui eius vicem in Italia gerebat, inquit Platina. Per hanc autem imperialem constitutionem, non est Episcopus vrbis Romæ alijs Prælatus; sed modus electionis reductus est ad libertatem, vt electus, habeatur pro vero Pontifice, absque alicuius principis authoritate. *Ad confirm.* patet ex dictis responsio: nam & Cypriani, & Augustini epistolæ plures sunt ad Pontificem, quibus illius authoritatem summopere flagitabant, sicut dictum est. eodem modo alia solui possint. Patet ergo quomodo Vicarius Petri sit totius ecclesiæ pastor.

Platina de primatu.

CAP. V.

Alia Argumenta.

1. VT elatissime pateat, quam vera sit Romanæ sedis authoritas; nonnulla alia aduersariorum argumenta addere libuit, ex quorum solutionibus tantæ rei veritas magis magisque omnibus innotescat. *Arguunt* autem ex Hieronymi authoritate hoc modo. Scribit Hieronymus de illustribus viris, Acatium Episcopum Cæsariensem, discipulum Eusebij Pamphilij, imperante Constantio, Liberium Papam deposuisse, & Fœlicem constituisse. Item, Ioannem Chrysostomum, non à Romano Pontifice, sed à Theophilo Alexandrino fuisse depositum. Epiphanium præterea Cypri Episcopum, minorem Ioanne Ierosolymitano Episcopo, eundem excommunicasse. Non ergo est verum, inconsulto Romano Pontifice, Episcopum quempiam deponi non posse: aut ipsum esse omnibus superiorem.

2. Item, Vicarius Petri non potest vocari vniuersalis Episcopus: non est ergo totius ecclesiæ præfectus: Antecedens patet ex epistola 32. lib. 4. beati Gregorij. *Cura*, inquit, *totius ecclesiæ Petro committitur: & tamen vniuersalis Episcopus non vocatur.* Conseq. per se nota est.

Gregorius.

3. Amplius, si Papa iure diuino omnium prælatus est, qualiscunque extiterit, nullo pacto est deponendus, sed tolerandus vsque ad mortem: falsa sunt ergo decreta, quæ statuunt Papam pro hæresi deponendum.

4. Præterea, Concilium Constantiense determinauit Concilium esse supra Papam: sicut & huius determinationis vsum ibidem seruauit, deponendo & statuendo Papam.

5. Item, Episcopi dicuntur Apostolorum successores: ergo sicut Petro succedit Romanus Episcopus; ita cæteris Apostolis Episcopi cæteri. Quare, si Romanus Pontifex præcepto Dei est Vicarius generalis in tota ecclesia, sequitur ineuitabiliter, peccasse eos, qui sub eo non extiterunt: hæc & similia dici possunt.

Solutiones argumentorum.

1. *Resp. ad primum*, non esse mirandum per vim ab hæretico Imperatore deponi Catholicum Episcopum. Hieronymi verba sunt in lib. de viris Illustribus, In tantum autem sub Constantio Imperatore claruit Acatius, vt in Liberij locum Romæ Fœlicem Arianum Episcopum constitueret. Argumentum ergo nullius est momenti; Et per idem responsum est argumento de depositione Chrysostomi, quæ iniusta fuit, & contra canones, pro qua, Innocentius excommunicauit Arcadium Imperatorem. De excommunicatione Ioannis Ierosolymitani, nescio vnde colligi seu haberi possit; ideo tanquam falsum abijcimus.

2. *Ad* 2. aliquem vocari posse vniuersalem Episcopum, qui omnium sit Patriarcha, per exclusionem Episcopalis dignitatis ab alijs omnibus, sic vt alij commissarij tantum existerent, negat Gregorius omnino; id enim & sequentia ipsius verba manifestant, *Vniuersa*, inquit, *ecclesia, quod absit, à statu corruit, quando is, qui appellatur vniuersalis, cadit.* Sensus est, si vnus tantum sit vniuersorum Episcopus, si is in hæresim incideret; nullus profecto in ecclesia remaneret Episcopus; hæreticus enim suæ iurisdictione priuatur, etiamsi characteris dignitatem retineat; & consequenter legati atque vicarij eiusdem. Fatetur autem Gregorius Petro Apostolorum principi, totius ecclesiæ curam à Domino fuisse commissam.

Gregorij epistola.

Lib. 4. Registri ep. 32.

3. *Ad* 3. Conseq. nihil valet; siquidem quod alicui iure diuino conuenit, aliquando eidem iure diuino non competit; non enim iuris diuini regulæ mathematicæ sunt; sed applicantur pro loco, tempore, causa, atque persona; & hæreticus ipso iure diuino ecclesiastica administratione priuatur, quo iubentur Christiani eum vitare; cum tamen suis prælatis etiam discolis iubeantur subesse.

4. *Ad* 4. Decretum Concilij Constantiensis tale fuit sessione quarta: *Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis, & vnione ac reformatione ecclesiæ, in capite, & in membris facienda, declarat, quod ipsa in Spiritu sancto congregata, generale Concilium faciens, ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediate habet: cui quilibet cuiuscunque status, vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur, in his quæ pertinent ad extirpationem dicti schismatis.* Non loquitur ergo vniuersaliter de qualibet synodo vniuersali; sed de illa singulariter, cuius tempore non erat in ecclesia vnus pastor, sed tres diuersi pro Romanis pontificibus habebantur. Præterea, ipsum Concilium non erat plenarium & vniuersale, cum solũ essent illi, qui obediebant Ioanni xxiij. duabus alijs partibus nondum præsentibus, neq; consentientibus. vnde sessione 14. *Dominus Angelus Corrarius, qui dicebatur Greg. 12. misit sessionẽ papatus, saluo quod tunc nomine de nouo fieret patrũ conuocatio, & ipsi Cõcilio traderetur eius nomine authoritas.* Et sessione vigesima, illi qui adhærebãt Petro de Luna, qui dicebatur Benedictus 13. vniuer[illegible] se alijs duabus partibus, saluo, quod eorum authoritate fieret noua solemnis Concilij conuocatio: & tunc primum fuit perfectum, & plenarium concilium. Item, Authoritati illius primæ congregationis apertissime contradixerunt aliæ duæ partes, quarum contradictio fuit acceptata, vt patet euidenter ex gestis Concilij eiusdem.

Decretum concilij Constantiensis.

Tres diuersi Pontifices.

5. *Ad* 5. Dicimus, Decretum plane testari, Petrum Apostolorum fuisse principem, quippe quem primum à Christo ligandi soluendique asserit authoritatem accepisse. Deinde de successione Apostolorum sic habetur. *Ipsis*, hoc est, Apostolis *decedentibus, in loco eorum successerunt Episcopi.* Nec dixit, in locis eorum, ita vt cuilibet Apostolorum quispiam succederet Episcopus; sed in loco eorum, hoc est, iuxta mentem Decreti, quod Apostoli sub Petro typum gesserunt Episcoporum, quemadmodum & paulo post asserit, lxxij. discipulorum typum presbyterorum, vt iam in ecclesia Romanus pontifex, Petrum omniũ principem referat, qui & vices Christi gestit, post ipsum episcopi cæteros repræsentent Apostolos: tertio vero loco presbyteri septuaginta duos discipulos exprimunt, hoc plane decretum sentit. Stat ergo Romanum pontificẽ, solum Petri successorem, quia vere successit in sedem Petri, nedum eum refert. Cæteri vero Episcopi cæterorum Apostolorum sunt; propterea quod ipsos referant; non quod in eorum sedes successerint. Quis enim hodie vel Ioannis, vel

Episcopi successores apostolorũ.

Excusantur qui nõ agnoscunt

Andreæ

Petrus ca. ecclesiæ. Romanum Pontifice.

Andreæ, vel Iacobi, vel alicuius cæterorum, occupaui fedem: *Ad contium.* dico, non sequi inuitabiliter peccare, aut hæreticos esse, qui primatum Petri non agnoscunt; modo constet id eos pertinaci, atque iniquo animo non fecisse; potest enim vel simplicitas eos excusare, modo velint Romanæ ecclesiæ fidem seruare, vel, quod Romanus pontifex obedientiam ab eis non exegerit. Patet ergo quomodo

Lib. 4. cap. 43.

Romanus pontifex, sit omnium pater ecclesiarum. Cæterum, postquam vnum esse craterem, vnumque caput eiusdem, clarum sit; operæpretium me facturum puto, si locum, in quo huiusmodi crater inueniatur, diligenter inuestigauero.

Vbi sit vera ecclesia.

Irenæus. Irenæus. *Agnitio vera*, inquit, *est Apostolorum doctrina, & antiquum ecclesiæ statum in vniuerso mundo, secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco est, ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsque ad nos custodita.* Et lib. 4. cap. 43. Iis tantum Episcopis obedire iubet, qui successionem habent ab Apostolis, qui cum successione Episcopatus charisma veritatis certum acceperunt, reliquos vero, qui absistunt à principali successione, quocunque loco colligantur suspectos vult haberi.

Tertull. Idē sentit Tertullianus de præscriptionibus hæreticorum. *Ecclesiarum*, inquit, *origines pendent per successionem ab initio decurrentem; vt primus ille episcopus, aliquem ex Apostolis, seu apostolicis viris habuerit antecessorem.* His similia

Lib. 1. periarch. in proœm.

dicuntur ab Origine. *Cum*, inquit, *multi sint, qui se putent sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur vero ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in ecclesia permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica discordat traditione.*

Lib. epist. ep. 9.

Cyprianus exponens illud Ioan. 6. *Ad quem ibimus? verba vitæ habes: Loquitur*, inquit, *ibi Petrus, super quem ædificanda erat ecclesia DEI, docens, etsi contumax & superba audire nolentium multitudo discedat, quod ecclesia tamen Christianorum non recedit.* Ad extremum scire debes, Episcopum in ecclesia esse, & ecclesiam in Episcopo: & si qui cum Episcopo non sint, in ecclesia non esse: & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus non habentes, obrepunt. cum ecclesia quæ Catholica vna est, scissa non sit neque diuisa; sed sit vtique connexa, & cohærentium sibi inuicem sacerdotum glutine copulata.

Ibi ecclesia vbi legitima Episcoporum successio.

Lib. 1. ep. 6.

Ac rursus ad Magnum scribens. *Ecclesia*, inquit, *vna est, quæ vna intus esse, & foris non potest esse. Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit; si vero apud Cornelium fuit, qui Episcopo Fabiano legitima ordinatione successit, Nouatianus in ecclesia non est.* Ecclesia ergo vera est, vbi est legitima Romanorum pontificum successio.

Hieronym. Eiusdem est sententiæ Hieronymus scribens ad Damasum Papam: *Facessat*, inquit, *inuidia, Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior super illam petram ædificatam ecclesiam scio: quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca non fuerit,*

Gen. 7.

peribit regnante diluuio. Ac paulo post: *Non noui*, inquit, *Vitalem, Miletium respuo, ignoro Paulinum. quicunque tecum non colligit, dispergit. qui Christi non est, Antichristi est.* Quicunque igitur authore Hieronymo est extra ecclesiam Romanam, Antichristus censeri debet.

Qui extra ecclesiam, est antechristus.

Augustinus contra epistolam Manichæi cap. 4. *Multa sunt, ait, quæ me in ecclesiæ gremio iustissime tenent: in primis consensio populorum, deinde authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tertio, ab ipsa sede apostoli Petri, cui pascendas oues suas Dominus post resurrectionem suam commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, sacerdotum successio: postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter multas hæreses sic ista sola ecclesia obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur; nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.*

Augustinus quæ tenebant Augustinum in ecclesia.

Et in Psal. contra partem Donati in principio Tomi 7. *Numerate*, inquit, *sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo patrum, quis cui successit, videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.*

In Cathedra Petri nullus hæreticus.

Idem facit in epistola ad Generosum 165. sicut ante citauimus. Et lib. 2. contra Donatistas: *Petro*, inquit, *primo cathedra Episcopalis est collata; in qua sederet omnium Apostolorum caput Petrus; inde Cephas appellatus est: in quo vna cathedra vnitas ab omnibus seruaretur: vt iam schismaticus esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret.* Ergo in cathedra vnica, quæ est prima, sedet prior Petrus, cui successit Linus. ac enumeratis pontificibus Romanis, vsque ad Syricium ait: *Vestra*, inquit, *cathedra vos vrget in eam reddite, qui vobis vultis sanctam ecclesiam vendicare.*

Irenæus. lib. 3. c. 3.

Simili enumeratione pontificum vsus est Irenæus. Et postea subdit: *Hac ordinatione Episcoporumque successione, traditio, præconiumque veritatis peruenit ab Apostolis, vsque ad nos.* Et hæc est ostensio plenissima, demonstrans vnam eandemque fidem esse, quæ in ecclesia ab Apostolis vsque nunc est conseruata, & tradita. Itaque ibi est ecclesia Christi vera, vbi non solum inuenitur quædam vnitas pacis, in eorum mentibus, qui inuicem conueniunt; verum etiam origo Episcopatus, secundum successionis seriem ab apostolica sede deducta.

Vbi sit ecclesia.

Est autem huiusmodi ab Apostolica ecclesia successio, & deriuatio accipienda non solum secundum eandem fidem, easdemque canonicas scripturas; verum etiam secundum legitimam Episcoporum seriem à sede apostolica descendentium.

Successio Apostolica.

Quamobrem recte dictum est à Cypriano in tractatu de singularitate clericorum, eos esse schismaticos censendos, qui se præpositos constituunt sine vlla ordinationis lege, qui que nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt. Neque enim sine causa tanta fuit semper Romanæ ecclesiæ authoritas, in qua, vt scribit Augustinus *epist.* 162. *Apostolicæ cathedræ semper viguit principatus.* Nam cum aliæ omnes ecclesiæ, quibus Apostoli præfuerunt, à fide defecerint; sola hæc sancta & apostolica, mater omnium ecclesiarum, Christi ecclesia, per omnipotentis Dei gratiam à tramite apostolicæ prædicationis nunquam errasse, nec hæreticis nouitatibus deprauanda succubuisse probatur. sed quam ab exordio fidei Christianæ normam ab ipsis Apostolis accepit; in ea semper illibata permansit.

August. Mater omnium ecclesiarum à fide nunquam defecit.

Defecit Ierosolymitana ecclesia, cui præfuit Iacobus: Achaia, vbi Andreas: Asia, cui præfuit Ioannes: India, in qua Thomas principatum tenuit: Persis, vbi Iudas: Æthyopia, vbi Matthæus sacerdotium gerebat. Phrygia, quam regebat Philippus. Græcia, cui præerat Paulus. *Sola fuit, & est ecclesia Romana, ad quam*, authore Cypriano: *nunquam accessum habere potest perfidia.*

lib. 1. ep. 3.

Vnde Hieronymus ad Ruffinum lib. 3. *Scito*, inquit, *Romanam fidem, apostolica voce laudatam, istiusmodi præstigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annunciet, quam semel prædicatum est.* In Calcedonensi quoque concilio legimus acclamatum: *Omnes ita credimus: Papa Leo sic credit: Cyrillus ita credit*, & similia cap. de summa Trin. lib. 1. Vbi ergo sit iste crater, siue ecclesia, dixi.

Calcedonense Concilium.

CAP. VI.

Ecclesiam esse visibilem.

Vm iam constet ex dictis, vnum esse craterem, siue ecclesiam, eamque in sede Apostolica consistere; haud dubium, quin huiusmodi ecclesiæ visibilis sit. Non enim satis est Christiano, vt inuisibilis prædestinatorum cœtus ametur; quandoquidem ille cœtus vera charitate diligi non potest, nisi diligatur vniuersa fraternitas: *Fraternitatem*, inquit, *diligite*, ait Petrus ex qua vtique ecclesia visibilis conficitur.

Ecclesia visi.

1. Pet. 2.

Misit, ait Mercurius, & Salomon præconem, qui hominibus talia ennunciaret: *Mergite vos in craterem.* Et in Euangelio legimus: *Docite inuitatos, vt veniant ad nuptias.* Certum autem est, nuptias illas esse visibiles: nam & sponsus factus est homo visibilis; & sponsam sibi coniunxit, quæ constaret ex visibilibus membris. *Vnum corpus, omnes sumus in Christo*, ait Apostolus: corpus autem istud non est inuisibile, sed visibile: ad quod Christi corpus, ex Manichæis transijt Augustinus, in quo baptizari voluit Ambrosius: ad quod olim reuocabantur Donatistæ, non tantum sermonibus, sed & Catholicorum Imperatorum legibus. Ista est ecclesia, extra quam non est salus: extra quam non prosunt pro Christi nomine martyria: extra quam licet dentur sacramenta; nihil tamen prosunt.

Corpus visi.

Oportet ergo eos, qui suæ suorumque salutis cupidi, vt communicent communione visibili cum ecclesia Catholica visibili: nec tantum credant aliquam esse; sed eam indubie suscipiant, quam Christus in beato Petro determinando ædificauit.

Credenda est ecclesia hæc visibilis.

Sane, ecclesia olim prædicta est futura, non solum in spiritu vnita, & ante oculos Dei; sed etiam *ciuitas magna supra montem posita*, quæ abscondi non potest, de qua Isaias cap. 2. præclare loquitur: *Et venient*, inquit, *ad eam omnes gentes, & confluent omnes populi.*

Matth. 5.

Ciuitas, inquam, cui dictum est à Domino, *Dic ecclesiæ, si ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.*

Matt. 18.

Hanc ab Ierusalem orituram, & totum plenè orbem complexuram, Dominus prædixit: *Et prædicabitur*, inquit, *euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet finis mundi.*

Matt. 24.

Et Lucæ 24. *Oportebat Christum pati, & in nomine prædicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.*

Luc. 24.

In Actibus Apostolorum legimus: *Eritis mihi testes in Ierusalem, in Iudæa, & Samaria, vsque ad vltimum terræ.*

Act. 1.

August.

Scribit Augustinus ad Hesichium: *Non*, inquit, *ita dictum est Apostolis: Eritis mihi testes vsque ad extremum terræ, tanquam ipsi soli Apostoli, quibus tunc loquebatur, totum mundum fuerint impleturi; sed sicut eis solum videtur dixisse: Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, quod tamen*

ecclesia

Mali sunt in eccles.

Ecclesiæ promisit: ita hæc scriptura est accipienda. Quæ omnia, nisi esset ecclesia Dei visibilis, vera dici non possent. Sunt autem tres ecclesiæ, siue in ecclesia communicationes: quarum vna est interna in fide, spe, & charitate; externe vero in conuictu, & vsu sacramentorum tertia, qua etiam mali sunt in Ecclesia.

Tres ecclesiæ communicationes.

Etenim fidelis & catholicus malus recte credens, & in vnitate perseuerans, quamuis ipse non sit domus Dei, vel pars eius, est tamen in domo. Qui enim non habet habitantem Spiritum sanctum; non est domus Dei, neque pars illius magni templi, quod ex omnibus charitatem habentibus ædificatur: cohæret tamen nexu quodam inuisibili, partibus ipsius domus per vinculum catholicæ pacis, quomodo non cohæret hæreticus, aut schismaticus, licet à catholicis, loco & sacramentis, non sit separatus: ideoque non dicuntur esse in domo, sed ex domo: quod tunc manifestum fit, quando aut exeunt ipsi, aut certe eiiciuntur. *Puto,* inquit August. *non temere dicere, alios ita esse in domo Dei, vt ipsi etiam sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificata supra petram, quæ vnica columba appellatur.* hæc est domus in vasis aureis, & argenteis, & lapidibus pretiosis, & lignis imputribilibus: hæc quippe in bonis fidelibus est vbique dispersis, & spirituali vnitate deuinctis eadem communione sacramentorum, siue se facie nouerint, siue nõ nouerint. Alios autem ita dici constat esse in domo, vt non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferæ pacificæque iustitiæ, sed sicut esse palea dicitur in frumentis: nam & ipsos esse in domo negare non possumus, Paulo Apostolo dicente: *In magna autem domo non solum aurea vasa sunt, vel argentea; sed & lignea, & fictilia: & alia quidem sunt in honorem, alia vero in contumeliam.* Ex hoc numero innumerabili, non solũ turba intus premens cor paucorum in tantæ multitudinis comparatione sanctorum; sed etiam diruptis retibus, hæreses & schismata, existunt in eis, qui iã magis ex domo, q̃ in domo esse dicẽdi sunt, de quib. Ioannes loquitur. *Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis.* Separatiores enim sunt iam etiam corporaliter segregati, quam illi, qui interius carnaliter, & animaliter viuunt, sed spiritualiter separati sunt.

lib. 7. de bapt. cont. Donat. c. 51.

Mali in ecclesi.

2. Tim. 2.

Hæretici sunt foris.

1. Ioan. 2.

Itaque ex verbis Augustini duplex colligitur communicatio ecclesiastica, spiritualis vna, altera vero corporalis: spiritualis vero, vel est eorum, qui ita sunt in domo, vt sint ipsa domus; vel eorum qui sunt quidem in domo, sed non sunt partes ipsius domus, qui tamen spiritualiter partibus domus coniunguntur: & è diuerso partes domus ipsis copulantur in pace catholica: quæ licet sit effectus charitatis, latius tamen protenditur, & in quibusdam est, in quibusdam vero non est charitas, *Charitas* inquam, *de corde puro,* per quam in corde hominis habitat Spiritus sanctus. Per hanc autem vnionem multa bona participat etiam spiritualiter catholicus malos, quæ non participat hæreticus, vel schismaticus, quibus spoliatur, quando iuste excommunicatur, & traditur sathanæ.

Communicatio Spiritualis.

Similiter corporalis cõmunicatio diuiditur. Quædam enim est secundum locum, & in conuictu, & communicatione sacramentorum visibilium actiua & passiua. Alia est communicatio superioris, & inferioris: qualis est prælati ad subditos, & è conuerso: quæ quodammodo dici potest spiritualis, in quantum potestas imperandi, & necessitas obediendi fundetur super fidei sacramento; eo quod talis communicationis capax non est non baptizatus. Non enim potest habere administrationem spiritualem is, qui caret fidei sacramento. Secundum hanc communicationem intus est malus catholicus, & hæreticus, vel schismaticus, quamdiu ab ecclesia toleratur. Hinc soluitur quæstio, an hæreticus vel schismaticus sit ipso iure, vel facto priuatus iurisdictione. Et apparet probabilis, quod non ante sententiam.

Corporalis communicatio duplex.

Quomodo hæreticus sit intus.

Quemadmodum igitur in rebus naturalibus, pars est in toto, & membrum in corpore, rami vero in arbore, non vno quidem sed varijs modis, ita etiam in corpore Christi mystico varius est status, atque ordo membrorum hac de causa à Paulo vocatur vnum corpus, cuius membra eundem actum non habent; sed sunt situ, & vitæ operatione differentia. Sunt enim interdum in corpore humano membra vitalis motus expertia, quibus amputatis, aliorum conseruatur sanitas membrorum; interdum vero tolerentur, ne eorum abscissione corporis pulchritudo dehonestetur: quæ quidem membra quodam corporeo nexu, non autem vitali spiritu connectuntur.

Quare dicatur vnũ corpus. Rom. 12.

Simile quoque de membris corporis mystici potest esse iudicium, in quo viua membra, alimonia sancti spiritus fouentur, atque nutriuntur: mortua vero partim amputantur, partim vero tolerantur.

Viua mẽbra. Mortua membra.

Sed posset quispiã sic arguere: Non est membrum Christi appellandum, quod est expers Charitatis; Christi enim ecclesia, charitatis glutino compaginatur. sed mali sunt huiusmodi: ad Christi ergo ecclesiam minime spectant.

Obiect.

Fauetur huic sententiæ ab Apostolo, in qua iussit cum ebriosis, & similibus non esse conuersandum. Reuera, quomodo sunt membra Christi, si non habent spiritum Christi? *Qui,* inquit Apostolus, *non habet spiritum Christi, hic non est eius.* Amplius, quomodo possunt esse in ecclesia, qui non habent Christum tanquam caput & fundamentum? Quamobrem Augustinus contra Crescennum: *Non existimemus quenquam ita desipere, vt credat ad ecclesiæ vnitatem pertinere eũ, qui non habet charitatem.*

Mali sunt in eccles. 1. Cor. 5. Rom. 8.

lib. 1. c. 19.

Dico, ad argumenta ex iam dictis esse responsum: Mali enim sunt in ecclesia externe sacramentorum administratione, & quadam pace corporali tolerantur, quoadusque, aut sua sponte exeant, aut ab ecclesia eijciantur.

Solutio.

Quamobrem velle dicere, occultos peccatores, non autem manifestos in ecclesia esse, Donatistarum est hæresis. Docetur id ab Augustino in epistola ad Donatistas, addens hanc doctrinam esse Apostolicam, & scripturis sacris fundatam. Etenim frater peccans in nos, non mox foras eijcitur, sed admonetur, vt resipiscat; demum admonitione contempta, extruditur. Peccans ergo frater est in ecclesia, donec iudicium ecclesiæ contemnens, separetur: Obiurgantur illi à Paulo, qui quendam fornicarium in ecclesia tolerabant, iubens illum extra ecclesiam fieri; infideles vero asserit foris esse, & ad ecclesiæ iudicium non pertinere. *Quid mihi,* inquit, *de his qui foris sunt? Auferte malum à vobis ipsis. In 2. epist. ad Cor. cap. 2.* post pœnitentiæ lamenta iussa est ecclesia Corynthiorum, vt illum in suæ charitatis reciperet gremiũ. Itaq; in ecclesia per membra intus separata, multa ecclesiæ mysteria forinsecus aguntur, quæ non parũ prosunt ecclesiasticæ vnitati; Deus n. scit malis bene vti, ad profectum bonorum.

Peccatores manifesti sunt etiam in eccles.

Matt. 18. 1. Cor. 5.

Ad illud Pauli dicimus, id fieri debere in lucrum fratris; vt sic confusus resipiscat, & ad sanam mentem reuertatur. Sane quemadmodum in lege Moysis non esse à Cathedra Moysis recedendum, Dominus imperauit, tametsi improba esset vita prælatorum; ita etiam non est recedendum ab ecclesia Apostolica, etiamsi mixta sit malis, & improbis hominibus per visibilem sacramentorum conuictum, & nexum; sat enim est Christiano pro pace ecclesiæ conseruanda, corde ab huiusmodi seiungi, vita moribusque distingui.

Communicare cũ peccatoribus sine peccato.

Et hæc quidem dicta sint, de malis hominibus, quos ecclesia patienter fert, ne ipsius pax dissoluatur, patientiæ & charitatis vinculo abiecto, & à se prorsus exclusa. Ex quo apparet quæ sit in ecclesia sanctorum communio, membrorum vtique societas, qua cuiusque membri operatio cedit in commodum totius corporis. *Particeps ego sum,* ait Dauid, *omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Sodoma si habuisset decem iustos, potuisset non perire. hæc autem sanctorum communio, non solum præsentis ecclesiæ membra complectitur; verum etiam & ecclesiæ triumphantis: quorum orationibus ecclesia huius temporis à multis miserijs passionibusque leuatur: *Protegam,* inquit Dominus: *ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid puerum meum:* Dauid vita defunctus erit author salutis ijs, qui sua se perdiderunt desidia. *Dauid siquidem,* teste Chrysostomo in Psal. quinquagesimum, *non solum cum esset in corpore placuit Deo; sed & post mortem suam viuis grande præstitisse solatium inuenitur: Protegam,* inquit, *hanc ciuitatem propter me, & propter Dauid. Dauid mortuus est, & merita eius vigent: homo mortuus viuo patrocinatur.* Gregorius quoque magnus. *Aliorum,* inquit, *bono opere alij adiuuantur: sicut ad peccantem regem Salomonem à Domino dicitur: Quia non custodisti præcepta mea, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo: verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum.* Omnia ergo sanctorum merita, sunt ecclesiæ communia, quod quidem ab Augustino, præclare docetur: *Populus Christianus,* inquit, *memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur.* Quomodo ergo cratet sit visibilis, & quæ sit eius communio, dixi.

Sanctorum communio quæ sit. Psal. 118. Gen. 18.

4. Reg. 19. Isa. 37. Dauid mortuus profuit viuis.

lib. 5. in reg. 4.

lib. 8. de ciuit. 21.

Authoritas Ecclesiæ.

CAP. VII.

ECCLESIÆ AVTHORITAS.

MERCVRIVS.

Quæ credit craterem, animam ad Deum reducturum.

Ecclesia credenda.

POsteaquam ostensum est, vnum esse craterem, eundemque visibilem, atque illius variam esse societatem; deinceps potentiam, authoritatem, atque maiestatem illius intueamur: Tanta, inquit, est huius crateris potentia, vt animas hominum ad Deum reuocet, modo crediderint; nam sine fide impossibile est Deo placere. Credimus autem ecclesiæ, quia Spiritui sancto credimus, per eius os loquenti; siue enim per scripturas loquatur, siue per ecclesiam, par est in vtrisque authoritas, propterea par est vtrisque fides præstanda. Etenim ecclesia est columna, & firmamentum veritatis, quia est instructa, & quotidie instituitur à spiritu veritatis. Multis ante seculis præcessit ecclesia, nullo scripturarum codice apparente; apud quoscunque enim fuit fides mediatoris, apud eos ecclesiam fuisse, nemini sanæ mentis dubium esse potest. Quamobrem catholicæ ecclesiæ infantiam in Abele extitisse, theologi affirmant, quæ quidem ætas, ecclesiæ iustitiam ostendit, ab initio laborantem, accepitque eo tempore à suis parentibus, hanc de aduentu sponsi promissionem: *Hoc est os de ossibus meis, & caro de carne mea. propterea relinquet homo patrem & matrem suã, & adhærebit vxori suæ. & erunt duo in carne vna.* Huius spei magnitudine suffulta, atque prolis multiplicandæ desiderio animata, mundum illum originalem ecclesia superauit: sacrificium tunc obtulit Abel, paterna admonitus traditione: simili quoque eruditionis ordine Enoch instructus, cœpit inuocare nomen Domini. Seth iustorum pater, diuinis sacrificiis Deum colebat: 12. Nulla tunc canonica extabat scriptura, sed patrum traditionibus instructi, pie Deum venerabantur. *Iustitia*, inquit Epiphanius contra hæresim Manichæorum, *tempore fuit Abel & Enoch, quibus non erat lex scripta; sed naturali tantum intelligentia, & traditis per successionem ex patribus ad filios.* Et Chrysostomus: *Considera*, inquit, *quomodo naturæ conditor, scientiam animæ indidit, vt oblationem offerret.* Hoc eruditionis ordine, ac Dei colendi ritu, pueriles annos attigit ecclesia, lauãs manus suas in sanguine peccatorũ, qui aquarum inundatione suffocari, perierunt. Adoleuit numero aucta, & notitia filiorum, læta nimis, secum sponso fœdus pepigisse; ne vlterius aquarum illuuione ipsius familia esset castiganda: suam conspexit posteritatem a diluuii iniuria liberam, & ab impiorum societate discretam: animaduertit benignam in se sponsi sollicitudinem, in arcæ fabricatione, omniumque animantium conseruatione: sed illi non defuit patientiæ meritum, virtutis occasio: nam Canaan illius turpitudinem propalare non destitit; quo maledictionis paternæ damno affecto, ad tempus adolescentiæ suæ peruenit; in quo clariora de sui sponsi præsentia, potestate, beneuolentiaque oracula recepit. Ad illam enim dictum est à sponso: *Maledicam maledicentibus tibi, & benedicam benedicentib. tibi: atq; in semine tuo benedicentur omnes tribus terræ.* Credidit sponso pollicenti, *& reputatum est ei ad iustitiam:* vnde & signaculum iustitiæ accepit, circumcisionem scilicet. Sed ecce Ismael persequitur Isaac. sæpe qui secundũ carnẽ natus est, eum, qui secundum spiritum: verum ad mandatum Saræ, Ismaele cum ipsius matre à domo Abrahæ pulsis, iuuentutis annos ingressa, effectaque nubilis, in monte Sina, paranympho Moyse, per legem desponsata est: *Recordatus sum*, inquit Ieremias 2. *desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto.* Moyses gradiloquo sermone illam alloquẽs, dixit: Sponsus tuus erit Propheta, sicut & ego: proinde anima, quæ non obedierit sponso tuo, peribit de populo suo. Quæ gens est, quæ habeat cæremonias, & leges, ac Deos appropinquantes sibi, sicut tu habes? Tu enim es pars Domini, & funiculus hæreditatis eius. Defuncto Moyse, ingressa est terram sponsi, & celebre factum est nomẽ eius, iudicũ, & Regũ temporibus: multorum bellorum aucta imperio, terra marique distenta, gloriosæ reginæ coronam suscepit; vt vultum illius deprecarentur omnes diuites plebis. Interim sponsi præstolabatur aduentum: non sine magna suorum iniuria, & iactura: nam & in Aegyptum coacta est proficisci, & in Assyrios: demum in Babylonem pene mortua perducitur: nec dum venit sponsus; verum dum sic exularet in terra aliena canities sunt pili eius: in qua quidem canitie, non parum molestiarum atque laboris passa est; fuerunt enim illi lachrymæ pro panibus die, ac nocte, dum diceretur ei: Vbi est sponsus tuus? Magnam à suis penabatur ignominiam; ingentissima ab alienigenis bella ei inferebantur; sed restituitur regno ad Cyri imperium, in quo non paucos sustinuit pugnarum agones: demique ad extremum regiæ suæ dignitatis Herodi alienigenæ culmine concesso, venit sponsus à regalibus sedibus, sponsamque suam pene destitutam, & mœrore confectam, sibi copulauit. Vides ergo, quomodo antiquior sit ecclesia quam scriptura, & ex ecclesia, scriptura, authoritatem acceperit, licet modo ex scripturis probetur ecclesia. Amplius, quod istæ sint scripturæ canonicæ, & huiusmodi sensus verus illarum, non à quopiam, quam ab ecclesia didicimus. Deinde ab eadem multa docemur, ad religionem Christianam necessaria, quæ ex sacris scripturis minime demonstrari possunt. Horum itaque consideratione, maior quodammodo videtur ecclesiæ, quam scripturæ authoritas. Vnde Augustinus epistola fundamenti. *Euangelio*, inquit, *non crederem, nisi me commoueret authoritas ecclesiæ.* Marcus Christum non vidit, vidit Nicodemus, ecclesiæ tamen commoti authoritate recipimus Marci, reiicimus euãgelium Nicodemi. Nemini dubium est, Christum suam doctrinam literis non mandasse, neque vt mandarentur, Apostolis præcepisse. Matthæus inter Apostolos characteribus hebraicis primus Euangelium scripsit, deinde Marcus, postea Lucas, omnium vltimus Ioannes: qui vsque ad vltima Domitiani tempora, teste Augustino in prologo Euangelij Ioan. absque adminiculo scribendi, prædicauit. Irenæus lib. 3. aduersus Valentinum: *Non per alios*, inquit, *discipulos Euangelium cognouimus, quam per eos, per quos Euangelium venit: quod quidem tunc præconiarunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis tradiderunt.* Eusebius lib. 4. cap. 34. *Venerabiles*, inquit, *& digni Deo Apostoli, cum essent in omnibus puritate vitæ, & animi virtutibus clari, non magni pendebant sermonis ornatum: quippe in quibus anima erat diuinis ornata virtutibus, parui penderunt plures libros scribere.* Et lib. 1. cap. 4. ex 3. Irenæi libro adducens testimonium: *Matthæus quidem*, ait, *Hebræis propria eorum lingua, conscriptum edidit Euangelium cum Petrus & Paulus in vrbe Roma euangelizarent: atq; ecclesiæ inibi fundamenta solidarent.* Cum igitur ex actis Apostolorum constet, Paulum tempore Neronis ad Romam accessisse quamuis Petrus ante tempore scilicet Claudij, Romam venerit, Hieronymo teste; satis potest esse manifestum, plus viginti annos ecclesiam sine scripto Euangelio constitisse. Hieronymus in prologo super quatuor Euangelia, & in lib. de viris illustribus. *Matthæus Apostolus Hebræus fuit, Hebraicis literis suum Euangelium conscripsit*: qua vero occasione ductus, Eusebius loco iam citato explicat: *Matthæus*, inquit, *primo Hebræis Euangelium prædicauerat, verum cum pararet transitum ad gentes, patria lingua scripturam composuit.* Marcus, Romanorum fidelium intercessione commotus, scripsit Euangelium post aduentum Petri in vrbẽ post quã, inquam, Simonem Magum superauit. Irenæus libro 3. *post Apostolorum exitum*, ait, *Marcus discipulus, & interpres Petri, Euangelium, quod ille prædicauerat, digessit in librum: quod quidem de plena diuulgatione est intelligendum.* Epiphanius aduersus hæresim Alogorum. *Matthæum, inquit, insecutus est Marcus, iussus à sancto Petro Thomæ Euangelium edere: qui vbi scripsisset, mittitur à Petro in Aegyptiorum regionem.* Superstite ergo Petro, Euangelium scripsit: post vero 37. annos à Domini ad cœlum ascensione, omnibus est Ecclesiis publicatum, atque receptum. Post Marcum Lucas scripsit, compulsus ad scribendum ea ætate, quo multi conabantur Euangelium Christi conuertere. Dicit Gregorius magnus in Canone, quem edidit de diuinis scripturis. *Matthæus scripsit Hebræis, Marcus in Italia, Lucas Græcis: Ioannes omnibus præco magnus.* De Ioann. Euangelio Eusebius loco iam citato sic loquitur: *Tradunt*, inquit, *Ioannem vsq; ad vltimum pene vitæ suæ tempus, absq; vllius scripturæ iudicio, Euangelium prædicasse, sed cum horum euangelium etiam ad ipsum notitia peruenisset: probasse quidem dicitur fidem, & veritatem doctorum, deesse tamen vidit aliqua, & ea maxime, quæ primo prædicationis suæ tempore dominus gesserat.* Aliam addit Hieronymus rationem: *Rogatus*, inquit, *ab Asiæ Episcopis, aduersus Cerinthum, aliosque hæreticos: & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserebant, Christum*

ante

Infantia ecclesiæ. — *Abel.* — *Enoch. Gen. 4. Gen. 6. Seth. 12.* — *Epiphanius.* — *hom. 18. in Gen.* — *Pueritia ecclesiæ.* — *Adolescentia ecclesiæ.* — *Ecclesia iuuentus.* — *Moyses.* — *Ingressus ecclesiæ in Chanaan.*

Authoritas Ecclesiæ. — *Canities ecclesiæ.* — *Ecclesiæ authoritas.* — *Aug. c. 6. Euangelio non crederem, nisi ecclesia moueret.* — *Irenæus.* — *Eusebius.* — *Quando Matt. scripsit.* — *Marc. Euangelium.* — *Hieron.* — *Marcus Euan.* — *Epipha.* — *Luca Euã.* — *Ioan. Euã.* — *Hieron.*

ante Mariam non fuisse. Plus ergo quam quadraginta annos Ioannem absque vllis scripturarum codicibus, verbum Dei prædicasse, & omnes propemodum in Asia ecclesias rexisse, patet lætissime. Ex quibus omnibus, omnibus constare potest, quam perperam loquentur, qui sanctissimis vetusti ... ecclesiæ traditionib. derogant, ac non nisi codicibus ... adhib... esse fatentur. Recte ergo di... est à ... Mercurio, ecclesiam reductricem animas ad Deum, ... modo crediderint. Credamus ergo sanctæ Romanæ ..., quæ est crater diuina noui ... plenus vnus, vi... ...atus, & beatus Petrus, eiusq; successores.

MERCVRIVS.

Quicunque igitur præconium ... audierunt, seque merserunt in mentem, ij cog... ...ni... participes effecti sunt; mentemque ... ...ntes in homines perfectos euaserunt. At q... præconium neglexerunt, ij sermonis quidem participes, men... autem expe... ...es rel... cti sunt: ignorantes & cuius gratia, & a quo geniti fuerint. horum prætere... sensus irrationalis animantis sensuum similes, iraque & cupidine impliciti, ea quę sunt digna conspectu, nequaquam admirantur. Nam libidinibus corporis mancipati, harum causa natum hominem arbitrantur.

Commentum IX.

HOminem liberum Deus condidit, secundum quem profecto statum Deo similis esse dicitur; non enim corporeis lineis, Dei imaginem exprimit; sed arbitrii libertate. hunc autem statum confirmat lex, tunc à Deo posita. Non enim poneretur lex ei, qui in sua potestate legis obsequium non haberet. Liberam ergo inuenimus hominis potestatem, ob quam non ipsi Deo, sed hominis lapsus est imputandus. Quam ob rem bene dixit Mercurius, proposito cratere in præmium & certamen animarum, missum fuisse præconem, legem vtique scriptam & naturalem; postremo, legem gratiæ, euangelium scilicet. neque enim præco missus fuisset, si ij, ad quos mittebatur, non habuissent obsequendi facultatem: quod quidem facile patet ex diuersa inuitatorum voluntatis libertate. *Quidam*, inquit, *præconium exaudierunt. quidam vero minime.* Omnes quidem audierunt, quia in omnem terram huius præconii sonus exiuit, non omnes tamen exaudierunt. Illi ergo qui præconium audientes, non exaudierunt, non possunt prætendere pro ignorantiæ velamine, malitiæ libertatem, dicereque: Præcomo inuitati non sumus, hic tota die sumus otiosi, quia nemo nos vocauit. Nam à primo orbe, præcones mittere non destitit, qui inuitarent ad craterem. Qui vero audientes præconium, exaudierunt, hoc est, vocati venerunt, non in seipsis, sed in domino glorientur. Nam etsi *fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Dei*; nemo tamen, nisi diuinitus adiutus, præconio consensum potest præbere loquenti, atque inuitanti. *Nemo*, inquit dominus *potest venire ad me*, id est, per veram fidē, esse viuum membrum corporis mei: *nisi pater meus traxerit eum*. *Ego*, inquit August. *putabam fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei; sed à nobis esse in nobis, atque per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, pie, ac iuste viuamus in hoc seculo: conuictus autem sum testimonio Pauli dicentis. Quid habes quod non accepisti?* Et 2. Cor. 3. *Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et ad Ephes. 2. *Gratia saluati estis, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Ad phil. 1. *Vobis donatum est pro Christo, non solum, vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Non potest ergo quispiam exaudire præconium, nisi excitatus atque illuminatus inspiratione Dei miserentis. Quid ergo fecisse eos legimus, qui præconium & audierunt, & exaudierunt? *Merserunt se*, inquit, *in mentem.* Sine metaphora dixisset, catholicam ecclesiam ingressi sunt, fide & charitate illi cohærentes: ideoque cognitionis participes effecti sunt, id est, Dei cognitionem atque scientiam perceperunt. Qui profecto dum huiusmodi Dei cognitionem, sensumque diuinum mirarentur, atque suspicerent; in homines perfectos euaserunt. Extra igitur hunc craterem, omnis hominum perfectio, pro imperfectione est habenda. Quis autem homo in hac vita perfectus censendus est, nisi qui se mergit in craterem, ex quo haurit mentem, per quam intelligit, cuius gratia sit natus? Philosophus *Homo quodam modo est finis omnium*, quia scilicet illius gratia, omnia quodammodo creata esse videntur. Quia in quiunt Themistius, Simplicius, atque Commentator, hominis naturæ multis modis serua est, artes quædam, vt dicitur in procemio meth. propter necessitatem inuentæ sunt: quædam vero ad hominis delectationem; non tamen huius gratia natus est homo, aut hic est finis hominis vltimus. Plato in Alcibiade. *Homo est anima rationalis*, inquit, *mentis particeps, corpore vtens.* Vt autem rationalis anima est, in seipsum circulo quodam ration... sese animaduertendo reflectitur ... vt mentis particeps, ... in diuinam mentem, veluti riuulus in fontem suum refluit: vt vtens corpore, humanis negotiis gubernandis incumbit. Ad tria igitur bona homo creatus dirigitur ... ad bonum vtique absolutum, ad suum, deinde ... bonum proximi. Præcipuus tamen hominis finis est, vt bonum a... ...lutum, Deum diligat scilicet: Qui, inquit, ... in viros perfectos euaserunt. August. lib. 3. ad Bonifacium ca... *Paulus in epist. ad Philip. cap. 3. negat se esse perfectum, ... Quotquot ergo perfecti sumus*, inquit, *hoc sapiamus ... sequendum istius vitæ modum ... perfectionem, eique ... ctioni hoc quoque deputandum: si se quisque nouerit nondum esse perfectum. Quid enim excellentius in veteri populo sacerdotibus sanctis? Et tamen eis præcepit Deus sacrificium primitus pro suis offerre peccatis. Et quid sanctius in nouo populo Apostolis? & tamen præcepit eis dominus in oratione dicere: dimitte nobis debita nostra. Omnium igitur piorum sub hoc onere corruptibilis carnis, & in istius vitæ infirmitate gementium spes vna est, quod aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum: & ipse est exoratio peccatorum nostrorum.* Item, lib. 2. *de peccatorum meritis & remissione cap. 13. Diuus Paulus fatetur se nondum esse perfectum in plenitudine iustitiæ, quam adipisci dilexit in Christo; erat tamen perfectus viator, nondum ipsius itineris perfectione peruentor. Denique tales vult se comites sui itineris capere quibus continuo subiungit & dicit: Quotquot ergo perfecti sumus hoc sapiamus: & si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit.* verumtamen in quod peruenimus in eo ambulemus: Ambulatio ista, non corporis pedibus, sed mentis affectibus, & vitæ moribus geritur, vt possint esse perfecti iustitiæ possessores. Euaserunt ergo illi in viros perfectos, hoc est, in perfectos viatores, non autem in perfectos peruentores, seu contemplatores. *At qui præconium neglexerunt*: negligentia est proprii virium arbitrij sponte sua illud operantis. Audierunt, inquit, sed neglexerunt, id est, paruipenderunt, ac venire noluerunt: *ij*, inquit *sermonis quidem participes*, quia præconii vocem auribus perceperunt corporis, sed cordis excussu non reimuerunt: *ideoque mentis expertes relicti sunt. ignorantes, & cuius gratia, & à quo geniti fuerint.* Tales enim gentes sunt, quæ Deum ignorent: brutis similes, sicut textus sequens ostendit. *horum*, inquit, *præterea sensus irrationalis*, hoc est, pars sensitiua, animantis sensuum similes, id est, brutorum sensus imitatur: quæ natura prona ventri obedientia finxit. Quæcunque ait Iudas in sua canonica, naturaliter norunt, tanquam muta animalia, in his corrumpuntur, *Ira & cupidine impliciti*, ex quibus vna animum impedit, ne possit cernere verum: altera vero animum emollit, cogitque dedecorose obedire voluptati. hi sunt duo ignes gehennæ, quibus animus accensus, expers redditur mentis, & rationis. *implicati*, veluti ferreis catenis ligati, *ea quæ sunt digna conspectu*, hoc est, vt conspiciantur, bona vtique & honesta, ac rationali creaturæ accommoda, imo necessaria, *nequaquam admirantur*, suspiciunt scilicet, colunt, atque amplectuntur. *Nam libidinibus corporis mancipati, harum causa, natum hominem arbitrantur.* sic etiam loquitur dialog 18. Anima, inquit, infusa corpori, à voluptate atque dolore continuo deprauatur. Ex corporis enim commixtione voluptas & dolor ceu riuuli quidam scaturiunt, in quos incidens anima suffocatur. *Est autem libido furor ab humanis moribus nascens, cura & sollicitudine plenus*, vt ait Socrates in Phædro. *tantum his hominibus conueniens, quorum mens adeo tenebris offusa est; vt nihil præter fragilem, fluxamque corpusculi huius imaginem cogitet.* Epicurus appellat nexum quendam corpusculorum athomorum sesesei, à quo simulacra pulchritudinis bausta sunt, penitus infundentem. Socrates in Phædro ... *cupiditas, ait, absque ratione superans rationem, ad ... tendens ...* ...apit ad voluptatem formæ: & à cog... ...iduatibus, circa corporis formam corroboratus, ... mente pe... ...it, & superat. Dicitur à *ρώμη*, id est, à robore, & vehementia, vt ait Plato

Margin notes: Credentium præmie. 1. phy. t. 24. Homo finis omnium. Plato. Quid sit homo. Qui dicit se imperf. ...e est perfectus. Paulus modum perfectus. Perfectus viator. ... expe. Textus. Iudas. Ira. Voluptas seu libid. quid sit. Socrates. Epicurus. Plato.

Vnde Ambro. *Amor impatiens ignorat iudicium, vim, consilio non temperatur, nec pudore frenatur, nec ratione regitur.* Nascitur ex Venere iuniora tanquam matre, quæ ex spuma nata dicitur, authoribus Cicerone, Luciano, Apuleio & Platone in Cratylo. vnde Venus Aphrodites dicta est, ἀφρὸς enim græce spuma dicitur. Quoniam, teste Fulgentio, *sicut spuma, libido momentaliter surgit, & in nihilum venit; siue quod concubitum ipsa seminis, spumosa sit.* Deoque

Macro. Saturnal. lib. 1. fab. 4.

fabulosi Poetæ quod ex sectis falce Saturni virilibus, atque in mare proiectis, exinde Venus nata sit. Saturnus græce Χρόνος dicitur, id est, tempus. Abscisæ ergo vires, id est, fructus temporis, & in humoribus viscerum, veluti in mare

Venus Aphrodites

proiectæ libidinem gignunt. vnde saturitatis abundantia libidinem creat; nam *sine Cerere & Baccho, friget venus,* ait Terentius: generari dicitur ex ponto, quoniam ex procellosi maris spuma generatur. Nam quemadmodum maris motu crebro, quod quidam elementum calidum est, & humidum conficitur spuma, & excitur; ita ex humido æstu corporis, titillatio proficiscitur, ex qua libido generatur. Sensus,

Mercurius pater cupidinis.

quia ad animam appetibilia referunt quasi nuntij, & eam suauiter mouent; ideo Mercurius dictus pater Cupidinis. Nam ex sensu voluptate illecto, & procliuitate illa, velut ex Venere libido nascitur: ex sensu autem nunciante animæ suauitatem aliquam ceu ex patre. Vnde Seneca

Seneca. trag. 9.

Vis magna mentis atque animi calor, amor est, id est, amoris abusus, hic est ignis occultus, qui in pectus admissus, vrit cor, & veluti venenũ per venas currit, & in ossibus hærens vorat medullas. Hieronymus contra Iouinianum.

Hieronymus.

Amor formæ, rationis oblinio, insaniæ proximus: turbat consilia: altos & generosos spiritus frangit: à magnis cogitationibus ad humillimas retrahit, querulos, iracundos, temerarios, duros, imperiosos, seruiliter blandos, omnibus inutiles, ipse nouissime amor facit. Nam cum fruendi cupiditate insatiabili flagrat, & plura tempora suspitionibus lachrymisque & conquæstibus perdit. Odium sui facit, & ipse nouissima

August.

odiũ est: Aug in lib. conf. *Ex voluntate mea peruersa facta est libido: & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Gregorius in Mora.

Gregorius.

Ex quo luxuria semel mentem alicuius occupauerit; vix eum bona cogitare permittit; sunt enim desideria viscosa, quia ex suggestione oritur cogitatio: ex cogitatione affectio: ex affectione delectatio: ex delectatione cõsensus: ex consensu operatio: ex operatione cõsuetudo: ex cõsuetudine desperatio: ex desperatione peccati defensio: ex defensione gloriatio: ex gloriatione damnatio: Chryso. in Matth.

Chrys.

vitium libidinis facile in vacantia, & otio nascitur; nam diffinitio amoris hæc est, animæ vacantis passio. Ouidius, *Otia si tollas periere cupidinis arcus.* Est autẽ libido immoderata carnis petulantia, dulce venenum, importuna lues, pernitiosa potio, quæ humanũ corpꝰ debilitat, & virilis animi robur eneruat; adulterina iucunditas, mel habens in ore, fel in corde, aculeum in dorso. Valerius

Valerius Maxi.

Maximus lib. 9. *Blandum malum libidinis; quod accusare aliquando facilius est, quam vitare.* hac, virtus atteritur: victoriæ languescunt: gloria in infamiam conuertitur: animi & corporis vires expugnantur: adeo vt nescias an ab hostibus, an ab illa capi pernitiosius habendum sit. Cicero 4. Rethoricorum. *perditissima ratio est, amorem petere; pudorem fugere:*

Cicero. Sophocles.

diligere formam, negligere famam. Sophoclis sententia est. *Qui Deum dixerit amorem: Dei malum nullum videmus opus: At hic hominum sanguine ridendo gaudet.* Euripides in Medæa. *Mortalibus amor quam magnum malum.* Amores nimij cum acces-

Euripides.

serint, non bonam famam, neque virtutem attulerunt hominibus. Recte ergo dixit Mercurius. Homines mentis expertes, arbitrari se ad luxuriam, & non ad virtutem esse

ad Ephes 4.

ortos. Apostolus loquens de huiusmodi. *Hoc igitur dico, & testificor in domino, vt iam non ambuletis sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum: alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semet ipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis.* Græce est, ἀπηλγηκότες,

Chrysost.

hoc est, sine doloris sensu, vt dicit Chrys. & Theophilactus, tanquam insensibiles facti, & excordes, & torpidi, neque in veri boni indagatione volentes laborem insumere, impudicitiæ demum se addixere. Quid ergo poterat fieri, quo minus desperent, qui huiusmodi erant addicti cupiditatibus? Vita enim quæ turpiter ducitur, prauarum opinionum est caosa, & omnem recti ingerit ignorantiam. vos autem non ita didicistis Christum, si tamen edocti estis in

Libidinis malum.

illo, sicut veritas Christi est. Itaque quam magnum sit libidinis malum, cum ex multis testibus, tum etiam ex sapientissimo Mercurio, vos percepisse arbitror: quæ quidem in his maxima dominatur, qui sunt mentis expertes, qui

que muitati ad craterem venire noluerunt; præconiumque inuitantis contempserunt.

Virtus quid sit.

Mercvrivs.

Quotcunq; vero Dei munere fulti sunt, ij ô Tati secundum operum comparationem pro mortalibus immortales habentur, intelligentia sua cuncta complexi, quæ in terra sunt, & quæ in mari: & si quid est præterea super cœlum. Atque adeo seipsos erigunt, vt ipsum quoque bonum intueantur. Quod sane cum perspiciunt, eam qua hic vescimur vitam, miseriam arbitrantur. Despicientes itaque tum corporea, tum etiam incorporea omnia, ad vnum solum feruntur. hæc ô Tati scientia mentis est, diuinorum scilicet contemplatio, & intelligentia Dei, diuino existente cratere.

Commentum X.

Textus expo.

PRæclare à Mercurio diuinæ gratiæ auxilium describitur in obedientia eorum, qui inuitati venerunt: *Quotcunque,* loquit, *Dei munere fulti sunt.* Quasi diceret, quod quidam vocati venerunt ad craterem, non in seipsis, sed in Domino glorientur, Dei enim munere fulti, id fecerunt. Sed quo fructu, qua mercede id fecerunt? magna prorsus; siquidem pro suorum operũ magnificẽtia, pro mortalib. immortales habẽtur: hoc namq; est præmiũ virtutis, quippe quæ hominem ex mortalibus assumens, ad superos transferi, immortalemque reddit. Et recte quidem dictum est à Mercurio, homines Dei munere fultos, immortales euasisse; quando-

Virtus vnde.

quidem non doctrina, neque natura, sed diuina sorte nobis virtus adsit. sic etiam docet Plato in li. de virtute: *Virtus, inquit, atque doctrina, non natura, sed diuina sorte nobis adsunt.* Et reuera, si vera virtus est qualitas mentis, qua recte viuimus, qua male nemo vtitur, quamque Deus in nobis sine nobis operatur; profecto à Deo diuinitus datur iis, qui ad craterem accesserunt, quique mentis participes effecti sunt: mentis autem scientia, est diuinorum contemplatio, & intelligentia Dei: & hanc nos dicimus, veram esse virtutem, quæ

Quod sit virtus.

hominem immortalem reddit, ac omnium intelligentiam præbet, adeoque illos sui admiratione repler, vt visibilibus neglectis, vnum solum appetant, Deum scilicet. Plato in lib.

Plato.

de virtute, quatuor, Menonis videlicet, Aristippi, Gorgiæ, & Prodici de virtute diffinitionibus confutatis, suam inseruit, dicens: *Virtus est hominis affectio, siue habitus animi, quo potentia, quam optime suum opus exercet.* Opus autem cuiuscunque potentiæ tunc optime exercetur, cum ad finem suum dirigitur; quod autem ad finem confert, vtile dicitur. Et 4. de republica: *Virtus, inquit, est sanitas quædam & pulchritudo, & robustus animi vigor.* Prauitas contra, morbus, turpitudo, & imbecillitas. Augustinus, Platonis imitator, pro vario

Augustinus.

respectu ad virtutem, variam etiam diffinitionem tribuit: nam quatenus virtus, causam efficientem innuitur; sic ab eodem diffinitur: *Virtus est bona qualitas mentis, qua bene viuitur: qua nullus male vtitur: quã solus Deus in homine operatur.* habita vero comparatione ad bonum, in quo est, hoc modo: *Virtus est habitus mentis bene instituta.* Comparata vero ad actum, circa quem est, sic à philosopho diffinitur: *Virtus est*

Varia diffinitio virtutis.

habitus voluntarius in mediocritate consistens quoad nos, terminata ratione prout sapiens determinabit. Comparata ad finem, sic ab eodem, *virtus est dispositio perfecti ad optimum.* in comparatione ad effectus, ab Isidoro sic: *Virtus est naturæ habitus, animæ*

Isidorus.

decus, vitæ ratio, morum pietas, cultus diuinitatis, honor hominis, æternæ beatitudinis meritum. virtus enim dicitur, quasi vis mitus: & hæc vis quidem consistit in aggressiuna arduorum, in

Quare dicatur virtus.

tolerantia aduersorum, & in abstinentia placitorum. Item, virtus quasi viror nitens, seu viribus nitens, aut virum tuens, aut viri status. Et quid congruentius dici potest de scientia mentis, quæ est diuinorum contemplatio, atque Dei intelligentia? Ipsa enim est bona qualitas,

& men-

Virtus ad fit. & mentis pulchritudo, ac robustus animi vigor: quæ in eis conspici potest, qui ex cratera abunde mentem hauserunt. Ipsa est habitus mentis bene institutæ habitus in mediocritate consistens. Nam qui hac mente freti sunt, in omni vitæ actione moderatissime se habent. Hæc est, vt dixi, quæ homines immortales facit. Et recte quidem, quia ipsamet virtus est immortalis, inuicta, nihil cedens huius vitæ varietatibus; sed super malitiæ fretta volitans, quasi à sublimiori specula quadam, sic omnia despicit, nihil quod eius molestum est, sentit. *Chrys. hom. 3.* sed sicut is, qui supra excelsam petram stat, fluctus videt, quos videt, ad petram magno impetu, & prorsus in spumam resolui; ita & virtuti vacans in securo loco est constitutus, nihil insuaue fert à rebus turbulentis, sed tranquillo animo & quietus sedet, intelligitque res huius vitæ rapido cursu transire. Nam sicut videntur maris cursus, seu fluctus nunc quidem in altum attolli, mox autem & deprimi; ita videmus eos, qui virtutem contemnunt & malitiam operantur; nunc quidam sublime sapere, & supercilia surrigere, & huius vitæ curis intentos esse, subito ad extremam venire inopiam, & abiectionem. sed hæc fortunæ varietas non cadit in eum, qui ex diuino cratere mentem copiose hauserit; is enim non est ociosus, sed bonis operibus semper incumbit, quod ad perfectam, exactamque pertinet virtutem. *Basilius hom. 13.* *Virtus*, inquit Basilius ad baptismi exhortationem, *est vitatio mali, & studium boni.* Et homel. 24. *Virtus sola possessio est immortale atque immobilis, & viuenti, & morienti permanens.* *Solon.* vnde Solon mihi videtur rectè illud ad diuites dicere: *Nos nequaquam commutabimus cum virtute diuitias, quod virtus firma sit: diuitias vero alias alius, ac aliter interdum habet.* *Homerus.* Homerus: *O viri curanda nobis ante omnia virtus, quæ naufraganti præsto adest, & connatat, & in terra eadem existentem honoratiorem reddit.* Sic Vlysses nudus è naufragio exiens pro vestimento, virtutem habuit. *Herculis responsum.* Iuueni quondam Herculi, secum consulenti ad vtram viarum se conuerteret, an ad eam, quæ ad virtutem per labores ducit, an facilem per voluptates ingrederetur; duas ei fœminas, virtutem & voluptatem occurrisse fertur, quarum mox tacitus apud se ex diuerso habitu differentiam agnouit: altera quidem forma conspicua, molliore facie, lasciuis oculis, sermone blando, solatiis pollicendo, & ocium, Herculem ad se trahere conabatur: altera vero vultu rigido, squaleno, mœstoque ore, magnam fiduciam, atque constantiam præ se ferens, nihil iucundum, nihil amœnum ostendebat; sed mille pericula, laboresque immensos terra marique subeundos; præmium tamen horum immortale, ad extremum vero morientem Herculem sese culturam, & inter Deos collocaturam: quam quidem Hercules secutus est. *... mores acid. & virtus.* Et hæc quidem quæ sub fabulæ figmento de Hercule dicta sunt; Christiano conueniunt de cratere poculum mentis abunde haurienti: cui à nostro Hercule dicitur: *Omnes qui pie volunt viuere in Christo, persecutiones patientur.* *Text expo* Sequitur tex. *Intelligentia sua, &c.* hoc est, & terrena, & cœlestia, mente complectuntur, idque exhaustæ mentis beneficio. Dei enim intelligentia, dat sa tenenti latitudinem cordis, *3. Reg.* sicut Salomoni, à domino tributam fuisse legimus: qua & seipsos, & visibilia & inuisibilia contêplantur: tantomq; in hac contemplandi, cõplectendique scientia proficiunt; vt seipsos erigant, ipsumque bonum intueantur. Primum est, vt se erigant; quia nimirum natura humana ob pœnam primi peccati, prona est ad malum ab adolescentia sua. Præcedat ergo erectio, vt sequatur Dei seu boni intuitio: in terram prona, malum spectat, dimisse mali cupiditate, quæ est erectio, bonum suspicit. *Erectio quid.* Erigunt autem seipsos, qui Dei munera fulti sunt; siquidem sua sponte cadens in terram, per seipsum se erigere nequit. Erigunt autem se, vt ipsum bonum intueantur; sursum namque habere cor, non autem ad ipsum bonum, superbia vocatur. sed sursum se erigere, sine cor habere ad ipsum bonum, de quo paulo ante dixi, refugium vocatur: *Ad te leuaui oculos meos*, ait Dauid, *qui habitas in cælis.* *Ascensio in cœlum. ...* *Ascendens*, ait August. in eodem Psal. *quo leuaturus erat oculos, nisi illuc, quo tendebat, & ascendere desiderabat?* De terra ad cœlum ascendimus: Id quod dicit Mercurius: *Erigunt se, vt intueantur bonum:* namque eo diu in terram lumina defixa tenant; veri boni, summi boni visione digni minime iudicentur. Ascendimus autẽ ad cœlum: erigimus nos, vt intueamur bonum; si cogitamus Deum, qui ascensus in corde fecit. Ascendere autem in corde, est proficere in Deum; vt intueantur ipsum bonum, modo quidem fide, postea vero specie; per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Quod sane, cum perspiciunt, hoc est, corde fide mundato intuentur, vt quo quis cor mundius habuerit, eo clarius Deum intueatur; tanta illius per fidem beatæ visionis dulcedine capiuntur; vt eam, qua hic vescimur vita, miseriam arbitrentur. *De odio. Philip. 3.* Et reuera, bona quæ in hac vita esse dicuntur, si ad illius summi, & veri boni felicitatem comparentur; profecto damna sunt, & non lucra: *Omnia*, inquit Paulus, *arbitratus sum detrimenta, & vt stercora, propter eminentem scientiam Iesu Christi domini mei.* *Ambrosius* *Si enim*, inquit Ambrosius in Commentario istius loci, *in Christo, qui est illud bonum, sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi; cuncta quæcunque sunt, nullius momenti ducenda sunt, vt ad excellentiam sapientiæ, & scientiæ huius peruenire contingat, cognitio siquidem mysterij incarnationis, & passionis, & resurrectionis eius, perfectio vitæ est, & thesaurus sapientiæ.* Hac de causa erigunt se fideles; vt hoc bonum intueantur: Adæ enim peccati pondere depressi, malum intuebantur: sed ex cratere Dei intelligentia accepta, ad tanti boni maiestatem amplectendam, colendamque se se extollunt. Sequitur textus: *Despicientes vtraque tum corporea, tum etiam incorporea omnia, &c.* sensus est: *Tex.* Qui ipsius boni visione replentur, omnia transcendunt, & corporea, & incorporea, vt veri boni visionem acquirant, bonum enim ipsum est super omnia, *Bonum super omnia.* & in omnibus, & per omnia. *Et ad vnum*, inquit *feruntur*. Quod prius bonum, nunc autem vnum vocat: & recte quidem: nam primum, verum, & summum bonum, non sunt plura, sed vnum bonum. *Et hæc est scientia mentis*, vt hoc vnum bonum contemplemur, amemus, atque fruamur. *Et hæc est Dei intelligentia in diuino cratere*, in ecclesia catholica. extra quam, quicunque est, expers est veræ Dei intelligentiæ.

Mercvrivs.

Tatius. Equidem ò pater huius crateris latice ablui cupio. Mercurius. Nisi prius ò fili, tuum corpus oderis, teipsum amare non poteris. Cum primum vero teipsum dilexeris; mentem protinus consequeris, hanc denique pactus, scientiam è vestigio nancisceris.

Commentum XI.

Audito mentis præconio, mox Tatius accenditur tanti boni magnitudine, cupitque illius particeps fieri. Si, inquit, res ita se habet cum eo, qui huiusmodi mentem assequutus est; ego profecto vellem me tantæ rei expertem non esse. Capio, ait, *ablui latice huius crateris*. Seruat metaphoram, sine qua ita dixisset: Vellem me habere mentis scientiam, quæ est diuinorum contemplatio, & Dei intelligentia. Nec vtcunque habere, sed ita abunde, vt quasi quodam lectica, illa ablui possim. Est autem latex omnis humor, sic dictus, quod intra aliquid lateat: sic vinum, quod intra vuam latet à Virgilio latex vocatur. *Latex. 1 Æneid.* *Regales inter mensas, laticemque Lyæum.* *Ouidius.* Ouidius. *Palladios latices*, dixit, quum oleum dicere vellet. *Lucretius.* Et Lucretius: *Absynthii laticem.* Mentis autem scientiæ huiusmodi nomen non temere accommodatur, quippe quæ ex regalibus dimissa sedibus, & intra nostra mentis arcana latitans copioso illuminationis, instructionis, consolationisque fonte nos ebluit. De quo quidem gratiæ fonte, in septimo lib. dixi. Ad preces Tatii, Mercurius respondendo, viam ostendit, qua sui voti compos effici valeat: Si, inquit, ò fili tanti boni particeps esse cupis; hanc teneto viam: carpe iter, quod tibi ostendo: quod si feceris, spero fore, vt latice tanti crateris abluaris. Inprimis tibi opus est, *vt corpus tuum odio habeas*: nec hoc tibi durum esse videatur; quandoquidem inde magna tibi bona parabis, siquidem huiusmodi odium in causa erit: *Odium causa amoris.* *vt te ipsum vere diligas*: ex quo procul dubio vera tui dilectione, *protinus mentem*, id est, *Dei intelligentiam consequeris*: & contemplationem diuinorum: deinum ex illa scientiam nanciscaris, qua instructus, & terrena pariter, & cœlestia cognosces. Porro, illud odium sic intellige; non enim vellem te ita intelligere, tibi odio habendum esse corpus, vt teipsum perimas, hoc enim nemini fas est, & primi instituentis corpus legi aduersatur, sed vt odio, prosequaris vitia corporis, *Corpus impedit mentem.* quæ nõ paruo sunt, serenæ mentis impedimẽto: imo fieri non potest, vt corporis vitiis, prauisque affectibus indulgeamus, & scientiæ mentis participes simus, sunt enim adinuicem inimicæ atque contraria. Simile quiddam dominum dixisse in Euangelio legimus: *Qui amat animam in hoc mundo; in* *Ioan. 12.*

De odio. Tract. 41. in Ioann. Odium bonum.

vitam æternam perdet eam: & qui odio habet animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Qui amat, inquit, Augustinus, *perdet: id est, si amas perdes: si cupis vitam tenere cum Christo, noli timere mori pro Christo. Vel sic intellige: Qui amat animam suã, perdet eam: noli amare, ne perdas. noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita: hoc autem quod posterius dixi magis habere videtur Euangelicus sensus. Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor, vt pereat, odium, ne pereat: Si male amaueris, tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti. felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.* Et lib. 3. de doctrina Christiana cap. 16. *Perdat animam suam. non vtilitatem vetare putandus est, qua debet quisque conseruare animam suam, sed figurate dixit: perdat animam suam, id est, perimat, atque amittat vsum eius quem nunc habet; peruersum scilicet, atque præposterum, quo inclinatur temporalibus, vt æterna non quærat.* Et in lib. 50. homel. 37. homel. *Sunt, inquit, qui peruerse animam suam amant: & hoc vult sermo diuinus corrigere: non vt oderint animam suam; sed vt recte diligant; male enim diligendo perdunt eam. & fit quiddam magnum quasi præposterum & contrarium, sed tamen ita fit, vt si diligas eam peruerse, perdas illam: si oderis illam, recte conseruabis illam.* Est ergo quidam peruersus amor eius, & quoddam rectum odium eius. Sed amor peruersus ab odio, odium rectum ab amore est. Quis est peruersus animæ amor? quando diligis animam tuam in iniquitatibus. audi quia ab odio venit amor ille peruersus. *Qui autem*, ait David, *diligit iniquitatem, odit animam suam.* Odium rectum vide, quia ab amore venit: Qui odit, inquit, animam suam in hoc mundo; in vitam æternam inueniet eam. vtique quod vis inuenire in vitam æternam, multum amas. Odium ergo rectum ab amore, amor vero peruersus ab odio venit. Itaque est amor vtilis, & est amor noxius: amor amore impeditur. amor noxius recedat, & amor vtilis succedat. funde quod habes, vt capias quod non habes: vis vt mittet mel, vnde acetum nondum fudisti? Amores omnes & dilectiones priuæ sunt in hominibus de se, & sic de alia re quam diligunt. Si diligis aurum, priuate diligis: nam si mortuus esses; aurum nequaquam diligeres. Dilectio ergo vnicuique à se incipit, & non potest nisi à se incipere: quod quidem non solum in illi hominibus, verumetiam & pecoribus; omnia enim animantia pro vita sua pugnant: mori nolunt: custodiri se volunt. Putant nonnulli seipsos amare, & quidam legitimo ordine, quando hæc inferiora vitiose diligunt: atqui David dicit, *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Si ergo amando iniquitatem teipsum non solum nõ diligis: sed etiam odio habes: quomodo ergo aut Deum, aut proximum diligere poteris? Amor ille peruersus est, odium noxium, non rectum, atque perfectum: de quo David cecinit: *Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Oderam enim,* ait Augustinus ibidem, *iniquitates eorũ, diligebam conditionem suam, hoc est, perfecto odio odisse, vt nec propter vitia homines oderis: nec vitia propter homines diligas.* Sed quomodo impletur præceptum Domini dicentis Matt. 5. *Diligite inimicos vestros?* Si hoc oderis in eis quod iniqui sunt: & hoc diligas, quod homines sunt. In Psalm. 118. David profitetur: *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* Pulchre, inquit Ambrosius, *ibi dixit Iniquos &c. quia si legem amamus, odisse debemus aduersarios legis, qui operibus suis præcepta legis impugnant.* Sed animaduerte quod dixerit: *Iniquos odio habui,* & non addidit Viros; vt intelligas quod iniquitatem odio habuit, non eos, qui etsi operentur iniquitatem, possunt tamen euangelica prædicatione conuerti. Itaque isto odio recto atque perfecto suadet Mercurius dilecto suo Tatio, vt suum corpus prosequatur, vt scilicet diligat ac foueat naturam; odio tamen habeat vitia corporis. Cæterum, sex sunt actus, seu operationes concupiscibilis: tres quidem ex parte boni, quibus animus dilatatur quodam modo, ac capacior redditur: amor scilicet, desiderium, & gaudium: Ex parte autem mali, odium, abominatio, tristitia. Est autem odium, eius dissonantia rei, quæ appetitui concupiscibili aduersatur. Nam quemadmodum id, quod vt conueniens in apprehensionem cadit appetentis, habet rationem boni ita plane & repugnans rationem mali, ex quo odium amori aduersari, patet satis. Etenim, quemadmodum boni illectiuus absentia, per amorem, desiderium gignit, & illius adeptio, seu possessio, gaudium; ita certe imminentis mali absentia, per odium abominationem affert. sui vero præsentia, tristitiam. vnde Augustinus. *Ira est libido vindictæ; odium vero ira inueterata. Ira est festuca, odium trabs. Aliquando reprehendimus irascentem, & odium tenemus in corde. festucam videmus in oculo fratris, & trabem in oculo nostro non videmus. vnde creuit festuca, vt trabem faceret. quia non statim euulsa est, quia passimes exire, & intrare solent: satis super iracundiam vestram. Rigasti festucam, rigando nutriuisti, nutriendo, trabem fecisti. Expauesce quando dicitur à Ioanne. Qui odit fratrem suum, homicida est. Gladium non eduxisti, vulnus in carne non fecisti: cogitatio sola odij in corde tuo est: & teneris homicida. Ille viuit. & tu occidisti: quantum ad te pertinet occidisti, quẽ odisti.* Et epistola 149. *Ita inueterascens fit odium, dum quasi iusti doloris admixta dulcedo, diutius eam in vase detinet: donec totum acescat, vasque corrumpatur.* Quapropter multo melius nec iuste cuiquam irasci, quam velut iuste irascendo, in alicuius odium iræ occulta facilitate dilabi. Porro, odium (vt dixi) & passio est appetitus concupiscibilis, & alio modo charitati opponitur. sed Deus est charitas: Deo ergo aduersatur. Sane, quamuis Deus, vt summum bonum, à nobis odio haberi non possit; vt est tamen peruersæ voluntatis seuerus iudex, & verus corrector, odio nobis est. Odium autem Dei, quia secundum se & non partem, auersionem importat: peccati vero ratio in auersione præcipue voluntaria cõsistit; haud dubium quin magnũ sit peccatũ: alia n. peccata inordinatam habent delectationem, quibus auersio annectitur; ideoque minora reputantur. Infidelitas magnum est peccatum, sed ex odio generatur, nempe ex mente alicuius iniqui, sua sponte veritatem odio habentis: ideoque odium est infidelitate deterius, sicut causa est potior effectu. Odium proximi, si inconsiderate subrepat, aut exiguo proximi bono insidietur, in numero venialium haberi potest: at si consulto, & ex pleno consensu velis quidem proximo damnum non paruum, gratiæ, seu naturæ; procul dubio, est peccatum mortiferum, & plurimum damnosum. Ex hoc autem pestifero serpente, varia venena diffunduntur; excedit enim limites naturæ, quod patet in Aegitho & Acanthide inimicis auibus: quarum nec cruor (cum interfecti fuerint) commisceri potest, nec in vita se diligunt, vt scribit Plinius. *Si autem commisceantur eorum cruores separantur protinus.* Dicunt præterea mirum fuisse odium, Eteoclis, & Polinicis, qui cum se inter se fecissent; nunquam post mortem (cum cadauera cremabantur) fumi commisceri potuerunt; sed per diuersa ad æthera ascendebant. Pugnant ex odio inter se aquilæ & dracones, cornices & noctuæ, leo & gallus, licet ex timore galli credatur, leonem in gallum pugnare, & Elephantum in aprum.

Perversus amor.

Rectum odium.

Psalmus. 10.

Amor duplex.

Psal. 138. Odium perfectum.

Psal. 118. Ambrosius.

Odium est actus concupiscibilis.

Odium quid. homel. 43.

Qui odit homicida est.

1. Ioan. 3.

Odium Dei quare magnum peccatum.

Odium proximi.

Odij effectus.

lib. 10. nat. hist. 74.

MERCURIUS.

Tatius: Quonam pacto asseris hæc ô pater?

Mercurius: Impossibile est ô fili vtrisque simul intendere; mortalibus scilicet atque diuinis. Nam cum duo tantum in ordine rerum inueniantur, corpus & incorporeum, & illud quidem mortale, hoc diuinum dicatur; electione vnius amittimus alterum: quotiesque vnius cura remittitur, alterius actus intenditur. Potioris itaque optio eligenti decora, non modo hominem qui eligit, Deum reddit; verum pietatem erga Deum cæteris quoque demonstrat. Deterioris autem electio, hominem quidem ipsum perdit, aduersus autem Deum nihil præter id vnum delinquit, quod quemadmodum pompæ per media transeunt, ipsæ quidem nullius actionis compotes, cæteros autem impedientes; haud secus isti pomparum instar vagantur, atque oberrant propter corporis voluptates. Cum hæc igitur ita se habeant ô Tati, diuina officia præcedere, humana sequi debent.

Commentum XII.

TAtio stupenti, atque scire cupienti, quomodo res se ita haberet, Mercurius respondet: Scito fili, fieri non posse: vt quispiam diuinis vacet pariter & terrenis. Quasi diceret: *nemo potest duobus dominis seruire: non potestis Deo seruire, & mammonæ.* In causa est, quia cum duo sint in ordine rerum,

Nemo potest duob. dominis seruire.

De odio.

rerum, corporeum, & incorporeum, id est, spiritus, & corpus: in cœlo quidem spiritus tantummodo cœlestes, ab omni materiæ concretione liberi: in his autem inferioribus, spiritus humani, corporibus alligati sunt, vnde & voluptates generantur, & innumeræ passiones. *Et illud,* inquit, *mortale, hoc diuinum dicatur*, id est, creatura spiritualis immortalis sit: corpus vero mortale, & caducum. *Electione enim amittimus alteram*: quasi diceret, si corporis voluptatibus incumbere volueris, spiritus virtutes amittes.

Spiritus.

Contra, si spiritui vacaueris, corpus contemnes: propterea, *quoties eius cura remittitur, alterius actio intenditur:* At si quis Dei munere felius, *potiorem*, id est, *spiritum optionem, partemque elegerit; is profecto Dei similis erit, suamque pietatem, quam erga Deum habet, cæteris demonstrabit.* Quasi diceret cum Paulo. *Prouidebit bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.*

Rom. 13

Corpus.

At si quispiam corporis voluptatibus insaruire maluerit, is *inprimis seipsum perdet*, deinde erga Deum, formam quandam pietatis ostendet, virtute vero pietatis vacabit: *instar vanitatis pomparum*, quæ oculis quidem pulchritudinem ingerunt intuentium: intus vero inanes sunt & fallaces. *Oberrant, inquit, propter corporis voluptates*[*]: quæ quidem (teste Auerroe) non sunt de dispositionibus necessariis in esse naturæ hominum, neque de perfectionibus eorum; sed proficiscuntur ex necessitate materiæ: homo autem non est propter voluptatem, tanquam propter finem.

Voluptates.

Auer. in prolog. phy.

Quare cum voluptates non sint finis hominum, neque ad ipsius perfectionem spectent: ex materiæ ergo necessitate proficiscuntur: ideoque qui huiusmodi raptantur voluptatibus, materiales, seu materiæ serui potius dicendi, quam puri & veri homines. Extat inter philosophos non obscura de hac re controuersia, de qua aliquid dicere statui: præsertim cum sapientissimus Mercurius locum afferat, atque occasionem dicendi.

Voluptas varia.

Hoc nomen voluptas, si fusissime intelligatur, pro omni mentis seu sensus delectatione accipi potest: si vero fuse, solum pro delectatione sensus: atque ita à Cicerone diffinitur: *Voluptas est iucundus motus factus in sensu.* Aristoteles: *Voluptas est quidam animæ motus, & affectio simul: & sensibiliter secundum naturam proficiscens.* Dicitur autem motus quidam, quia sequitur ad motum, large motum accipiendo, prout omnis quidem operatio, quandam habet motus rationem, hac de causa non simpliciter motus, sed motus animæ appellatur: quippe quæ non est proprie motus, quatenus imperfectionem indicat, sed potius vt dicit operationem perfectam: non quod ipse sit operatio sed quod sequatur ad ipsam. Non ergo est prædicatio formalis, sed causalis.

2. de finib.

Arist. 1. Rhetor.

Voluptas quomodo est motus.

Quoniam autem voluptas perfectam sequitur operationem, quæ totum suum esse habet, hinc fit, vt quædam delectatio simul tota esse dicatur: non enim tempore mensuratur, nec aliquid præstolatur in futurum, vt suam perfectionem obtineat. Debet autem huiusmodi actus inesse secundum naturam; quandoquidem delectatio ex conuenientis cum conueniente coniunctione procedat: *Voluptas*, inquit idem, *est quædam perfectio operationis animi*, secunda videlicet, vt perfectio secunda consequens visionem, auditionem, gustationem, & quæ sunt generis eiusdem. Est perfectio visionis non visio, sed adiuncta visioni, miscetur enim illi, ornat illam, perficitque, quæ si honestæ actionis fuerit; honesta quoque & ipsa dicitur: sin vero turpis, & ipsa turpis, & mediæ media.

Voluptas est perfectio operationis animæ.

7. ethic. 10

Alii sic: *Voluptas est illa suauis, & grata membrorum concitatio, quæ est ante intactum à phantasia factum.* Constat igitur variam esse voluptatem, motionemque appellari posse. Plato hoc diffiniuit voluptatem hoc secundo modo acceptam: *Voluptas est suauis motio in sensibus facta, ex indigentia repletione proficiscens.*

Plato.

Argat Philosophus contra huiusmodi sic: Omni, inquit, motui proprium est celeritas, atque tarditas: & si non secundum seipsum, sed ad alium: quemadmodum alicui motui, qui in vniuerso fit, euenit ad alium: sed neque velocitas, neque tarditas competit voluptati; fit enim placatio vt aliquis est in voluptate constitutus quemadmodum & in ira.

Argumenta Phil. contra Platonem.

2. eth. 3.

Sed huic philosophi obiectioni *respondeat* Platonici, asserentes duplicia esse motuum genera: vnum quidem corporum, alterum vero animorum. vnde sicut corpus partes habet extra alias existentes; ita & motus partes temporis exigit: estque vnus altero velocior, atque altero tardior. Atqui animus noster indiuiduus est: sequitur, vt & eius motus indiuisibilis sit, ac temporis spatio minime indigeat, quippe qui vno instanti suum motum conficiat.

Solutio.

Illa ergo philosophi sententia, veritatem habet in motu corporum, non autem animorum. *Arguit* præterea contra Platonem, in Gorgia, dicentem voluptatem repletionem esse secundum naturam: Repletio, inquit, secundum naturam, & repletionis indigentia, passiones corporeæ sunt. si igitur voluptas repletio est eius, quod est secundum naturam, & id voluptatem capit, in quo est repletio: corpus ergo quamdiu repletio adest, delectatur. id autem non videtur: sed dum fit repletio, tunc voluntas sentitur: dum vero resoluitur, dolet.

De volupt.

Alia contradictio.

Amplius, hæc opinio ex doloribus, voluptatibusque circa alimenta ortum habet; inanes enim facti, & antea dolore percentati, ipsa repletione voluptatem capimus. At id non circa omnes accidit voluptates; nam sine dolore sunt mathematicæ voluptates: & quæ per olfactum, auditum, atque visum fiunt. Item & recordationes voluptate quam plurimos afficiunt. Sed cuius hæ repletiones erunt? nullius enim rei præcesserunt indigentiæ, cuius repletio esse possit.

Ad prædictas objectiones. Solutio.

Respondent Platonici, nunquam Platonem dixisse, voluptatem esse repletionem indigentiæ, neque indigentiam dolorem appellasse; sed in Gorgia Socratem disputantem contra voluptuosissimum Calliclem, vti suus sententia. Quod quidem ex duabus coniecturis cognoscimus: quarum vna est, quia ibidem ait, voluptatem in repletione consistere, non autem voluptatem esse in voluptate. altera vero, quoniam ibi etiam dixit, voluptariam esse repletionem: sed absurdum est dicere, voluptuosam esse voluptatem, vt albedinem albam.

Amplius, Plato in Timæo ait, quod voluptas sit affectus, & motus in sensu. sed motus secundum seipsum non est repletio.

Plato in Timæo.

Quapropter dicendum videtur, egestatem ita esse coniunctam cum appetitione; vt vnum absque altero esse non possit; ea enim appetimus, quibus indigemus. Neque quicquam appetimus, quo non ante egestatem egerimus: neque quisquam eget, quin appetat: neque è contra. Vnde fit, vt multoties egestas pro appetitione ponatur. Cicero: *Non caret his, qui non desiderat.* Et Epicarmus: *Non qui parum habet, sed qui plus cupit, eget.* Repletur ergo concupiscentia, cum id, quod cupiebat, assequitur. Repletur itaque appetitus, cum ea desiderata fruitur. Vnde illud epigramma delicatum: Iucundissimum est, te amata potiri. Repletio ergo indigentiæ, hoc est, appetitionis, est causa voluptatis. Ex quibus omnibus, duæ prædictæ obiectiones solui possunt.

Re amata potiri iucundissimum.

Itaque voluptas est illa titillatio, seu concitatio in sensu, ex assecutione rei concupitæ proficiscens. Et hæc de voluptate secundo modo dicta, sufficiant. Est autem voluptas proprie dicta, præter modum elata lætitia, opinione alicuius præsentis boni manans: vel, vt ait Isidorus: *voluptas est cum quadam lubrica suauitate, ad illicita sordidaque mentis inclinatio.* Vnde fit, vt omnis voluptas tertio modo accepta, mala atque turpis, à recte philosophantibus appelletur.

lib. eth. m.

lib. 5. ciuit. 20.

Describit August. picturam voluptatis. *Solent*, inquit, *philosophi, qui finem boni humani in ipsa virtute constituunt, ad ingerendum pudorem quibusdam philosophis, qui virtutes quidem probant, sed eas voluptatis corporalis fine metiuntur, & illam propter seipsam putant appetendam, istas propter ipsam, tabulam quandam verbis pingere, vbi voluptas in sella regali quasi delicata quædam regina considat, eique virtutes famulæ subiiciantur, obseruantes eius nutum, vt faciant, quod illa imperauerit, Quæ prudentiæ iubeat; vt vigilanter inquirat, quomodo voluptas regnet, & salua sit. Iusti tiæ iubeat; vt præstet beneficia, quæ potest, ad comparandas amicitias corporalibus commodis necessarias: nulli faciat iniuriam, ne offensis legibus, voluptas viuere secura non possit. Fortitudini iubeat, vt si dolor corporis acciderit, qui non compellat in mortem, teneat dominam suam id est, voluptatem fortiter in animi cogitatione, vt per pristinarum deliciarum suarum recordationem, mitiget præsentis doloris aculeos. Temperantiæ iubeat, vt tantum capiat alimentorum: & si qua delectant, ne per immoderationem noxium aliquod valetudinem turbet: & voluptas, quam etiam in corporis sanitate Epicurei maximam ponunt, grauiter offendatur. Ita virtutes cum tota suæ gloriæ dignitate, tanquam imperiosæ cuidam, & inhonestæ muliercula seruient voluptati.* Nihil hac pictura dicunt ali ignominiosius, & deformius, & quod minus bonorum ferre possit aspectus. & verum dicunt.

Pictura voluptatis.

Pictura deformis.

de bono mortis c. 6.

Ambrosius: *Esca quædam sunt voluptates seculi, & esca malorum, trahit ad tormentum. Quo fit, vt dum voluptatem quærimus, laqueos incurramus.* Et de fuga seculi: *Quis inter tot passiones huius corporis, inter tantas illecebras huius seculi, tutum, atque intemeratum seruare potest vestigium?* Quapropter recte dictum à Platonicis, voluptatem huiusmodi non esse in ordine bonorum locandam; omne siquidem bonum, quatenus est bonum, quassari non potest: nam

De volupt. Cicer. Voluptas non est in ordine bonorum.

altissimis defixum radicibus, vt ait Cicero de virtute: nulla vi labefactari potest: nunquam dimoueri loco, nisi illud possidens homo sponte ebuciat. sed nulla voluptas huius seculi est talis vnde Mercurius in textu ait: *Oberrante propter corporis voluptates*: quare, si voluptas huius seculi est causa aliis errandi: ipsa ergo errat, & lubrica est & inconstans. Vnde Boetius. *Habet hoc voluptas omnis, stimulis agit fruentes: apumque par volantum, vbi grata mella fudit fugit & nimis tenaci ferit icta corda morsu.* Græcum prouerbium ait, *Voluptatis forore est tristities.* Plautus in Amphitrione: *Ita diis placitum est, vt voluptati mæror subsequatur.* Silius: *Quippe arcita Deum, nec tela, nec hostes: Quantum sola noces animis illusa voluptas, Ebrietas tibi fida comes. tibi luxus, & atris Circumuolat semper volitans infamia pennis.* Id indicere voluit Homerus cum ait. *In limine Iouis dolia duo posita esse, vnum melle, & alterum fellis plenum. Et singulis animabus è cælo descendentibus in corpora, ex vtroque poculo potionem dari; sed plus fellis.* vnde ait Ouidius: *Quod iuuat exiguum est, plus est quod lædit amentes.* Et Tibullus: *Omnia nostra tristi tempore felle madent.* Horatius: *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.* Non est ergo voluptas corporis in bonorum numero habenda.

3. de Consol. lib. 25. pun. Homerus. Ouidius. Tibullus. Horatius. Secunda ratio.

Amplius, hæc est natura bonorum, vt futura dum sunt spem hominis erigant: cum vero adsunt, tranquillum efficiant animum possidentis: futuræ autem voluptates intolerabili quodam cupiditatis ardore sensus afficiunt: curis accendunt. præsentes vero, continuo metum vna secum, suspicionemque ducunt, obcæcantque fruentes. Nec dum heustæ, incredibili quadam verecundia, atque mœrore animum afficiunt. Quemobrem præclara dictum est à Socrate in Phædone: dolorem voluptatemque simul ex eodem capite ambo esse connexa: naturamque in vnum eorum apices coniunxisse: eaque de causa fieri, vt cum alterum edest, eundem postea sequetur & alterum.

Plato in Phædone. Apologus.

Apologus Platonicus refert: *Cum voluptas apud Iouem iactaret se nobiliorem Pallade, diuiniorémque esse, quod ipsam videbat arcubus & venatione Dianam, & Vestam laribus delectari; ad hæc indignata Pallas, ait: O Iuppiter, mox videbis quam fortis sit voluptas hæc, quæ tam insolenter omnium gloriatur imperio. Accerse huc pauorem. non deorum tantum, sed omnium abiectissimum. Exclamauit Iuppiter: Heus pauor, adde pauor. Confestim ad ipsum pauoris aduocati nomen, voluptates omnes trepide vna cum temeritate fugam arripuerunt. Tunc omnes risêre ridicula: fugamque tam vilem ridicula damnauêre iudicio.*

Voluptatis & Palladis disputatio.

Itē Voluptas non explet animum; sed quo studiosius hausta fuerit, eo plus vberiora libidinis germina, seminaque producit. Cuius similitudinem Virgilius describit, Tytium inducens: *tota nouam per iugera corpus Porrigitur. rostroque immane vultur adunco Immortale iecur tondens, fæcundaque pœnis Viscera rimatur epulis: habitatque sub alto Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis.*

Tertia ratio. 6. Æneid. Archytas.

Quapropter Archytas, atque Plato voluptarium animum perforato vasi similem esse voluerunt, ob insatiabilem infinitamque voraginem appetendi. Epicarmus verò, Pythagoreus, atque Socrates, Euripo compararunt: quia quemadmodum Euripo aqua fluit, et refluit, & sursum, deorsumque iactatur; ita in animo tali nunc voluptas insidet, nunc dolor: nunc renascitur, nunc denique refluit: cum lætatur, fluit: cum sperat, sursum erigitur: cum tristatur, deorsum dilabitur. Recte ergo dixit sapientissimus Mercurius: *Errant* inquit, *propter corpore voluptates.*

MERCVRIVS.

Deus profecto extra culpam: malorum à nobis causa venit: nam mala bonis anteponimus.

Commentum XIII.

Malum culpæ non est à Deo.

QVoniam poteret Tatius à suo Mercurio sciscitari malorum causam, & in dubium incidere, an hæc omnia à Deo proficiscantur: Scias inquit, ô Tati, in Deum culpā non cadere, proinde malum culpæ à Deo non proficisci; sed à nobis ipsis à quibus mala, hoc est, peccata, voluptates, & similia, bonis, virtutibus scilicet, veræque pietati, anteponuntur. Dial. 14. clarius hanc materiem exequitur. *Ab ipso factore,* inquit, *nihil malum, nihilque turpe. Hæ siquidem passiones sunt creata sequentes opera, quemadmodum æs rubigo, animata corpora limus. At neque faber ferrarius induxit rubiginem, neque animatis corporis genitor cœnum, ac sordes. Eodemque modo, nec Deus etiam malum.*

Malum vnde sit.

Et est sensus: malum non est à Deo, sed à materiæ necessitate: quod in Asclepio aperte ostendit. *Secus,* inquit, *in natura materia qualitas fœcunda est, sic & malignitate eadem est æque fœcunda.* Et post pauca in eodem libro: *Deus pater & Dominus, cum post Deos homines efficeret, ex parte corruptiore mundi, & ex diuina pari lance conponderans, contingit vitia mundi corporibus commixta remanere.* In primo Pymandri circa finem, de hac materia abunde disputaui: verum quia Mercurius de hoc negotio ex professo disserit, placuit aliquid addere, quod ex fonte Dionysij Areopagitæ me libenter hausisse profiteor.

Asclepius.

Quod autem malum culpæ non sit à Deo, clarissime docet: *Malum, inquit, ex Deo non est: aut enim bonum non est, aut bona facit, & bona producit: neque aliquando quidem aliqua, aliquando vero non, & non omnia; pateretur enim in hoc mutationem, ac varietatem, quod est falsum.* Sensus est: Deus est natura bonus; semper ergo bonum facit: malum ergo non facit, alioqui mutationi esset obnoxius: quod nefas est de Deo sentire. Probat hoc Dionysius. *Si, inquit bonum in Deo, est substantia; quia quidquid est in Deo, est Deus, & malum est in Deo, erit quidem transiens ex bono Deus, atque ita aliquando erit ens, aliquando vero non ens.* Quasi diceret: Si in Deo est malum, sicut & bonum, & malum est non ens, sicut bonum est ens: igitur, Deus est ens, & non ens. Quod si participatione bonum, & ab alio habeat necesse est; sicque aliquando habebit, aliquando vero non. Non igitur ex Deo malum est, neque in Deo, neque simpliciter, neque secundum tempus. Summa omnium est: Deus cum natura bonus sit, malum in eo, vel ab eo esse non potest.

Dionys. 4. de diuinis nominibus.

Probat quoque Dionysius non solum in Deo, sed nec etiam in Angelis naturaliter huiusmodi malum inueniri: *Nec, inquit, in Angelis est malum. Si enim angelus speciem boni præferens, diuinam exprimit bonitatem, existens videlicet per participationem id ipsum secundo gradu; certe imago Dei est angelus, & occulti luminis declaratio, ac speculum purum nitidissimum, incorruptum, immaculatum, incontaminatum: totam in se suscipiens (si dictu fas est) pulchritudinem speciesque ipsius, figuræque diuinæ. atque in seipso syncero (quantum fieri potest) splendore declarans, secretissimam illam silentij bonitatem.* Itaque, nec Angelis quidem inest malum. Summe dictorum est: prima lux est Deus: secunda vero angelus, qui est imago Dei pura, & sine macula: tum propter naturæ dignitatem: tum etiam propter liberam à corpore spiritualis naturæ conditionem. Quare, sicut in pura luce nulla est pars tenebrarum naturaliter, ita etiam, pro suæ naturæ proportione, nec etiā in lucidissimo speculo, cuiusmodi est angelus.

In angelis non est malum. Angelus imago Dei.

Ostendit etiam dæmones non esse natura malos. Neque rursus dæmones sunt natura mali: alioqui nec essent ex bono, nec essent prorsus aliquid: atqui nec ex boni natura mutati sunt in malos, neque semper extitere mali. Arguit sic: Malum non est ex bono. sed dæmones sunt ex bono, Deo scilicet: dæmones ergo non sunt natura mali. Item: Malum est defectus, & nihil. sed dæmones sunt entia realia. non ergo sunt natura mali. Amplius, naturalia in dæmonibus integre remanserunt, & à principio mali non extiterunt: ergo quod prius. alia ratione, obscuriore tñ, probat idē. Præterea, sibi, an aliis mali sunt? si forte sibi ipsis mali sunt, seipsos vtique perderent: sin autem aliis, quomodo corrumpunt, aut quid corrumpunt, substantiā, virtutem, aut operationem: Non quidem substantiam; quia quæ natura incorruptibilia sunt, non corrumpunt, sed quæ sunt corruptioni obnoxia. Deinde, ne istud quidem omnibus, & omnino malum est: neque quicquam corrumpitur ex his quæ sunt, quatenus est essentia, & natura. sed ipsa congruentiæ, commensurationisque proportio, propter ordinis naturalis defectum, iam ita infirmatur, vt eodem modo permanere non possit.

Dæmones non sunt natura mali.

Sensus est. Malum est destructiuum boni. sed natura, siue essentia destrui non potest: non sunt ergo natura mali. Destruit autem malum ordinis proportionem: non est ergo aliquod malum natura absolutum quod consequenter ostendit: Infirmitas, inquit, non est integra, nam si integra esset atq; perfecte, & corruptionem perimeret, & subiectum è medio tolleret, essetque huiusmodi corruptio, summet quoque corruptio. Quamobrem, quicquid malum dici solet, non est omnino malum sed deficiens. Quod enim expers boni omnino fingitur: nusquam quidem aliquid erit. Quasi diceret, malum non est per se, sed est defectus boni. Malum ergo non est ex bono, vt ipsa dicit, & si ex bono sit; malum profecto non est. Neque enim proprium est ignis refrigerere: neque

Malum destruit proportionem ordinis.

neque boninū bona prodocere. Præterea si quæ sunt, omnia ex bono proceduni, (natura enim boni est producere atque seruare: mali vero perdere atq; dissoluere) profecto nullum existentium est ex malo. neque quidem ex malo ipsum malum, siquidem sibi ipsi malū esset. Quod nisi ita sit, malum non omnino erit malum; sed boni portionem quādam, per quam sit, habebit. Sensus est, cum boni natura sit, bona producere, & conseruare; mali vero destruere, & perdere. Malum ergo non est ex bono, neque ex malo, alioqui seipsum destrueret: vel malum non esset malum; sed aliquam boni partem haberet, qua seipsum tueri posset. Præterea, si quæcunque sunt, pulchrum, bonumque petunt, & quidquid agunt, propter id, quod videtur bonum, faciunt. omnisque rerum intentio bonum spectat, vt principium, atque finem (nihil enim mali in naturam spectans, facit quæ aggreditur facienda) quonam modo in ordine rerum erit malum? aut quo pacto in rebus omnino est aliquid, quod sit huiusmodi bonu appetitu destitutum? Sensus est. Quodlibet ens natura appetit bonum; nemo enim in malum intendens, operator: nihil ergo est in ordine rerum malum: alioqui esset aliquod ens huiusmodi bono appetitu destitutum, quod est falsum, vnumquodque enim ens, in quantū est ens, habet rationem boni, allicitque ad sui concupiscentiam, desiderium appetentis. Ex hoc autem, quod omnia per appetitum conuertuntur ad bonum, fidem nobis facit, ex bono entia omnia processisse: ideoq; bonū esse vniuerso ente superius; esse enim non simpliciter appetitur, sed ratione boni. Quemadmodum vero, quod est super entia corporea, non est corpus, sed toto genere corporeo melius; ita quod est super entia, non est ens, sed ente toto præstantius. Vbi ergo hoc dicimus non ens, ibi esse ens affirmamus; dicendo enim non ens, superius quiddam ente, principiumque entis totius, atque finem dicimus: negationem in affirmationem resoluimus; sic enim loquitur Dionysius: *Rursus, inquit, quæcunque sunt, ex ipso bono dependent, ipsumque bonum entibus est superius;* siquidem in bono etiam, quod non ens dicitur, ens existit: id est, dum non ens dicimus, maximum entium, siue supra omne ens, bonum illud esse profitemur. Malum autem neque est ens, alioqui nō esset omnino malum, sed haberet rationem, quod est falsum. Neque omnino non ens. alioquin quomodo posset esse alicui malum, si nihil omnino esset? Alienius est ergo, atque distantius ab ipso non ente, quam ab ipso bono: malum enim non nisi in bono inuenitur, quia nimirum est priuatio boni, sicut cæcitas non nisi in oculo, simitas non nisi in naso. Dicerit ergo aliquis, vndenam igitur erit malum? Nisi enim malum sit, virtus, ac vitium erit idem, vniuersale videlicet vitium idem erit, quod vniuersa virtus: particulare similiter idem, quod virtus particularis: aut saltem quod virtuti aduersatur, non erit malum. Sensus est, virtus & vitium in quodam qualitatis genere conueniunt ad animum pertinentis: neque differre inter se posse videntur, nisi in eo quod qualitas illa quidem bona est, hæc autem mala, id est, quoniam illa voluptatem reddit bonam, hæc vero malam. Igitur si malum non est; non erit aliquid, quo differet vitium à virtute: idem igitur esse videbitur. Amplius, nisi malum quicquam sit; sequitur vt vitium, quod virtuti bonæ repugnat, non sit malum; pugnat certe non solum iniustus homo contra virum iustū; sed etiam iniustitia contra iustitiam. Imo vero ex hoc ipso quod duo hi habitus contrarij sunt; prorsus euenit, vt homines his prædīti inuicem sint contrarij. In ipso ergo animo, à virtutib. omnino vitia distant, & à ratione motus dissident perturbati. Propterea necessarium est concedere, malum aliquid esse bono contrarium; neque enim bonum sibimet repugnat, sed vniuersum bonum velut ex vno principio ductum, vnaque causa genitum, communione quadam inuicem, & vnione, & amicitia gaudet. Item, sub ipso bono in longissimam rerum, graduumque distantiam fit progressus. Quod vero nimium distat à bono, malum est; impedit enim bonum: nam quod minus bonum est, maiori bono nequaquam est contrariū. sicut nec minus calidū, aut minus frigidū, calido frigidoq; repugnat. Malum igitur est in rebus, atq; in aliquid, & ita duntaxat est oppositū contrariumque bono. Denique si quis dixerit, malum nihil aliud existimari, nisi quendam essentiæ interitum: responderi poterit: malum non propterea ex ipso rerum ordine tolli; siquidem corruptio aeris ad generationem, essentiamque ignis necessaria est, conferens vniuerso: ergo quod prius. *Adhuc eorum vera ratio respondebit.* Malum qua ratione malum est, nullam essentiam, vel generationem facere: solum vero depravare, atque perdere (quantum in se est) rerum substantiam. Virtus ergo ignis, aut solis, quæ bona est, ignem generat tanquam bonum, nec fuit naturalis intentio virtutis illius aeris, formam perdere, imo formam ignis efficere. Abit, ergo aeris forma, dum igniea formæ succedit. Siquis ergo ipsum malum generationis dixerit authorem, propterea quod alterius pernicie, præstet alteri genitutam. respondendum est reuera, non quæ ratione perdit, generationem aliquam elargiri; sed qua corruptio, malumque est, violare solum, atque deprauare. generationem vero, essentiamque effici propter bonum. Quæ quidem igitur ratione malum est, neque est ens, neque entium effectiuum: at propter bonum, & ens est, & bonum, auctorque bonorum. Ipsum vero malum, neque est ens dicendum, neque bonum, neque generationis effector, neque rerum auctor vel bonorum.

De primo bono.

1\. Malum non est generationis causa.

Mercvrivs.

Cernis ô fili, quod corpora cœlestia transcendere nos oportet, quodque choros dæmonum, ambitumque astrorum, eorumque progressus, vt ad vnum solumque Deum tendamus. Insuperabile enim bonum est, sine termino infinitum, quoad se nunquam incipiens, quoad humanam cognitionem principium habens. Eiusmodi tamen cognitio, non eius initium est; sed nobis ipsius cogniti principium exhibet. Principium itaque complectamur; hoc enim cognito, vniuersa celerrime discurremus.

Commentum XIV.

CAP. I.

Text. expo.

[illegible]Atij mentem erigit, vt si velit causam omnium scire, quæ in hoc mundo geruntur, non solum hæc terrena mente transcendat; verum etiam, supra omnes choros angelorum. pennis contemplationis alatus volitet, quousque tandem ad vnum illud, summumque bonū perueniet: quod si cognouerit, facile omnia cognoscet. *Cernis, inquit, ô fili, quod corpora cœlestia transcendere nos oportet.* Quasi diceret, vt scire possimus causam, quare in hominibus tanta sit diuersitas studiorum; id certe à corporibus cœlestibus petendum nobis non est, vt quidem faciunt, qui corporibus cœlestibus humanos actus attribuunt, neque à choris angelorum, sicut quidam dixerunt, humanarum actionum regimen, angelis esse commissum, quos asserunt etiam homines condidisse. Hos igitur fili consulere à nobis necesse non est; *sed ad vnum solum Deum pergamus, quod est bonum insuperabile.* Etenim multi sunt gradus bonorum: Deus in primis est bonus, quia seipso bonus: deinde angeli perfectam nacti sunt participationem boni: animæ vero minus, minus quoque cœlestia corpora: minus etiam inferiora, temerè animata: minus etiam inferiora corpora vita carentia: minime vero materia prima; quæ quidem non est à bono penitus destituta: quandoquidem ab ipso dependeat, facillimeque paret ipsi quomodocunque formanti, formasque tanquam boni ipsius imagines auidissime videtur efficere. *Bonum,* inquit Dionysius, *quibus perfecte inest, perfecta, pura, integra, bona facit. sed quæ minus ipsum participant, imperfecta bona sunt, ac propter defectum boni, permista: omnino quidem malum non est, neque bonum, neque beneficum. sed magis, aut minus propinquat bono: pro ipsa appropinquanti mensura, fit bonum.* Sensus est; Malum accidit in nimio quodam defectu boni, nempe in accidente, quod est substantia debilius, & procliuius ad defectum. Quamobrem, defectus, malumque in anima, non circa substantiam eius, sed circa accidentia potius versari videtur: affectus scilicet, & motus, & actiones. Tanta vero est ipsius insuperabilis boni potestas; vt etiam ipsa priuatio, quæ reuera malum cognominatur in bono, id est, in essentia quadam habeat fundamentum: quæ quidem essentia perfectione aliqua priuata censetur. Neq; valet quisquā repugnare primo bono, nisi per vim vel motionem, tandem ab eodem bono pendentem propterea à sapientissimo Mercurio bonum insuperabile vocatur. Si ipsum ergo primum verumque bonum ad ens compares vniuersum; habet principij rationem: primo quidem, quia quodlibet ens est boni particeps: deinde, quæ priuatum bono,

Bonorum gradus.

4\. de diuin. nom.

Vbi malū.

Boni potestas.

Bonum est super essentiam.

De primo bono.

bono, orbatur essentia: tertio, quoniam entia singula bonū appetunt, tanquam finem: itaque omnium est principium. *Quacunque*, inquit Dionysius ibidem, *sunt, quæ ratione sunt, eadem sunt & bona, existuntque a bono; quæ vero destituta sunt a bono, neque bona sunt, neque subsistunt: nempe in cæteris qualitatibus, veluti in calore, vel frigore ita res se habet: vt quæ calefacta fuerint: etiam superesse possint, postquam calor illa deseruit. Pleraque etiam sunt quidem, tamen & vita, & intelligentia sunt expertia. Deus quoque semotus est ab essentia, & superessentialiter (vt ita dixerim) ratione consistit.* Sensus est: Deum non appellabis essentiam, quippe cum hæc vitam, & intelligentiam spernet, atque bonum: neque intelligentiam, aut vitam, tum quia hæc duo essentia indigent, vt priore, tum quia bonum expetunt, dum bene viuere, beneque intelligere cupiunt. Est ergo primum principium supra intelligentiam, vitam, atque essentiam, & vt semel dicam cum Mercurio insuperabile bonum. Plotinus

Dion. sim.

Bonum insuperabile.

Enn. 6. lib. 7. cap. 17.

Si quid, inquit, *est actu primum, id actu superius est, quapropter & vita superius. Si ergo in hoc est vita profecto qui dedit eam, tribuitque quidem vitam ipse vero melior, & honorabilior vita censetur. Habuit itaque vitam, neque indiget varia largitore.* Et Enn. 1. lib. 9. c. 1. *Si*, inquit, *primum bonū non est ab alio, neque in alio, neque vlla in eo est compositio; necesse est eo nihil esse superius.* Summa omnium est, ipsum bonum esse vniuersi & causam efficientem, atque finalem: & quomodolibet essendi mensuram: vt quo magis aliquid boni compos est: eo magis essentiæ, minusue, quo minus. Sequitur tex. *Sine termino infinitum*, hoc est, cum bonum sit insuperabile, sequitur, vt nullo termino illius virtus claudi possit. quod autem est tale, haud dubium quin sit infinitum. Quod autem Deus sit vigor infinitus, in aliis libris, primo, 2. & 3. copiose differui. Tex. *Quoad se nunquam incipiens. quoad humanam cognitionem, principium habeat.*

Tex.

Deum non videtur oculis corporalibus.

Sensus est, Deus summum bonum existens, omni principio caret, quatenus ad suam pertinet æternitatem: dicitur tamen principium cognitionis habere, respectu nostri: qui non sumus æterni, nec illius cognitionem vnico actu percipere possumus. *Hoc igitur principium complectamur, & ex illa vniuersa celerrimè cognoscemus.* Paulo ante fol. 43 de Deo videndo, siue cognoscendo multa diximus: addenda sunt nobis modo pauca, quæ remanserunt. *Hoc*, inquit, *cognito, &c.* Dicet aliquis, nunquid huiusmodi cognitio, ad solius mētis cognitionē spectat, an etiam ad exteriorum sensuum notitiam? Si ad mentis notitiā referas: illa profecto in hac vita, plena, atque perfecta haberi non potest; vt ea illius notitia, celerrima omnia discurramus nisi post hanc vitam, de qua loco iam citato locuti sumus. Si vero illam in confuso haberi, & sic vniuersa cognosci; non satis videtur Mercurij mentem explere, fortassis de cognitione gratiæ philosophatus est Mercurius, quæ cognitioni naturali antecellit: cuius virtutem si quispiam nactus fuerit, diuino lumine illustratus, aliorum cognitionem facillime nanciscetur. Etenim cognitio, quā per naturalem habemus cognitionem, duobus indiget, phātasmatibus vtique ex sensibus acceptis, & lumine naturali intelligibili, cuius virtute intelligibiles conceptiones abstrahūtur. Quoad vero ad vtrūque gratiæ reuelatione, humana iuuatur cognitio. Naturale enim lumē intellectus gratuiti luminis infusione confortatur, atque interdum etiam phātasmata, in hominis imaginatione diuinitus expressa, res diuinas clarius ostendunt, quam illa, quæ à sensibus mendicata sunt phantasmata. Id latissime patet in prophetarum oraculis, in Apostolis quoque & Apostolicis viris. Præterea, interdū aliquæ res sensibiles diuinitus formantur, aut etiam voces ad aliquod diuinum exprimendum oraculum: sicuti in baptismo domini contigisse legimus: vbi & patris vox audita est, & in columbæ specie Spiritus sanctus apparuit. Sed *dices*: nunquid per rationem naturalem in hac vita Deum cognoscere valemus? *Respondeo*, naturalem nostram cognitionem à sensu principium sumere, proinde in tantum suas vires porrigere; in quantum à sensibilibus accepit se porrigendi potestatem. Porro ex sensibilibus noster intellectus non habet, vt Dei essentiam intueri queat; creaturæ enim sensibiles, effectus Dei sunt, virtutem causæ non adæquantes. Quamobrem ex sensibilium cognitione, tota Dei virtus cognosci non potest: nec consequenter eius essentia videri. Verum quia sunt effectus primæ causæ; propterea ex illis tantum proficimus, vt cognoscamus, Deum esse primam causam effectus, seu causata omnia in infinitum excedentē. Itaq; per rationē naturalem, quam Deus ad creaturas habitudinem contineat, cognoscimus, quamque etiam creaturæ habeant ad ipsum creatorem. *Sed iterum dubitabis*, vtrum Deus in hac vita per essentiam videri possit. *Ad quod* aperte scriptura respondet in Exod. *Non videbit me homo, & viuet.* & Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam*: In causa autem est,

Cognitio gratiæ.

Cognitio Dei per sensibilia.

Deus in hac vita videri non potest.

Exod. 32.

quia modus cognitionis sequitur modū naturæ rei cognoscentis: anima autem nostra, pro statu præsentis vitæ, habet esse in materia corporali: ideoque illa ab anima cognoscuntur, quæ habent formam in materia vel quæ per huiusmodi cognosci possunt. Per rerum vero materialium, naturas, diuinam essentiam cognosci non posse, latissime patet. Quare fieri non potest, vt anima hominis secundum hanc vitam viuentis, Dei essentiam videri valeat; cognitio enim Dei per quamcunque similitudinem creatam ipsius essentiæ visio minime est dicenda. huius autem rei signum nobis est anima nostra, quæ quo à corporalibus est abstractior, eo intelligibilium abstractorum fit capacior: proinde in somnus, & alienationibus à corporis sensibus, diuinæ percipiuntur reuelationes, præuisionesque futurorum. Quod ergo anima humana, quamdiu hac vita mortali fruitur, ad supremum intelligibilium eleuetur, nempe ad diuinam essentiam, esse non potest. Ex hoc etiam patet, Deum oculis corporalibus videri non posse, omnis enim potentia talis, est actus organi corporei: actus vero ei proportionatur, cuius est actus. Quā obrem ex his nulla quidem potentia vltra corporalia progreditur. Deus autem est incorporeus. nullo ergo sensu percipitur; sed solo intellectu. Et hæc quidem de Dei cognitione dicta sufficiant.

De cognoscendo Deo.

Deus oculis corporalibus non potest videri.

CAP. II.

Argumenta contraria.

POsset aliquis *contra* prædicta dubitando ita *arguere*: Deum cognoscere per gratiæ cognitionem, est obscura & ignota cognitio, teste Dionysio in mystica theologia. *Ille*, inquit, *qui melius vnitur Deo in hac vita, vnitur ei sicut omnino incognito*: quod etiā Moysi attribuit, qui excellentem obtinuit gratiæ cognitionem. sed cognitio Dei per rationem naturalem, est obscura & ignota: non ergo magis per gratiæ, quam per naturalem cognitionem Deus cognoscitur. Sane, par videtur in vtrisque modus cognoscendi, sicut enim per phantasmata fit cognitio naturalis; ita etiam, & cognitio gratiæ, *impossibile est*, inquit Dionysius, primo cœlest. hierarchiæ, *nobis aliter lucere diuinum radium; nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum* ergo quod prius. Adde, quod noster intellectus per gratiam fidei, Deo adhæreat; fides autem non videtur esse cognitio. *Ea*, inquit, Gregorius, *quæ non videntur, fidem habent, & non agnitionem.* per gratiā ergo aliqua non nobis additur de Deo nobilior, præstantiorque cognitio. Amplius, Ratio non capit simplicem formam, teste Boetio *in lib. de consolatione.* sed Deus est summa simplicissima. igitur, ratione naturali percipi non potest, ratione enim naturali, sine phantasmata, anima nihil intelligit: *Oportet*, inquit philosophus lib. de anima *intelligentem phantasmata speculari.* ac Deus est incorporeus: nullum ergo phantasma de eo potest nobis occurrere. Nō ergo potest ratione naturali cognosci. Sane, cognitio naturalis est indifferens omnibus, sicut & ipsa natura. sed Dei cognitio bonis tantum competit: *Mentis humanæ acies*, inquit Augustinus primo de trin. *in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei mundetur.* ergo quod prius. Iterum, Iacob vidisse Deum facie ad faciem, scriptura manifeste commemorat: igitur, vidit diuinam essentiam; videre enim faciem ad faciem, est videre per essentiam. *Videmus nunc*, ait Apostolus, *per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Diuina ergo essentia ab aliquo in hac vita degente, visa est: & sic cōsequēter videri potest. *in lib. num* 12. legitur de Moyse, quod ore ad os cū Deo loquebatur. sed qui sic loquitur, palā, & nō per ænigmata loquitur. Dei ergo essentiā Moysen in hac vita positū, vidisse, ex scripturis sacris potest ostendi. Præterea, id, in quo alia omnia à nobis cognoscuntur, & per quod de aliis nos iudicamus; profecto secundum se nobis notum esse, constat. sed omnia in Deo à nobis cognoscuntur, etiam nunc, authore Augustino. *Si ambo*, inquit, *videmus, verum esse quod dicis: & ambo videmus, verum esse quod dico. vbi quæso illud videmus? Nec ego in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa, quæ supra mentes nostras est incommutabili veritate.* Idem sentit in lib. *de vera religione*, in quo aperte profitetur secundum veritatem diuinam de omnibus nos iudicare, & 12. *de trinitate. Rationis* inquit, est, *iudicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales, & sempiternas.* Quæ nisi supra mentem essent, incommutabiles profecto non essent. In hac ergo vita ipsum Deum videmus. Item, visione intellectuali, teste eodem 12. *super Genes.* ea videntur, quæ sunt in anima per suam essentiam. sed visio intellectualis est de rebus intelligibilibus,

Per gratiā altiorem cognitionē non haberi.

Dionysius.

Gregorius.

1

Deum ratione naturali non posse cognosci.

August. Gen. 32. In hac vita posse videri diuinam essentiam.

1. Cor. 13.

3

4

Lib. 12. confess.

5

Deum videri oculis corporeis.

De aognoscẽdo Dao. non per aliquas similitudines, sed per suas essentias: vt ipsamet ibidam affirmat. Cum ergo Deus per suam essentiam sit in anima nostra: par assentiam ergo videtur à nobis.
6. Amplius Iob. manifaste dicit, se in carne Deum visurum.
Iob 19. *In carne mea, videbo Deum saluatorem meum.* Et cap. 42. *Audita auru audiui: nunc autem oculus meus videt te.* Deus ergo corporeis oculis videri potaft. Confirmatur hoc ab Augustino
vlt. de ciui. c. 29. *Va*, inquit, *prapollentior oculorum erit illorum, sulaet glorificatorum, non vt acutius videant, quam quidam perhibentur videre serpentes, vel aquila; quantalibet enim acrimonia cernendi eadem quoque animalia, nihil aliud possunt videre, quam corpora, sed vt videant & incorporalia:*
7. quicunque autem potest videre incorporalia, potest aleuari ad videndum Deum: oculus ergo glorificatus potest videre Daum. Item, Imaginaria visione
Isa. 6. Deus vidari potest, teste Isa. *Vidi dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum.* sed visio imaginerie, à sensu originem habet; phantasia enim est motus factus à sensu secundum actum, vt dicitur 3. de anima: Deus ergo sensibili visione videri potest. Alia argumante posita sunt in primum Pymandri, vbi copiosius de hac re disserui.

CAP. III.

Soluuntur Argumenta.

1. R*Espondeo* ad 1. quamuis per gratiæ reualationem in hac vita de Deo quid sit minime cognoscemus: ita quod ita ei, quasi ignoto coniungamur, plenius tamen ipsum cognoscimus, quatenus pluraa, excellentiorasque eius effectus nobis demonstrentur, & quatenus ei aliqua attribuimus ex reuelatione diuina: vtpote Deum esse trinum, & vnum: ad quorum indegationem ratio naturalis nequit ettingere.
Moyses quomodo agnouit. Quoad vero ad modum aognoscendi Moysi concessum atque tributum à Deo, dico eum Dionysio in lib. de mystica theologia, excellentissimum modum contemplandi Deum interpretu esse, ignote ascendere. Vocauit Deus post sex diea Moysen da medio caliginis, quia nec ipse Moyses voluit Deum videra: ideoque introductus dicitur fuisse in caliginem; oculus namque contemplantis, etsi in Deum figi possit, ita vt ipsum solum intueatur, non videbit tamen ipsius lucis claritatem: imo in caliginem potius eleuabitur, atque ad hanc aognitionem, per omnium eblationem, remotionemque pertinget, quæ docta vocatur ignorantia; ignorat enim animus contemplantis actualiter cuiuscunque rei creatæ cognitionem,
Docta ignorantia. quæ intellactum, seu affectum, ab ipsorum officiis auertere, seu turbare posset. Profecto docta hæc ignorantia, qua cætera negliguntur, vt Deus habeatur, iustissimo nomine sic censendam putauit Dionysius; vt sic intalligeramus, quam habere possunt homines in hac vita da Deo cognitionam. Ad *confirm* dico: Ex phantasmatatibus vel a sensu acceptis sacundum naturalem ordinem, vel diuinitus etiam imaginationa formatis, tanto exaellantioram intellectualam cognitionam haberi; quanto lumen intelligibile in homina fortius extiterit: atque ita per reuelationam ex phantasmatibus, pleniorem cognitionem accipi ex diuini luminis infusione. Ad aliam confirmat. fides cognitio quædem ast, quia determinat intellectum ad aliquod cognoscibile. Verum hæc determinatio ad vnum non procedit ex visione cradantis, sed à visione aius, cui creditur. Et sic in quantum deest visio, deficit à cognitionis ratione, quæ est in scientia; scientia n. per visionem atque intellectum primorum
2. principiorum, intellectum ad vnum determinat. *Ad* 2. Dico, rationem naturalem ad formam simplicissimam pertingere non posse, vt sciet de ea quid sit; posse tamen cognoscere, quod sit. Ad *confirm.* naturali cognitione Deus cognosci-
Cognitio communis. tur per phantasmatata effectua sui. *Ad* aliam *confirm.* Cognitio Dei per essentiam, cum per gratiæ beneficium contingat; bonis tantummodo competat, necesse est: cognitio autem naturalis, sine aliquo personarum delectu. & bonis, & malis. Vnde in lib. retractationum: *Non approbo*, inquit, *quod in oratione dixi: Deus qui non nisi mundos verum scire voluisti*: respondari etenim potest multos etiam non mundos, multa scire vera per rationem naturalam scilicet.
3. 4. Hie. cal. *Ad* 3. Dionysius modum dasaribit, quo Deus videtur: sic namque in scripturis dicitur aliquis Deum vidisse, quatenus aliquæ figuræ sansibiles, vel imeginariæ, secundum aliquem similitudinem, aliquod diuinum repræsentantes, formatæ habentur. Quod vero dicitur da Iacob, quod viderit Deum facie ad faciem: non ad ipsam diuinam essentiam est referendum; sed ad figuram, in qua
Consuetudinis potentia. Deus repræsentabatur. Quod profecto ad quandam spectat prophetiæ eminentiam; vt Dei loquentis persona, siue Daus loquens, imeginaria tamen visione videatur: vel in-
Iacob vidit Deum facie ad faciem. Paulus, Moyses quomodo viderunt Deum. telligibilem contemplationis eminantiam supra communem statum, scriptura ibidam intimare voluit. *Ad confirm.* quemadmodum miraculose aliquid supernaturaliter in rebus corporeis operatur; ita etiam & supernaturaliter, & præter communem ordinem, aliquorum mentes in hac vita viuentium, sed sensibus carnis non vtentium, vsque ad suæ visionem essentiæ aleuauit: sic enim docet August. *Ad*
4. Omnia dicimur in Dao vidara, & secundum ipsum de omnibus iudicare, quia scilicet sui luminis participatione, omnia & cognoscimus, & diiudicamus; rationis enim naturale lumen, quædam est diuini luminis participatio. Eodem modo in sole, hoc est, lumine solis, omnia sensibilia, nos videre profitemur. Quemadmodum ergo ad videndum aliquod sensibile, non est
5. necesse, solis substantiam videri; ita etiam ad videndum intelligibilia, non est necesse, vt diuina essentia videatur. *Ad*
5. Visio intellectualis est eorum quæ sunt in anima per suam essentiam, sicut intelligibilia in intellactu. sic autem
6. Deus est in anima beatorum, non autem in anima nostra;
In carne mea videbo Deum saluatorem; Ephes. 1. sed per præsentiam, essentiam, & potentiam. *Ad* 6. Iob fatetur se visurum Deum in carne, non quidem oculo carnis; sed post resurrectionem in carna existentem, Deum intuiturum sperare se dixit. Ad illud: *Nunc oculus* &c. de oculo mentis loquitur, qui ab Apostolo vocatur oculus cordis: *Illuminatos*, inquit, *habere oculos cordis.* Ad Augustini sententiam dico, primo sub conditione fuisse locutum, deinde suam sententiam determinasse. *Valde*, inquit, *credibile est, sic nos visuros, mundana tunc corpora cœli noui, & terra noua, vt Deum vbique præsentem, & vniuersa etiam corpora gubernantem, clarissima perspicuitate videamus: non sicut nunc inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sed sicut homines, inter quos viuentes motus que vitales exercentes, viuimus: mox vt aspicimus, non credimus videre, sed videmus.* Dicit ergo oculos glorificatos Deum visuros, sicut nunc oculi nostri vident alicuius vitam; quæ certe oculo corporali non videtur, sicut per se visibile; sed potius sicut sensibile per accidens: quod quidem à sensu non cognoscitur, sed statim cum sensu ab aliqua virtute cognoscitiua.
7. Visis ergo corporibus, diuina præsentia ab intellectu cognoscitur, tum ex perspicuitate intellectus, tum ex diuinæ claritatis refulgentia in corporibus innouatis. *Ad* 7. In visione imaginaria Dei essentia videri non potest; sed aliqua forma in imeginatione formatur, quæ secundum aliquem similitudinis modum Deum repræsentat: de qua quidem re scripturæ copiosissime loquuntur.

MERCVRIVS.

Arduum est consueta ac præsentia relinquentem, ad superiora se potioraque conuertere. Illa enim quæ oculis cernimus, nimium nos delectant: latentia diffidentiam pariunt. Patentia sane mala sunt: bonum occultum iis, qui manifestis incumbunt. Neque enim forma eius vlla, neque figura: hac de causa sibi tantum simile, cæterorum vero dissimile: Etenim corpori incorporeum apparere non potest: huiusmodi est similis ad dissimile differentia: dissimilisque ad id, quod est simile posteritas.

Commentum XV.

NE, inquit, mirerie ô Tati, cur non omnes illud complectantur primum, & æternum principium: quia arduum est prauam consue-
Cõsuetudo quid sit secundum philosophos. tudinem derelinquere: quæ quidem in naturam facile transformatur. Sane acquirendæ veritatis difficultas ex mala consuetudine proficiscitur. Nam, vt consueuimus, ita dici censemus,

sic

Consuetudinis potentia. 2. met. c. 14. Auer. error.

ait philosophus. Et ea quæ præter illa sunt, non similia; sed ob insolentiam, nobis ignota, aliena magis videntur: quod enim consuetum, notius est; consuetudo namque cum sit altera natura, ad modum naturæ inclinat, flectitque animum ad aliquid agendum fugiendumue. Quantam autem vim habeant consueta, ipsæ leges ostendunt, in quibus circa fabulosa & puerilia, consuetudo magis, quam veritas præualet. Hæc de humanis, non autem diuinis legibus dixit philosophus: ideoque Auerroes audiendus non est, qui omnes leges ab hominibus emanasse affirmet.

Heraclyt.

Extitit autem Heracliti antiqua sententia, teste Alexandro in libro de fato, consuetudinem esse hominum, dæmonem, id est, naturam; habitus enim qui ad modum naturæ inclinet, ex consuetudine proficiscitur. Vnde 1. *phi. com* 71. *& de memoria & remin.*

Consuetudo est altera natura.

Consuetudo altera natura appelletur, vt enim cognitio fieri possit; debita atque consona debet esse ad cognoscibile proportio cognoscentis: ex qua determinata cognitio oriatur. Sic namque videmus iuxta naturã seu diuersitatẽ habituũ, cognitionis diuersitatẽ contingere. sic iustus, cæteriq; sensus his reb. delectantur, q̃ ipsorũ dispositioni conueniunt. Porro, dispositio in naturẽ vertitur, cuius modus cum sit determinatus; determinatam vtique cognitionem producit.

Consuetũ est notius. 2. met. c. 14

Habitus ergo naturæ similis, à consuetudine genitus, certiorem reddit modum cognoscendi. *Consuetum*, inquit philosophus, *notum est: & vt consueuimus, ita dignamur dici.* Ea igitur quæ sunt consueta, libenter audimus, & facilius recipimus.

Quod consuetudo nõ vertitur in naturã.

Sed dices, quamuis consuetudo in naturam vertatur, non tamen natura notior esse videtur: imo nullo modo in naturam vertitur; naturalia enim oppositam consuetudinem non recipiunt.

4. Lapis, inquit, philosophus 2. *eth.* millies in altum proiectus, suam grauitatem non omittit. sed ea, quæ sunt consueta, ad desuetudinem verti possunt; alter incontinens, nunquam fieret continens: non ergo consuetudo est altera natura.

5. Item, quod natura dedit, nemo auferre potest, sed consueta facile auferuntur contrariis moribus animo institutis: ergo quod prius. Amplius, Quod vertitur in malum alicuius, naturæ illius dici non potest; natura enim ex se est bona. sed consuetudo mala in malum vertitur habentis: ergo &c.

Solutio.

Dico, consuetudinem non essentialiter in naturam, sed in habitum, naturæ similem verti. vnde secundum hunc modum inclinat per modum habitus & naturæ.

Verum notius falso. 8. Top.

Sed iterum dices: verum est notius falso, quia per se apprehenditur ab intellectu, falsum autem per accidens. at magis consueta, vt in pluribus, sunt falsa: minus ergo nota. *Resp.* quod licet verum sit per se notius falso; falsum tamen secundum quid, & quoad nos, est notius: nihil n. refert, teste philosopho, falsa quibusdã veris, quibusdã hominibus esse.

Auer. in prol. 3. phy.

Consuetudo est causa impediens.

Itaq;, *consuetudo*, teste Auer. *non parum præstat impedimenti: imo est maxima causa impediens à pluribus rebus manifestis per se. Quemadmodum enim cũ homo fuerit assuetus ad aliquas actiones, licet noceant; illi erunt tamen faciles, & credit quod sint vtiles, similiter cum fuerit assuetus credere sermones falsos à pueritia, erit illa consuetudo causa ad negandum verum manifestum, sicut quidam, cum in vsu habeant, comedere venenum, in tantum quod erit eis cibus.* Hæc Auer.

Lycurgi exemplum.

Scitum est illud memorabile Lycurgi exemplum, qui volens populo, quantũ consuetudo posset, ostendere; duos catulos, vnũ in syluis, alterum domi in popina seu culina educari fecit, mox conuocatis turbis, tale spectaculum exhibuit: nam catulos adduci mandauit, & qui popinæ assueuerat, proposito hinc cacabo, solutus ad cacabum repentino cursu se proripuit: qui vero in syluis coaluerat, hinc lepore proposito, mira pedum leuitate, fugientem leporem insecutus est.

Cretensiũ imprecatio.

Refert Valerius Maximus, Cretenses cum acerbissimam execratione aduersus eos, quos vehementer oderunt, vti volunt, vt mala consuetudine delectentur, optare. Modesto voti genere efficacissimũ vltionis euentũ reperierunt. Animal illud seu vermis, qui sericus appellatur, filis sibi domum duriorem intexens, intus emoritur, illam frangere nequiens.

Sericus consuetudinẽ ostendit. 6. ane.

Sic & qui habitum contrahit in peccatis; suis enim funibus constringitur impius. Maro durissimam hanc consuetudinis domum depinxit. *Porta aduersa ingens solidumque adamãte columnæ. Vis vt nulla virum: non ipsi excidere ferro Cœlicolæ valeant: Stat ferrea turris ad auras.* Basilius hom. 5. in martyrem Iulitam, *Permolestum est*, inquit, *& vix toleratu possibile vel ipsis brutis auocari, ac submoueri à consuetudine. Equidem ipse bouem vidi aliquando ad præsepe illachrimantem sibi compascuo, & coniugi morte interempto. Quin reliqua quoq; bruta videas consuetudinem tueri mordicus, cui semel insueuerint.*

Inter. 6.

Et in regulis disputatis. *Non mediocri*, inquit, *opus est contentione, vt consuetudinem suam aliquis vincat; consuetudo enim vetustate firmata, naturæ vim solet nancisci.*

Hom. 3. de panib.

Chrys. *Manna*, inquit, *comedebant Iudæi, & cæpas de Aegypto quærebant, consuetudine ducti. Tam adeo turpis res est consuetudo pessima, quæ non statim potest abiici, nec tempore breui.* Et lib. 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ. *Dura, ait, dura ac penitus acuta, & violenta res consuetudo est, ad vincendam capiendamque animam, cum inprimis ista voluptatem adiutricem habeat.*

Consuetudinis potentia.

Quocirca Deus ipse quoque cum Hebræis, eorum quæ in Aegypto didicerant, malorum vetus consuetudo deponenda esset, seorsum illos in solitudinem adduxit, atque ibi illorum formabat animos, viam omnem medicinæ, & curationis tentans asperiorem, atque leniorem. Et ne sic quidem vitia illi effugerunt. sed cum Manna cœlesti cibo alerentur; cæpas tamen, & allia, & cætera Aegypti mala præferebant.

Dura res consuetudo. Num. 11.

Gregorius. *Vsitata culpa, ait, obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinem: conatur & labitur: quia, vbi diu sponte perstitit; ibi & cum noluerit coacta cadit.*

Hom. 31. in Euang.

Et lib. 11. moraliũ, *Sæpe nonnulli exire à prauis actibus cupiunt. sed quia eorundem actuum pondere premuntur; in mala consuetudinis carcere inclusi à semet ipsis exire non possunt.* Et lib. 15. *Tenent praua consuetudines, quem semel ceperunt; atque quotidie duriores existunt, & non nisi cum peccatorum vita finiuntur.*

Lib. 10. soliloq.

Isidorus. *Difficile est peccati consuetudinem vincere prauum vsum vix aboletur: assidua consuetudo, vitium in naturam conuertit. Animus sceleribus astrictus, vix ab eis diuelli potest.*

Alexander magnus claudicabat.

Græca narrat historia Alexandrum potentissimum regem, orbisque domitorem, in moribus & incessu Leonidis Pedagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus paruulus adhuc fuerat imbutus. Senecu. *Tunc consummata est, inquit, infelicitas; vbi turpia non solum delectant, sed etiam placent, & desinit esse remedio locus: vbi quæ fuerant vitia, mores sunt.*

epist. 08.

Magnum ergo est, & propemodum inuincibile imperium consuetudinis. Hieronymus ad Demitriadẽ. *Consuetudo est*, ait, *quæ aut vitia, aut virtutes alit. quæq; in his plurimum valet, cum quibus ab ineunte ætate simul creuerit. Optimi sunt ad institutionem morum primi quique anni; habent enim in se lentum quiddam & molle, quod facile formari queat.*

ad Dem.

Et in epistola ad Gelantiam: *Asperam nobis, & insuauem virtutum viam, nimia facit vitiorum consuetudo: quæ si in alteram partem transferatur, inuenitur simul ta iustitia lenis.* August. in Enchiridiõ. *Peccata, inquit, quamuis magna, & horrenda, quum in consuetudinem venerint, aut parua esse, aut nulla creduntur, vsque adeo; vt non solum non occultanda, verum etiam prædicanda diffamandaque videantur.*

cap. 80.

Et libro septimo confession. *Lex peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur etiam inuitus animus, eo merito, quo volens in eam illabitur.* Et in Psal. 30. *Vincere consuetudinem, dura pugna est.*

Iob. 20. Prouer. 22. Ioan. 11.

Clamat Iob. *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* Salomon. *Adolescens iuxta viam gradiens, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Clamet dominus *Lazare veni foras*, quia difficile surgit, quẽ moles malæ cõsuetudinis premit: lapidẽ supra se magnum habet, hoc est, malam cõsuetudinem. August. *Moles imposita sepulchro ipsa est vis dura consuetudinis; qua premitur anima, nec resurgere nec respirare permittitur. Dictum est autem. Quatriduanus est Reuera, ad istam consuetudinem, de qua loquor, quodam progressu peruenit anima. Prima est quasi titillatio delectationis in corde: secunda consensio. tertia factum: quarta consuetudo.*

Hom. 43. in Matt.

Dauid clamat. *Non me demergat tempestas aquæ. neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.*

Psal. 68.

Quando consuetudo claudit os peccatoris, vt auxilium gratiæ nullum expostulet. *Peccator*, ait Salomon, *cum venerit in profundum malorum, contemnet*: clausit super eum puteus os suum qui eperdidit confessionem.

Prou. 18.

Ait Augustinus: *Si videris hominem fecisse iniquitatem, missum est in puteum. si confessionem respuerit, clausit super eum puteus os suum.* Ieremias. *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere, cum dilexeritis malum.*

Ierem. 13.

Quidquid enim discitur, ait Hieronymus in commẽtario illius loci, *non natura est, sed studij, & propria voluntatis, quæ nimia consuetudine, & amore peccandi quodam modo in naturam conuertitur.* Alibi etiam idem Propheta. *Quare factus est dolor meus incurabilis, & plaga mea desperabilis?* Quia scilicet sæpe fit, vt assueti longo tempore vitijs dessuescere nolint: quod certe magnum præstat impedimentum cognoscendæ veritatis: Recte ergo dictum est à Mercurio, arduum esse consueta vincere: *Arduum*, inquit, *est consueta ac præsentia relinquentem, conuertere se ad superiora: quia, inquit, quæ oculis cernimus, nimium nos delectant: quæ vero latent, & non videntur, diffidentiam potius quam lætitiam nobis afferunt.*

Textus expo.

Vnde fit, vt qui futura præstolatur, & præsentia contemnit, pro stulto habeatur. *Virtus*, inquit Lactantius, *difficilis, ac rara est: voluptas communis & publica. Ideo necesse est sapientem pro stulto haberi, qui dum appetit bona, quæ non cernuntur, dimittit è manibus quæ videntur: & dum vitat mala, quæ non aspiciuntur, incurrit in mala, quæ ante oculos sunt.*

lib. 7. c.

Similis sententia est apud Apostolum. Id, inquit, *quod in præsenti est momentaneum, & leue*, est præssuræ: *supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis.*

Cor. 2. 4.

Præsentis temporis tribulationes, quæ causa fidei ingeruntur, ait Ambrosius *in suo commentario*, momentaneas, & leues

Ambrosius

Consuetudinis potentia.

& leues dicit, quia sunt temporales; supra modum tamen in sublimitate æternum pondus gloriæ operari patientibus; paruis enim laboribus, magna redditur merces. & pro leui tribulatione, supra modum sublimitas gloriæ pensabitur perpetuæ non contemplantes quæ videntur, sed quę non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ vero non cernuntur, æterna sunt. Desiderium cœlestium, & spiritualium habentes, hæc præsentia, & terrena, spernere profitentur; quia ad comparationem spiritualium hæc nulla sunt, sic enim sunt hæc ad superna; quomodo figura ad veritatem: figura deperit, veritas manet: ac per hoc exire de isto seculo non metuunt iusti, sed gaudent.

Tex.

Sequitur Tex. *Patentia sunt mala*, id est, quæ videntur huius vitæ tribulationes, patent omnibus; propterea ab omnibus contemnuntur. *Bonum occultum est iis, qui manifestis incumbunt.* Sensus est, Vera Dei sapientia latet eos, qui terrenis rebus incumbunt, non autem pietatis studiosis. *Sapientia*, inquit Plato in Phædro, *non cernitur, ardentes enim excitaret amores, si aliquod ipsius simulachrum manifestum oculis proueniret.* Iob 28. dixit, absconditam esse ab oculis mortalium: *nescit homo pretium eius.* Fieri enim non potest, vt is, qui delitiis, voluptatibus huius seculi vacat; veri boni, veræque sapientiæ particeps fiat. Tex. *Neque enim forma eius vlla neque figura; hac de causa sibi tantum simile, cæterorum dissimile.* Sensus est, bonum esse occultum, nec vllam habet extrinsecam figuram; Deus enim nullo exteriori simulacro figurari potest, cum sit Spiritus, & forma simplicissima: idcirco sibi tantum similis, ab omnibus autem dissimilis; nihil enim eorum est, quæ ipse fecit, licet in omnibus, & per omnia, & super omnia sit, quæ ab eo condita sunt. Subdit exemplum. *Corporis incorporeum apparere non potest, huiusmodi est simile ad dissimile differentia* quasi diceret, Deus est incorporeus: per corporeas ergo figuras videri non potest: proinde similis est differentia inter corporeum, & incorporeum, ac est inter simile, & dissimile. *Dissimilisque est posteritas, ad id, quod est simile*: hoc est, nulla potest conuenientia, seu similitudo inueniri inter Deum, & exteriorem imaginem: ideoque terrigenæ rebus præsentibus tantum assueti, Dei amorem, maiestatemque illius paruifaciunt, & contemnunt.

Plato. *Iob.* *Tex.* *Deus non habet figuram.* *Tex.*

MERCVRIVS.

Monas, id est, vnitas omnium principium, radix, atque origo: absque principio vero nihil. Initium autem ex nullo, nisi ex seipso dependens. Initium autem est non principij, sed alterius. Monas ergo principium, omnemque numerum continet, à nullo contenta; omnemque gignit numerum nullo numero genita.

Comment. XVI.

REdit Mercurius ad altissimarum causarum speculationem, & more prophetico transit, ex moralibus, ad subtilissimam diuinæ sapientiæ contemplationem. vocatque Deum per anthonomasiam, non solum vnum; sed etiam ipsam vnitatem, omnium rerum creatricem. Quod vero Deus sit vnitas, in 3. *lib.* dixi. quod autem omnium principium, *ibidem*, quod etiam vnitas sit principium numeri, & quomodo sit in Deo: *lib.* 2. quod autem sit vnus Deus, secundum Mercurium *lib.* 3. Et *in* 1. *lib.* Dei vnitas probatur secundum Philosophos, & secundum Theol. Item, quod sit forma mundi: item, quod sit prima animarum forma: *lib.* 3. De vno, & multi a quomodo opponuntur, & quod vnum sit prius multitudine: *lib.* 3. Diligens ergo lector illa consulat loca, & præsentis textus clariorem notitiam habebit: *Monas*, inquit, *id est, vnitas, Deus scilicet benedictus vnus, & simplex, est omnium principium*, quia ab eo esse habent omnia: *Radix, quia omnibus vitam exhibet*, instar radicis suis surculis, & insitis ramusculis: origo, quia omnium bonorum fons est perennis, atque perpetuus. *Absque vero principio nihil:* omnia principiata sunt, cum visibilia, tum etiam inuisibilia: *Initium autem ex nullo est, nisi ex seipso dependens.* Quod prius vnitatem dixerat, nunc initium appellat: & est sensus: Deus est omnium principium: ipse vero non est ab aliquo alio, quam à seipso. Probat: *Initium*, inquit, *non est principij, sed alterius*: hoc est, primi principii non est aliud principium, alioqui primum principium non esset; sed ipsum est principium alterius, mundi scilicet; & in Trinitate Pater est principium Filii, & Pater & Filius principium Spiritus sancti: originis quidem, non temporis, aut naturæ. *Monas autem &c.* Sensus est, sicut vnitas omnem continet numerum: ipsa vero à nullo contenta est, omnem etiam gignit numerum, & ipsa à nullo est genita, sic Deus continet omnia entia, atque producit; ipse vero nullum illorum est, nec ab aliquo illorum productus. Porro, vnitas in Deo, est ipsa diuinæ infinitatis singularitas, nulli forte communicabilis: processio vero rerum à Deo manantium, discretio illius: qua à rebus à se factis distinguitur. Res autem ipsæ procedentes conseruant interim vnionem; quandoquidem in vno quodam conueniant, cum sint ab vno: Quemadmodum, inquit Dionysius *de diuin. nom. cap.* 2. in vnione diuina, siue natura illa essentiam superante, commune quidem est vnicæ principalique trinitati existentia; ita quoque vnitas principio est eminentior. Diuinæ vnitatis eminentiam ostendit quod mox ille subdit. Vnionem igitur illam essentia superiorem transcendere dicimus, non vniones tantum, quæ fiunt in corpore; sed eas etiam, quæ in animis ipsis conficiuntur: imo & illas, quæ efficiuntur in mentibus. Propterea ex Deifico actu, quo vnusquisque pro facultate sua Deiformis euadit, Dei plures efficiuntur. Qua quidem in re videtur, & dicitur Deus ipse vnus discerni quodam modo, atque multiplicari. Est autem nihilominus Deus ipse diuinitatis princeps, & diuinitate qualibet, essentiaque sublimior, Deus vnus, in distributis inde diis, nō distributus; sed vnitus ipse sibi nec permixtus multis: nec in multiplicatis multiplicatus. Id sane cōtemplatiua communia ille noster Paulus ait: *Siquidem sunt qui dicuntur dij, vel in cœlo, vel in terra; vnus tamen nobis est Deus pater, ex quo omnia, & nos ad ipsum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Vnitas ergo diuinæ maiestatis omnes superat vnitates. Propterea à Mercurio Deus monas, siue vnitas appellatur: quippe quæ ita est vna, vt omnia producat, & in omnibus sit, & nihil sit omnium, neque in aliquo illorum concludatur. Sunt autem omnia in Deo, sicut in vnitate, & ex vnitate sunt omnes numeri: & ex centro, & in centro omnes rectæ lineæ ad circumferentiam inde productæ: ex natura vniuersali, & in natura, naturæ omnes particulares. in anima, & ex anima, virtutes omnes partium animalis. Numeri quidem in vnitate, & lineæ in centro non sunt aliud quicquam, quam ipsa vnitas, aut centrum. Differre tamen nobis videntur, quatenus vnitas ad varios numeros, & centrum ad varias lineas, aliter, atque aliter refertur. Similiter rerum ideæ in Deo nihil aliud sunt reipsa, quam ipsa diuina natura: quæ inter se differre dicuntur, quatenus diuina voluntas, atque intelligentia, suam naturam ad huiusmodi res refert diuersimode imitabilem. Naturam vniuersalem Platonici virtutem quandam vitalem, atque viuificam omnibus corporibus insitam arbitrantur: appellantque quoddam animæ mundanæ vestigium. Idem docetur à Dionysio, *Est* inquit *ex ipsa bonitate, atque in eo ipsum simpliciter esse, entiumque principia ipsa atque entia omnia, & quæ quomodolibet passim ipsa essentia continentur. Sunt, inquam ibi hæc absolute, collectimque. & vnite: nempe in vnitate numerus omnis præest vniformiter: habetque vnitas omnem in se numerum singulariter: omnisque numerus vnitus quidem est in vnitate. quatenus vero inde progreditur, eatenus discernitur, atque multiplicatur. In centro similiter omnes circuli lineæ simul coniunctæ consistunt: ipsumque habet in se omnes rectas lineas simul vnitas tam inuicem, quam ad principium vnum, ex quo pariter processerunt. Iam vero in ipso centro penitus sunt coniunctæ: parum vero discedentes inde, parum quoque inter se discernuntur. longius autem inde distantes latius & inuicem distare coguntur: atque simpliciter, quantum centro viciniores sunt, tantum & ipsi. & inuicem sunt coniunctæ: quantum rursus ab ipso discedunt, tantundem discedere inuicem compelluntur. Præterea, in tota vniuersorum natura, omnes particularis naturæ rationes, secundum quandam vnionem non confusam collectæ sunt. In anima quoque vires corporis totius singulatim gubernatoria vniformiter continentur. Non est igitur alienum, si per exiles imagines ad ipsam omnium causam ascendentes, oculis mundo sublimioribus contemplemur omnia in ipsa omnium causa, etiam quæ alioqui inter se contraria sunt, singulariter penitus, & vnite.* Hæc Dionysius: Reuera, in omni anima membrorum sui corporis virtutes latent; illinc enim in corpore fiunt, & seruantur, atque recreantur. Eadem de Dei vnitate præbet documenta Plotinus: *Ad ipsum bonum, inquit, omnia referuntur, ipsum vero ad aliud non refertur: propterea ipsum bonum omnia appetunt.* Oportet igitur ipsum firmiter permanere, & ad seipsum cuncta conuertere: quemadmodum reuoluitur circulus circa centrum, à quo lineæ singulæ producuntur. Exemplo nobis ad id sol esse potest, qui quasi centrum est

Textus expo. *Sine principio nihil.* *De vnitate Dei.* *Monas.* *Vnitas in Deo quid sit.* *Dionysius.* *Vnitatis diuinæ excellentia.* 1. *Cor.* 8. *Quomodo omnia sint in Dei vnitate.* *Natura vniuersalis.* *De diuin. nom. c.* 5. *Vnitas habet omnem numerum.* *Vnitatis exempla.* *Enn.* 1. *lib.* 7. *c.* 1. *Deus se habet vt centrum.*

De vnitate Dei.

ad lumen, quod ab ipso dependet, simulque ad ipsum annectitur: ideoque vna cum illo existit vbique, nec ab illo alicubi separatur: at si separatum volueris in partem alteram, penes solem interea viget lumen. Et alibi: *Feruntur,* inquit, *ad Deum deorum animæ semper: iccirco & dij sunt, quoniam feruntur ad illum; Deus enim est quidquid est illi coniunctum; ipse enim est velut animæ centrum, in quod omnia quasi centra concurrunt.* Hæc autem secundum analogiæ comparationem dicuntur: anima enim non sic est circulus, vt figura; sed in ea, & circa eam est antiqua præcipuaque natura, à qua anima pendet: magis autem, quando est animus separatus. Illam ergo vnitatem natura appetimus, & circa illam versamur semper: atque reuoluimur, & vnimur. Augustinus *Nullum,* inquit, *omnino est corpus, quod non habeat vnitatis diuinæ qualecunque vestigium. Illa vero vnitas, secundum quam corporum vnitatem discernimus, oculis corporeis non cernitur, sed mente. Hanc Dei vnitatem omnium principium, quælibet rei natura præseferre videtur: de vno quippe secundum suam naturam possunt, vel segetes segetum, vel syluæ syluarum, vel greges gregum, vel populi populorum per secula propagari; vt nullum folium sit, vel nullus pilus per tam numerosam successionem, cuius non ratio in illo primo, & vno semine fuerit.* Et alibi *Vnum,* inquit, *est necessarium: vnum elegerat Maria Magdalena: vnum cogitate fratres mei, & videte in ipsa multitudine, si delectat nisi vnum. Ecce (Deo propitio) quam multi estis, quis vos ferret, nisi vnum saperetis? Vnde in multis est quies. Da vnum, & populus est: tolle vnum, & turba est. Quid est turba, nisi multitudo turbata?* Apud Ioan. Dominus ad Patrem de suis ait: *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Et in actibus Apost. *Multitudinis autem credentium erat anima vna, & cor vnum.* Præponitur vnum multis; non enim à multis vnum, sed multa ab vno. Multa sunt quæ facta sunt, vnus qui fecit omnia. Recte ergo dictum est à Mercurio: Monadem, siue vnitatem esse omnium principium, radicem, atque originem.

Enn. 6. lib. 9. cap. 8. — *Anima est circulus.* — *De vera relig. c. 32.* — *Vnitatis pulchritudo.* — *De verb. D. ser. 28.* — *Ioan. 17.* — *Actor. 4.*

MERCVRIVS.

Quidquid vtique genitum imperfectum, diuiduum, crescens, atque decrescens: Ei vero quod perfectum est, horum nihil accidit. Id sane quod augescit, virtute Monadis augetur: Euanescit autem imbecillitate propria: cum vlterius Monadem capere nequeat. Hæc tibi ô Tati pro viribus imago Dei subscripta sit, quam si diligenter consideraueris, oculisque internis prænoueris, crede mihi fili, ascensum ad excelsa comperies. Quin etiam imago ipsa te perducet. Habet enim vim certam visio: eos qui intuendi desiderio flagrant apprehendit, eoque trahit modo, quo lapis, qui Magnes dictus est, ferrum.

Comment. XVII.

Creata sunt imperfecta.

MOnadē esse ingenitā superius ostēdit, causam modo subdit: *Quia,* inquit, *quicquid est genitū,* hoc est creatum: genitū pro creato accepit: *est imperfectum* eo enim ipso q; creatū est, imperfectionem denotat: puta quia non est æternum, & per se subsistens: insuper augmento, & decremento subiaret mundus præsertim iste inferior. *Ei vero,* nempe monadi, quæ est per se perfecta modis, & numeris omnibus, *nihil horum accidere potest*: id enim quod augescit, virtute monadis augetur. inde enim non solum esse accepit; verumetiam augendi virtutem. *Euanescit autem sua propria imbecillitate*: quia omne creatum, cum sit ex nihilo conditum; ratione primæ suæ originis, suapte natura potest deficere, non enim est capax monadis; quia nimirum suarum virium mensuram superat. Epilogat postea: *Hæc tibi,* inquit, *fili, Dei imago subscripta est*: depinxit, quoad potui: quænam Dei sit natura, atque maiestas: & quasi illius imaginem depictam ob oculos tuos posui: *quam si tu diligenter obseruaueris, ac cordis oculis colueris, facile cœlorum sublimia conscendes, ipsaque te incitabit, & illuc perducet imago: ad instar lapidis Magnetis, ferrum trahentis, secum te rapiet, & eleuabit te supra te.* Diuinæ cognitionis ostendit potentiam, qua homines ad Dei contemplationem rapiuntur. Cæterum, Dei cognitio, quæ in raptu habetur, duobus certe modis, ablatione scilicet, & excellentia fieri solet: ablatione quidem, quando dicimus Deum non esse hoc, vel illud: excellentia vero, quando quicquid in creaturis est perfectionis; id in Deo sublimius, nobiliusque haberi diximus. Primus autem modus sine secundo, perfectam non reddit cognitionem. *s. de mystica Theologia*, tale exemplum à Dionysio proponitur: Quemadmodum, inquit, imaginem ex ligno, vel ex lapide formare cupientes, quæ superiecta sunt prius remouent, ac deinceps occultæ manifestant imaginis pulchritudinem; ita plane, dum creata à Deo remouemus, creatoris imaginis apparet maiestas. Hæc tamen cognitio caligine terminatur, alia nempe creatura, prius relicta caligine; natura siquidem humana ex se quædam est caligo: *Et lux,* inquit Ioan. *in tenebris lucet*: quæ diuina luce illustrari dicitur, quatenus intellectus agens, qui est quædam animæ potentia, lux fit, à diuino luce dimissus, ac lucis postmodum gratiæ capax: *Si lumen quod in te est tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt?* In raptu igitur deseritur hæc caligo, & diuinæ ingredimur maiestatis caliginem. Deseritur, inquam, sensitiua, non vegetatiua operatio; huic enim negotio raptus nullum exhibet impedimentum: intellectiua circa ans, & non ens creatum, vel creabile: mens humana, Deo intendit soli, sa, & cæteris relictis. Dum igitur quis Deum contemplari nititur, ei duæ tenebræ occurrunt: vna profecto inferior relictæ creaturæ: altera superior, quam intrat, quæque est actualis ignorantia, propterea quod obiecti diuini nudam apertamque visionem habere non potest. Est autem caligo diuina, comprehensionis diuinæ maiestatis defectus. Rapitur autem mens contemplantis in caliginem, quia nimirum Dei cognitio omnia creata excedit: fit autem huiusmodi mentis excessus in Deum per amorem, teste Dionysio *Diuinus amor,* inquit, *excessum efficit, dum amantes sui iuris esse non sinit; sed amatorum iubet existere.* Idque declarant omnia, nempe superiora inferiorum prouidentiæ sese dedunt: æqualia vero conseruationi mutuæ mancipare se solent: inferiora denique diuinæ cuidam ad supprema conuersioni seipsa deuouent. Quapropter & Paulus ille magnus diuino amore iam occupatus, traductoriaque amoris huius virtute comprehensus, ore diuinitus afflato, proclamat: *Viuo iam non ego, viuit autem in me Christus.* Tanquam verus amator, atque in Deo, vt inquit, extra se positus: viuensque iam vitam non suam, sed amatoriam. Sane, huiusmodi amor in bono pulchroque consistens, diligit omnia, non aliunde pendens; sed boni pulchrique sui propagandi, & communicandi gratia, bonum mouet, pulchrum vnit; est enim ipsa vnitas: *Est,* inquit Dionysius in eodem capite, *huiusmodi amor, virtus quædam viuifica, & connectens, mirificeque commiscens in ipso quidem pulchro bonoque, propter pulchrum, bonumque primo consistens: deinde vero ex pulchro, bonoque, propter pulchrum, atque bonum foras emicans.* Vbi sane, quæ sunt eiusdem ordinis, alterna continet communione: priora vero ad inferiorum prouidentiam mouet: inferiora denique conuersione quadam superioribus alligat. Scribit & diuinus Ignatius: *Meus amor crucifixus est.* Deo autem tribuitur amor, tum actiue, qui ab eo in nos diffunditur, tum etiam passiue, nam & amor suus ab [illegible]gratio vocatus est. Amor Deum impulit; vt suæ quodam modo infinitatis terminos exiret, & creaturas condendo, & easdem diligendo finitas infinito amore. Contra, creatura supra se extenditur; dum infinitum obiectum, finito prosequitur amore. Mirabilis extasis amoris: Est autem extasis, deserto exteriori homine, suipsius supra se voluptuosa quædam eleuatio, ad superintellectualem fontem diuini amoris; à quo potu diuinæ dulcedinis hausto, suipsius, & exteriorum oblitus, intrat in potentias Domini, velut, si stilla in mare proiecta fuerit, aut in magnæ fornacis incendium. Est autem duplex extasis, vna quidem ad intellectum, altera vero ad affectum pertinens. Cum enim animus contemplantis sensibus spiritualibus suspensus, synderesim in sperula extendit; apex intelligentiæ, & principalis affectio pariter feruntur, in diuina se mutuo promouentes, ac æqualiter ascendentes, illa speculando, hæc autem desiderando. Præcurrente autem intelligentia, nec ingredi valente, foris remanet, speculum videndo. Affectio autem speculi ignara, libere ingreditur, daturque illi aditus interandi. Ingressa vero mox Deo coniungitur: fitque vnus Spiritus cum eo. Ingresso autem postea intellectu, à Deifica veritate, atque bonitate hilariter excipitur. Sic autem affectus feruorem, intellectus splendorem, nectar, & Ambrosiam assequuti, in nouam quodammodo transeunt naturam, imo in diuinæ maiesta-

De Magnete amoris Dei. — *Raptus mentis in Deum.* — *Natura humana est Caligo.* — *Matth. 6.* — *Duæ tenebræ.* — *4. de diuin. nom.* — *Raptus fit amore.* — *Viuo iam non ego.* — *Amor est pulchri, & boni.* — *Ignatius.* — *Extasis.* — *Duplex extasis.* — *Affectio præcedit.*

De Magnete amoris Dei.

maiestatis abyssum absorbuntur. *Hæc*, inquit Mercurius, *visio certam vim habet*: id est, cum Deus hoc modo extatico videtur, vim certam, & non incertam habet, vt amantem trahat ad amatum. *Apprehendit eos, qui intuendi flagrant desiderio*, id est, veros Dei amatores: *eo quemodo trahit, quo lapis Magnes, trahit ferrum.* Plinius lib. 36. cap. 16. miratur huius lapidis virtutem: Quid, inquit, lapidis rigore pigrius? Quid ferri duritia pugnatius? sed cedit & patitur mores: trahitur namque à Magnete lapide, domitrixque illa rerum omnium materia, ad inane nescio quid currit: atque vt propria venit, assistit, teneturque, & complexu hæret. Auer. Ferrum non mouetur à Magnete, ait, nisi per alterationem, quam acquirit mediante aere. Et ideo quando complexio Magnetis transmutatur, non attrahit: sicut accidit ei, quando confricatur cum alliis. Et hoc manifestum est in lapide Succino, qui non attrahit paleas donec calefiat. Et 7. *phys. com* 10. Attractio dicitur æquiuoce, inquit Attractio enim in rei veritate est illa, in qua attrahens mouetur cum attracto: & hoc quando attractum ad ipsum non fuerit quiescens. Attractio autem, in qua attrahens fuerit quiescens, & attractum motum, non est attractio in rei veritate. sed attractum mouetur ex se ad attrahens, vt perficiat se: sicut est de motu ferri ad Magnetem, & nutrimenti ad membra. Mouetur autem quando est in debita dispositione: ideoque confricatus cum allio, illam amittit qualitatem trahendi. Mouetur autem ad Magnetem ferrum motu alterationis; vt perficiatur ab illo: per accidens autem mouetur motu locali; quatenus illa alteratio, finem non consequitur, nisi magnes ferrum tetigerit: ideoque per accidens mouetur localiter. Quod si *dixeris* ab Auerroe motum ferri ad Magnetem, motui lapidis deorsum comparari, & igni sursum: igitur, vt illi sunt locales per se, ita & iste. *Ad hoc* respondet Auer. qui ait, motum ferri esse per se alteratiuum, per accidens vero localem: motum vero leuium sursum, aut grauium deorsum, per se esse localem. Et hæc dicta sint de motu Magnetis secundum Physicos. Augustinus de ciuitate Dei *Magnetem lapidem nouimus*, inquit, *mirabilem ferri esse raptorem: quod cum primum vidi, vehementer inhorrui. quippe cernebam à lapide ferreum annulum trahi, deinde tanquam ferro quod rapuerat, vim dedisse suam, communemque fecisse. Idem annulus admotus est alteri, eumque suspendit, atque vt ille prior lapidi, sic alter annulus priori annulo cohærebat. Accessit eodem modo tertius & quartus. Iamque sibi per mutua connexu circulis non implicatorum intrinsecus, sed extrinsecus adhærentium, quasi catena pependerat annulorum. Audiui à fratre, & coepiscopo meo Seuero Mileuitano, qui narrauit mihi, cum pranderet apud Bathanum quendam comitem Aphricæ, eundem Magnetem protulisse, & tenuisse sub argento, ferrumque super argentum posuisse: deinde sicut subter mouebat Magnetem; ita ferrum desuper mouebatur, argento medio nihil patiente.* Est igitur nobis à natura Dei videndi, veritatisque primæ cognoscendæ insitum desiderium. Id etiam clarissime constat ex naturæ operibus, quæ corporibus grauibus appetitionem dedit, qua loca cuperent inferiora, adhibuitque illis motiuam qualitatem, qua ad loca facilius peruenirent optata. Et brutis cibi, ac generationis appetitum, addidit membra ad huiusmodi finem conuenientia. Quam ob rem Boetius *Est*, inquit, *mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas. nam si omnes homines natura scire desiderant: multo ergo maiore ducuntur appetitu primæ veritatis cognoscendæ.* hoc autem desiderium licet naturæ insit secundum omnem statum; pro statu tamen præsentis vitæ, sensuum vtitur adminiculo; vt aliquod saltem veritatis simulacrum inuenire valeat. Quam ob causam, si quispiam in viuis existens, ad diuinæ spectaculum veritatis peruenerit; violenta quodam modo illa dici potest eleuatio: non quidem ratione termini; sed modi in terminum tendendi: ideoque à diuinis literis, raptus, siue mentis excessus appellatur: Psalm. 67. *Ibi Beniamin in mentis excessu.* Et 2. Cor. 12. *Scio huiusmodi hominem raptum vsque ad tertium cælum.* Et Psalm. 115. *Ego dixi, in extasi mea, omnis homo mendax.* Ex hoc, sic etiam raptus describi potest, quod sit ab eo, quod est secundum naturam, in id, quod est supra naturam, in vi superioris naturæ violenta eleuatio, id est, tractio ad sublimia facta cum violentia. violentum vero est, cuius principium est foris: in quo nihil is, qui agit, aut patitur, coadiuuat. Sane, teste Dionysio *de Angelica hierarchia cap.* 1. Aliter fas non est infirmitati nostræ lucere diuinum illum radium, nisi sacrorum varietate velaminum, quibus ad superiora rapimur, opertum. & his quæ nobis familiaria sunt, prouidentia paterna naturæ mortalium sese accommodante, vestitum. Abstractio, inquam, dicitur, nõ prorsus ab omni sensu, sed ab his tantum, qui mentis intentionem impediunt: Quantum enim vna potentia in suo intenditur actu; tantum alia in suo actu debilitatur. Potest ergo fieri, imo contigit aliquibus, vt huiusmodi raptum paterentur, vita præsenti nondum defunctis. Id etiam confirmat Gregorius *A quibusdam*, inquit, *potest in hac corruptibili carne viuentibus, sed tamen inæstimabili virtute crescentibus, quodam contemplationis acumine, æterna claritas videri* sed claritas Dei est eius essentia: vt ergo Dei essentia videatur, non est necesse, vt anima penitus à corpore separetur. Augustinus ad Paulinam, *Potest*, inquit, *mouere, quomodo iam ipsa Dei substantia videri potuerit à quibusdam in hac vita posita: propter illud quod dicitur* Exodi 33. *Non videbit me homo, & viuet: nisi quia potest humana mens diuinitus rapi ex hac vita ad angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne soluatur: sic enim raptus est, qui audiuit illic arcana verba: vbi vsque adeo facta est ab huius vitæ sensibus quædam intentionis auersio; vt siue in corpore, siue extra corpus fuerit: id est, sicut solet in vehementiori extasi mens ab hac vita, in illam vitam alienari, manente corporis vinculo, an omnino resoluto facta fuerit, qualis in plena morte contingit, nesciret se dicit, ita fit, vt & illud verum sit, quod dictum est. Nemo potest faciem meam videre, & viuere; quia necesse est abstrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilem visionem assumitur, & non sit incredibile quibusdam sanctis nondum vita defunctis; vt sepelienda cadauera remanerent, etiam istam excellentiam visionis, seu reuelationis concessam fuisse.* Et 12. super Genesim. *In illa specie, qua Deus est, nemo Deum videns, viuit vitam istam, qua mortaliter viuitur in istis sensibus corporeis; sed ab hac vita quodammodo moriatur: siue omnino exiens de corpore, siue ita auersus & alienatus à corpore; vt merito nesciat verum in corpore, an extra corpus sit.* Gregorius addit rationem. *Quando*, inquit, *aliquis sapientiam, qua DEVS est, videt; huic vitæ funditus moritur ac iam eius amore tenetur: nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter viuit; quia nemo potest Deum amplecti, & seculum* Tali puritate pollebat S. Pauli mens, quando vidit arcana verba. Visio ergo illa extatica certam habet virtutem trahendi amantem ad amatum: à Deo enim descendens, in animas hominum se diffundit, illasque secum rapiens, Deo connectit, atque coniungit. Id à Dionysio præclarissime describitur. Vocatur, inquit, amor, propter quandam suipsius per seipsum expressionem, motumque amatorium simplicem se mouentem, per se operantem, præcedentem quidem in ipso bono, rursumque ad bonum se reflectentem. In quo sane munus suum fine, principioque carens præcipue diuinus amor ostendit: tanquam circulus aliquis sempiternus propter ipsum bonum, ex bono, in bono, ad bonum reuolutione quadam nequaquam errante se glomerans. Et in eodem, atque secundum idem progrediens semper, & manens, & denique restitutus. Audendum quoque id insuper pro veritate loqui: ipsum etiam omnium authorem pulchro, bonoque amore omnium propter bonitatis amatoriæ vehementiam extra se prodire. dum prouidet omnibus atque bonitate, dilectione, & amore quasi mulcetur: atque ex illo statu, quo super omnia extat ab omnibus segregatus, ad id profecto, vt in omnibus sit, deducitur: per supersubstantialem videlicet virtutem illam, quæ traducit quidem ipsum, interim à seipso nunquam digredientem. Quamobrem diuinarum rerum periti, zelotem illum appellarunt; vt amore benigno erga omnia prorsus exuberantem, excitantemque ad amatorij desiderij sui zelum, desideriumque ipsum declarantem, zelo dignum: quo etiam quæ desiderabilia ipsi sunt, promerentur & zelum: atque ipse ad illa, quæ prouidet, zelo quodam videtur affectus. Omnis igitur amor, siue diuinus, siue Angelicus, siue intellectualis, siue animalis, siue naturalis, vis quædam est viuifica, atque commiscens, trahensque amantem ad amatum. Hunc nobis det S. Pymander; vt nos ferrei trahamur à magnete verbo suo, à quo dictum est. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.

Marginal notes: *Tex. expo. Magnes. Plinius.* — *Auer. 8. phys. cap. 35.* — *Non est vera attractio Magnetis.* — *Motus ille est alterationis.* — *lib. 21. cap. 4.* — *Desiderii Dei cognoscendi.* — *3. de consol. prosa. 2.* — *Quare dicitur raptus.* — *Violenta eleuatio.* — *lib. 18. moral c. 37.* — *Epist. 112. c. 12.* — *Diuina substantia quomodo potuerit videri in hac vita.* — *lib. 18. moral. c. 35.* — *4. de diuin. nom.* — *Amor est circulus.* — *Deus zelotes.*

Deum cognosci per creata.

Deum cognosci per creata.

DIALOGVS QVINTVS.

MERCVRIVS.

Nunc præterea sermonem apud te transigam ô Tati, ne præcipuum Dei nomen tibi desit, neue ignores id, quod plurimis occultum videtur, esse perspicuum. Nam si nusquam pateat, nihil vtique erit: Quodcunque se offert aspectui, genitum: quod vero latet, sempiternum. Neque enim opus est vt appareat, quandoquidem esse nunquam desinit.

Commentum I.

Tex. expo. DEi præsentiam, ex creaturarum ordine, ex visibilium rerum magnitudine, ex pulchritudine diuinorum operum facile omnibus notam esse, diligenti eruditionis studio, suum Tatium in hoc quinto Dialogo sapientissimus Mercurius instruere videtur. Fuit autem huiusmodi docendi modus quasi perpetuus cum apud Philosophos, humanæ sapientiæ duces; tum etiam apud diuinos Theologos, sanctarumque quoque oracula scripturarum: vt quoniam Dei præsentia aspectui non patet humano, ex conditarum magnificentia rerum, Dei sapientis cognosceretur artificis. *Rom. 1.* *Inuisibilia Dei*, inquit Paulus à creatura mundi, *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna* quoque eius virtus, & diuinitas. *Interroga*, inquit Augustinus, *Serm. 15. de verb. Domini.* *mundi ornatum, cœli fulgorem, dispositionemque syderum, solem diei sufficientem, lunam noctis solatium: interroga terram fructificantem herbis, & lignis, animalibus plenam hominibus exornatam* *Ex creaturis cognoscitur creator.* *interroga mare quantis, & qualibus natatilibus plenum: interroga aera quantis volatilibus vigent: interroga omnia, & vide si non sensu tuo tanquam tibi respondent: Deus nos fecit. Hæc & Philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte artificem cognouerunt.* Itaque pulchritudo creaturarum, confessio earum est: ista pulchra mutabilia fecit, qui est incommutabilis pulcher in seipso. *Sup. epist. ad Rom.* Ambrosius in Commentario, *Ex ipsa*, inquit, *cœli fabrica, tantum illi Deus videtur. Idcirco enim tam pulchra astra condidit; vt ex iis quantus, & quam admirabilis creator eorum est, possit agnosci, & solus adorari. vnde scriptum est in libro sapientiæ: a magnitudine creaturæ, creator earum poterat agnosci. Quod notum est Dei*, ait Paulus, *manifestum est illis*: notitia Dei manifesta est ex mundi fabrica. vt enim Deus qui natura inuisibilis est, etiam visibilibus possit sciri; opus factum est ab eo, quod opificem visibilitate sua manifestaret, vt per certum incertum possit sciri: vt per hoc quod cæteris impossibile est, ille esse Deus omnium crederetur, qui hoc opus facit. *Naturalis lex facit nos.* Per naturalem ergo legem, reum facit genus humanum potuerunt enim id per legem naturæ apprehendere, fabrica mundi testificante, authorem Deum solum diligendum, *Chrysost.* Chrysost. in hunc locum Pauli: *Cognitionem sui Deus*, inquit *hominibus ab initio indidit, mundi creatione in medium preposita. vt possit sapiens, rudis, Scytha, barbarus, ex ipso aspectu eorum quæ oculis subiecta sunt, pulchritudinem edoctus, ad Deum conscendere.* *Origines.* Origines in suo Commentario: *Virtus Dei sempiterna, ex coniecturis cognoscitur creaturarum: virtus est quæ regit omnia: diuinitas quæ replet vniuersa. Ex hoc ergo inexcusabiles fiunt. quia cum manifestante Deo cognouerunt Deum; non vt dignum est, coluerunt Deum.* *Basilius.* Basilius de vera fide: *Dei cognitio, ait, quæ in hac vita habetur, tanquam per speculum obscure significatur*, dicente Apostolo *1. Cor. 13.* *Videmus nunc per speculum in ænigmate: proinde quæ in hac vita videtur à nobis in cognitione haberi perfectio; ea si cum scientia illa fit collata, quæ in consequenti seculare uelanda idonea est; exiguum nescio quid est, & adeo obscurum, vt ab ea claritate quæ in futura vita expectatur, longum absit. quam abest ab eo, facie ad faciem* Cyrillus, *Dial. de Trin. lib. 4.* *A magnitudine*, inquit, *& pulchritudine creaturarum, congruenter & ipsarum conditor spectatur.* Et lib. 2. contra Iulianum, idem affirmat. *Dionysius.* Dionysius *cap. 5. de diuinis nominibus*: Deus ex entium formatione cognoscitur: *Ipse*, inquit, *est omnium entium principium & finis: principium quidem tanquam auctor; finis autem, vt cuius gratia facta sunt, omniumque terminus. Præsens quidem omnibus vbique per vnum, atque idem: per idem, inquam, omne, & ad omnia prodiens; interea permanens in seipso, & consistens, atque seipsum mouens. Rursus neque stans, neque motus, neque principium habens, neque medium, neque finem, neque est in aliquo existentium.* Fatetur omnia esse à Deo, ipsum vero nihil illorum; ex creaturarum tamen pulchritudine posse cognosci. *Plato.* Plato 10. de legibus: multis rationibus probat Dei præsentiam vbique patere, quas lib. 1. adduximus. Ordo siquidem à ratione procedit: sed vniuersi dispositio ordinatissima est, semper & vbique talis: *Vnus Deus.* quapropter necesse est, mundum ab optima ratione gubernari, disponi, atque moueri. Verum cum vnum sit vniuersum, vnum vero ex diuersis non fiat, nisi ab vno; consequens est vnam esse summam eiusmodi rationem. Et in lib. de ente: animalia cuncta, plantæ & simul omnia à Deo facta sunt: non à causa quadam fortuita; & velle aliud dicere superuacua disputatio est. Plotinus lib. 9. *Æn. 6. c. 5.* *Ad ipsum vnum omnium principium, ex multitudine collecta ascendimus*, ait; oportet enim esse aliquid mente superius, quod quidem esse vult vnum; neque tamen est vnum, sed saltem est aliquid vniforme quoniam intellectus non est in seipso dispersus. Supra intellectum est ipsum verum vnum, fons omnium optimorum, ac potestas entia generans, permanens in seipsa: oportet autem summum rerum principium nullo modo indigum esse, sed sufficientissimum omnium, maximeque seipso contentum. *Vnum supremum.* Quicquid non vnum est, sed multum, necessario est egenum: quippe cum ipsum quidem non sit vnum, sed ex multis vnum euadat. Itaque eius essentia indiget vnum fieri: at ipsum vnum seipso non indiget: ipsum namque iam existit. Si ergo necessarium est, aliquid esse sufficientissimum; esse oportet & vnum, tale videlicet solum existens; vt neque ad seipsum, neque ad aliud quicquam sit egenum. Non enim quærit aliqnid, vt quando-[illegible], neque rursus, vt bene sit; cum aliis ipsum sit tum essendi, tum bene essendi causa. Quapropter huic bene esse non accidit; ipsum namque existit hoc ipsum. Itaque tum ex creaturarum pulchritudine, ordine, atque vnione, tum etiam ex ratione status, atque eminentiæ, Dei creatoris cognitio potest haberi. tanta siquidem creaturarum multitudo non nisi ab vno gubernari potest. propterea dictum est à Philosopho entium pulchritudinem vnum appetere *12. met.* principem. In motibus præterea, & his, quæ mouentur, ad vnum necesse est deuenire, quod sit omnino immobile: & omnis motus principium, medium, & finis. In intelligendi ratione, & rerum eminentia, vnum sit necesse est, quod est supra omnem intellectum, quodque in seipso contineat omnium eminentiam rerum; idque ineffabili, & nobis plane incognito modo. Recte ergo dictum est à Mercurio, Dei præsentiam omnibus, ex conditarum rerum opere mirabili, esse manifestam. *Text. expo.* *Nunc*, inquit, *præterea ô Tati sermonem apud te transigam: ne præcipuum nomen Dei tibi desit*: Et est sensus: Multa hactenus tecum Philosophando, diuina nomina patefeci. Reliquum est, vt præcipuum Dei nomen tibi manifestem, ne hoc tibi deesse queraris: quod autem illud sit, post pauca ostendit, quasi intima cordia aperiens secreta. *Quod si me quiddam*, inquit, *audacius proferre coegeris, huius essentiam esse dicam, concipere, ac facere singula.* *Præcipuũ nomẽ Dei.* Nolo te hoc ignorare ô Tati, ne cum aliis aberres, qui id quod perspicuum est & maxime manifestum; occultum, & valde obscurum esse arbitrantur. Verum quidem est, ipsam Dei essentiam non solum à nobis; sed nec etiam à quolibet intellectu creato posse comprehendi: ipsam vero esse æternam, infinitam, optimam, omnium rerum creatricem, atque conseruatricem, nemini fas est ignorare, quantumuis agresti & rudi ingenio prædito. Sic enim Deus mortalibus indulsit cognitionem sui, vt illum omnium creatorem esse natura docente, quilibet hominum, nisi natura fuerit abusus, commodissime scire queat. *Nam si nusquam pateat, nihil vtique erit.* *Tex. expo.* Sensus est, si nullum suæ maiestatis, virtutisque inditium Deus in rebus posuisset; posset vtique cum illo insipiente corde dicere. *Non est Deus.* At postquam tam præclara de se dedit insignia virtutis; nullus profecto relictus

Doctrina super-naturalis.

ctus est ambigendi locus, quin ipse sit omnium principium, medium, atque finis. *Quodcunque se offert aspectui, genitum est: quod vero latet, sempiternum.* Quasi diceret, quæ visui subiecta sunt, aut quæ aspectui patent humano; conditionis seu creationis habent principium: illa vero, quæ suapte natura latent, æterna cuiusmodi est diuina natura, quæ à sola naturali videri non potest virtute creaturæ cuiusque.

Natura diuina inuisibilis.
1. Tim. 6.
1. de Trin. c. 6.

Quam ob causam dictum est ab Apostolo Deum inhabitare lucem inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest. *Videri*, inquit Augustin. *Trinitas humano visu non potest; sed eo visu videtur, quo iam qui vident, non homines, sed vltra homines sunt. Sed quomodo lucem habitat inaccessibilem: si Psalm. dicit.*

Psal. 33.

Accedite ad eum, & illuminamini? *Qua vtique soluitur quæstio, vt inaccessibilis sit visibus nostris; accedatur autem ad eum muneribus suis.* hæc Augustinus. Ex quibus intelligimus quomodo Deus sit inuisibilis: sicut & paulo ante demonstraui.

Dionysius.

Hanc ob causam Dei cognitionem caliginem appellat Dionysius *in mystica Theologia cap. 1.* Replet enim Deus mentes suo lumine, quando seipsas illi quasi iam cœcas atque silentes exposuerunt; sic enim vere de Deo loquitur animus, quando non loquitur. *Trinitas*, inquit Dionysius, *essentia, deitate, bonitate superior, diuina Christianorum sapientiæ dux, dirige nos in ipsum superignotum, & præfulgens, excelsumque mysticorum eloquiorum culmen, vbi simplicia & absoluta immutabiliaque Theologiæ mysteria latent, adoperta quadam silentij clam sacra docentis caligine: quæ quidem vbi maxime videtur obscura; ibi supra modum lucem profert exuberantem.*

Cognitio per caliginem.

Bene ergo dixit Mercurius, quod latet, esse sempiternum; quia nimirum sempiterna diuinitas omnem creatum latet intellectum, & non nisi diuinis muneribus ab eodem intelligi potest: idque non sine caligine: propterea quod diuinæ maiestatis abyssum penetrare non potest. Sequitur Text. *Neque enim opus est vt appareat, quandoquidem esse nunquam desinit.*

Text. expo.

Sensus est. Quod aliquid de nouo appareat, in causa est, quia ibi antea non erat. sed Deus est vbique, vt dixi superius omnia replens; quomodo ergo apparere dicendus est, nisi per aliquod rei signum, quod prius non ostenderat: non autem quod eius diuina natura locum aliquem nouum accedat, vbi prius non erat?

Apparitio Dei.

Præterea, præsentiam ipsius essentiæ, nullius potest ferre, aut capere inspectus: quippe qui ad tanti luminis fulgorem se habeat, sicut oculus noctuæ ad lumen solis. Insuper, ex creaturarum magnitudine, sufficienter cognoscitur creator: sicut ex artificioso rei alicuius simulacro sapientis peritia artificis ex quieto, ac pacifico regni regimine, prudentia regentis: neque enim opificium mundi tam recto ordine gubernaretur, sine virtute Dei gubernantis. Vbique ergo patet Dei præsentia: propterea dictum à Mercurio, nunquam ac nullibi deesse.

QVÆSTIONIS PRIMAE

CAP. I.

Doctrina aliqua supernaturaliter homini in hac vita commoranti inspirata est, qua suum finem cognouit.

Doctrina supernaturalis necessaria viatori.

EX magno Mercurio, exterisque sapientiæ cultoribus Dei præsentiam nunquam deesse, sed omnia implere, omnibusque notam esse per creaturarum pulchritudinem, ordinemque sapientissimum, satis manifestum esse reor. Verum ne quis putet, ex puris naturalibus suum finem hominem attingere posse, doctrinam aliquam supernaturaliter, cœlitusque homini in hac vita degenti à summo omnium parente, & opifice inspiratam esse profitemur, qua suum verum, & vltimum finem cognouit.

2. Tim. 3.

Omnis, inquit Paulus, *scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum in iustitia; vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Scriptura*, ait Chrysostomus, *diuinitus inspirata est: nihil ergo dubites; vtilis enim est ad docendum: si quid vel discere, vel ignorare opus sit; illic addiscimus: si arguere falsitatem; inde hauriemus: si corripi, si castigari, ex ea nihilominus discimus, vt perfectus sit homo Dei. non ergo sine illa perfici potest.*

Chrysost.

Ad hunc finem propheta Baruch loquens de sapientia Dei ait: *Non est, qui possit scire vias eius: sed qui scit vniuersa, nouit eam: & tradidit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto*, hominibus vtique veteris testamenti.

Baruch. 3.

Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, hoc est, noui testamenti hominibus communicauit. Sapientia ergo, quæ est Dei cognitio, à solo sapiente Deo datur hominibus.

Doctrina supernaturalis.

Adhæc accedit authoritas Augustini *Quicquid Philosophi*, inquit, *quidam inter falsa, quæ opinati sunt, verum videre potuerunt, & laboriosis disputationibus persuadere moliti sunt; quadmundum istum fecerit Deus, eumque ipse prouidentissimus administraret, de honestate virtutum, de amore patriæ, de fide amicitiæ, de bonis operibus, atque omnibus ad mores probos pertinentibus rebus, quamuis nescientes ad quem finem, & quonam modo ista omnia referenda.*

18. ciuit. c. 41.

Philosophos verum finem non cognouisse, Augustinus affirmat.

Philosophos ignorasse verum finem.

Idem, clarius copiosiusque demonstrat *lib. 11. cap. 2. Loquitur Deus ad homines*, inquit, *ipsa veritate: Si quis sit idoneus ad audiendum mente non corpore; ad illud enim hominis ita loquitur, quod in homine cæteris, quibus homo constat, est melius: & quo ipso Deus solus est melior. Cum enim homo rectissime intelligatur, vel si hoc non potest, saltem credatur factus ad imaginem Dei; profecto ea sui parte est propinquior superiori Deo, qua superat inferiores partes suas, quas etiam cum pecoribus communes habet. sed quia ipsa mens, cui ratio & intelligentia naturaliter inest, vitijs quibusdam tenebrosis, & veteribus inualida est, non ad inhærendum in fruendo, verum etiam ad perferendum incommutabile lumen, donec de die in diem renouata, atque sanata fiat tantæ felicitatis capax, fide primum fuerat imbuenda, atque purganda. In qua, vt fidentius ambularet ad veritatem; ipsa veritas Dei filius, homine assumpto, non tamen Deo consumpto, eandem constituit, ac fundauit fidem: vt ad Deum iter esset homini per hominem Deum; hic est enim mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Per id quod est mediator; est homo, & via perueniendi ad Deum per hoc enim mediator, per quod & homo, per hoc & via. quia inter eum qui tendit, & illud, quo tendit, via media est, spes est perueniendi. si autem detur, aut ignoretur, qua eundum sit, quid prodest nosse quo eundum sit? Sola est autem aduersus omnes errores via munitissima, vt idem ipse sit Deus, & homo: quo itur Deus: qua itur homo.*

Loquitur Deus ad mentem hominis.

Christus est via quo itur, & qua itur.

Hæc Augustinus, ex quibus clarissime patet, absque Christo, verum hominis finem sciri, haberique non posse. Post huiusmodi authoritates, operæ pretium erit scire, quomodo hæc doctrina cœlitus inspirata supernaturalis sit dicenda.

Doctrina inspirata quomodo supernaturalis.

Inprimisque non ignorare oportet, ipsam potentiam receptiuam ad diuersa posse comparari, siue referri, nempe ad formam, ad actum, quem recipit, ad agens vnde & formam, & actum recipit. Si ad actum comparetur, aut naturalis est, aut violenta, aut saltem neutra. Naturalis autem dicitur, si naturaliter inclinetur: violenta vero, si sit contra inclinationem naturalem neutra si indifferenter se habeat ad opposita. Porro, in hoc modo comparandi, nulla est, vt ita dicam, supernaturalitas. At si comparetur ad agens, a quo recipit formam, sic absque dubio, illa supernaturalitas inueniri potest. Nam si agens non habeat aptitudinem naturalem huiusmodi formam passo, seu potentiæ naturali receptiuæ imprimendi; illa profecto forma supernaturalis diceretur. Cum igitur hæc ita se habeant, si intellectus possibilis ad notitiam actualem in se sit comparandus; haud dubium nullam ibi supernaturalem cognitionem fore. intellectus enim possibilis quacunque cognitione naturaliter perficitur, & ad qualemcunque huiusmodi inclinatur.

Intellectus possibilis quomodo habeat cognitionem supernaturalem.

At si ad agens sit conferendus, quod non est natum intellectum in hac vita, ad talem cognitionem naturaliter mouere: mouetur autem, vt dicit Philosoph. ab intellectu agente, & phantasmate; tunc sine dubio, cognitio sibi impartita supernaturalis est dicenda. Secus autem res se habet, si ab agente naturali ad huiusmodi cognitionem naturaliter moueatur. Itaque, sola illa cognitio naturalis est appellanda, quæ ab agente passo imprimitur, à quo ad habendam talem cognitionem naturaliter mouetur.

Cognitio naturalis.

Porro, virtute huius agentis, omnis cognitio incomplexa habetur, quæ secundum legem communem à viatore haberi potest. Quod si Deus specialem alicui, per reuelationem raptus, alicuius complexi cognitionem dederit; id certe non est trahendum ad communem legem naturæ.

Veritas complexorum.

De veritate autem complexorum aliter res se habet; tota enim posita intellectus agentis, & phantasmatum actione, multæ adhuc complexiones seu veritates complexæ, & ignotæ nobis remanebunt, & neutræ: quarum cognitio est nobis necessaria. Notitia igitur supernaturaliter nobis tradenda erat; quam naturaliter habere potuit nemo, nec eam alijs docendo tradere: nam sicut vni, ita etiam & cuilibet ex naturalibus erant neutræ. Itaque, prima huius doctrinæ traditio, reuelatio appellatur, eaque supernaturalis ideo dicitur, quod scilicet ab agente procedat, à quo pro statu præsentis vitæ noster nequaquam naturaliter mouetur intellectus. Potest etiam supernaturalis appellari, eo quod ab

Reuelatio doctrina.

Doctrina supernaturalis. agente sit, quod supernaturalis vice fungatur obiecti. Etenim obiectum natum causare doctrinam huius propositionis, Deus est trinus & vnus, aut similium; est profecto diuina essentia sub propria ratione cognita: quippe quæ sub tali ratione cognoscibilis, obiectum fit nobis supernaturale. *Supernaturalis duobus modis dicitur.* Quodcunque igitur agens, aliquarum notitiam veritatum causans, quæ per tale obiectum sic cognitum natæ sunt fieri euidentes; illud vtique vicem illius obiecti supplere dicitur. Quod si ipsum agens huiusmodi veritatum perfectam causaret notitiam, qualem vtique causaret obiectum in se cognitum; tunc sane obiecti vice imperfecte fungi diceretur, pro eo quod imperfecta notitia, quam facit, in illa perfecta virtualiter contineretur cuius obiectum in se cognitum causa esset. *Notitia obscura & clara.* Itaque, huius propositionis Deus est vnus & trinus, reuelator siue reuelans, aliqualem in intellectu huius veritatis notitiam producit, obscuram tamen, propterea quod de obiecto illam nequaquam sub propria ratione cognito producit: obiectum enim sub propria ratione cognitum, illius veritatis claram causaret notitiam. Quatenus igitur hæc obscura notitia, in illa clara includitur eminenter sicut imperfectum in perfecto; eatenus reuelans causansque hanc obscuram, claræ notitiæ obiecti fungitur vice: non enim alicuius posset notitiam veritatis causare, nisi, vt dixi, locum teneret alicuius obiecti. Nec etiam huiusmodi veritatum de illo obiecto notitiam causare posset, quatenus locum teneret obiecti alicuius inferioris, nostrum intellectum naturaliter mouentis. *Duo modi reuelandi.* Verum, quia nullum tale, aliquam istarum veritatum notitiam virtualiter includit, nec etiam obscuram; proinde necesse est, vt in huiusmodi notitia causanda, supernaturalis obiecti vice fungatur. Differunt autem hi duo modi ab inuicem: Nam si agens causans notitiam obiecti naturalis supernaturale extiterit, puta si ab hoc agente supernaturali, alicui ars Geometriæ infunderetur; illa profecto primo, & non secundo modo supernaturalis posset appellari: *Agens duplex.* at si ab eodem, huius doctrina infunderetur, quod Deus sit trinus, & vnus, vel alicuius similis; vtroque modo supernaturalis vocaretur: tum quia ab agente haberetur supernaturali, & non nisi à tali posset haberi: tum quia tale agens vicem suppleret agentis supernaturalis, nempe diuinæ essentiæ sub propria ratione cognitæ, talem notitiam virtualiter continentis. Nam si essentia diuina sub ratione obiecti præsens esset intellectui, claram de seipsa afferret notitiam, longe eminentius quam modo nos eam habemus reuelatam. Secundus ergo modus infert primum, non autem è conuerso; primus enim, puta Geometria, posset naturaliter haberi. *Rationes, quod doctrina supernaturalis sit necessaria.* His ita elucidatis, rationes huius rei in medium afferre decreui, vt quam clara quamque Catholica sit huiusmodi sententia, omnibus palam fiat. Inprimis ergo hæc ratio afferatur: Omni agenti per cognitionem, sui finis necessaria est distincta cognitio; omne enim agens ex appetitu finis, agit propter finem: & omne agens per se, agit propter finem: Omne ergo agens per se, pro suo modo appetit finem. Quare sicut agenti naturali, est appetitus finis necessarius, propter quem agere debet; ita plane & agenti per cognitionem, quod etiam est
1. per se agens, vt dicitur 2. phys. cap. de forma, est sui finis appetitus necessarius, propter quem agere debet, quique cognitionem sequitur. Et hæc quidem maior patet satis. Sed ex puris naturalibus, suus finis distincte ab homine cognosci non potest, sicut patet ex Philosopho, qui in constituenda hominis felicitate, dubius videtur & incertus: necessaria est ergo homini cognitio supernaturalis pro cognitione sui finis. *Opinio philosophi de felicitate.* Primo namque & decimo ethicorum, in separatarum cognitione substantiarum perfectam felicitatem posuisse videtur. Sed 1. eth. dubitare cognoscitur: Siquidem, inquit, & aliud aliquod deorum est donum &c. Si quis igitur soli rationi naturali initi voluerit, aut in particulari errabit circa finem, aut dubius remanebit. Amplius, Nullus proprius substantiæ finis, nisi ex actibus nobis manifestis, potest à nobis cognosci, ex quibus profecto actibus, talem finem, tali congruere naturæ nobis persuadetur. sed nullos actus experimur, nec etiam cognoscimus,
2. naturæ inesse humanæ, pro miseria istius vitæ, ex quibus separatarum substantiarum visionem nobis in hac vita constitutis congruere cognoscamus. finem ergo vltimum naturaliter cognoscere non valemus. vel hoc saltem cer- *Finis conditiones.* tum est, quasdam finis conditiones naturali ratione determinate concludi non posse, quarum gratia, & appetibilius & feruentius finis est inquirendus. Quod si aliquis velit dicere, ratione naturali sufficienter probari posse, nudā Dei visionem, fruitionemq; esse hominis finem, quod autē illa homini perfecto in corpore, & anima perpetuo conueniat: *Doctrina supernaturalis.* eadem ratione minime demonstrari poterit, sicut docetur 4. à Magist. Senten. *dist.* 43. Quæ quidem conditio, nempe huius boni perpetuitas finem reddit appetibiliorem. Cognoscentem ergo oportet, istas atque similes finis conditiones cognoscere, quibus animetur ad efficaciter finem inquirendum; quas certe ratio naturalis nequaquam sufficienter demonstrat: ergo quod prius. Itaque, omni agenti per cognitionem, propter finem sui finis est prima cognitio necessaria, quomodo scilicet finis sit acquirendus: 1.
deinde omnium cognitio, quæ sunt necessaria ad finem: 2.
postremo, quod hæc omnia huiusmodi fini sufficiant. 3.
Et primum quidem patet satis: nam si homo modum ignorauerit, quo finis haberi poterit; modum quoque ignorabit dispositionis, qua finem attingere valeat. Item, si nesciat omnia illa, quæ sunt necessaria ad finem, propter alicuius conditionis ignorantiam, à fine facile poterit diuertere, atque deficere. Tertio, si ignorando dubitet illa necessaria fini sufficere, aliquod profecto ex illis non efficaciter prosequetur, atque ita vnum eorum obmittet, quæ finem sufficienter complent atque perficiunt. *Non potest viator cognoscere hæc tria.* Sed hæc tria à viatore pura ratione naturali cognosci non possunt: opus ergo illi est supernaturali cognitione, sicut dictum est. Beatitudo enim tanquam præmium pro meritis eius, confertur, quem Deus acceptat, ac tali præmio facit, & reputat dignum. Nulla ergo necessitate ad qualescunque actus nostros sequitur, sed contingenter datur à Deo, propter aliquos actus in ordine ad ipsam tanquam meritorios acceptante. sed id naturaliter sciri non potest, quemadmodum eorum ostendit error Philosophorum, à quibus affirmatum est, Deum ad extra omnia immediate, & necessario facere: qui quidem error iampridem explosus est, & in primo Pymandri à nobis confutatus, atque conuictus. Diuinæ namque voluntatis acceptatio naturaliter sciri potest à nemine, cum illa contingenter se habeat, & mere dependeat ex diuina volūtate: ergo quod prius. *3 ratio principalis.* Amplius, separatarū substantiarū cognitio 7. *met.* ideo est nobilissima, quia circa nobilissimū substātię genus versatur: cognitio ergo corū quæ sunt illis propria, est maxime nobilis, & necessaria; propria n. eis, nobiliora atque perfectiora sunt illis, in quibus conuenit cum sentibus. sed ex puris naturalibus illa propria non cognoscuntur: Nam si in aliqua scientia naturaliter possibili traderentur; illa profecto esset metaphysica, in qua substantiarum separatarum passiones à nobis naturaliter sciri non possunt. *Passiones sub. sep non sciuntur naturaliter.* Primo quidem, quod in subiecto metaphy. virtualiter non includantur, in ente scilicet: Oportet, inquit Philosophus primo met. sapientem omnia cognoscere aliqualiter, id est, in vniuersali, & non in particulari: & causam subdit, qui enim nouit vniuersalia, nouit aliqualiter omnia subiecta: sapientem autem vocat metaphysicum, sicut & metaphysicam, probat ibi esse sapientiam. Secundo idem ratione potest manifestum fieri: cognitione propter quid talia cognosci non possunt, nisi cognitis eorum propriis subiectis, à quibus talia includuntur. sed propria eorum subiecta non sunt à nobis naturaliter cognoscibilia: ergo &c. Nec demonstratione quia, hoc est, ex effectibus, illa eorum propria cognoscuntur; effectus enim, quoad ista, vel intellectum dubium relinquunt, vel in errorem adducunt: *Proprietas primæ substantiæ.* quod certe ex proprietatibus primæ substantiæ in se patet satis. siquidem illius naturæ proprietas est, quod sit tribus personis communicabilis: sed ab effectibus huiusmodi proprietas non ostenditur, quippe qui ab ipso, in quantum trino, sint minime. Quare si ab effectibus ad causam ascendendo arguatur; in oppositum certe mittunt, & in errorem: cum in nullo illorum inueniatur vna natura totaliter, nisi in vno supposito. Amplius, proprietas huius naturæ ad extra, contingenter agit, & ad oppositum. Philosophi autem, vt dixi, contrarium sentire videntur. De aliarum quoque proprietatibus substantiarum simile potest esse iudicium; effectus enim, iuxta Philosophorum sententiam, in earum potius sempiternitatem necessitatemque, quam contingentiam, & nouitatem inducunt animum speculantis. vnde Philosophi secundum numerum motuum substantiarum numerum metiuntur: similiter quod illæ substantiæ sint entia necessaria, & peccato minime obnoxia, atque per se vitam beatam habentia: quæ omnia absurdissima sunt, & falsa. Igitur, puro *4. ratio.*
viatori est necessaria aliqua doctrina cœlitus inspirata; vt suum quidem finem agnoscere queat. Item, quod est ordinatum ad aliquem finem capessendum, & ad illum ex se est indispositum; ad dispositionem respectu sui finis haben-

Doctrina super-naturalis. bendam, paulatim promoueri debet. sed homo ordinatur ad finem supernaturalem, ad quem ex se est indispositus: iod g:t ergo sensim disponi ad illum finem habendum: quod profecto per aliquam cognitionem supernaturalem fiat, necesse est ergo quod prius. *3. ratio.* Præterea, Omne agens vtens instrumento in agendo; in actione, quæ naturam excedit instrumenti, illo vti non potest, sed lumen intellectus agentis est instrumentum, quo nunc anima vtitur in naturaliter intelligendo: quod quidem viam sensuum sequitur, & phantasmatum; cognitio vero primæ substantiæ huic non subiacet, quia non cadit in illam aliquod phantasma, sius sensus: non potest ergo homo in hac vita ex lumine sui instrumenti ad suum finem pertingere. Quarta ratio necesse habet probare, quod homo sit ordinatus ad beatitudinem, & quod cognitio naturalis non sufficienter ad illam disponat. Quinta vero, quod per viam sensus cognitio illa finis haberi non posset. Hæc breuiter dicta sint, quod puro viatori aliqua sit necessaria cognitio supernaturalis, vt finem suum intelligat.

CAP. II.

Argumenta contraria.

1. QVamuis, quæ dixi vera sint: ne aliorum tamen rationes contempsisse videar; eas in medium adduxi: quo clarius sanæ veræque doctrinæ splendor omnibus appareat. Inprimis ergo sic eum illis *obiiciendo* arguo: Actiuo naturali, & passiuo debite approximatis, & non impeditis, necessario sequitur actio; non enim essentialiter dependet ab eis, sed tanquam à causis prioribus. sed actiuum respectu omnium intelligibilium, est intellectus agens, quo est omnia facere, vt dicitur tertio de anima: & passiuum est intellectus possibilis, quo est omnia fieri: quæ quidem duo sunt naturaliter in anima, nec sunt simpliciter impedita; ex naturali ergo istorum virtute, sequitur actus intelligendi respectu intelligibilis cuiuscunque. *Omnipotentia passiua correspondet potentia actiua.* Sane cuilibet potentiæ passiuæ naturali, aliquod actiuum naturaliter correspondeat, necesse est: alioqui illa potentia esset frustra in natura, si per nihilum in natura ad actum posset reduci. sed intellectus possibilis est potentia passiua naturalis respectu intelligibilium quorumcunque: aliqua ergo illi potentia naturalis actiua respondet, atque ita habetur propositum. Minor autem manifesta est; intellectus enim possibilis cuiuscunque cognoscibilis notitiam, naturaliter appetit. naturaliter quoque per quamcunque perficitur cognitionem.

2. Amplius, sicut non sunt plures scientiæ speculatiuæ, quam illæ tres, quæ positæ sunt à Philosopho 6. met. in quo scientiam speculatiuam in tres diuisisse videtur, nempe in metaphysicam, physicam, & mathematicam; quia in illis consideratur de toto ente in se, & quoad omnes eius partes; sic etiam nec est aliqua alia practica præter practicas acquisitas actiuas, atque factiuas. sed scientiæ practicæ acquisitæ sufficiunt ad intellectum practicum perficiendum; & speculatiuæ acquisitæ similiter ad perfectionem speculatiui intellectus.

3. Item, potens naturaliter principium cognoscere, & intelligere; eadem quoque facilitate & conclusiones in principio inclusas intelligere poterit, & cognoscere: scientia enim conclusionum ex intellectu principij dependet, & ex conclusionum deductione ex principio: sicut patet ex diffinitione scire, ex primo posteriorum. sed deductio est ex se perfecta, seu manifesta, sicut ostendit diffinitio syllogismi perfecti primo priorum: qui talis est, nullius est indigens, vt appareat euidenter necessarius. sed naturaliter intelligimus prima principia, in quibus omnes conclusiones scibiles virtualiter includuntur: igitur naturaliter possumus scire, omnes conclusiones istas scibiles. *Primi termini.* Probatio primæ partis minoris est; quia cognoscũtur cognitis terminis. Probatio vero secũdæ partis; quia primorũ principiorũ termini sunt communissimi: distribuuntur ergo pro omnibus, quæ in inferioribus continentur. Tales namque termini in primis principiis vniuersaliter accipiuntur, sicque ad omnes conceptus particulares sese extendunt, & consequenter ad omnia specialium conclusionum extrema. Virtute ergo naturali possumus omnes conclusiones cognoscere: & consequenter non est nobis necessaria aliqua supernaturalis cognitio.

4. Item, omnis potentia habens aliquod commune pro primo obiecto naturali; potest in quodlibet contentum sub illo, sicut in per se obiectum naturale. *Doctrina super-naturalis.* id autem perspicuum fiet nobis per exemplum, de obiecto visus. & aliis, quæ sub illo continentur. Simile quoque potest esse iudicium de aliis primis obiectis, atque potentiis. Constat etiam ratione: primum enim obiectum dicitur, quod est adæquatum potentiæ. sed si in aliquo esset ratio eius, primi scilicet obiecti, vel circa quod non posset potentia naturaliter suum actum habere; obiectum profecto non esset potentiæ adæquatum; potentiam enim excederet, atque ita maior est manifesta. *Obiectum intellectus.* sed primum nostri obiectum intellectus naturale, est ens in quantum ens: potest ergo noster intellectus circa quodcunque ens, suum actum naturaliter exercere: circa etiam quodcunque intelligibile: & sic circa non ens; negatio enim per affirmationem cognoscitur. Ens, inquit Auicenna & res prima impressione imprimuntur in anima, nec possunt ex aliis manifestari. *1. met. c. 5.* Quod si aliquod aliud præter ista, esset primum obiectum; illius ratione hæc manifesta fieri possent, quod contradictionem implicat.

5. Sensus præterea in statu præsentis vitæ aliqua opus non habet cognitione supernaturali: multo ergo minus intellectus: Natura enim non deficit in necessariis, si enim sensum non deserit, sed exhibet, quæ sunt illius necessaria naturæ: largiorem ergo se exhibebit intellectui, qui est potentia nobilior: & sic habetur propositum. *3. de anima.*

6. Item, si aliqua talis doctrina est necessaria; in causa vtique erit potentia naturalis, quæ ex se obiecto sic cognoscibili improportionata esse cognoscitur. Per aliquod aliud ergo proportionata fiat, necesse est. Illud autem aut naturale erit; & sic totum primo obiecto erit improportionatum, aut supernaturale; & in eandem recidit absurditatem: potentia enim naturalis ad illud proportionem minime haberet. Per aliud ergo esset proportionem acceptura, & sic in infinitum, quod vetat fieri Aristoteles 2 *met.* Standum ergo in primo, nempe quod potentia intellectiua proportionem habeat intelligendi omne cognoscibile, secundum omnem modum cognoscibilis. non ergo opus habet potentia, seu scientia sibi cœlitus data.

CAP. III.

Soluuntur Argumenta.

1. R*Espondeo* ad primum, atque dico, ab anima cognoscente, & obiecto cognito dependere cognitionem: A cognoscente, inquit Augustinus *9. de Trin. cap. vltimo*, & cognito notitia paritur. *Quomodo intellectus sit omnia facere.* Licet ergo anima sufficiens habeat actiuum atque passiuum intra se, quatenus respectu cognitionis, animæ conueniat actio; non habet tamen intra se sufficiens actiuum, quatenus actio conuenit obiecto: sic enim se habet vt tabula rasa, sicut dicitur 3. *de anima.* Est igitur intellectus agens, quo est omnia facere, in quantum factio, siue actio, respectu cognitionis competit animæ, non autem respectu obiectiui actiui. Ad *confirm.* dico, naturam quandoque accipi pro principio intrinseco motus vel quietis, vt dicitur 2. *phys.* quandoque vero pro principio actiuo naturali, in quantum ab arte & proposito distinguitur, propter oppositum modum principandi, siue intrinsecum sit siue non, modo sit naturale. *Natura bifariam accipitur.* Et quidem secundum priorem modum, maior confirmationis vera dici non potest; non enim cuilibet passiuo naturali principium actiuum intrinsecum respondeat, necesse est, quod sic etiam sit natura, quandoquidem multa sint alicuius perfectionis receptiua, & quidem naturaliter, cuius perfectionis non est aliquod principium intrinsecum actiuum. Iuxta vero posteriorem modum, in quibusdam maior propositio est falsa: quando scilicet natura propter excellentiam sui, ad perfectionem ita eminentem recipiendam naturaliter ordinatur, quæ non subest causalitati naturalis agentis secundo modo dicti: & ita est in proposito. *Potentia passiua respondet actiua.* *Adprobationem* maioris dico, potentiam passiuam non esse frustra sius vacuam in natura; nam etsi per agens naturale ad actuum principaliter reduci non possit; per tale nihilominus agens potest dispositio induci, & demum per agens in natura, idest, in tota entium coordinatione, nempe per agens primum supernaturale complete ad actum reduci. Quod *si dixeris*, id in naturæ dede- *Vbi maior natura dignitas.*

Doctrina supernaturalis. dedecus cedere, propterea quod ex suis naturalibus, perfectionem sibi parare nequeat, præsertim cum natura minus deficiat in nobilioribus, authore Philosopho 2. cœli. *Resp.* quod si felicitas humana in primarum speculatione substantiarum posita esset, quæ naturæ muneribus haberi possit; haud dubium quin Philosophus diceret, naturam non deficere in necessariis: at postea quam præter hanc, eminentiorem quandam expectamus, non naturæ, sed diuinæ gratiæ muneribus acquirendam, non in dedecus, & vtilitatem, sed in gloriam. & honorem naturæ humanæ id redundare, arbitrari debemus. Nec mirum esse debet, in aliqua natura ad maiorem perfectionem capacitatem esse passiuam, quam sese extendat causalitas actiua: sicut patet in corpore humano. *Natura nō deficit in nobiliorib.* Illud autem Philosophi 2. cœli &c. non facit ad propositum; loquitur enim ibi Philosophus de organis motiuæ potentiæ correspondentibus, quæ quidem si stellis naturaliter indita esset; procul dubio quin natura organa illis apta præstitisset. Sensus ergo Philosophi est, natura aliqua ordinata ad aliquem actum habendum, per organi officium, natura officiose, atque sedule organum præstat huiusmodi, ad illum actum acquirendum: non est autem simile iudicium de rebus requisitis ad actum: & sic argumentum non facit ad rem. Aut dic, minorem non esse veram, si sermo sit de potentia passiua naturali, vt ad actiuam comparata, non autem vt ad actum receptum. Demum, minor posset negari: nam etsi intellectus possibilis sit talis intellectionis naturaliter receptiuus; non tamen in hac vita propter modum intelligendi, quem in

2. statu præsentis temporis perpetuo exercere cogitur. *Ad* 1. à nonnullis ita respondetur: Diuersa, inquiunt, ratio cognoscibilis, diuersitatem adducit scientiarum; eandem enim positionem, puta, quod terra sit rotunda, demonstrat & Astrologus, & naturalis, diuersimode tamen, Nam Astrologus per medium Mathematicum, id est, à materia abstractum, id ostendit: naturalis vero per medium circa materiam consideratum. Nihil ergo prohibet de eisdem rebus aliam scientiam loqui, quatenus diuinæ reuelationis lumine cognoscuntur, de quibus Physicæ rationes negotiantur, quatenus lumine rationis naturalis possunt haberi. Theologia ergo, quoad sacram scripturam attinet, differt secundum genus ab illa

Obiectio. Theologia, quæ pars Philosophiæ ponitur. Sed *dicunt* alii, ex hac responsione nihil aliud haberi, nisi eadem per Theologiam, & alias scientias cognosci posse; diuerso tamen modo: non saluatur ergo distinctio Theologiæ ab aliis scientiis. Tenet consequentia ex proportionalitate assumpta, atque assignata. ex quo enim illa conclusio (terra est rotunda) per alteram scientiarum scitur: reliqua ergo. respectu illius, quoad sciendam conclusionem non est necessaria, tametsi distincta sit, atque dis-

Solutio. creta. *Soluunt* hoc modo, habitus bifariam accipitur: nempe pro habitu, & forma. Porro, in quantum est habitus, distinctionem ab obiecto recipit: in quantum vero est forma, à principio actiuo potest distingui. Itaque, respectu habitus scientifici, principia sunt causæ effectiuæ. Quare, etsi vbi sit idem scibile, puta, terram esse rotundam, non sit per obiecta distinctio; est tamen per principia, quibus Mathematicus, & Physicus in scibili ostendendo vtuntur: atque ita habituum, vt formarum tantum est distinctio: non autem vt habituum. Sed illi *instant*: Forma, inquiunt, est communis seu consequens ad habitum; omnis enim habitus est forma, & non è conuerso; sed aliqua in ratione superioris, & non inferioris distingui, pro impossibili habetur. Similis quoque absurditas contingeret; si aliqua distinguerentur ratione formæ. ratione vero habituum, indistincta remanerent; perinde enim esset, ac si aliqua in ratione animalis distinguerentur; in ratione autem homi-

Alia rationes. nis indiscreta essent, & indistincta. Amplius, supponunt principia distinctiua esse habitus conclusionis, non quatenus sunt causæ effectiuæ, sed in aliquo genere: quod est falsum; non enim huiusmodi habitus distinguere queunt, nisi quatenus causæ effectiuæ ratione funguntur. Item, semper staret ratio: nam etsi habitus cognoscitiui distincti ponerentur; vnius tamen habitus necessitas non saluatur, quasi alia cognitio sit impossibilis, alterius habitus vndecunque distincti possibilitatem ponendo. *Dicunt* ergo ad argumentum, quod etsi in illis scientiis speculatiuis, de omnibus speculabilibus agatur; non tamen quoad omnia cognoscibilia de eis, quia nimirum non

Defensio. quoad propria eorum cognoscibilia. Qui primam solutionem tueri contendunt, ita respondent, & quoad exemplum positum, aiunt; Quod quemadmodum Astrologia alio lumine quam Physica, in aliquam, & non in omnes coincidit conclusionem; sic Theologia alio lumine, & easdem veritates, quas aliæ scientiæ, considerat, & alias quoque de eisdem rebus. *Doctrina supernaturalis.* Quam ob rem quemadmodum Astrologia licet coincidat, quoad materiam, in aliquam conclusionem Physicam; quia tamen alio lumine, aliasque veritates contemplatur, non solum est diuersa, sed etiam necessaria; sic etiam & Theologia ab aliis diuersa est, & necessaria. Ad 3. dicunt aliqui, prima principia 3.
non se extendere, nisi ad conclusiones sensibiles: tum quia sapiunt naturam sensibilium, ex quibus eorum abstrahuntur termini. tum etiam quia intellectus per quem fieri debet applicatio, sensibilium terminos non prætergreditur. Sed *aduersus* huiusmodi solutionem arguunt alij: Non dubitamus, inquiunt, primum principium de contradictione esse siue in separatis, siue in sensibilibus; vtrobique enim veritatem habet. Aliter dicitur, ad tales conclusiones applicari non posse: non solum enim ex maioribus conclusiones sequuntur; verumetiam ex minoribus sub maioribus euidenter sumptis: minores autem in proposito non sunt naturaliter notæ. Contra: Minores namque sumendæ sub primis principiis, terminos prædicant communissimos eorum subiectis: sed terminos communissimos de quocunque dici, atque probari, patet satis. *Dicunt* ergo, prima principia non omnes conclusiones virtualiter continere: Termini siquidem primorum principiorum, vel eorum rationes communissimæ cum sint, non nisi communissimas, & non proprias passiones virtualiter continent; ideoque nec alicuius termini primorum principiorum ratio propter quid ad concludendum de aliquo, propriam aliquam habet passionem. Vnde per illud principium: omne totum est maius sua parte, puta ternarium esse binario maiorem, non autem in quanta proportione se habent ad ipsum, nempe quod in sesquialtera, vel quaternarius sit duplus ad binarium, quia non includitur in subiecto principij, in toto scilicet, sed solum maioritas respectu partium idem non valet. Amplius, illa probatio est logica: quia licet contingat descendere sub subiecto vniuersalis affirmatiuæ: non tamen sub prædica- *Probatio logica.*
to. multa autem prædicata contenta sub primorum principiorum prædicatis, sunt scibilia de inferioribus ad subiecta illorum: non ergo illa prædicata de illis subiectis per prima sciuntur principia. *Dices*, de quolibet, affirmatio, *Obiectio.*
vel negatio est de necessitate vera: & de nullo subiecto simul. sequitur ergo necessario, hunc esse album, vel non album: ita quod ibi liceat descendere sub prædicato, & sub subiecto. *Respond.* illud principium de quolibet est affirmatio, vel negatio &c. valet istam, De quolibet cuiuslibet contradictionis, vna pars est vera, & alia est falsa: vbi duplex est distributio, ex parte subiecti, scilicet de quolibet, & cuiuslibet, & sub vtroque distributo licet descendere. *De quolibet est affirmatio, vel negatio* Igitur de hoc, huius contradictionis altera pars est vera, altera falsa. Sed sub prædicato stante tantum confuse non licet descendere; quia non sequitur de quolibet cuiuslibet altera pars &c. ergo hæc pars: atque ita in aliis principiis semper prædicatum vniuersalis affirmatiuæ stat confuse tantum: siue duæ sint in subiecto distributiones, siue vna; quod patet in proposito exemplo. Nam verum est de homine hoc scibile, nempe quod sit risibilis, non tamen per hoc principium de quolibet &c. de homine enim potest plus inferri nisi risibile, vel non risibile. Altera ergo pars prædicati disiuncti per hoc principium nunquam de subiecto scietur, sed aliquod requiritur principium speciale, videlicet diffinitio subiecti, vel passionis, quod est medium, vt sciat quis risibile de homine determinare. *Ad* 4. sic 4.
quidam argumentum solui posse putarunt, distinctione de obiecto præmissa: Aut, inquiunt, sermo est de obiecto naturali, quod naturaliter, siue ex actiuarum actione causarum potentia potest attingere, & sic maior est falsa: non enim necesse est, vt intellectus intelligens primum commune obiectum, intelligat etiam quicquid sub illo continetur obiecto: quandoquidem alicuius contenti intellectio præstantior sit intellectione communis illius obiecti. *Obiectum duplex.* Aut vero de obiecto naturali, quatenus potentia naturaliter ad illud inclinatur: siue naturæ muneribus ad illud possit accedere, siue supernaturalis gratiæ beneficiis. Itaque concessa minore in vtroque sensu, conclusio intenta non habetur, nempe de naturali attingibili: maior namque falsa extitit. *Verum* hæc responsio seipsam destruit, primum enim obiectum est potentiæ adæqua-

Doctrina super naturalis. adæquatum etiam per seipsum: vnde verum est, nihil respicere potentiam pro obiecto, nisi id, in quo ratio illius primi inuenitur obiecti: fieri certe non potest, vt aliquod sit obiectum primum naturaliter, quin quodlibet contentum sub illo, sit per se obiectum naturaliter: alioqui non esset adæquatum naturaliter, siue vniuersaliter, sed excedens potius: atque ita aliquid eo inferius esset adæquatum, & consequenter primum. *Fallacia figuræ dictionis.* Ratio autem adducta laborat fallacia figuræ dictionis. Nam etsi ens, quatenus est quoddam vno actu intelligibile (quemadmodum etiam homo est vna intellectione intelligibilis) sit naturaliter attingibile, quia illa vnica entis intellectio, quatenus est vnum obiectum, est naturalis; non tamen ens, vt primum *Ens primũ obiectum.* obiectum, adæquatum scilicet, poni potest primum obiectum naturaliter attingibile. nisi etiam quodlibet sub ipso contentum, sit etiam naturaliter attingibile; quia est primum obiectum, vt in omnibus per se obiectis includitur. Commutatur igitur hoc aliquid in quale, cum arguitur: ens est naturaliter attingibile. igitur ens vt primum obiectum, videlicet adæquatum, est naturaliter attingibile. Antecedens ergo est verum, in quantum ens est vnum intelligibile singulare sicut album: sed consequens concludit de ente, non vt seorsum ab illis diuiso, seu intellecto, sed vt in omni intelligibili incluso. Minor ergo argumenti est falsa de obiecto naturali, id est, naturaliter attingibili: vera alioqui de obiecto, ad quod potentia naturaliter inclinatur: sicque intelligenda est Auicennæ sententia. *Auicenna. lib. de libero arb. c. 4.* Patet hoc idem per Anselmum *Nullam* inquit, *habemus, vt puto, potestatem, quæ sufficiat ad actum*: potestatem vocans, quæ à nobis communiter potentia vocatur. Non ergo inconueniens est, potentiam ad obiectum naturaliter ordinatam esse, quod suæ naturæ muneribus parare non potest; nam & quælibet ex se sola ordinatur ad actum, quem nihilominus ex se sola nequit attingere.

5. *Ad 5.* negatur consequentia, & ad probationem patet ex dictis responsio: superiora enim ordinantur ad maiorem perfectionem passiue recipiendam, quam ipsa possint actiue producere. vnde fit, vt istorum perfectio, nonnisi ab aliquo agente supernaturali possit produci: quod profecto de inferiorum perfectione sentiendum non est, quandoquidem illa inferiorum agentium possit actioni subesse.

6. *Ad 6.* dico, veritati complexæ alicui firmiter tenendæ, intellectum possibilem improportionatum esse, id est, non esse proportionatum mobile, respectu talium agentium quæ quidem ex phantasmatibus, & ex naturali lumine intellectus agentis, cognosci non possunt: fit autem per aliud, nempe per mouens supernaturale, cuius veritati consentit, proportionatus & per aliud sub ratione formæ, quia per istum assensum in ipso factum, qui est quasi quædam inclinatio in intellectu, ad illud obiectum, reddens illud *Assensus vnus.* isti proportionatum. Dicitur autem assensus in intellectu fieri, propterea quod præcipua illius causa, à gratia procedat. Et cum dicis, an illud sit naturale, vel supernaturale, dico esse supernaturale, tam si de agente, quam si de forma intellexeris. Et cum infers: intellectus ergo est illi improportionatus: per aliud ergo habet proportionari: & sic in infinitum: dico esse in potentia obedientiali, atque ita sufficienter proportionari illi, vt ab eo moueatur: similiter esse naturaliter capacem illius assensus: ideoque non esse ab alio proportionandum, in illo assensu recipiendo. Patet ergo quomodo est necessaria illa supernaturalis inspiratio à supremo agente, cuius veritati intellectus consentiat humanus.

CAP. IV.

Alia Argumenta.

2. ADhuc *contra prædicta* sic solent quidam arguere: Ex puris naturalibus homo potest suam naturam cognoscere; non enim est sibi improportionata: ergo & per se suum finem cognoscit, sicut ex effectu cognoscitur causa. Id autem patet in natura inferiori, qua cognita, & finis eius cognoscitur. *Posse habere fidem naturæ est hominum. x de præd. Sanct. c. 4.* Non solum ergo ex suis actibus, verumetiam ex sua natura intrinseca potest homo suum finem cognoscere. Quod si dixeris, rationem illam concludere finem naturalem, non autem supernaturalem ab homine posse cognosci. Contra, Augustinus: Posse, inquit, habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, sicut habere charitatem, gratiæ est fidelium. *Doctrina super naturalis.* Quare, si natura hominis est ipsi naturaliter cognoscibilis; naturaliter quoque ista potentia, vt est talis naturæ, erit cognoscibilis: & consequenter ordinabilitas huiusmodi naturæ ad talem finem, ad quem fides disponit, & charitas.

2. Amplius, finem supernaturalem homo naturaliter appetit: ad illum ergo ordinatur naturaliter: atque ita ex cognitione naturæ ad ipsum ordinate potest cognosci. Sane, naturaliter cognoscibile, ens scilicet secundum Auicennam 3. meth. est primum intellectus obiectum: in Deo autem est perfectissime cognoscibile, entisque ratio saluatur. at finis cuiuscunque potentiæ est optimum eorum, quæ sub primo eius obiecto continentur; in illo siquidem, vt dicitur 10. *eth.* perfecta est & quietatio, & delectatio: igitur naturaliter cognosci potest, hominem ad Deum, tanquam ad suum finem ordinari.

3. Item, cui naturaliter est cognita aliqua sibi potentia; est etiam illi cognoscibile quid sit primum eius obiectum. Et præter hæc potest etiam cognoscere, in quo illius primi obiecti ratio saluatur, quod scilicet tale perfectissimum sit potentiæ finis. sed mens, authore Augustino, est sibi nota notum ergo est sibi quod *8. Trin. c. 8.* sit suum primum obiectum. Nouit etiam Deum ab illius primi obiecti ratione non esse discretum, siue exclusum: alioqui ab ipsa mente, nullo modo posset intelligi. Nouit ergo Deum esse optimum, in quo sui primi obiecti ratio saluatur: sicque nouit ipsum esse suæ potentiæ finem.

4. Amplius, si per vnum extremum, aliud cognoscitur extremum: ergo & medium. sed necessaria ad finem consequendum, sunt media inter naturam, & finem illius: igitur, si ex naturæ cognitione finis eiusdem potest cognosci, vt ex dictis patet satis; simili quoque facilitate media necessaria ad finem cognosci possunt. Reuera, ita in proposito, entium ad finem videtur esse ad ipsum finem necessaria connexio, sicut etiam in aliis. sed propter talem connexionem in aliis, illa quæ sunt necessaria ad finem cognoscuntur ex fine, sicut per rationem sanitatis, quæ sanitati sunt necessaria, facile deprehenduntur: ergo quod prius.

5. Præterea, quorumcunque necessariorum reuelatorum terminos naturaliter cognoscimus; & illa à nobis naturaliter comprehendi possunt; siquidem illa necessaria, aut sunt mediata, aut immediata. si immediata: cognoscuntur ergo cognitis terminis, vt dicitur primo poster. si vero mediata extiterint, cum ergo possumus extrema cognoscere, & medium inter ea concipere, & tunc illud medium cum vtreque medio coniungendo. Aut præmissæ mediatæ, aut immediatæ habentur. Si immediatæ, idem quod prius. si vero mediatæ, procedemus medium concipiendo inter extrema, & cum extremis coniungendo, quousque ad immediata venerimus: ad immediata tandem necessaria veniemus, quæ ex terminis intelligemus, ex quibus sequuntur omnia necessaria mediata. Ista ergo mediata, per immediata à nobis naturaliter sciri possunt. Sed omnium necessariorum reuelatorum terminos cognoscimus: habens enim fidem, & non habens, non solum de nominibus, verumetiam de conceptibus inter sese pugnare videntur: sicut quando Theologus cum Philosopho contendit, quod Deus sit trinus, & vnus: omnem ergo conceptum simplicem, quem iste habet, & ille etiam. His ergo, atque similibus arguere soliti sunt, contra propositionem propositam.

CAP. V.

Soluuntur Argumenta.

1. AD *primum*, & ad confirmationem Augustini vnica responsione dici potest: falsum esse, nostram naturam, seu potentiam intellectiuam esse nobis cognoscibilem sub illa propria ratione, sub qua ad talem finem ordinatur, & capax est gratiæ consummatæ, non enim anima nostra, nec natura nostra pro statu isto à nobis cognoscitur, nisi sub ratione aliqua generali, quæ à sensibilibus abstrahitur. Secundum vero huiusmodi rationem, non sibi competit ad talem finem ordinari, nec gratiam illam capere, Deumque pro obiecto habere. Cum ergo dicitur. Ex ente ad finem cognito, demonstratione quia, finem posse cognosci, *Proportionamentu ad finem.* id nobis nō probatur, nisi illo cognito sub propria ratione, sub

Doctrina supernaturalis.

sub qua talem finem habere dicitur, & tunc minor est falsa. Et cum per proportionabilitatem probatur, dico, quod licet mens sit eadem sibi; pro statu tamen isto non est sibi proportionabilis tanquam obiectum, nisi secundum generales rationes, quæ ab imaginabilibus abstrahi possunt. *Ad confirm.* similiter dico, aliarum substantiarum fines proprios, qui scilicet sunt secundum proprias ipsarum rationes, nequaquam cognosci, nisi aliquis sint actus manifesti, earum ordo ostendatur ad finem huiusmodi. Non ergo est falsa illa probatio minoris: Non cognoscitur à nobis finis substantiæ proprius, nisi per eius actus nobis manifestos: bene tamen est verum, quod si substantia sub propria ratione cognosceretur; ex natura sic cognita, demonstratione quia eius causam per se posse cognosci. sed non ita à nobis nunc aliqua cognoscitur substantia: ideoque nullum finem substantiæ proprium concludere valemus, nisi per actum de illa substantia euidentem, & non in vniuersali & confuse. in proposito autem vtraque via deficit. Probatio autem minoris, vnam viam tetigit de ignorantia actus, aliam supponendo de ignorantia naturæ in se. Itaque, etsi natura hominis non sit sibi improportionata, ratione obiecti cognoscibilis; habet tamen hanc improportionabilitatem, propter modum, quem nunc habet cognoscendi. *Ad Augustini* authoritatem respond. quod licet illa potentia habendi supernaturales perfectiones, ad hominis naturam spectet; ea tamen illi non contingit secundum cummunem, quam habere potest perfectionem ex sensibus, pro statu isto, modoque intelligendi; sed potius secundum modum, rationemque intelligendi, qui ex sensibus haberi non potest. Quare, etsi sit naturæ hominis habere charitatem, & fidem; illa tamen naturæ muneribus consequi non possumus: sic etiam incorruptibilitas competit animæ hominis (vt fides nostra docet) per rationem tamen naturalem clare minime cognoscitur.

Substantiā sub propria ratione cognosci.

Habere fidem.

2. *Ad* 2. Deus est naturalis finis hominis: non quidem naturaliter, sed supernaturaliter habendus: ideoque illum appetimus appetitu, quem ex fidei instructione habemus. Cum ergo dicitur, ens naturaliter a nobis cognosci: dico, id veritatem non habere secundum totam entis latitudinem, atque quodlibet contentum sub ente, secundum propriam distinctamque obiecti rationem, qua obiectum est naturaliter adæquatum intellectui. Itaque, mens secundum huiusmodi rationem, non est sibi naturaliter nota: nec cogit Auicennæ sententia, propterea quod suæ Philosophiæ multa immiscuerit, quæ ad Mahumeti pertinent errorem, cuius & ipse cultor exstiti. Vnde 3. *meth.* ait, animam separatam, cognoscere substantiam immaterialem in se propterea sub primo intellectus obiecto dixit, substantiam immaterialem contineri. Contra, Aristoteles nostri intellectus obiectum, quidditatem rei immaterialis esse affirmauit, id est, quidditatem à sensibilibus abstrahilem.

Auicenna sententia reprehenditur.

Obiectum intellectus.

3. *Ad* 3. Augustinus est intelligendus de actu primo sufficienter disposito ad actum secundum verum quia in præsenti vita non parum impedimenti patitur; idcirco actus secundus à primo non elicitur, maximeque propter statum naturæ lapsæ. *Sed dices*, si propterea non cognoscitur quid sit primum obiectum intellectus, quia intellectus non cognoscitur sub propria ratione, sub qua tale respicit obiectum; de quocunque ergo cognosci non potest, quod ipsum sit intelligibile, quoniam potentia non cognoscitur sub illa ratione, sub qua quodcunque respicit, vt obiectum intelligibile? *Dico*, non haben modo cognitionem de anima, vel de aliqua eius potentia ita distinctam, vt ab ea animaduertere valeamus, aliquod tale obiectum intelligibile sibi correspondere; sed potius ex ipso actu, quem experimur, concludi potentiam atque naturam, cuius iste actus illud habet pro obiecto, quod per ipsum actum attingi posse percipimus. Potentiæ ergo obiectum, non ex potentiæ, sed ex actus cognitione, quem experimur, concluditur, atque percipitur. Porro, de obiecto supernaturali neutram cognitionem habere possumus: ideoque vtraque deficit proprium illius naturæ finem via cognoscendi.

4. *Ad* 4. quando finis sequitur naturaliter ea, quæ sunt ad finem, & naturaliter præexigit illa, tunc ea quæ sunt ad finem, ex fine concludi possunt. hic autem non est talis consecutio naturalis, sed diuinæ tantum acceptatio voluntatis, ista merita tanquam digna tali fine, talique præmio compensantis.

5. *Ad* 5. nego maiorem, & ad probationem dico, illa necessaria esse mediata. Et cum dicis: Igitur cum possumus cognoscere extrema &c. nego consequentiam, quando medium particulare contentum sub altero extremo, non est inter extrema essentialiter ordinatum; tunc enim non est necesse, quod potens concipere extrema generalia, possit etiam medium particulare concipere. Ita se habet res in proposito. summaque dictorum est, nos non posse ex puris naturalibus finem vltimum percipere, quia illum sub propria ratione nequimus attingere.

Doctrina supernaturalis.

QVÆSTIONIS SECVNDAE

CAP. I.

Cognitionem supernaturalem necessariam viatori, in scripturis sanctis sufficienter haberi.

Cognitio supernaturalis in scripturis ostenditur.

POstquam ex multorum rationibus, nobis satis persuasum esse putem, doctrinam aliquam supernaturalem homini viatori necessariam esse. cuius beneficio suum finem possit attingere; reliquum est, ostendere in sanctis scripturis huiusmodi doctrinam, cognitionemque sufficienter haberi, idque multis rationibus: & inprimis prophetica pronunciatione. Etenim, quemadmodum soli Deo competit scire futura, quia omnia sunt ei nuda, & præsentia, vt dicit Apost. *Omnia*, inquit, *nuda & aperta sunt oculis eius*; ita ipse solus Prophetas afflauit, vt ventura veraciter prædicerent. non enim voluntate humana, ait Petrus, allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Multa autem in scripturis prophetata, impleta esse videmus, haud dubium, quin pauca, quæ remanent, sint etiam implenda. sic docet Gregorius *in homel. de Aduentu.* Et Augustin. 12. *de ciuit. Dei*, *cap.* 10. circa finem: Quæ vera, ait, se narrasse præterita, ex his, quæ futura prænunciauit, cum tanta veritate implentur, ostendit. Alia via, est concordia scripturarum. Sane, in rebus non euidentibus ex terminis, nec ex principiis euidentiam habentibus, multi diuersimode dispositi minime consentiunt, siue consonare queunt, nisi ipsorum intellectus ad assensum vnum superior causa inflexerit. Sed scriptores sacri canonis vario dispositi, & diuersis temporibus existentes in talibus non euidentibus, sibi consentiunt: à causa ergo superiori in scribendo acti, vnanimem scripturarum sensum tradiderunt. Authores nostri, ait Augustin. in quibus non frustra sacrarum literarum figitur, & terminatur canon, absit, vt inter se aliqua ratione dissentiant. Vnde non immerito, cum illa scriberent, eis Deum, vel per eos locutum, non pauci in scholis atque gymnasiis. litigiosis disputationibus garruli; sed in agris atque in vrbibus cum doctis, atque indoctis tot tantique populi crediderunt. Ipsi sane pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret, quod clarum, atque charum religione esse oportebat: nec tamen ita pauci, vt eorum non sit miranda consensio. Neque enim in multitudine Philosophorum, qui labore etiam literario monimenta suorum dogmatum reliquerunt, facile quis inuenerit, inter quos cuncta quæ sensere, conueniant, quod ostendere hoc opere longum est. Patet etiam hæc maior ratione: nam cum intellectus, quoad assensum sit natus moueri ab obiecto euidente in se, vel in alio, profecto talis assensus non nisi ab huiusmodi obiecto potest causari, siue produci. Nam si nihil tale intellectum moueat; remanebit vtique sibi Theologia neutra: nihil autem est tale de non euidentibus ex terminis, nisi intellectua superior nostro. Porro, nullum intelligens superius homine, potest hominem effectiue docere, nisi solus Deus. *Sed dices*, posteriores nostrarum scripturarum, doctrinæ acquieuisse antiquorum, sicut & discipuli, suorum doctrinæ magistrorum acquiescere consueuerunt: ideoque nihil dissonum ab antiquis scripsisse, aut etiam docuisse. *Sed id* aduersatur Augustino dicenti in loco iam citato. Quæ, inquit, discipuli legentes, licet in aliquibus essent assentientes prioribus, vt discipuli, aliqua tamen improbarunt, vt patet ibidem de Aristippo, & Antisthene, qui ambo Socratici, in quibusdam tamen sibi contradixerunt: nam Aristippus in voluptate corporis, summum bonum ponens, Antisthenes virtute animi potius hominem fieri beatum asseuerans, Aristoteles quoque à Platone in plurimis plurimum dissen-

Hebr. 4.

1. *Prophetica pronunciatio.*

2. *Pet.* 1.

2. *Concordia scripturarum.*

lib. ciuit. Dei c. 41.

Scriptorū nostrorum dignitas.

Aristippus.

Scripturæ dignitas.
Consensio scriptorum Ecclesiasticorum.

dissentit: Quomodo ergo posteriores nostri, quibusdam in rebus, prioribus non contradixissent; si ad easdem res non euidentes, communis doctor illorum intellectus non inflexisset? Quare, cum non euidentia à prioribus tradita sint; propterea à posterioribus in dubium reuocata non sunt: eo quod rationes non haberent, quibus illis contradicerent, nec ab eis, nisi ratione cogente, recedere voluerunt. Secus autem se res habet in philosophis, qui contra eorum magistros ausi sunt insurgere, propter rationes profecto, quas aduersus illos pugnare putauerunt, quasque ex terminis rati sunt probabiles esse.

3.
Authoritas scribentium.

Amplius, authoritas scribentium latissima patet: aut enim ipsi sunt illorum authores librorum, aut non: si sunt authores, cum ab ipsis damnetur mendacium, maxime in fide & moribus; quomodo verisimile est eos fuisse mentitos, dicendo, hæc dicit Dominus, cum Dominus non dixisset. Quod si dixeris eos, deceptos quidem, non autem mentitos fuisse, aut propter lucri vtilitatem mentiri voluisse: Primum certe à Pauli sententia falsum esse ostenditur.

2. Cor. 12.

Scio, inquit, hominem &c. qui audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui: quæ profecto assertiones mendacio non caruissent, si sibi non constaret, à domino illas audiuisse. Ex hac igitur Pauli aliorumque reuelatione sanctorum, perspicuum esse potest, illorum intellectus non fuisse inducendos, vt illis rebus, quarum notitiam ex propriis naturalibus parare non poterant, firmiter adhærerent, nisi ab agente supernaturali instructi fuissent.

Scriptores non sunt mentiti.

Nec etiam rationi est consentaneum, spe lucri eos mentiri voluisse, qui pro Euangelij veritate tuenda, innumera pertulere tormenta. Quod si libri non sunt illorum, sed aliorum, simile quoque potest esse & de aliis scriptoribus iudicium: atque ita nihil in libris legendis authoritatis posset haberi. Præterea, qui huiusmodi libros talibus asscripsere authoribus, aut Christiani exciterunt, aut non: si non, non videtur verisimile eos libros illos scribere voluisse, & aliis asscribere authoribus, sicque contrariam sectam fouere, imo magnificare, atque promouere. Quod si Christiani extiterunt in librorum authoribus decernendis, mendacium non incurrerunt; propterea quod legi Christianorum mendacium aduersetur maxime.

Lib. 11. ciuit. Dei.

Recte ergo dictum est ab Augustino, Hic, inquit, scilicet Christus prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per Apost. quantum satis esse iudicauit, locutus: scripturam condidit, quæ canonica nominatur eminentissimæ authoritatis. Et in octaua epistola ad Hieronymum, vt habetur di. 9. Si ad sacras scripturas, inquit, admissa fuerint vel officiosa mendacia; quid in eis remanebit authoritatis?

In scripturis non est mendaciū.

Ego solis eis scriptorum libris qui canonici appellantur, didici hunc honorem, timoremque referre, vt verum authorem eorum errasse scribendo non audeam credere: aut si aliquid in eis ostendero, quod videatur contrarium veritati; nihil aliud existimem, quam mendósum esse codicem, vel non esse assequutum interpretem quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, quantaue doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ita ipsi senserunt; sed quia mihi per alios authores, vel Catholicas, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerint.

4.
Recipientium diligentia.

Quarta ratio potest esse, recipientium diligentia, quæ sic potest esse manifesta: aut enim de rebus contingentibus, quæ non videntur, nemini credendum est, atque ita mundum ante nos fuisse, minime credemus, & multa similia absurda, puta quod isti non fuerint nostri progenitores &c. quæ profecto incredulitas totam plane euertit Christianorum politiam. Si igitur alicui de re contingente, & non euidente tibi credendum putas; haud dubium quin tibi credendum sit rebus illis, quæ à tota fidelium communitate approbantur: cuiusmodi est canon diuinæ scripturæ. vnde August.

Li. 18. ciuit. cap 38.
Enoch scripta non sunt recepta.

Quod Enoch scripta tum apud Iudæos, cum etiam apud nos in authoritate non sint; nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris. Nam & proferuntur quædam, quæ ipsorum esse dicuntur ab eis, qui pro suo sensu passim, quod volunt credunt. Sed ea castitas canonis non recepit: non quod eorum hominum qui Deo placuerunt, reprobetur authoritas; sed quod ista esse non credantur ipsorum. Nec mirum videri debet, quod suspecta habeantur, quæ sub tantæ antiquitatis nomine proferuntur, quandoquidem in ipsa historia regum Iudæ 1. Paral. 29. 9. 13. 20. 31. & regum

2. Paral. 29. 9. 13. 20. 31.
Quare aliqua historia non sunt recepta in canone.

Israel, quæ res gestas continet, de quibus eidem scripturæ canonicæ credimus, commemorantur plurima, quæ ibi non explicantur: & in libris aliis inueniri dicuntur, quos prophetæ scripserunt, & alicubi eorum quoque prophetarum nomina non tacentur: nec tamen inueniuntur in canone, quem populus Dei recipit. Cuius rei, fateor, causa me latet: nisi quod ego existimo etiam ipsos, quibus ea quæ in authoritate religionis esse deberent, sanctus vtique Spiritus reuelabat: alia sicut homines historica diligentia, alia sicut prophetas inspiratione diuina scribere potuisse. atque hæc ita fuisse distincta; vt illa tanquam ipsis, ista vero tanquam Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda; et si illa pertinerent ad vbertatem cognitionis, hæc ad religionis authoritatem, in qua authoritate custoditur canon: præter quem, si quæ iam etiam sub nomine verorum prophetarum scripta proferuntur, nec ad ipsam copiam scientiæ valent, quoniam vtrum eorum sint, quorum esse dicuntur, incertum est, & ob hoc eis non adhibetur fides. Hæc August.

Cōcilium.

Sed Concilium Tridentinum sustulit hoc dubium: declarauit enim omnes libros, qui in biblus habentur, esse de canone. Authores igitur sacrorum librorum non sicut homines, sed sicut prophetæ diuina inspiratione scripserunt, propterea credidit eis communitas fidelium.

5.
Rationabilitas contentorum.

Quinta ratio est, rationabilitas eorum, quæ in sacris libris continentur. Quid enim rationabilius quam Deum tanquam finem vltimum diligi super omnia: & proximum tuum sicut te ipsum, id est, ad eundem finem, ad quem te diligis? sic enim docet Gregorius. Et Matth. 22. *In duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ.* Et 6. *Omnia quæ vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.* Ex istis autem, quasi ex practicis principiis, alia practica consequuntur. Quæ præterea in sanctis scripturis tradita sunt, & honestati consona sunt, & rationi, sicut perspicuum esse potest cuilibet scripturarum studioso; nam & Concilia, & præcepta, atque sacramenta maxima cum ratione condita sunt ita, vt quasi explicent, siue restaurent legem naturæ, authore Apostolo *Opus legis scriptum in cordibus nostris.*

Rom. 3.
Explicatio legis naturæ.

Nihil turpe, ait August. *lib. 1. de ciuit. Dei*, ac flagitiosum spectandum, imitandumque proponitur; vbi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.

Credibilium ratio.

Idem quoque patet in credibilibus, propterea quod nihil de Deo credimus, quod imperfectionem denotet Deo, imo, quod illius perfectioni maxime congruit. Nihil ergo credimus incredibile; alioqui incredibile esset, mundum illa credere.

Aug. de fidei ratione.

Terrenum Christi corpus, ait Augustinus *lib. 22. de ciuit. Dei cap. 5.* sublatum in cœlum paucis remanentibus, & stupentibus, iam crediderunt & docti, & indocti. Si rem credibilem crediderunt; videant quam sint stolidi, qui non credunt. si autem res incredibilis credita est; etiam hoc vtique incredibile est, sic creditum esse, quod incredibile est. Hæc igitur duo incredibilia, resurrectionem scilicet nostri corporis in æternum, & rem tam incredibilem mundum esse crediturum; idem Dominus antequam vel vnum horum fieret, ambo futura esse prædixit.

Duo incredibilia.

Vnum duorum incredibilium factum esse videmus, vt quod erat incredibile, crederet mundus: cur id quod reliquum est, desperatur? Et hæc quidem de rationabilitate contentorum in sacris literis dicta sint.

6.
Irrationabilitas errorum singulorum.
Pagani.
Saraceni.

Sexta ratio, Irrationabilitas errorum singulorum. Pagani colunt opera manuum suarum, in quibus nihil esse numinis à Philosophis ostensum est satis. Saraceni Mahumetum colunt, qui porcinam vitam docuit suos. vnde ab Auicenna, licet in illa secta nutrito contemnitur *9. met. cap. 7.* Lex nostra, inquit, quam dedit Mahumetus, ostendit dispositionem infelicitatis & miseriæ, quæ sunt secundum corpus: Est autem alia promissio, quæ apprehenditur intellectu. Sapientibus magis cupiditas fuit ad consequendam hanc felicitatem, quam corporum: quæ quamuis daretur eis; non tamen attenderunt, nec appretiati eam in operatione felicitatis, quæ coniuncta est primæ veritati.

Iudæi.
Manichæi.

Iudæi nouum testamentum non recipiunt, quod in veteri manebat velatum: ideoque illorum cæremoniæ absque Christo Iesu, teste Apostolo per totam quasi Epistolam ad Hebræos, irritæ sunt, & inanes. Stolidi Manichæi ponunt primum principium malum: cum videre poterant omne ens in quantum ens, boni subire naturam: ex nouo præterea testamento animaduertere potuerunt veteris testamenti authoritatem.

lib 83. q. 69.
Error vnde in scripturis.

Recte ergo dictum est ab Augustino non posse oriri errorem nomine Christiano palliatum, nisi ex scripturis non bene intellectis: & hoc ideo, quia præcedentia & sequentia non contulerunt; solet enim circumstantia scripturarum illuminare sententiam. Et in Epistola quæ vocatur fundamenti: *Non crederem,* inquit, *Euangelio, nisi Ecclesiæ authoritas me compelleret.* Stultum ergo est, vnam partem canonis velle recipere, aliam vero reiicere: cum Ecclesia, cui credo, totum canonem recipiat. Similis quoque in multis Philosophorum legibus, de morum honestate seruanda, ostendi potest absurditas.

7.

Septima ratio est Ecclesiæ

stabi-

Scripturæ dignitas. Ecclesiæ stabilitas. August. Act 5.

stabilitas, de qua paulo ante multa diximus: *Non dubitamus*, ait Augustinus de vtilitate credendi, *nostrum Ecclesiæ credere gremio, quæ vsque ad consummationem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum firmata, frustra hæreticis latrantibus, culmen authoritatis obtinuit.* Quid est ergo tam ingratum, & indignum diuino auxilio, quam tanto labore partæ authoritati velle resistere? Vnde & Gamaliel Pauli præceptor: *Si ex hominibus consilium hoc*, ait, *est; aut opus dissoluetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere: ne forte & Deo videamini repugnare.* Et Lucæ 22. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua* Firmitas etiam Ecclesiæ patet per illud August. de vtilitate credendi dis. 8. vulgus marium & fœminarum. Et

Epistola fundamenti.

contra epistolam fundamenti. *Quis*, inquit, *in tantam multitudinem ad peccata pronam, ad legem contrariam carni, & sanguini seruandam induceret, nisi solus Deus?* Patet hoc satis ex ruina sectæ Iudæorum: *Vsi*, inquit August. serm. primo de aduentu, *conuenio à Iudæis* Quod si quis dixerit, Mahumeti sectam longo tempore durasse; iam non longe est, vt finem accipiat erroris. nam & ipsimet illius sectæ cultores, hoc citius fore profitentur.*

CAP. II.

Aliæ Rationes.

8. Svnt quoque & aliæ rationes, quæ faciunt ad huius rei veritatem firmandam atque stabiliendam: quarum vna dici potest miraculorum claritas. Deus namque testis falsus esse non potest, sed inuocatus à sanctarum scripturarum concionatoribus, vt fidem faceret suæ scripturæ, creberrimis miraculorum signis, suorum doctrinam concionatorum firmauit: dubium ergo nullum esse potest, quin verissima sit illorum doctrina. *Domine*, inquit ille, *si error est, a te decepti sumus; nam tantis signis confirmata sunt quæ non nisi per te fieri potuerunt.*

Miracula.

Obiectio.

Sed *dicet aliquis*, miracula edita non fuisse: aut illis fidendum non esse; quandoquidem & Antichristus sit etiam facturus miracula. Ad primum respondet August. lib. de ciuit. Dei. *Si ista miracula facta non credunt; hoc nobis vnum grande miraculum sufficit, quod tam terrarum orbis, sine vllis miraculis credidit.* Si quod credimus, dicatur incredibile esse, non minus erit incredibile, homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos, rem tam incredibilem, tam efficaciter, mundo, & in illo etiam doctis persuadere potuisse.

Grande miraculũ.

Mundus ergo illis non credidisset, nisi per illos aliqua miracula facta fuissent, quæ diuinam potentiam aperte testata sunt. Propterea, inquit Augustinus, exiguo numero ignobilium, infimorum, atque imperitorum hominum credidit mundus; quia in tam contemptibilibus testibus multo mirabilius diuinitas seipsam persuasit. Quid enim incredibilius, quam vt ad legem contrariam carni & sanguini, doctores pauci, rudes ac pauperes possent plurimos potentes, ac sapientes conuertere? sic Paulus è persequutore, factus est Ecclesiæ doctor: Dionysius è Philosopho, Pauli discipulus &c. Recte ergo locutus est Augustinus: An

lib. ciuit. 10. c. 18.

Vera miracula.

dicet aliquis, inquit, ista falsa esse miracula, nec fuisse facta, sed mendaciter scripta? Quisquis hoc dicit, si de his rebus negat omnino vllis literis esse credẽdum, potest etiam dicere, nec Deos vllos curare mortalia; non enim se aliter colendos esse persuaserunt; nisi mirabilibus operum effectibus: quorum & historia gentium testis est: quarum dij se ostentare mirabiles potius, quam vtiles ostendere potuerunt. Idem quoque Gregorius confirmat: *Si libris magicis*, ait, *siue quod homines putant theoricis credunt; quid causæ cur illis literis nolunt credere ita facta esse? quædam enim facta non nisi animis veritati aperte repugnantibus, negari possunt: in quorum numero beati Syluestri miracula coram Constantino facta, possunt haberi*

Syluestri miracula.

Ad 2. respond. quod si quis inuocatus in testem, consuetum testificationis signum adduci, seu fieri permiserit, præsensque non contradixerit; talis profecto taciturnitas cum perfecta veritate non semper stabit: miraculum autem est signum Dei sic testificantis. Si igitur permiserit miracula à dæmonibus fieri, ac testimonium nullum præstiterit illa vera non esse; non esset perfecte verax dicendus: quod nefas est de Deo sentire. vnde *Matth.* 24. Antichristi miracula, mendacia atque fallacia fore longe ante prædixit. Augustin. *in lib. de vtilit. credendi, cap.* 16. Authoritatem Ecclesiæ, partim miraculis, partim multitudine valere nemo ambigit. Miraculum voco quicquid arduum, aut insolitum supra sensum, vel facultatem mirantis apparet. In quo genere nihil est populis aptius & omnino stultis

Antichristi miracula.

Miraculũ quid sit.

Scripturæ dignitas.

hominibus, quam id, quod sensibus admouetur. sed hæc in duo diuiduntur: quædam enim quæ solam faciunt admirationem, quædam magnam etiam gratiam beneuolentiamque concilient. Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi præter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. si quis autem graui & desperato morbo affectus, mox vt iussum fuerit, conualescat, admirationem sanitatis suæ; sanantis etiam charitate superabit. Talia facta sunt in illo tempore, quo Deus in vero homine, quantum sat erat hominibus, apparebat: sic in se animas errantes mortalium, diuina commouebat authoritas. Cur, inquis, ista modo non fiunt? quia non mouerent, nisi mira essent. Ad si solita essent, mira non essent. Adde, quædam miracula in lege Christiana facta esse, de quibus non licet ambigere, quin, Deo authore, facta sint: cuiusmodi est raptus Pauli, & reuelatio contingentium futurorum; fieri namque non potest, vt aliquis decipiatur, dum credit se diuinam essentiam videre. sed Paulus in suo raptu teste Augustin. vidit diuinam essentiam: vera ergo & non apparens tantum fuit illius visio. Sane, circa aliquod primum principium nemo decipi potest, credendo se illud intelligere, cum non intelligat, alioqui quale esset principium, ex apprehensis terminis minime constaret, multo ergo minus decipi potest circa Deum visum. Conseq. valet, plus enim distat Dei visio à cuiuslibet obiecti intellectione, quantum ad intellectus deceptionem sic iudicantis, quam principij intellectio ab intellectione non principij cuiuscunque. Amplius, quomodo intellectus crederet se quietari, si quietem non haberet: poterit ergo suam inclinationem, ad verum, quod non videt, cognoscere. Si crederet se videre Deum, in Deo se quietari crederet: si non videt, non quietatur. *Stultius*, ait Augustin. *nihil dici potest, quam quod falsa opinione anima sit beata.* Ad Antichristum autem dici posset. Si tu es Deus, fac me videre essentiam diuinam nude & post visionem, memoriam, ac certitudinem habere, quod illa vera extiterit diuina essentia. Item, dic mihi, quid modo cogito? Falsa erunt ergo futura Antichristi miracula. 9.

Duplicia miracula.

Raptus Pauli.

2. Cor. 12.

Circa visionem Dei non contingit error.

lib. 2. contr. 4.

Responsio ad Antichristum.

Testimonia aliorum.

l. 18. ant. 4.

Nona ratio à testimonio eorum, qui foris sunt, accipi potest, cuiusmodi fuit Iosephus, qui de Christo domino nostro præclare scripsit: *Fuit*, inquit, *his temporibus Iesus sapiens vir, si tamen eum virum nominare fas est; erat enim mirabilium operum effector: & doctor eorum hominum, qui libenter ea, quæ vera sunt, audiunt: & multos quidem Iudæorum, atque gentium sibi adiunxit. Christus hic erat, quem accusatione eorum nostræ gentis virorum cum Pilatus in crucem agendum esse decreuisset, non defuerunt hi, qui eum ab initio dilexerunt, post tertium diem e mortuis surrexisse. atque viuere secundum quod prophetæ diuinitus inspirati prædixerunt, sed vsque in hodiernum diem, Christianorum, qui ab ipso nuncupantur, perseuerat genus.* Alia gentilium testimonia posita sunt in primo libro Pymandri. Decima ratio, mul- 10.
torum conuersio ad Christianam veritatem & fidem: plurimi enim ad fidem nostram conuersi, mox è maximis peccatis in magna pietatis, atque sanctitatis opera migrauere. Denique magna Christianorum multitudo, non sine ingenti animæ gaudio, mortis supplicium perpessa est: quod profecto, Deo authore, factum esse, minime dubitare possumus. Itaque in scriptura diuina sufficientissime illa cognitio supernaturalis, homini viatori, necessaria inuenitur. nam & ipsa docet, quis sit is particularis finis hominis, nempe visio, & fruitio Dei: & quæ sint necessaria ad finem. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: de quibus omnibus alio loco latius, Deo fauente, me locuturum spero.*

Conuersio multorum.

Epilogus.

Obiectiones.

Sed *posset aliquis* obijcere: Cognitio necessaria nunquam defuit generi humano. sed sacra scri- 1.
ptura non fuit in lege naturæ; Moyses enim primo scripsit quinque libros, in quibus tota scriptura non habetur:
ergo &c. Item quicunque humanarum scientiarum au- 2.
thor, quo acutior est intellectu, eo breuitatis extitit amantior, ac superfluitatis resecator. sed in sacra scriptura multa videntur absurda contineri, vt pote cæremoniæ, ac historiæ veteris legis: quarum cognitio non videtur esse
ad salutem necessaria: ergo quod prius. Item, mul- 3.
ta sunt ad salutem necessaria, quæ ex sacra scriptura nequaquam sciri possunt, videlicet, verum sint peccata
mortalia, & similia: ergo &c. *Respond.* ad primum, at- *Solutiones.*
que dico, legem naturæ paucioribus fuisse conten- 1.
tam, quæ memoriter à patribus filiis tradita sunt. Insuper, homines illius temporis fuerunt magis imbuti scientia naturalium; idcirco modica doctrina inspirata
potuit eis sufficere. *Ad* 2. ex toto scripturæ processu, Dei 2.
circa hominem, ac vniuersi naturam patet ordinata
guber-

Deus est gubernatio; conferunt enim ad deuotionem fidelium, quæ expressa sunt in nouo Testamento, in veteri sub figuris velata fuisse. Ad 9. Origenes homel. de arca Noæ, Nam, inquit, scientia omnia secunda explicauit; sed illa ex quibus possunt alia sufficienter elici: vnde multa veritates nouo Testamento, non tamen exprimuntur, tametsi in ea virtualiter continentur. sicut conclusiones in principiis: in quarum expositione inuestiganda, expositorum, & quidem doctissimorum labor necessarius extitit. Quod si dixeris multa esse in actibus humanis dubia, verum sint peccata mortalia, etiam omnium expositorum doctrinis suppositis. Dico, non esse dubiam atque incertam viam salutis simpliciter: quandoquidam ab huiusmodi, tanquam à maximis periculis homo debeat sibi cauere, ne dum se incaute exponit periculo, peccando, pereat in illo. Quod si noluerit quærere salutem, sed paruifaciendo, quæ non assent illi paruifacienda, se periculo exponat, qui erat actus non quidem peccatum mortale ex genere; propterea quod non curauit se tali exponere periculo, peccat mortaliter. Id autem ei competit qui veritatem doctrinæ inquirere noluit. quia noluit intelligere, vt bene ageret.

Homo cauere sibi à periculo.

MERCVRIVS.

Ante oculos quidem id reliqua ponit, ipsum vero secretum: vtpote quod vita fruitur sempiterna.

Commentum II.

Expositio.

Maximis quæstionibus, veluti ex profundissima abysso, beneficio nostri Pymandri, ad portut quietem deducti, sapientissimi Mercurii verba eo libentius prosequimur, quo delectabiliorem, vtilioremque nobis offerunt materiam interpretandi. Etenim postquam dixit, Deum nunquam deesse; sed vbique sese ingerere omnibus videndum, atque cognoscendum; subiungit: *Ante oculos quidem*, &c. Sensus est, opera sua fecit & visu, & auditu facilia, ipso in adytis manante, propterea quod *vita fruitur sempiterna*. Nam sicut vita animalis à nobis non videtur, sed ex motu animalis vitam illius percipimus, vita enim est motus, & actus viuentis; ita plane Deum corporeis oculis nequaquam cernimus; sed illum vita frui sempiterna intelligimus, propter motum, quem omnibus præstat: ideoque sæpe à philosophis vocatus est anima mundi. Vnde Mercurius dial. 9. dicit, mundum à Deo vitam accipere, sicque cæteris vitam ministrare: *Mundus, inquit, est diuinæ voluntatis organum: nec quicquam est, est, cui vitam mundus ipse non præstat, simulque vita locus est.* Et dial. 10. *Vna est anima, id vita mundi, a qua aliæ animæ profluunt:* id est, & factæ sunt & vitam habent. Et dial. 11. clarissimo exemplo proposito, docet, à Deo in omnia opera, quæ sunt vitæ capacia, motum, atque vitam diffundi: *Si quando, inquit, instinctum suum ipse subtraxerit, deficiente vita, in mortem corruerent vniuersa: nam o suauissime Mercuri, Deus vita est, bonum, & pulchrum.* Cum vero viuant omnia, vna sit vita cunctorum: vnus ergo Deus. Rursus, si omnia viuentia sunt, & quæ in cœlo videntur, & quæ iacent in terra; vna autem vita cunctorum manat ex Deo, atque ipsa etiam ipse Deus. In primo Pymandri disputando differuimus, quomodo Deus vita nominetur; propterea pauca sunt nobis subscribenda, ea præsertim, quæ à Dionysio diuinitus descripta sunt: *Deus, inquit, est vita æterna, ex qua omnis vita, & sub qua per omnia quomodolibet viuentia, viuere pro modo cuiusque, diffunditur. Iam vero immortalium angelorum vita, immortalis atque, & perseuerantia illa sempiterna motionis angelica ex ipsa perque ipsam est, atque subsistit. Ex seipsis autem non habent, vt sint immortales, & æterne viuant, sed ex causa illa viuifica vniuersam vitam effluente, & continente. vtique & vitam natura gratie, & gloriæ effusit, & consecuat. subiungit postea exemplum, vnde facilius declaret, quam bene Deo vita tribuatur: Quemadmodum, inquit, dixi in ente, Deumque appellans entis æternitatem; ita & nunc ipsum appello vita superiorem, hoc est, esse ipsum vitæ causam viuificantem atque firmantem. Omnis sane vita motusque vitalis ex illa vita procedit, quæ superat omnem vitam, & omne omnium vitæ principium. Ex illa præterea immortalitatem habent animæ: ex illa animalia omnia viuunt illius vita munere: fonte sublato, iuxta diuinum eloquium, deficit omnis vita, sed quæ participanda ipsius infirmitate defecerant, illuc conuersa iterum reuiuiscunt. Ipsa autem vita dat quidem primum vniuersæ vitæ hoc ipsum, vt sit vita: ac rursus vnicuique vita, vt sit proprium quodlibet, quod naturaliter esse debeat.* Sensus est, Deus largitur viuentibus nō solum communem vitam; sed omnes etiam vitarum species, singularesque viuendi proprietates: atque supercœlestibus vitis, siue angelis immaterialē, & diuinam immutabilemque immortalitatem, sempiternum quoque motum nusquam vergentem, val inclinantem. Sensus est, angelorum vita non patitur aliquam vicissitudinem viuendi, quia perpetuo motu amoris in Deum feruntur. *Præterea, propter copiam bonitatis vsque ad dæmoniacam vitam sua munera porrigēs. hæc enim non ab alia causa prouenit, sed ex ipsa, & quod sit vita, & quod permaneat, habet; hominibus autem, velut compositis, quantum accipere licuit, vitam cōdonantis angelicam, atque ex effusis clementia nos etiam illinc diuersos ad se conuertit, & reuocat. quod autem longe diuinius est, Deus ipse nos integros, animas, inquam, & socia corpora ad perfectam immortalemque vitam traducere pollicetur. Mysterium profecto, quod vetoribus præter naturam quidem videri possit: nō est autem supra naturam illam omnipotētem, apud quam est vitarum omnium natura. Itaque ex prima vita viuificantur, atque fouentur animalia omnia atque plantæ. Iam vero siue intellectualem etiam dixeris, siue rationalem, siue sensualem, siue nutritoriam, seu auctiuē, siue qualemcunque vitam, vel vitæ principium, vel essentiam vitæ, ex ipsa viuit, atque viuificat, quæ omnē supereminet vitam. In ipso quinetiam secundum causam singulariter antè existit; vita enim illa omni vita superior, omnique vitæ principium, non solum vitā procreat, sed fæcundat etiam, & implet, atque distribuit. Quamobrem ex omni vita celebranda est, propter fœcunditatem suam vitas omnes mirifice propagantem. vnde tanquam omniformis, omniumque vita cogitatur, atque laudatur: nullius indiga bene ducitur.* Hæc Dionysius. Apud philos. legitur quod viuere sit esse in viuentibus. igitur Deus, qui est suum esse, est sibi vita, & quidem sempiterna; quia esse suum est sempiternum: non ab alio, quam à semetipso. vnde Plato dixit, Deum seipsum gignere, quia nimirum a se absolutus est, & nullius indigus, ipsum sibimet est principium æternum, & à se habet quod est. Quæ res in seipsum æternitatem demonstrat, & omnino genus aliud rei ac substantiæ quam simus ipsi, qui pendemus ab illo. Quam ob causam vocat eum Plato mirabilem artificem: admirandæ sapientiæ architectum naturæ opificem: verum rerum procreatorem. Sane, illa viuere dicuntur, quæ ex seipsis operantur, & non quasi ab aliis mouentur: inter mouentia vero id excellit, quod per intellectum mouetur. Quare perfectior viuendi modus est eorum, quæ habent intellectum, quia nimirum perfectius mouent seipsa. Huius autem rei argumento nobis esse potest virtus intellectiua in vno eodemque homine, à qua potentiæ sensitiuæ mouentur, & ab illis vicissim organa, quæ motum exequuntur. Cæterum quamuis noster intellectus, quoad aliqua se moueat, quoad multa vero, mouetur ab alio, nam nonnulla sunt illi a natura præstituta, puta prima principia, circa quæ non potest aliter se habere & vltimus finis, quem non potest non velle: illud igitur, cuius natura est ipsum intelligere, & quod habet, à se habet; id profecto obtinet summum gradum vitæ. cuiusmodi est Deus. Quam ob rem philosophus postquam ostendit Deum intelligere, concluuit, vitam habere perfectissimam, atque sempiternam: propterea quod intellectus eius est perfectissimus, & semper in actu. Viuere ergo Dei est intelligere. Vnde, cum idem sit in Deo intellectus, & quod intelligit, est ipsum intelligere, proculdubio, quicquid est in Deo, vt intellectum, illius vita nominatur: cum autem omnia facta à Deo sint ab eo intellecta, sunt ergo in ipso ipsa vita diuina. Vnde Ioan. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Fauet, inquit Augustinus in suo commentario, *primo in arte habes arcam: si enim in arte arcam non haberet, non esset vnde fabricando illam proferret. sed arca sic est in arte, vt non ipsa arca sit, quæ videtur oculis. in arte inuisibilis est, in opere visibilis erit. Ecce facta est in opere, nunquid desiuit esse in arte. Et illa in opere facta est, & illa manet quæ in arte est; nam potest illa arca putrescere, & iterum ex illa, quæ est in arte fabricari.* Arca igitur in opere non est vita; arca in arte vita est quia viuit anima artificis, vbi sunt ista omnia antequam proferantur. sic ergo sapientia Dei per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia. hic quæ fiunt per ipsam artem, non continuo vita sunt; sed quicquid factum est, in ipso vita est. Cœlum, luna, sol, & omnia elementa in arte vita sunt, foris vero corpora sunt. *Sed dices,* Augustinum in lib. de vera religione dixisse, substantiam viuentem esse meliorem substantia non viuente: si igitur ea quæ in seipsis non viuunt, in Deo sunt vita: res ergo verius sunt in Deo, quam in seipsis: quod est falsum; siquidem in seipsis sunt in actu, in Deo autem sunt in potentia. *Dico,* res naturales verius in mente diuina, quam in seipsis esse simpliciter habere. quippe quæ inibi increatum, in seipsis vero esse creatum habeant. Verum, esse hoc, vtpote homo, vel equus, in propria natura verius esse habent, quam in mente diuina; quandoquidem ad hominis veritatem spectet esse materiale: quod quidem

Vita motu facitur. — Deus est vita. De diuin. nomi. ca. 6. Deus dat vitam Angelis. — Deus est causa omnis vitæ. — Deus est vita. Vita Angelorum immutabilis. Vita est Dæmonum. Vita hominum. Multiplex vita. 2. de an. t. 37. Plato. Deo conuenit vita. 12. met. Viuere Dei est intelligere. In ipso vita erat. August. Res verius in Deo quam in seipsis.

Deus est vita.

quidem non habent in mente diuina. Sic etiam domus nobilius esse habet in mente artificis, quam in materia. verius nihilominus dicitur domus, quæ est in materia, quam quæ est in mente, hæc enim in actu, illa vero in potentia est. *Sed iterum dices* quemadmodum à Deo bona sciuntur, & ea quæ fiunt secundum aliquod tempus, ita plane, & mala, quæ nunquam fiunt. si ergo omnia sunt vita in Deo, in quantum sunt scita ab ipso, mala etiam, quæ nunquam fiunt, sunt vita in Deo, quia sunt scita ab eo. quod est inconueniens & falsum. *Dico*, quod quamuis mala sint in Dei scientia, quatenus ab illa comprehenduntur, non sunt tamen in Deo, sicut creata, vel conseruata ab ipso. neque sicut rationem in Deo habentia; cognoscuntur enim à Deo per rationes bonorum. vnde dici non potest, quod mala sint vita in Deo: ea vero quæ pro nullo tempore erunt, possunt dici esse vita in Deo, quatenus viuere nominat intelligere tantum. nõ autem quatenus denotat operationis principium. Itaque, Deus est vita sempiterna, & causa vt alia viuant. Vitæ autem nomen ex quodam apparenti sumitur, quod est mouere seipsum: non tamen huius rei gratia significandæ hoc nomen impositum est; sed potius substantiæ manifestandæ causa, cui competit secundum suam naturam mouere seipsam: vel agere se quocunque modo ad operationem. atque ita aliud est nihil, quam esse in tali natura, & vita hoc ipsum significat, sed in abstracto: sicut hoc nomen cursus, significat currere in abstracto: proinde viuum non est accidentale, sed substantiale prædicatum. Sumitur quandoque vita minus proprie, pro vitæ scilicet operationibus, à quibus nomen vitæ assumitur: sicut dicit philosophus 9. ethic. quod viuere sit principaliter intelligere, & sentire. *Sed dicet aliquis:* Nihil diuiditur, nisi per ea, quæ sunt sui generis. sed viuere per quasdam operationes diuiditur *2. de anima tex. com.* 13. vbi vitæ actionis quatuor genera ponuntur: quorum vnum est intelligere: secundum sentire: tertium moueri, & quiescere in loco: quartum nutriri, augeri & diminui. vita ergo est quædam operatio. Item, vita actiua, alia est à vita contemplatiua. sed contemplatiui, per operationes ab actiuis secernuntur: ergo quod prius. Adde, quod cognoscere Deum, sit quædam operatio, quæ quidem est vita, authore domino Iesu: *Hæc est vita æterna: vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. vita ergo est operatio. *Resp.* ad primum, atque affirmo, philosophum ibi Viuere accepisse pro operatione vitæ, vel sentire & intelligere, & huiusmodi. interdum pro quibusdam operationibus sumuntur, quandoque vero pro ipso esse sic operantium; viuere enim, vt dicitur 9 *eth.* est sentire, vel intelligere, id est, habere naturam ad sentiendum, vel intelligendum: atque secundum hunc modum, viuere in quatuor vitas philosophus distinxit. siquidem in istis inferioribus quatuor sunt genera viuentium sicut facillime potest cognosci. Ad 2. dico, eorum esse opera vitæ, quorum principia in operationibus consistunt, vt seipsos in tales operationes inducant. Contingit autem hominibus inesse non solum aliquorum naturalia operum principia, naturalis scilicet potentiæ, verumetiam quædam superaddita, nempe habitus, ad quædam operationum genera inclinantes, quasi per modum naturæ, illasque operationes delectabiles reddentes. A simili ergo dicere possumus, illam operationem, qua homo delectatur, & ad quam est maxime propensus, & in qua conuersatur, hominis vitam appellari. sic quidam luxuriosam, alii vero honestam vitam agere dicuntur. Hoc autem modo contemplatiuam ab actiua vita discretam esse dicimus: sicque etiam cognoscere Deum, vita æterna nuncupatur. Itaque Deo proprie competit viuere, quia est suum esse eius operatio, nempe intelligere, est æterna, nullamque patitur mutationis vicissitudinem. habet ergo supremum gradum vitæ, eumque proprium, atq; æternum. Recte ergo dictum est à Mercurio, Deum frui vita sempiterna; quia nimirum fruitur suo esse, suoque intelligere: ideoque seipso beatus, & diues: in animantibus vero, vita ex motu percipitur: proinde ait Philosophus, vitam in animantibus manifestam esse. vnde tamdiu animal viuere fatemur, quamdiu in illo motum deprehendimus.

Quod mala non sint vita in Deo.

Vita nomen.

Vita quid.

Obiectiones.

1\.

Vita actionum quatuor genera.

2\.

Ioan 17.

Solutiones.

1\.

2\.

Quod delectat dicitur vita.

Cognoscere Deum vita æterna.

Frui vita æterna.

Lib. de vegetab.

QVAESTIONIS PRIMAE
CAP. I.
Deum esse subiectum Theologiæ.

CVM Deus sit vita æterna per essentiam, & fons omnis vitæ, sicut diuina testantur eloquia; non temere quærendum putaui, verum ipse sit primum, & immediatum subiectum Theologiæ. Ad quod quidem dico. duplicem esse Theologiam, alteram quidem in se, quæ profecto notitia est nata haberi de obiecto theologico in intellectu sibi proportionato cuiusmodi est intellectus diuinus, qui solus est capax obiecti diuini. Siquidem quælibet cognitio in se, est illa notitia, quæ nata est haberi de obiecto eius, quatenus natum est manifestare se intellectus proportionatus. cognitio autem eadem in nobis est illa, quæ nata est haberi in nostro intellectu de illo obiecto intellecto. Theologia autem in nobis est talis notitia, qualem natus est habere intellectus noster de obiecto theologico. Exemplum Si aliquis intellectus geometrica intelligere nequiret, alicui tamen de geometricis credere posset Geometria vtique esset sibi fides non scientia, esset tamen in se scientia: propterea quod obiectum Geometriæ natum esset in intellectu proportionato facere de se scientiam. Porro, Theologia non solum necessarias, sed etiam contingentes continet veritates: omnes enim veritates, siue quatenus Deus est trinus, & vnus; siue quatenus vna persona diuina refertur ad aliam, vt quod filius generetur à patre, & huiusmodi, ad Theologiam pertinent. Similiter & veritates cõtingentes, videlicet Deũ mundum fabricasse: filium, carnem induisse humanam, & quæ sunt generis eiusdem ad extra. Post hæc, non ignorare debemus, ad primum subiectum alicuius scientiæ pertinere, vt omnes veritates illius scientiæ virtualiter contineat; oportet enim causam adæquatam, totum suum effectum virtualiter continere. *Dico* autem primo virtualiter continere, non dependere ab aliis in continendo. Reuera, primum obiectum, immediatas continet propositiones, quia nimirum istarum subiectum continet prædicatum, id est, necessariam habitudinem prædicati ad subiectum: atque totius propositionis euidentiam. Immediatatum ergo propositionum subiectum illius rei habitus, ad quam inclinant, continet veritates omnes. *Amplius*, primitas hic accipitur ex diffinitione Vniuersalis primi posteriorum, secundum quod adæquationem denotat: obiectum autem se habet ad habitum, sicut causa ad effectum: non est autem causa adæquata, nisi primo virtualiter totum contineat effectum: obiectum igitur non adæquaretur habitui, nisi omnia virtualiter contineret, ad quæ considerata talis habitus inclinat; alioqui obiectum habitus excederet. His ergo præmissis, atque elucidatis, dico, theologiæ in se; quoad necessarias ipsius veritates, Deum esse primum, & immediatum subiectum; siquidem, ad primum obiectum attinet, omnes illius habitus, cuius est primum obiectum veritates virtualiter continere. Sed nihil virtualiter omnes veritates theologicas continet, nisi solus Deus: igitur est primum, & immediatum theologiæ subiectum. Patet minor: Nihil namque aliud eas continet vt causa, siue vt illud, ad quod habeant attributionem, nisi Deus: quippe qui nulli alteri attribuitur. nec aliquod eas continet, vt effectus demonstratione quia; Deum namque esse trinum, & vnum, quæ est potissima veritas theologica, nullo effectu demonstrari potest. *Amplius*, de his est theologia, quæ soli diuino intellectui sunt naturaliter cognita: est ergo de aliquo soli DEO naturaliter cognito. Etenim, si illa est de aliquibus rebus, quæ sunt aliis mentibus, siue intellectibus naturaliter cognitæ præter ista ergo, aliqua alia erunt, quæ soli Deo erunt naturaliter nota qui cum sit infinitus plura potest cognoscere, quam intellectus finitus. sed solus Deus est sibi naturaliter notus: patet, quia omnis essentia creata, alicui intellectui creato potest esse naturaliter nota. Soli ergo intellectui increato, siue diuino, essentia increata est naturaliter nota. *Item* Non ita distincta in aliqua scientia traditur cognitio de aliquo aliquo, quod non est primum illius scientiæ subiectum; ac in illa, quæ est de illo, vt de suo primo subiecto: quia scilicet in nulla scientia de non per se subiecto, sicut de per se eius subiecto distincta traditur cognitio. Tunc enim nõ esset ratio, quare ipsum, magis quam aliud illius esset scientiæ subiectum. Si itaque Deus non sit subiectum theologiæ: non igitur de Deo distincta in theologia traditur cognitio: sicut in aliqua alia traderetur scientia, cuius Deus esset subiectum: atque ita illa scientia esset prior ista. quod est falsum. *Deinde* theologia pro aliqua parte sui est sapientia, authore Augustino 14. de Trinit. cap. 1. & pro aliqua parte est scientia: quare, si non esset de aliquo formaliter æterno; de illo vtique scientia esset, & non sapientia aliquo modo: non quidem ex primo subiecto, nec etiam ex attributione; quia æterna non attribuuntur temporalibus. *Item*, superior portio rationis, aliquam habet perfectionem propriam sibi respondentem quæ quidem si esset de re non æterna, vt de primo subiecto, cum æternum

Deus est vita.

Duplex Theologia.

In se.

In nobis.

Theologia continet veritates necessarias & contingentes.

Primum subiectum continet virtualiter omnes veritates.

1. Ratio.

2\.

Primum subiectum continet virtualiter omnes veritates.

1\.

2\.

Deus solus sibi naturaliter notus.

3\.

4\.

5\.

non

Deus est subiectũ theologiæ. non attribuatur ad non æternum; theologia ergo non esset de æternis: sicque nullo modo superior rationis portio ab ea perfici possat. Aliquis ergo esset habitus intellectus isto omnino nobilior, à quo illa rationis portio esset
6. perficienda: quod est falsum: ergo quod prius. *Præterea*, ista
14. Trin. c.1. scientia est de illis rebus authore Augustino, quibus fides gignitur, defenditur, & roboratur: est ergo de illo eodem subiecto, quod est primum subiectum fidei. sed fides est de prima veritate: & theologia ergo similiter.
7. *Sane*, nobilissima scientia est circa nobilissimum genus, 6. meth. & primo de anima. sed theologia est nobilissima
8. scientia: est ergo de Deo, vt de primo subiecto. *Iterum*, Deus est subiectum theologiæ in se quantum ad veritates contingentes, non quidem tanquam virtualiter continens veritates huiusmodi; sed tanquam principium cognoscibile, siue intibile (vt ita dicam) cui primo inest prædicatum primæ veritatis contingentis; ad huiusmodi enim veritates, & ad oppositas, Deus ex se æqualiter se habet: Omnes præterea veritates contingentes, ad Deum, de quo etiam, vt trino, sunt multæ tales, vltimam habet
9. attributionem. *Præterea*, nostræ theologiæ, quoad rationem primi, & perfectissimi nobis noti, ens est primum subiectum: quoad vero ad rationem virtualis continentiæ,
Ens obiectum intellectus. est ipse Deus: Ipse enim (vt dixi) continet virtualiter omnes veritates theologicas tanquam causa, siue tanquam id, ad quod attribuuntur. ipsa vero nulli alii attribuitur: neque tanquam effectus; quoniam nullus est in creatura effectus virtualiter continens illam veritatem, DEVS est trinus. Primum autem patet; quia perfectissimus conceptus, quem de subiecto Theologiæ in se possumus habere, est conceptus entis infiniti, à quo intelligimus Deum, & continere eminenter, & excedere omnia. Secundum quoque est manifestum; nostra enim Theologia de eisdem rebus est, de quibus & Theologia in se: Deus tamen non est nobis obiectum, largiens nobis euidentiam; propterea quod non est nobis notus: ast tamen ex se subiectum virtualiter continens veritates theologicas, natum-
10. qua facere euidentiam, si cognosceretur. *Amplius*, illud est primum obiectum, seu subiectum scientiæ, quod scientiam primo respicit, & per illius rationem omnia alia secundum quamlibet similitudinem, vel attributionem ad ipsum: sic coloratum est primum obiectum visus. sed Deus in Theologia ita se habet; hanc enim habens scientiam ad ipsum primo respicit, & per ipsum ad alia: sicut patet in intuitiua, cuius primarium obiectum, est essentia:
Deus est subiectum theologiæ sub ratione deitatis. & in abstractiua similiter, cuius repræsentatiuum, vel medium primo repræsentat essentiam. Quod ergo Deus sit subiectum Theologiæ, ex præmissis patet. Posthæc, operæpretium erit scire, Deum esse subiectum Theologiæ, sub ratione qua est hæc essentia, siue sub ratione Deitatis: sicut & perfectissima est scientia de homine, qua intelligitur esse animal rationale; non autem sub aliqua ratione vniuersali, vel accidentali. Etenim homo potest considerari, vt animal rationale, vt substantia, vt natura mansuetum, vt nobilissimum animalium. Et primum quidem pertinet ad quidditatiuam hominis rationem: secundum vero communem rationem intuetur: tertium autem propriam passionem. vltimum denique rationem respectiuam. Non est autem perfectissima de aliquo notitia sub ratione respectiua, notitia enim respectus præsupponit notitiam absoluti, nec sub alicuius passionis ratione; propterea quod passio præsupponat subiectum: nec sub ratione communi; quia est confusa notitia. Reliquum igitur est, vt perfectissima, nobilissimaque alicuius noti-
Tres opiniones. tia sit secundum rationem quidditatiuam. Itaque, Deus non est subiectum Theologiæ sub ratione respectus ad extra, puta sub ratione reparatoris, vt quorundam fuit sententia; neque sub ratione attributali, quæ est quasi passio, neque sub ratione boni: neque sub ratione communi, videlicet sub ratione entis; sed est subiectum sub ratione Dei-
Confutantur. tatis. Reuera, nullus conceptus de Deo sub respectu illorum trium, quæ dicta sunt, veritates Theologicas pertinentes ad pluralitatem personarum virtualiter continet; omnis siquidem talis conceptus de Deo, à nobis natura-
1. liter cognosci potest: ergo & propositiones immediatæ,
2. quæ de talibus conceptibus habentur. Et ita per huiusmodi propositiones immediatas, theologicæ veritates sciri poterunt: & demum tota theologia naturaliter posset acquiri, atque haberi: quod est falsum omnino. Sane, nobilissima scientia, vt dixi, nobilissimum habet subiectum. Theologia autem est nobilissima scientia, authore August. 12. de ciuitate Dei: nobilissimus vero conceptus de Deo, est conceptus sub ratione Deitatis: ergo quod prius.

Amplius, conceptus communes non sunt soli Deo natura- *Deus est subiectũ theologiæ.*
liter noti: nec ergo veritates in illis omnibus inclusæ conceptibus, de quibus est Theologia. Quare si Theologia esset de Deo sub ratione communi; non esset vtique soli Deo naturaliter nota: cuius oppositum paulo ante demonstra- 3.
ui. Item, cognitio eius quod quid est, est perfectissima, 4.
7. meth. igitur cognitio de Deo sub ratione essentiæ, est perfectior cognitione de eodem, sub aliqua ratione proprietatis alicuius attributalis, quæ, teste Damasceno *lib. 1. cap. 4.* se habet quasi passio huius naturæ. Adhæc, si istæ 5.
proprietates ab essentia realiter differrent; essentia vtique esset ipsarum causa realis. Quare, sicut differunt ratione; ita essentia ex sua ratione habet rationem incausari: illæ vero, etsi per identitatem cum essentia sint incausatæ, secundum tamen ipsam rationem formalem, non primo includunt incausationem sui. Denique, id, pro sua ratione 6.
formali in se actuale esse videtur, cui magis repugnat communicabilitas ad extra. sed essentiæ repugnat communicabilitas ad plura ad extra: non autem alicui proprietati attributali, nisi quatenus est illius essentiæ, vel idem illi essentiæ quantum infinitæ. Deus ergo non est subiectum Theologiæ sub aliqua proprietate attributali. Quod *si dixeris*, quamlibet Dei proprietatem esse infinitam, & consequenter incommunicabilem. *Respondeo*, infinitatem huiusmodi in illis inueniri, ob identitatem, quam habent cum essentia: quæ est radix, & fundamentum omnis perfectionis intrinsecæ. Amplius, Deus non est subiectum 7.
Theologiæ sub ratione alicuius respectus ad extra, respectus namque ad extra, est respectus rationis. sed scientia, quæ non considerat subiectum suum sub ratione reali, non est realis: sicut nec logica est realis, licet de rebus consideret, quatenus illis secundæ intentiones sunt attributæ. Theologia ergo non esset realis scientia: quod est plane falsum. Iterum, absolutum, & respectiuum, aliquem 8.
vnum conceptum per se nequaquam conficiunt: conceptus ergo, illa duo in se aggregans, esset vnus conceptus per accidens. Atqui nulla scientia prima, est de conceptu 9.
vno per accidens, præsupponeret namque duo, quæ de partibus illius totius separatim agerent. Quare, si Theologia esset de tali vno conceptu; profecto illa scientia, quæ esset de vno conceptu per se, theologiam præcederet; quod est falsum. Præterea nullus respectus ad extra Deo competit necessario: nihil ergo theologicum Deo necessario conueniret. nec ergo subiectum Theologiæ. Consequentia patet: quod enim conuenit alicui sub ratione non sibi necessario inhærentis; profecto illi non necessario conuenire probatur. sed omnis respectus ad extra est huius modi: si ergo Deus est subiectum Theologiæ per respectum ad extra. nulla ergo veritas Theologica esset necessaria. quod est absurdum & impium. Ex his ergo potest esse perspi- *Christus non est primum subiectum Theologiæ.*
cuum, Christum non esse primum subiectum Theologiæ; tunc enim veritates theologicæ dici non possent; quæ de Patre, & Spiritu sancto veritates necessariæ esse probantur: nempe Patrem generare, Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio: nec etiam veritates contingentes, quod scilicet Spiritus sanctus creat per Filium, & Spiritus sanctus missus sit temporaliter tum visibiliter, tum inuisibiliter: nec veritates necessariæ de Deo trino, videlicet quod 1.
sit omnipotens, immensus: nec contingentes, quod Deus creat, & gubernat mundum, remittit peccata, punit, & præmiat. Huiusmodi autem conclusiones sic possunt esse manifestæ: Ad nullam scientiam per se pertinet aliqua ve- 2.
ritas: nisi de primo subiecto fuerit, aut de aliquo essentialiter ad subiectum attributo. sed Pater, vel Spiritus sanctus, aut ipsa Trinitas non est Christus, nec pars subiectiua, aut integralis, vel essentialis subiecti hoc modo dicti; Christus enim duas complectitur naturas. proinde quatenus habens naturam creatam; esset essentialiter prior Patre, Spiritu sancto, & denique ipsa Trinitate; siquidem essentialis attributio est ad essentialiter prius. Christus præterea secundum diuinitatem, non habet aliquam talem prioritatem, secundum quam Pater posset ad ipsum attribui, vel ipsa Trinitas. Amplius, veritates de Patre, & de 3.
Spiritu sancto, atque de ipsa Trinitate necessariæ, in Christo virtualiter primo nequaquam continentur; verbo enim & non incarnato, illæ veritates nihilominus necessariæ fuissent. Item, si non esset de Deo aliqua tradenda 4.
notitia, nisi: vt includitur in Christo; profecto de Deo distincta minime tradi posset notitia: atque ita alia esset prior requirenda. Iterum, illa vnitas Christi, vt supposi- 5.
ti in duabus naturis, non est æterna, quam necesse est ponere formalem primi subiecti vnionem. Primum ergo subiectum, vt primum, non esset aliquod æternum. Am-

Deus est subiectũ theologiæ. prius, Christus non est subiectum adæquatum theologiæ; sed aliquid quasi commune verbo, de quo primo traduntur articuli, ad humanam naturam pertinentes, deinde ad diuinitatem: qui quidem non primum conueniunt Christo, vt Christus est; sed aliis personis aliqui, & Trinitati reliqui: ergo quod prius. *Concludit.* Itaque cum Christus dicat verbum hominem, secundum Damascenum *lib.* 3. igitur ante notitiam, quæ de Christo, vt de primo subiecto esset habenda, alia esset prior de verbo, si qua sibi insis per rationẽ, qua est verbũ, & ante istã alia de Deo, quoad illa, quæ illi insunt per rationẽ Deitatis, quæ est cõmunis tribus personis. Cum igitur theologia sit prima notitia; profecto nõ erit de Christo, vt de primo subiecto: nã etsi æque sit de veritatibus tribus personis communibus; non est tamen de aliqua personarum, vt de subiecto primo adæquato; sed de Deo, vt est communis tribus personis. Omnis igitur veritas theologica, vel est de primo subiecto, quia nimirum Deo inest sub ratione Deitatis: vel quasi de parte subiectiua primi subiecti, quæ scilicet est propria alicui personæ: aut de aliquo, quod attribuitur ad primum subiectum, vel quasi partem subiecti, nempe de creatura, quantum ad respectum, quem habet ad Deum, vt Deus: & de natura assumpta quantum ad respectum, quem habet ad Deum, siue ad verbum. Quod ergo Deus, sub ratione Deitatis sit subiectum theologiæ, dixi.

CAP. II.

Quod Christus sit subiectum theologiæ.

Triplex vnitas in Christo. POsuere nonnulli triplicem in Christo vnitatem: quarum prima est ad Patrem, & Spiritum sanctum: secunda vero verbi ad naturam assumptam; tertia Christi capitis ad membra. vnde Cassiodorus in Psalmis, vult Christum incarnatum, & caput
1. ecclesiæ esse subiectum theologiæ. Sane primum subiectum continet propositiones immediatas, propriam passionem, & conclusionem demonstratam, remote tamen. Porro, illud subiectum primum continet passionem, per cuius formam passio sibi inest: Christus autem & septem articulos fidei continet, qui ad ipsius humanitatem spectant; quia secundum humanitatem sibi insunt: & præter istos alios quoque ad suam diuinitatem pertinentes: qui
2. secundum diuinitatem sibi inesse dicuntur. Item, substantia partium doctrinæ, sub subiecto totius debet contineri: vel quidẽ vt partes subiectiuæ, vel vt quasi partes integrales. sed nõ continentur sub Deo sicut substantia partium sacræ scripturæ: quod patet per multas gloss. quæ in principiis librorum causas materiales assignant, quæ aliquid Dei habere non videntur. sic in principio Oseæ, ma-
3. teria libri est de decem tribubus. Item, in aliquo scripturæ libro nihil proprium de Deo narratur: vtpote nullum factum ibi numeratur, cui aliquid sit necessarium ex parte Dei, nisi influentia generalis tantum. Talis ergo li-
Solutiones. ber non est de Deo. *Respondeo* ad primum, atque affirmo veritates enuntiatas contingenter de Christo in nullo subiecto virtualiter contineri, sicut subiectum continet passionem; alioqui necessario inessent: habere tamen dico aliquod subiectum, de quo immediate enuntiantur, ver-
2. bum scilicet Dei. Siquidem veritates theologicæ de incarnatione, passione, natiuitate, & huiusmodi, sunt istæ. verbum est factus homo, mortuus, passus, & similia. Et cum *dicis*, passio inhæret secundum naturam humanitatis: *Dico*, humanitatem non esse primi subiecti rationem, ad quod stat resolutio; sed esse quasi passionem priorem mediantem inter primum istarum veritatum subiectum, quod est verbum, & alias posteriores passiones, vtpote quod sit natus, mortuus, &c. humanitas ergo non potest esse ratio subiecti respectu primæ passionis, quæ est esse incarnatum: Illud enim de verbo dicitur, non præintellecta in ipso, vt
1. in subiecto, humanitate. Ad 2. dico, sufficere partialium subiectorum scientiæ attributionem ad primum subiectum, qualis attributio ad Deum potest saluari materiæ assignaræ per glossas cuiuscunque. Omnia enim quæ determinantur in sacra scriptura, comprehenduntur sub Deo: non quidem vt partes, vel species, aut accidentia; sed
3. vt ordinata aliqualiter ad ipsum. Ad 3. Etsi esset aliquis liber, qui nullum Dei miraculum contineret; quilibet tamen ex illis Dei prouidentiam continet, & gubernationem illius prædicat, qua vniuersa gubernat: sicut facile est ei, qui sacræ scripturæ libros attente, atque diligenter legere voluerit. Quod ergo Christus non sit primum, & immediatum theologiæ subiectum, perspicuum esse puto: est tamen præcipua, & maxima pars eiusdem. *Deus est subiectũ theologiæ.* Cæterum, de theologia nostra dico, quod quando habitus in aliquo intellectu, ex obiecto habens euidentiam, primum illius habitus obiectum, quatenus est illius, non solum virtualiter illum habitum continet, sed etiam vt notum, & perspicuum intellectui huiusmodi; ita vt in illo intellectu obiecti notitia, talis habitus euidentiam contineat. Sane, intellectus tale cognoscens obiectum, omnem huius habitus conclusionem elicere potest. At in habitu ex obiecto euidentiam non habente, sed causatam tantum aliunde, quam ex notitia obiecti; non est certa necesse, primum eius obiectum, duas illas conditiones habere, imo neutram: perinde siquidem esset habitui in hoc, ac si esset de contingentibus, quæ neutro modo habent primum obiectum. Tali ergo habitui non euidenti ex obiecto, primum subiectum datur, cui immediate insunt illius habitus veritates primæ. *Theologia nostra quæ sit.* Theologia autem nostra est habitus, ex obiecto euidentiam non habens. Illa quoque quæ est in nobis de theologicis necessariis, non magis, vt in nobis habet euidentiam ex obiecto cognito, quam illa, quæ est de contingentibus. *Primum notum.* Theologiæ ergo nostræ pro primo obiecto, datur obiectum, siue primum notum, de quo primæ veritates immediata cognoscantur. Illud autem primum notum, est ens infinitum: quippe quia iste est perfectissimus conceptus, quem possumus de illo habere, quod est in se primum subiectum. Quod tamen neutram prædictarum conditionum habet, propterea quod habitum nostrum in se virtualiter non continet; nec multo magis, vt nobis notum continet ipsum habitum. *Theologia nostra de necessariis.* Theologia præterea nostra de necessariis, est de eisdem, de quibus est theologia in se: ideoque illi assignatur subiectum primum, vt veritates scilicet in se contineat: quod perinde est, ac primum subiectum theologiæ in se. Verum quia illud non est nobis notum; ideo non continet illas, vt nobis notum, & manifestum. *Si arguis:* ergo non est primum obiectum nostri habitus. *Respondeo*, verum esse non esse primum obiectum dans euidentiam; sed esse subiectum primum continens omnes veritates, natum dare euidentiam, si ipsum forte cognosceretur. Et hæc dicta sint de theologia necessariorum. Iam posthac de theologia contingentium, deque eius subiecto dicamus, de quo quidem paulo ante pauca diximus. *Theologia de contingentibus.* Dico igitur, nullum subiectum virtualiter continere veritates huiusmodi, nisi necessarias de ipso: nam quoad contingentes, indifferenter se habet. Verum respectu contingentium, est aliquis ordo: quia aliqua est prima vera contingens: atque ideo multarum veritatum contingentium subiectum primum illud dicitur; de quo prædicatum primæ contingentis, quæ est quasi primum principium in ordine contingentium, immediate dicitur. Vel de quo subiecto plurium primarum contingentium prædicata (si plures fuerint primæ contingentes) immediate dicuntur. Dicitur autem primum primæ veritatis contingentis subiectum, quod visum vt tale, natum est primo videri, cum illo prædicato coniungi. In causa autem est, quia primum notum in contingentibus, non est, nisi per intuitionem extremorum. Primum ergo, quod intuemur, cui inest primum prædicatum primæ veritatis contingentis, est primum subiectum veritatum contingentium. *Primum subiectum veritatum contingentium est essentia diuina. Visio beata.* Itaque, essentia diuina est primum subiectum theologiæ contingentis; & ipsa quoque est subiectum theologiæ necessariorum, tam in se, quam etiam, vt est in intellectu diuino, atque beatorum. Totius igitur theologiæ in se, & Dei, & beatorum primum subiectum, est essentia diuina. Et hæc, cuius visio in beatis, est sicut in metaphysica cognitio entis: & ideo beata visio non est cathegorica, sed quasi perfecta incomplexa apprehensio sibi, præcedens naturaliter scientiam cathegoricam. Subiectum vero theologiæ nostræ contingentis videtur idem subiectum primum, quod est theologiæ necessariæ: non quidem vt continens virtualiter habitum, etiamsi intuitiue videretur; sed vt proximum à nobis cognoscibile ei, cui intuitiue noto, natum esset prædicatum primæ contingentis euidenter inesse. *Subiectum Theologiæ contingentis.* *Dices*, verbum Dei est subiectum adæquatum theologiæ contingentium, tam illius contingentis in se, quam vt est in intellectu diuino; articulorum enim omnium nostræ reparationis est primum subiectum. *Resp.* aliquod contingens posse primo dici de Patre, & aliquod de Spiritu sancto, & aliud de Deo trino, vt creare. Erant igitur personæ quasi partes subiecti: sicut etiam aliqua necessaria sunt primo vera de diuersis personis. Sed ad hæc responsum est antea. Patet ergo quæ sit nostra theologia, quodque primum illius subiectum.

Deus est subiectū theologiæ.

CAP. III.

Argumenta contraria.

1. Contra prædicta sic possumus *arguere*: In qualibet
scientia oportet supponere de subiecto quid est,
1. Poster. secundum Philosophum. sed hæc scientia non sup-
ponit de Deo quid, dicit enim Damascenus, in
Lib. 1. de Trin. Deo quid est, dicere est impossibile. Deus ergo non est sub-
iectum theologiæ. Ad hoc accedit authoritas Boetii for-
2. mam simplicem subiectum esse non posse asserentis. Am-
plius, subiectum scientiæ habet principia, partes subiecti-
uas, & proprietates. sed Deus non habet principium, cum
sit simpliciter primum ens: neque partes subiectiuas, cum
sit singulare: neque proprietates, quia proprietas est extra
3. essentiam subiecti. nihil autem est in DEO extra eius es-
sentiam: ergo quod prius. item, scientia moralis est de ho-
mine secundum animam, sicut medicinalis secundum cor-
pus. Ex quo sic arguo: Omnis scientia practica habet pro
subiecto illud, cui acquiritur finis eius, & non ipsum fi-
nem. sed homo est illud, cui acquiritur finis theologiæ, &
4. non Deus: ergo homo est subiectum theologiæ. Præ-
terea, materia non coincidit cum aliis causis, neque idem
numero, neque specie 2. phys. Deus autem est finis huius sci-
entiæ, & efficiens: non igitur est materia. Adde, quod a-
liud est hic subiectum non ergo est istud. Omnis doctrina,
inquit August. lib. 1. cap. 1. de doctrina Christiana, vel est, re-
rum, vel signorum: igitur res, vel signa, sunt subiectum
5. theologiæ. Item, scriptura habet quatuor sensus, scilicet
anagogicum, tropologicum, allegoricum, & literalem.
sed cuilibet sensui correspondet aliquod primum subie-
ctum, sicut alii scientiæ habenti vnum sensum, correspon-
det illi subiectum secundum illum sensum: sunt ergo theo-
6. logiæ quatuor subiecta. Item, finis scientiæ (& coincidit
cum 3. argumento) est per actum suum primum attingere
obiectum, in ipsum formam principaliter intentam à sci-
entia inducendo: puta in speculatiua inducere in illud es-
se cognitum; cognitio enim ibi intenditur: & in practica
inducere formam ad quam, siue finem ad quem eius pra-
xis ordinatur. Finis autem hic intentus est bonitas mora-
lis, quæ quidem non in DEO, sed in homine est inducenda:
7. igitur, homo est primum obiectum theologiæ. Amplius,
primum subiectum, omnia quæ determinantur in illa sci-
entia, sub se vniuersaliter continet, sed Deus non continet
sub se vniuersaliter, quæ in theologia determinantur; sed
magis ens diuinum, quod videtur esse commune ad o-
mnia, de quibus agitur in theologia. igitur, ens diuinum
8. est subiectum theologiæ. Sane, sicut se habet potentia ad
obiectum, sic scientia ad subiectum. sed communiter po-
tentiis assignatur pro obiecto adæquato, commune ad o-
mnia per eas cognoscibilia. sic visui, coloratum, intellectui
vero ens assignatur: Theologiæ ergo conuenit ens diui-
num, non autem Deus, vel aliquod virtualiter, omnes ve-
ritates eius continens. Ad hoc accedit, quod scientia
præsupponat suum subiectum, & non demonstret (teste
commentatore 5. *Phys.*) sed in theologia probatur Deum es-
9. se: ergo, &c. Item, sicut se habet subiectum ad subiectum;
ita scientia ad scientiam proportionabiliter. sed ens est
subiectum metaphysicæ, authore Auicenna primo metaph.
cap. 3. & Arist. 4. metaph. in principio. Quare, si Deus esset
subiectum theologiæ; metaphysicæ vtique theologia sub-
alternaretur, sicut Deus continetur sub ente. sed hoc est fal-
sum: alioqui metaphysica theologiæ antecelleret. Denique,
Soluuntur argumenta. subiectum est primo notum in scientia. sed Deus non est
primo notus, quippe qui ex effectibus tantum cognoscitur:
Deus ergo non est primum subiectum theologiæ. *Ad hæc,*
1. & his similia, sic *respon.* & ad primum quidem dico: quod
etsi de Deo non possimus scire quid sit; vtimur tamen eius
affectu, in hac doctrina, naturæ, aut gratiæ diffinitionis lo-
co ad ea, quæ de Deo in hac doctrina considerantur: sic-
ut & in aliquibus scientiis Physicis demonstratur aliquid
de causa per effectum, accipiendo effectum loco diffinitio-
Boetius. nis causæ. *Ad Boetii* authoritatem dico, formam simplici-
ter simplicem, cuiusmodi est Deus, non esse subiectum re-
spectiuum, quod ab alio perfici possit, ad quod sit in po-
tentia; tunc enim alteri posset misceri, & cum altero com-
poni, & non esset simpliciter simplex. sed esse subiectum,
circa quod, vel de quo, potest aliqua esse scientia, id enim
nihil noui in Deo accidisse denotat; sed stat cum omnimo-
2. da illius simplicitate. Ad 2. Quamuis Deus non habeat
principia essendi; sunt tamen aliqua principia demon-
strandi, proprietates scilicet eius de ipso. Tres præterea
personæ sunt quasi partes subiectiuæ, in quibus tamen di-
uina essentia non numeratur: hoc enim est imperfectionis
in creaturis, quod connumeretur in suis suppositis. Deni-
que attributa diuina sunt quasi passiones, siue proprieta-
tes. Vnde licet proprietas sit extra essentiam subiecti, id
est, extra quidditatem; non est tamen extra essentiam
subiecti, tanquam aliquid essentialiter ab eo distin-
ctum. Ad 3. Negatur similitudo: homo enim in se virtua- 3.
liter continet veritates scientiæ medicinalis secundum
corpus, & moralis secundum animam; corpus enim hu-
manum naturalis sanitatis rationem in se virtualiter con-
tinet. Ex eo profecto est talis sanitas, quia corpus est tali-
ter complexionatum. Anima vero, naturalis felicitatis ra-
tionem virtualiter continet. vnde primo eth. ex animæ ra-
tione, felicitatis humanæ ostendit rationem. Non sic au-
tem includit homo rationem finis supernaturalis: quia sci-
licet finis supernaturalis, vel eius obiectum non includi-
tur in ratione hominis: idcirco non potest esse huius sci-
entiæ primum subiectum. Ad confirm. verum est de fine a-
mato amore concupiscentiæ; finis enim amatus amore a-
micitiæ, est ipsum primum subiectum, etiam in scientia
medicinali, & in scientia morali, habetque rationem finis
vltimi. Quam ob causam etiam in scientia simpliciter pri-
ma, subiectum primum, est finis simpliciter vltimus, ipse
Deus scilicet. Ad 4. Illud intelligi debet de materia ex qua, 4.
quod ipsa non coincidat cum efficiente: non autem de ma-
teria in qua, vel circa quam. Vel melius dicito: subiectum
scientiæ secundum veritatem, ad materialis causæ ge-
nus non pertinere, sed efficientis: Dicitur nihilominus ma-
teria scientiæ subiectum, per quandam ad factionem simi-
litudinem, vbi simul concurrunt; & ratio obiecti circa
quod, & ratio materiæ susceptiuæ: quia actio est actus
transiens extra: non sic autem de actu proprio scientiæ. di-
citur tamen transire, propterea, quod non in se termine-
tur, sed ad aliud, circa quod versatur: tametsi non in illo re-
cipiatur, sed maneat in sciente. Ob hanc igitur proprieta-
tem materiæ scilicet circa quod, subiectum materia appel-
latur respectu scientiæ, & eius actus: Nam & artifex circa
aliquod operatur, & in eodem recipitur eius factio. Itaque,
in scientia ratione primi subiectum materia appellatur,
non ratione secundi, quia nostrum actus scientis non
transit. *Ad confirmat.* Dico, illa authoritate huius scientiæ in
communi materiam exprimi; non autem subiectum pri-
mum formale esse res, & signa. Ad 5. licet quicunque sensus 5.
in vna parte scripturæ non sit literalis, in alia tamen parte
est literalis. quare etsi aliqua pars scripturæ diuersos sensus
habere videatur; tota nihilominus habet sensus illos, pro
sensu literali. Ad 6. prima propositio est falsa, cum nihil a- 6.
liud sit finis scientiæ, quam illius obiectum per proprium a-
ctum attingere. Non ergo inducit per suum actum aliquam
formam in obiectum: propterea quod scientia non sit a-
liqua qualitas factiua. Ad 7. primum subiectum non con- 7.
tinet vniuersa sub se vniuersalitate prædicationis; sed con-
tinentiæ potius, & virtualiter, & hoc sufficit. Ad 8. Nega- 8.
tur similitudo, non enim obiectum mensurat potentiam,
ipsamque virtualiter continet, sicut subiectum scientiam.
Obiectum igitur comparatur ad potentiam, vt motiuum
ad mobile. Modo autem planum est, eiusdem mobilis plu-
ra motiua esse posse: & quodlibet non per rationem pro-
priam ordinatam: ideoque potentiæ sic affectæ pro pro-
prio seu adæquato obiecto, non hoc vel illud, sed commu-
ne assignatur obiectum. Eiusdem autem mensurabilis, &
causati non sunt plures causæ, & mensuræ in eodem gene-
re non ordinatæ, & totales; ideoque oportet obiectum sci-
entiæ sit bonum quasi mensurans ipsum, & continens vir-
tualiter: non enim est maior vnitas in mensurato, & cau-
sato, quam in mensura, & causa. Non ergo necesse est, ob-
iectum primum potentiæ vnius per se esse ad aliud com-
mune, sicut subiectum scientiæ; licet sit simile vtrobique
inter potentiam, & hoc obiectum, & scientiam, & subie-
ctum, quoad terminationem actus: quia vterque termi-
nat actum vtriusque. Dicis; in scientiis communiter assi-
gnari obiecta communia. Dico, quod potentia sit maior
ambitus quam scientia: propterea non opus esse tantam v-
nitatem in obiecto esse potentiæ, sicut in scientiæ. *Ad con-
firmat.* dico vno modo scientiam probare suum subiectum.
Ad 9. Ad subalternationem scientiæ, non sufficit subie- 9.
ctum alternatæ continere sub subiecto alternantis; sed ne-
cesse adhuc illi est, vt sua principia ab alia recipiat: sicut
perspectiua à Geometria: quod certe deficit in theologia,
quæ ex propriis procedit principiis: non ergo subalternatur
metaphysicæ. Ad *confir.* verum est, Deum non esse subie-

Finis amatus amore amicitiæ est subiectum.

Materia subiectum.

Obiectum scientiæ.

Potentia latior quā scientia.

Deus est subiectũ theologiæ. ctum primum alicuius scientiæ naturaliter, quæ possat haberi ex puris naturalibus, sed bene scientiæ reuelatæ, vel dependentis ex reuelatis, cuiusmodi est theologis superior, quæ non potest haberi lumine naturæ. vel potest dici, non *Subiectum primo notum.* esse necesse, subiectum esse primo notum simpliciter; sed quatenus est subiectum in tali scientia: ita vt eius oottitia, ex alio subiecto cognito accipi posset: sicut etiam videmus, substantiam præsupponere cognitionem accidentis. Quomodo ergo Deus sit subiectum in theologia, ex dictis, satis patere arbitror.

CAP. IV.

Primi subiecti conditiones.

Conditiones primi subiecti. QVoniam multa dicta sunt de subiecto, & obiecto, potentia & scientia: quæ absque lucidiori illarum rerum declaratione intelligi nequeunt; hac de causa nonnullas subiecti primi, atque obiecti conditiones inserui; vt dicta atque dicenda, non tanta cum caligine lector percipere queat. Primi itaque subiecti in scientia, hæc est ratio, quod scilicet sit primo notum in scientia ante omnia alia, idque duplici præcognitione, siue notitia: si est scilicet, & quid est per propriam eius rationem forma- *Subiectum esse primo notum.* lem, & actualem. Reuera, in essentialiter ordinatis necesse est omnia reducere ad vnum principium, in quo est status *2.met.* saltem probabiliter loquendo. sed omnia quæ sunt in scientia per se vna, sunt ad inuicem essentialiter ordinata, in modo quo cognoscuntur: igitur ad vnum primum notum reducuntur: quod profecto aliud esse non videtur, nisi *Conditio 2.* subiectum. Secunda subiecti conditio, vt duplici notitia præcognoscatur, scilicet quid, quod per nomen dicitur, etsi sit quidditatiuum non in re, & in effectu; sed an sit quidditas, vel essentia, cui non repugnet esse, fore, vel fuisse: ita vt nõ habeatur in numero impossibilium, veluti sunt figmen- 3. ta: quandoquidem de non ente non habeatur scientia primo posteriorum. Tertia conditio, quod sit per se notum: nam si alterius ratione esset notum; profecto non esset per se primo notum, sed illud magis, cuius ratione esset notum. 4. Quarta conditio, quod sit notum per rationem formalem, non autem materialem, siquidem per rationem materia- 5. lem nihil est primo notum. Quinta conditio, quod per propriam rationem formalem, actualem quidem, non autem potentialem: nam potentiale secundum quod huiusmodi, non potest esse primo notum: actus enim est prior potentia, & ens in potentia non cognoscitur, nisi per ens in actu 9. *Subiectum virtualiter continet omnia.* met. Ex quibus potest esse perspicuum, subiectum notum continere aliquo modo virtualiter, & effectiue, vel saltem obiectiue omnium aliorum notitiam, quæ cognoscuntur, sicut principium in essentialiter ordinatis: Ad cuius notitiam omnes aliæ resoluuntur, ipsamque originaliter, & radicaliter præsupponunt, quatenus in scientia, eius consideratio habetur: primo ergo continet. quia ipsum in continendo, vel esse cognito, ab aliis non dependet, sed alia ab *Conditiones subiecti, respectu scientiæ.* ipso. Quicquid ergo est primo notum duplici notitia prædicta, potest esse subiectum in aliqua scientia. Post hæc, considerare oportet conditiones subiecti, quas habet ad scientiam: ex quibus prima est, quod specificet scientiam, sicut causa prima continens scientiam, vel habitum atque men- 1. surans: non autem specificat eam intrinsece, sicut differentia, vel forma intrinseca eius, sed sicut causa extrinseca æ- 2. quiuoca, quocunque modo intelligatur illa causalitas. Secunda conditio, dat scientiæ vnitatem: Est autem scientia 3. vna propter vnitatem subiecti primo poster. Tertia, dat scientiæ nobilitatem, atque dignitatem; hoc enim spectat ad naturam bonorum honorabilium; melius enim parum scire de substantiis separatis, & nobilibus, quam multum demonstratiue de aliis minus nobilibus. Subiectum ergo 4. dat scientiæ nobilitatem dignitatemque. Quarta conditio, *Conuenientia inter obiectum scientiæ, & obiectum potentiæ.* quod ipsum subiectum scientiæ est immediatum, mediata enim reducuntur ad immediata: immediata vero ad terminos, quorum primus est ipsum subiectum. Ex his quoque elici possunt nonnullæ conuenientiæ, seu cognationes, quæ habentur inter primum obiectum habitus, siue scien- 1. tiæ: & inter primum obiectum potentiæ: quarum Prima est, primum scilicet vtriusque obiectum, actum eius termi- 2. nare. Secunda, vtriusque obiectum vtrique adæquatum esse: in nihil enim tendit potentia, vel habitus per suum actum, nisi in primum obiectum, vel per primi obie- 3. cti rationem. Tertia, quando aliqua potentia, vel scientia, plura aliqua respicit obiecta, quorum quodlibet propriam potestatem habet, aliquem eius actum terminandi. sicut quilibet color actum videndi. quodlibet tale obiectum primæ potest esse obiectum potentiæ, siue scientiæ: & id quidem immediationis, non autem adæquationis primi- *Deus est subiectũ theologiæ.* tate. Verum aliquod commune per prædicationem dicitur obiectum primum adæquatum potentiæ, siue scientiæ; sed tunc scientia dicitur vna, non quidem essentialiter, sed genere, vel ordine quodam. siquidem in qualibet scientia, quæ est vna essentialiter, est vnum subiectum primum, vtraque scilicet primitate, & adæquationis, & immediationis. Quarta, quando alicui potentiæ, vel habitui aliquod 4. adæquatum commune per prædicationem assignatur obiectum; necesse est, ipsum adæquari in mouendo potentiam ad actum, vel habitum; non autem in actu mensurando, sed in terminando. Quare licet quodlibet contentorum sub ipso, virtutem habeat actus terminandi; non tamen mouendi, siue mensurandi: Sed alibi de his latius.

CAP. V.

Argumenta, quibus probatur Deum non esse subiectum theologiæ, sub ratione deitatis.

DEum non essa subiectum theologiæ sub ratione 1. deitatis, sic quidam conati sunt astruere: Deitas, inquiunt, non est diffinibilis, cum sit simpliciter simplex, dicere enim Deum, quid sit, impossibile est, teste Damasceno. sed non fit demonstratio propter quid, nisi per medium diffinitiuum: igitur Deus non est subiectum theologiæ sub ratione deitatis. Adde, quod Hugo de *Hugo.* sacramentis in principio, vult opera restaurationis esse hic 2. subiectum erit ergo subiectum in quantum restauretor. Et Cassiodorus, Christum caput Ecclesiæ, subiectum theologiæ esse affirmat: ergo quod prius. Amplius, Deus absoluta est subiectum met. Honorabilissima, inquit philosophus *6.met* scientia circa nobilissimum genus versatur: proinde ab eodem metaphysica, theologia appellatur. Quam ob causam Commentator *prim. phys. com. vlt.* Auicennam multum errasse asserit, qui posuit metaphysicam probare primam causam esse; cum genus substantiarum separatarum sit ibi subiectum, & nulla scientia probet suum subiectum esse. Ratio autem Commentatoris non haberet aliquid virium, nisi substantia prima inibi esset subiectum. Si est ergo subiectum theologiæ, hoc profecto erit sub aliqua ratione speciali. Conseq. patet, non enim sub eadem ratione omnino hic, & ibi subiectum esse potest. Item, ista scientia 3. est honorabilissima, vt iam dictum est: est ergo de honorabilissimo subiecto, sub ratione honorabilissima: huiusmodi autem est ratio finis, & boni. Si scientia, inquit Auicenna *6.met.* esset de omnibus causis, illa, quæ esset de fine, nobilissima reputaretur. Et ex hoc concluditur de bono: qui enim ponit infinitatem in finibus, ait philosophus 2. met. destruit naturam boni, quia destruit naturam finis: Ratio ergo boni est ratio finis: ergo quod prius. Ad hæc accedit, quod cognitio contracta præsupponat cognitionem absolutam: absoluta autem est certior ex primo met. si ergo ista est de Deo sub aliqua ratione speciali, alia erit prior, & certior de Deo. Non ergo Deus sub ratione deitatis est subiectum theologiæ. Item, scientiæ specia- 4. lis subiectum debet esse sub ratione speciali, & contracta: sicut scientiæ communis subiectum sit, necesse est, sub ratione generali, & absoluta. sed ratio diuinitatis non est ratio contracta, sed potius absoluta: igitur non potest esse ratio subiecti. Sane, illa ratio, quæ ex se formaliter, & intrinsece est infinita, non est ratio obiectiua scientiæ finitæ. Tenet conseq. obiectorum namque perfectiones denominant scientias & scientiæ denominantur ab obiectis: scientia ergo finita esset infinita: quod est contradictio. sed ratio diuinitatis est huiusmodi: ergo, &c. Insuper, sub eadem ratione *Soluuntur argumenta.* non videtur esse obiectum scientiæ increatæ, & huius scientiæ creatæ alioqui non esset proportio inter scientias, & obiecta. sed Deus sub ratione diuinitatis, est obiectum suæ scientiæ: ergo, &c. patet hoc, vt dixi, per Hugonem, qui dixit 1. opera restaurationis esse subiectum theologiæ: Et Cassiod. Christum caput Ecclesiæ. *Dico* ad primum, in nulla scientia, quæ habet subiectum simpliciter simplex, fieri demonstrationem propter quid; sed ex priori passione, quæ est per se nota de subiecto posteriorem demonstrari; vt in metaphysica rationem boni per rationem veri. Quam ob causam, in metaphysica, & theologia fiunt demonstrationes quia, nempe à priori passione ad posteriorem, & ab effectu ad causam. *Ad confir.* Hugo & Cassiodorus non sunt locuti de formali subiecto, sed de materia proxima, de qua copiosa loquuntur diuinæ scripturæ. *Ad* 2. Metaphysica non est de 2. Deo, tanquam de primo subiecto, præter enim scientias specu-

specula-

Deus est subiectū theologiæ. *Deus non est subiectū metaphysicæ.*

colatiuas, oportet esse aliquam communem, in qua in communi omnia probentur, quæ sunt illis specialibus communia. Præter ergo istas speciales scientias, necesse est, aliquam esse communem de ente, quæ in specialibus supponitur scientiis. Si igitur aliqua præter istam, est naturaliter de Deo: est ergo alia de ente, in quantum ens. Cum vero probatur per philosophi authoritatem 6. *met.* Dico sensum illius rationis talem esse: Nobilissima scientia est circa nobilissimum genus, vel vt primum obiectum, vel vt consideratum in illa scientia, perfectissimo modo, quo potuit considerari, in aliqua scientia naturaliter acquisita: Deus vero, etsi non sit subiectum primum metaph. perfectissimo nihilominus modo in illa scientia consideratur; quo potest considerari in aliqua scientia naturaliter acquisita. Ad comment. fauent quidam Auicennæ opinioni, & Commentatoris sententiam non recipiunt, sicque statuere conati sunt:

Physica nō probat subiectum metaphysicæ.

Subiectum non probari in aliqua scientia: in causa est primitas subiecti in scientia, quia ante omnia præsupponitur. At maiorem aliquid habet primitatem ad scientiam posteriorem, quam ad priorem, vel saltem non minorem. Cum
1. ergo Deus habeat per metaphysicam, quæ est simpliciter prior, primitatem indemonstrabilem, multo fortius talem primitatem habebit ad physicam, quod per ipsam non po-
2. terit demonstrari. Amplius, si physica demonstrat subiectum metaphysicæ; proculdubio primum metaphysicæ principium ex illo subiecto confectum, consequenter demonstrabit: atque ita esset simpliciter prior metaphysica,
3. quod est falsum. Item, ex qualibet proprietate in effectu æqualiter à causa dependente, possumus concludere causam esse. sed sunt multæ aliæ, cuiusmodi habentur proprietates metaphysicæ, quantum ad aliquas sui partes distinctæ, quæ sonant imperfectionē in necessario dependentibus à summo perfecto. metaphysicus ergo multo melius demonstrat Deum, quam physicus. Deus ergo non est subiectum in metaph. nec in aliqua scientia naturaliter acquisita: quandoquidem in qualibet tali necesse sit subiectum notum esse per viam sensus. Deus autem non est statim notus ex sensibus, quoad illud quod primum, & proprium de Deo nobis occurrit: nempe quod sit summum, & maximum entium. Quod si hoc cognoscitur ex comparatione ad alia entia; ex
5. quodam discursu habetur. *Ad 3.* respectus finis non est ratio nobilissima cognitionis; sed id, quod est finis, sua ratio fundamentalis illius respectus. Deitas autem est ratio fundamentalis ipsius respectus finis. vnde licet secundum aliquam appropiationem, bonum dicatur fundamentum finis; deitas tamen est primum, & radicale fundamentum i-
4. psius. *Ad 4.* Deitas est ratio specialissima, & contractissima; quatenus contractum opponitur vniuersali, & absoluto secundum prædicationem, & hoc sufficit, non autem est contracta ad notitiam. *Ad confir.* quamuis scientia, quoad suum positiuum sit infinita, quia nimirum est de ente infinito; non est tamen infinita formaliter: id enim sibi aliunde repugnat, tum ex seipsa, tum ex subiecto. *Ad aliam confir.* Deus

Deus est subiectum scientiæ suæ & nostræ.

est subiectum scientiæ suæ, & nostræ sub eadem ratione infinita intrinsece, quę est ratio diuinitatis, non obstante proportione, & correspondentia obiecti ad scientiam, vel notitiam, quæ non est semper secundum æqualitatem perfectionis, & gradus in natura, sed est talis proportio, qualis sufficere possit. Ad illud de Hugone, & Cassiodoro dictum est, theologiam de his non esse, tanquam de obiecto formali, & primo; sed tanquam de materia considerata in scientia per attributionem ad formale obiectum. & hæc quidem dicta sint de subiecto theologiæ, & de ratione eius formali. *Sed dices:* si Deus sub ratione deitatis esset subiectum theologiæ tam beatorum quam nostræ; omnia cognoscibilia de Deo ratione deitatis caderent sub theologia. quod profecto fieri non potest: tum quia simpliciter omnia caderent sub theologia, tum etiam quia infinitæ veritates sub eadem caderent; per eam enim omnia cognoscibilia sunt, & infinita &c. Patet in scientia, quam Deus habet de seipso per suam essentiam. *Dico,* in antecedente illius condicionalis non fuisse factam mentionem de ratione formali sub qua; cum tamen ex illa pendeat adæquatio, seu limitatio cognoscibilium de subiecto formali, per rationem illius formalem, vt res est: Deus enim etsi ex ratione deitatis sit infinite cognoscibilis; vt tamen Deus est sub participato gloriæ lumina, infra certum cognitionis limitem perstat: similiter & sub participatione luminis gratiæ. Vt ergo illa conditionalis vera dici posset; hæc sibi essent addenda, videlicet: si Deus in quantum Deus sub lumine sibi adæquato, esset alicuius scientiæ subiectum; illa profecto nosset omnia. sed nunc patet subsumendæ propositionis falsitas: quia sola lux diuina in seipsa est tale lumen; nostræ vero, & beatæ theologiæ, Deus sub lumine diminuto est subiectum.

Theo. est scientia. *Theologia est de omnibus per attributionem ad suū subiectum.*

Deinceps videndum est, quomodo theologia sit de omnibus per attributionem ad suum subiectum primum: Eadem, inquit philosophus 4. *met.* est scientia de aliquo subiecto, & de attributis ad ipsum. sed omnia entia attribuuntur ad primum subiectum theologiæ: igitur, &c. Reuera, creatarum rerum quidditates non eodem modo se habent ad intellectum diuinum & intellectum creatum, in intellectu siquidem diuino non habent virtutem immutandi, sicut in intellectu creato: finitæ namque cum sint, intellectum infinitum immutare, aut pertingere nequeunt. Quamobrem diuinæ essentiæ virtute omnia à diuino intellectu cognoscuntur.

Theologia D i. *Theologia beatorum.* *Theologia nostra.*

Itaque theologia Dei est de omnibus, & omnis cognitio est sibi possibilis; subiectum enim theologicum omnia nota facit intellectui diuino: nullam præterea cognitionem potest habere, nisi theologici subiecti virtute. Porro, theologia beatorum, non est actu, sed potentia de omnibus: non est tamen omnis cognitio eis possibilis: habet enim terminum præfixum à voluntate Dei ostendentis. Etenim ad instar, speculi voluntarii diuina essentia se habet ad mentes beatorum. Scibilia præterea non sunt infinita, omniaque sunt nata sciri theologici subiecti virtute. Denique præter notitiam, quam habent de quidditatibus creatis, obiecti virtute theologici, possunt & aliam ex propria talium motione quidditatum, naturalem habere. Cæterum, theologia nostra neque actu, neque potentia est de omnibus: in sacra namque scriptura, ex voluntate Dei reuelantis, præfixum habet terminum: deinde propter nostri defectum intellectus, multas quidditates in speciali distincte concipere nequit. De lege autem communi, illorum fit nobis reuelatio, quorum termini à nobis naturaliter concipi possunt. Itaque omnis theologia, quoad aliquos respectus creaturarum ad diuinam essentiam, est de omnibus quæ de entibus sciri possunt: Theologia vero in se est de omnibus, & omnis cognitio possibilis, non includens imperfectionem; vniuersaliter enim omnia nata sunt sciri virtute obiecti theologici: quippe cum nihil perfecte, nisi illius virtute cognosci possit. Sed *arguet aliquis*: Huic scientiæ, authore Augustino 14. de ciuit. cap. 1. non est vtique tribuendum quicquid ab homine sciri potest in rebus humanis, vbi plurimum vanitatis, & curiositatis est; sed id tantummodo, quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur. *Dico,* Augustinum locutum fuisse de theologia, quæ traditur in diuinis scripturis; non autem de theologia in se. Quomodo ergo theologia sit de omnibus per attributionem ad primum subiectum: dixi.

QVÆSTIONIS SECVNDÆ

CAP. I.

Theologia an sit scientia.

Scientia quatuor necessaria.

Operæpretium erit scire, an Theologia sit scientia, propter multas, quæ in hoc negotio videntur esse controuersias: denique quia si subiectum theologiæ explorauimus, par est, vt verum scientiæ nomen illi tribuendum sit, non ignoremus. Inprimis autem sciendū nobis est, scientiam stricte sumptam, quatuor in se complecti: quorum primum est, vt sit certa cognitio, hoc est, absque deceptione & dubitatione. secundum vero, vt sit de cognito necessario causata à causa intellectu nota, atque euidente. tertium quod sit: quartum vt per discursum syllogisticum causa applicetur ad cognitum.

Scientia quid sit.

Hæc autem ex definitione scire, siue scientiæ primo posteriorum facile haberi possunt. Scientia ergo proprie ac formaliter accepta, est cognitio intellectualis certa, & euidens alicuius veri, necessarii, complexi, euidenter deducti ex aliquibus necessariis prius notis euidenter, tum mediate, tum etiam immediate.

Cognitio. *Intellectualis.* *Euidens.* *Veri.* *Necessarii.*

Ex hoc autem, quod cognitio nominatur, ab omni prorsus habitu, actuque voluntatis, aut potentiæ, quæ non est cognitiua, distinguitur: & ex eo quod est intellectualis à potentiis sensitiuis separatur: in quibus propria scientia esse non potest. Euidens, proprio testimonio, à fide & credulitate separatur, quippe quæ alterius testimonio innituntur: veri, ab actu erroris, vel habitu secernitur, qui plane est falsus. scientiæ vero non potest subesse falsum; quandoquidem suo semper conformatur obiecto: necessarii à suspitione & opinione differre o-

Theo. est scientia. stendit, quæ possunt esse de contingentibus: propterea di-
ctum est à philosopho, de singularibus corruptibilibus
non haberi scientiam. alioqui fieri posset, vt scientia non
esset scientia; obiecti enim mutatione contingentis, fal-
sitatis conditionem acciperet: sicque à suæ nobilitatis se-
de excideret. Per illam clausulam, Complexi, discrimen o-
Complexi. stendit habere à simplici terminorum intelligentia, quæ
non nisi virtualiter dicitur scientia: euidenter deducti,
Euidenter deducti. distinguit ab ignorantia dispositionis, cuius deductio non
est vera, sed secundum aliquam fallaciam peccat: prius no-
Prius notis. tis euidenter, seiungit ab intellectu, qui immediate cum
est principiorum, quæ sunt primo nota in genere comple-
xorum, quæ dicuntur intellectus *1. poster.* quia principio-
rum est intellectus, scientia vero conclusionum. Intelle-
ctus siquidem est habentium euidentiam ex terminis sim-
plicibus; non autem ex veris prioribus: nam circa simpli-
ces terminos, seu simplicem illorum intelligentiam, vt di-
citur 3. de anima, & 6. met. veritas & falsitas esse non pos-
sunt. Non est autem necesse, vt ista sint prius nota tempo-
re, sed natura tantum *5. met.* principia, vel maior, & mi-
nor sunt priores natura, non autem tempore ipsa conclu-
sione: mediata, vel immediate, hoc est, non solum conclu-
Mediate, immediate. sionis notitia, ex immediatis principiis genita, est scientia;
verum etiam illa, quæ ex principiis mediatis habetur, cuius-
modi est sciētia subalterna, quæ ex principiis mediatis pro-
Conditiones scientia. ficiscitur. Et hæc quidem competunt scientię proprie dictæ.
Sunt autem & aliquæ conditiones, quæ scientiæ attribu-
untur, non quidem per se, & absolute, sed quatenus spe-
ctant ad obiecta creata: quarum prima est ex parte obie-
cti: nimirum scientiam aliquam esse de vniuersali: si id
enim scientiæ competeret ex se; nunquam de aliquo sin-
gulari posset esse scientia, & sic nec de Deo, quod est fal-
1. sum. Dico igitur, omnem scientiam de creatura, tan-
quam de obiecto primario, vniuersalem, siue de vniuer-
sali esse: omnis enim scientia est alicuius passionis pro-
priæ de subiecto: de subiecto proprio, & sibi adæquato,
quæ demonstratione de illo subiecto concluditur. sed nul-
lum singulare creatum propriam sibi passionem determi-
nare potest; Mercurius enim non sibi absolute determinat,
& occupat risibilitatem: alioqui Plato risibilis non esset.
De singulari non est scientia. De singulari ergo non est scientia, sed de vniuersali, sicut pe
de specie, seu natura specifica: quæ ex suis principiis pri-
mo, atque adæquate sibi passionem determinat; ita vt pri-
mo sibi insit, & aliis per ipsam, sicut primum posteriorum
2. Conditio. ex vniuersalis descriptione colligi potest. Secunda condi-
tio. Per medium demonstrationis, quod est diffinitio pro-
prie sumpta, scientia est acquirenda, & id quidem ex par-
te accidit obiecti creati, quæ est species: siue subiectum si-
ue passio extiterit: cuius diffinitio pro medio accipitur.
Etenim species certis est conclusa limitibus, ad certum ge-
nus determinatamque differentiam, sicut ad principia in-
trinseca: ex quibus demonstratio propter quid, in rebus
creatis proficiscitur. In singulari autem illimitato, cuius-
modi est Deus, hæc quidem necessaria non sunt; non enim
habet principia proprie intrinseca: nec est species, aut ali-
3. quod vniuersale. Tertia conditio: Nulla scientia, seu de-
monstratio aliquam concludit passionem à subiecto essen-
tialiter distinctam, eamque actualiter inesse subiecto; con-
clusio enim demonstrationis falsa esse non potest: quod
profecto accideret, si talis passio, quam demonstrat, pos-
set non inesse. Etenim, omne prius essentialiter distinctum
potest Deus facere sine posteriori: cuiusmodi est talis pas-
4. sio respectu subiecti. Quarta conditio, scientia procedit ex
causis subiecti, vel passionis inesse: quod quidem ex obie-
cto creato competit, siue accidit scientiæ: quandoquidem
omne creatum necessario est creatum, nihilque per se ha-
beat rationem essentialiter distincti respectu alicuius, pro-
pterea quod sit eius causa: ideoque necesse est huiusmodi
scientiam ex caussis procedere. In Deum autem ista non ca-
5. dunt, quia non est aliquod ens creatum. Quinta conditio,
inuenitur in scientia ob subiecti imperfectionem, quod
scilicet procedat secundum cursum syllogisticum: in quo
prius natura principia cognoscuntur quam conclusiones,
ex potentialitate, atque imperfectione intellectus. Itaque,
Quomodo sit scientia. theologia quoad illas tres conditiones primo positas, nem-
pe, quod sit certa cognitio, & de cognito necessario, &
quod sic, est scientia in se in intellectu diuino. Vt eum au-
tem scientia sic in intellectu beatorum. quoad quartam
conditionem, dubium quodammodo esse videtur pro-
15. de Trin. pter Augustini sententiam: *Fortasse, inquit, non erunt ibi volu-
biles cogitationes nostra, ab aliis in alia euntes, atque redeuntes; sed
Intellectus beatorum* *scientiam nostram vnico intuitu videbimus.* Si ergo intellectus
beatorum non discurrit: caret ergo scientia, quantum ad
hanc quartam scientiæ conditionem. Sed oppositum aliqui
Theo. est scientia. non discurrens. tenendum putant. Quidditas namq; subiecti quocunque in
lumine cernitur, veritates, quas a tali subiecto notas redde-
re potest intellectui passiuo, virtualiter continet. Quare, si
quidditas lineæ visa in lumine naturali intellectui nostro
notas potest facere veritates inclusas, pari quoq; ratione &
visa in essentia diuina. sed omnis veritas causata in intelle-
ctu nostro per aliquod prius naturaliter notum, per discur-
sum causatur: quippe qui non temporis ordine indiget, sed
naturę, id est, quod principium sit naturaliter prius notum,
atque ita sit alterius extremi discursus causatiuum: potest
ergo dici, beatos habere scientiam theologicam quoad o-
Beati habent scientiam. mnes scientiæ conditiones. Augustini vero authoritatem
non cogere, tum quia dubitatiue loqui videtur, tum quia
fortassis, non illud asserere intendit, sed potius verbum no-
strum, quantalibet perfectione polleat, Dei verbo æquale
nequaquam esse. Vel quod locutus sit de visione beata, quæ
essentialia tantum in Deo intuetur. Ex his quæ dicta sunt,
restat aliud *dubium* soluendum. Etenim quemadmodum
necessaria ad theologiam spectant; ita etiam & contingen-
tia. quod quidem perspicuum esse potest ex nostra theolo-
gia; omnes siquidem de incarnatione articuli in numero
Theologia de contingentibus verum, & scientia. habentur contingentium. In theologia quoque beatorum
simile quiddam cernitur propter ea, quæ cognoscunt de
Deo ad creaturas quæ omnia sunt contingentia; quia sunt
ad extra. Non ergo videtur theologia hoc modo dicta, quod
rationem possit subire scientiæ, propter ea, quæ de scientia
iam proxime dicta sunt. *Dic.* quod si aliqua fuerit cognitio
certa, & euidens, & quantum est de se perpetua; ipsam in se
perfectiorem esse ea scientia, quæ necessitatem requirit ob-
iecti. Verum contingentia, quatenus ad theologiam spe-
ctant, nata sunt habere cognitionem certam, atque euiden-
tem: & quantum est ex parte sui, euidentiam perpetuam. si-
quidem omnia contingentia theologica, nata sunt videri
in primo obiecto theologico: & in eodem veritatum con-
tingentium coniunctio. Visio autem extremorum verita-
tis contingentis, & eorum vnionis, de tali veritate euiden-
te, certitudinem vtique causat euidentem, & quidem ne-
cessario. Sane, quantum spectat ad munus obiecti theologi-
ci talia ostēdentis vera, nata sunt videri in tali obiecto per-
Contingentia theologica habent scientiam. petuo. Contingentia igitur, quatenus pertinent ad theolo-
giam, perfectiorem habent cognitionem, quam scientia de
necessariis acquisita. Sed nunquid eorum cognitio est sci-
entia? Dico, secundum conditiones positas, quæ requirunt
necessitatem obiecti, de eis scientiam non posse haberi: co-
gnoscere enim contingens, vt necessarium, non est cogno-
scere contingens. Verumtamen secundum modum, quo v-
sus est philosophus 6. eth. vbi diuisit scientiam contra suspi-
cionem, & opinionem, bene de eis potest esse scientia. pro-
pterea quod est habitus, quo determinate verum dicimus.
Theologia dicitur sapientia. Proprissime autem theologia, sapientia appellatur, ob ne-
cessitatem, certitudinem & obiectum altissimum, perfectis-
12. Trin. simum nobilissimumque. vnde Aug. *ad sapientiam, inquit,
pertinet rerum aeternarum cognitio, ad scientiam vero humanarum.*
Quantum autem ad contingentia, habet euidentiam per-
spicuam satis de visis in se contingentibus, vel in obiecto
theologico, vt in se visis non quidem ab aliis prioribus
mendicatam. Itaque, notitia contingentium hoc modo,
maiorem habet cum intellectu principiorum, quam cum
Duplex scien. conclusionum scientia cognationem. Adde, duplex esse sci-
entiarum genus. quædam enim ex principiis notis lumine
naturali intellectus procedunt: sicut Arithmetica, Geome-
tria, & huiusmodi quædam vero ex principiis notis lumine
superioris scientiæ; sicut prospectiua procedit ex principiis
per Geometriam ostensis: & Musica ex principiis per Arith-
meticam notis. Hoc autem modo sacra doctrina potest sci-
entia appellari. procedit enim ex principiis notis lumine su-
perioris scientiæ, Dei scilicet, & beatorum. vnde sicut Musi-
ca credit principia sibi ab Arithmetico tradita; ita sacra do-
An theologia subalternetur alteri. ctrina principia reuelata. Sed tunc dubium oritur, an Theo-
logia sit scientia subalternata, quemadmodum & illæ, qua-
rum exempla posita sunt. atqui scientia non potest esse, nisi
vna formaliter: Deitas enim non est nisi vna ratio formalis:
igitur nulla est subalternata. Item, de eisdem veritatibus 1.
primo impossibile est esse subalternantem, & subalternatā;
quia vbi illa desinit, hæc incipit: istæ sunt de eisdem: ergo
quod prius. Alio modo sic: subiectum subalternatæ addit 2.
ad subiectum subalternantis. sed subiectum theologiæ no-
stræ non addit: ergo, &c. Item, scientia subalternata depen- 3.
det à subalternante, vt à causa: ista non sic dependet à sci-
entia beatorum: ergo. Minor patet: causa enim scientiæ est
obiectum, potentia, subiectum, vel lumen: quorum nul-
lum est scientia illorum; Item, subalternata, & subal- 4.
ternans

Theo. est scientia.

ternans sunt composibiles in eodem subiecto: istæ autem non sunt composibiles, alioqui esset comprehensor,
5. & viator. Item, subalternans dicit propter quid, subalternata vero quia. Istæ autem non sic se habent, quia theologalia non habent propter quid, & si habent, idem dicimus nos & beati: puta, propter quid Christus homo factus, propter
6. vtique humani generis salutem. Amplius, habens scientiam subalternatam, potest habere scientiam subalternantem: & coincidit cum quarto argumento: habens enim principia de conclusione, potest scire conclusionem. sed in proposito est impossibile vtrumque, quia principia subalternantis sunt vniuersaliora; & sic ordine cognitionis intellectualis prius nota; ibi enim non fit processus à minus notis, sed ab assensu. Minor vero patet, quoad vtrumque membrum. Nam sicut viator non potest clare videre; sic beatus non potest habere fidem. Et hæc quidem dicta sint, vtrum nostra theologia subalternetur theologiæ beatorum.

Theologia nulli subalternatur.

Dicamus etiam theologiam nulli scientiæ subalternari: licet enim theologiæ subiectum, aliquo modo sub metaphysicæ subiecto contineri possit; nulla tamen principia à metaphysico accipit: quandoquidem nulla passio theologica in ea demonstrari possit per principia entis, vel per rationem sumptam ex ratione entis. Nec ipsa aliam sibi subalternat: nulla siquidem alia scientia, ab ipsa principia accipit: etenim quælibet alia in genere cognitionis naturalis, ad aliqua principia immediata naturaliter nota, vltimo resoluitur.

Obiectio.

Sed *arguet aliquis*: Resolutio non stat in cognoscibilibus, nisi ad perfectissimum cognoscibile: nec de eodem, nisi ad seipsum, vt perfectissime cognitum, siquidem linea in verbo perfectius, quam per sumptius motionem cognoscitur. Conclusionum ergo de linea resolutio, non stat ad lineæ quidditatem, vel ad principia de ipsa, nisi quatenus videntur in verbo. Vltima ergo quarumcunque conclusionum, principiorumque resolutio stat ad visionem verbi: igitur ista subalternat alias notitias, quibus omnibus largitur euidentiam.

Solutio.

Dico, principium immediatum de linea, euidens esse intellectui moto à linea: clarius vero moto à verbo ad lineæ notitiam, sicut clarius linea videtur in verbo. Verum principium vno modo cognitum, non demonstrat se alio modo notum; sed vtroque modo est per se notum. clarius vero sic, vel sic: subalternatiue autem requirit; vt notitia principiorum scientiæ superioris, sit causa notitiæ principiorum scientiæ inferioris: quod tamen non est necessarium in theologia in se: & de his satis.

Theologia non est scientia.

Sed *dicet aliquis*. Theologiam non esse scientiam; omnis enim scientia procedit ex principiis per se notis. sed sacra doctrina procedit ex articulis fidei, qui non
1. sunt per se noti, cum non ab omnibus concedantur: non est igitur sacra doctrina scientia. Sane, scientia non est singu-
2. larium. sed sacra doctrina tractat de singularibus, puta de sanctorum gestis, & similibus: ergo quod prius. Amplius, scientia solum est de necessariis. theologia vero est de contingentibus, vt iam dictum est non est ergo scientia. Nec etiam sapientia; sapientia enim cœlitus infunditur, Isaiæ 11. quia est donum Spiritus sancti: Theologia vero, studio, ac labore. igitur theologia non potest dici, aut appellari scientia.

CAP. II.

Soluuntur Argumenta.

Theologia in se.

POsset *aliquis* ad ea, quæ præposita sunt sic *respondere*, inprimisq; asserere, sicut assertum est, nostram theologiam dupliciter considerari posse, vno quidem modo in se, alio vero in nobis viatoribus. Porro, theologia secundum se, est scientia, quam nata est parere Deitas secundum se: & hæc quidem est theologia, quam Deus habet de seipso.

Theologia nostra.

Theologia autem nostra, si simpliciter sonet naturam humanam; tunc procul dubio, a theologia non secernitur beatorum. At si nos viatores intueatur; tunc quidem non propter diuersitatem obiecti, sed propter modum cognoscendi, à beatorum theologia dependet: Conclusiones siquidem theologales, ex fidei articulis non plane in se, sed in scientia DEI, & beatorum euidentibus, dependent. Consequens ergo est, vt subalternatæ scientiæ essentialem conditionem constitutiuam habeant: & scientia sit ex continuatione ad Dei beatorumque scientiam. Itaque habitus nostræ theologiæ sic dictæ, per se principiorum eius, est scientia diuina. habitus vero per accidens eorum, est fides. Non ergo ex parte obiecti: neque subiecti; sed potius secundum euidentiam & ineuidentiam negatiue, beatæ opponi scientiæ dicitur: proinde sunt composibiles in eodem subiecto simul: nec est idem de scientia subalternata & fide iudicium: lumen enim diuinum per se absolute est huius notitiæ ratio formalis, in quantum scientifica est: lumen vero diuinum obumbratum, est per se ratio assensus fidei, quæ per accidens est.

Theo. est scientia. *Sunt composibiles.*

Responsio ad primum argumentum.

His igitur ita elucidatis, ad primum argumentum dici potest. antecedens esse falsum, ad scientiæ namque vnitatem, necessaria est vnitas rationis formalis obiecti, quatenus obiectum est. in proposito autem, quamuis Deitas sit vtriusque theologiæ, vt res est, vna ratio formalis obiecti; non tamen vna eademque est ratio formalis eiusdem obiecti, vt obiectum est in vtraque theologia. Siquidem Deus, vt clare visus obiicitur beatis, nobis vero sub caligine, & obumbratione.
2. Ad 2. Theologia nostra, & beatorum, non sunt de eisdem veritatibus secundum modum cognoscendi: vnde theologia nostra addit ad illam reuelationem diuinæ essentiæ, quæ est differentia accidentalis. Concedimus ergo scientiam beatorum descendere in nostram quia formale subiectum, vt res est, omnino est vtrobique idem: & obiectum huius sub obiecto illius.
3. Ad 3. Ista scientia dependet à theologia beatorum, vt à lumine, vnde composibiles sunt in eodem. Nec sequitur, idem esse viatorem, & comprehensorem, sed potius simul comprehensorem, & scientiam habentem, quam acquisiuit in via. Et sic patet responsio ad 4. & ad 6. argumen- 4. 6.
5. tum. Ad 5. Et si idem propter quid nos, & beati dicamus; non tamen eodem modo: quia illi euidenter, nos autem absque euidentia: sufficit ergo non esse euidentiam in subalternata.

Quid sit scientia.

Ad primum argumentum, quod non sit scientia, dico: cuiuslibet scientiæ principia, vel nota esse per se, vel reduci ad notitiam superioris scientiæ: cuiusmodi sunt sacræ doctrinæ principia.
1. *Ad 1. confirm.* singularia traduntur in sacra doctrina, non quod de eis præcipua consideratio habeatur, sed in exemplum inducuntur vitæ. sicut fieri solet in scientiis moralibus: eorum præterea virorum authoritas commendatur, per quorum studium sacra doctrina ad manus nostras peruenit.
2. *Ad 2.* Scientia tripliciter potest accipi, vno quidem modo generaliter, pro quacunque certa notitia; & sic theologia est scientia, etiamsi de contingentibus dicatur. Secundo modo specialiter pro notitia scilicet certa & euidenti; & hoc modo etiam de aliquibus contingentibus potest esse scientia, vtpote de contingentibus theologicis in intellectu diuino, & beatorum.

Theologia est sapientia.

Tertio modo, sicut diffinitur à philosopho primi posteriorum & ita de contingentibus non est scientia. *Ad conseq.* duplex est sapientia iudicatiua de diuinis: vna iudicat per modum inclinationis, quæ quidem donum est Spiritus sancti 1. Cor. 2. Spiritualis omnia iudicat: sic virtute præditus bene iudicat de his, quæ sunt pro virtute agenda, in quantum ad ea inclinatur: proinde dictum est a philosopho in eth. quod virtute præditus sit regula, & mensura humanorum actuum: alia iudicat per modum cognitionis & hæc quidem acquiritur per sacræ scripturæ studium quemadmodum etiam ille, qui habet scientiam, iudicare potest de actibus virtutum.

Augustinus. Lib. 14. Trin. c. 1.

Augustinus de hac Dei sapientia copiose disputat. *Nunc*, inquit, *de Dei sapientia nobis est disserendum, non de illa Dei, quæ procul dubio Deus est, nam sapientia Dei filius eius vnigenitus dicitur; sed loquemur de hominis sapientia, vera tamen quæ secundum Deum est, & verus, ac præcipuus cultus eius est, quæ vno nomine* θεοσέβεια, *Theosebiam græci appellant.*

Theosebia.

latini vero pietatem dixerunt hoc est, Dei cultus. Vnde 12. de Trin. c. 14. *Sensu corporis corporalia sentiuntur: æterna vero, & incommutabilia spiritualia ratione sapientiæ intelliguntur.* Iob. 28. *Ecce pietas* eusebia, *est sapientia: abstinere autem a malis, scientia. Deus ergo est summa sapientia. cultus autem eius, sapientia hominis, de qua nunc loquimur, nam sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Secundum hanc itaque sapientiam, quæ Dei cultus est, ait sancta scriptura: Sap. 6. Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.*

Iob. 28. Pietas. 1. Cor. 3.

Sapientia quid sit.

Philosophi disputantes de sapientia diffinierunt eam dicentes. Sapientia est rerum humanarum diuinarumque cognitio. Lib. 12. cap. 14. *Habet, inquit, scientia modum suum bonum. si quod in ea inflat, vel inflare assolet, æternorum charitate vincatur, quæ non inflat, sed vt scimus, ædificat. Sine scientia quippe nec virtutes ipsæ, quibus recte viuitur, possunt haberi.*

Scientia quid.

Distat tamen ab æternorum contemplatione actio, qua bene vtimur temporalibus rebus: & illa sapientiæ, hæc scientiæ deputatur.

Diuina.

Quamuis enim & illa quæ sapientia est, possit scientia nuncupari. 1. Cor. 13. *Nunc scio ex parte, ait Paulus, tunc cognoscam, sicut & cognitus sum: quam scientiam profecto contemplationis Dei vult intelligi. quod sanctorum erit præmium summum, tamen* 1. Cor. 12. *dicit: Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alii sermo scientiæ. hæc vtique duo sine dubitatione distinguit.*

Humana.

Rerum igitur diuinarum scientia propria sapientia nuncupatur: humanarum autem propria scientiæ nomen obtinet. Apostolus

Theo. est scientia. *Thesauri sapientia & scientiæ.* *stolus ad Coloss. 2. loquens de Christo ait: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* August. 13. de Trinit. cap. 19. *Sapientia diuinis, scientia humanis attributa est, ait, & vtrumque agnosco in Christo, & mecum omnes eius fideles. Et cum lego: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: in verbo intelligo verum Dei filium. in carne verum hominem: & vtrumque in vna persona Dei & hominis. Plenum gratia & veritate. In rebus per tempus ortis, illa summa gratia est, quod homo in vnitate personæ coniunctus est Deo: in rebus vero æternis summa veritas recte tribuitur Dei verbo.* *Christus est nobis scientia & sapientia.* *Scientia ergo nostra Christus, sapientia quoque nostra idem Christus nobis est. Ipse nobis fidem de rebus temporalibus inserit: ipse de sempiternis exhibet veritatem: per ipsum pergimus ad ipsum: tendimus per scientiam ad sapientiam: ab vno tamen eodemque Christo non recedimus. in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Itaque loquendi latiore consuetudine, vtraque sapientia, vtraque scientia dici potest.* Hæc Augustinus: ex quibus perspicuum esse puto, quonam modo theologia, & sapientia, & scientia nominetur: quandoquidem æterna simul & temporalia contempletur. *Theologia est vna scientia.* Cum itaque statum sit theologiam esse scientiam, atque sapientiam; deinceps quoque dicendum est, ipsam vnam esse scientiam. Reuera, vnitas potentiæ, & habitus consideranda est secundum obiectum: non quidem materialiter, sed secundum rationem obiecti formalem: puta homo, leo, & lapis conueniunt quidem in vna ratione formali colorati, quod est obiectum visus. Quia igitur sacra scriptura aliqua considerat, quatenus sunt diuinitus reuelata: omnia vero talia communicant in vna ratione formali obiecti huius scientiæ; ideo comprehenduntur sub sacra scriptura, sicut sub vna scientia.

Obiectio.

1\. *Sed dices*, vna scientia, teste Philosopho primo posteriorum, illa dicitur, quæ est vnius generis subiecti. sed creator, & creatura, de quibus scripturæ loquuntur, non continentur sub vno genere subiecti: sacra ergo doctrina non est vna scientia.

2\. Præterea, & recidit in idem: In sacra doctrina agitur de Angelis, de creaturis corporalibus, de moribus hominum: huiusmodi autem ad diuersas spectant physicas scientias: ergo quod prius.

Solutio.

1\. *Dico* ad primum, sacram doctrinam non ex æquo de Deo, & de creatura determinare; sed de Deo principaliter: de creaturis vero, quatenus referuntur ad Deum, vt ad principium, vel finem: idcoque scientiæ vnitas minime impeditur.

2\. Ad 2. Nihil prohibet, inferiores potentias, vel habitus, circa illas diuersificari materias, quæ sub vna potentia, vel habitu superiori communiter cadunt; potentia enim superior, vel habitus sub vniuersaliori ratione formali obiectum respicit: sicut obiectum sensus communis, est sensibile, quod sub se visibile comprehendit, & audibile. vnde sensus communis cum sit vna potentia, ad omnia obiecta quinque sensuum sese extendit. Eodem quoque modo se habent ea, quæ in diuersis physicis tractantur scientiis. Sacra ergo doctrina, sub vna ratione, nempe, quod sint diuinitus reuelata, sua omnia contemplatur; atque ita est quædam impressio diuinæ scientiæ, quæ est vna, & omnium simplicissima.

Rationes quod sit vna.

Accedunt ad huius rei veritatem firmandam, non paruæ rationes:

1\. Primum namque in vnoquoque genere, & nobilissimum est, & maxime vnum 10. meth. sed theologia est prima, & scientiarum nobilissima,

2\. eo modo, quo dici potest habitus scientificus: vna est ergo scientia.

3\. Item, si non esset vna, in causa vtique esset multitudo obiectorum, quæ in ea considerantur. sed hoc nihil impedit: propterea quod vnum est in ea primarium obiectum, cuius ratione formali, scientia accipit vnitatem: non autem à materia, vel obiectis secundariis.

4\. Amplius, habitus non habens euidentiam ex obiecto, ad distinctionem obiectorum, quæ per eum considerantur, distinctionem non accipit: alioqui fides non vnus habitus, sed multi, imo tot, quot credibilia. quod profecto Apostolo non probatur *ad Ephe.* 4. vnam fidem esse affirmanti.

5\. Item, in essentialiter, & per se ordinatis, ad aliquod vnum in se stetur, necesse est. multitudo enim omnis per se ordinata, imo etiam per accidens, ad vnum tandem reducitur, & quidem necessario. sed habitus cognoscitiui sunt essentialiter, & per se ad inuicem ordinati: quippe quia in ipsis non est processus in infinitum: in ipsis ergo est vnus primus, qui quidem est theologia. Nam si alius esset statuendus; ille vtique nobilitatis præeminentia theologiæ antecelleret: quod plane fieri non potest: alioqui theologia non præstaret cæteris omnibus habitibus, atque scientiis, & generis nobilitate, & doctrinæ magnitudine. Quomodo ergo theologia sit vna scientia, dixi.

MERCVRIVS.

Rerum distinctio à Deo.

In lucem plane educit omnia: in adytis delitescit, phantasiæ tamen exprimit singula. Etenim phantasia solum circa illa, quæ genita sunt, versatur, in qua præter generationem omnino nihil existit.

Commentum III.

CAP. I.

ANte oculos omnia posuisse, hoc est, ex inuisibilibus, visibilia fecisse Deum, ostendit: ipsum vero secretum manere, quia nimirum vita fruitur sempiterna. Sequitur. *In lucem plane educit omnia*: & est sensus: *Tex. expo.* Quæ nunc non solum oculis conspicimus; verumetiam phantasia, seu rationabili imaginatione complectimur, erant prius in secreto diuinæ essentiæ, in luce illa inaccessibili, quæ postmodum quando ei placuit, & quomodo ei placuit, & quantum placuit, eduxit in lucem, visibilia fecit scilicet, vt esse haberent materiale, & proprium. *Esse rerum in Deo.* Sane, cum Dei voluntas, vt sæpe dictum est, sit causa rerum, nihilque Deum velle necesse sit, nisi seipsum non ergo est necesse res, siue mundum ab æterno fuisse; sed eatenus mundus extitit, quatenus Deus voluit illum esse, cum ex Dei voluntate, velut ex sua causa dependeat. Sequitur text. *in adytis delitescit*, id est, *Textum.* in seipso, qui est lux inaccessibilis, abyssus inpenetrabilis, diuinum secretum, atque silentium. *Phantasiæ tamen exprimit singula*, hoc est, quamuis ipse in secreto maneat maiestatis suæ; omnia nihilominus ad propriam figuram effinxit, quæ in imaginationem nostram rationabilem cadere possunt. Nam illa, quæ sunt supra nostræ phantasiæ captum, atque mensuram; diuina vtique essentia personarum diuinarum Trinitas, & quæ ad diuinitatem spectant, in adytis delitescunt, & visibilia fieri non possunt. Sequitur text. *Etenim phantasia solum circa ea, quæ genita sunt, versatur*, id est, nostræ captus phantasiæ, non nisi circa creata versatur; nam increata, illius vires excedunt: versatur ergo circa genita, atque in ea præter generationem omnino nihil est. *Summa omnium.* Summa igitur dictorum hæc est: Deus benedictus, quæ apud suam essentiam habebat, visibilia fecit, dum illis esse materiale concessit, & in propriis formis collocauit: denique omnia, quæ in captum nostræ phantasiæ rationabilis cadere possunt, quæ videlicet genita, atque condita, in lucem eduxit, quasi ea educens ex profundissima suæ diuinitatis abysso: se vero intra seipsum retento, quippe qui fieri visibilis nequit, nec suæ egredi diuinitatis terminos; sed semper in sua æternitate delitescit. *Phantasia quid.* Porro, phantasia, authore Philosopho 3. *de anima*, est motus factus à sensu: *Imaginatiua.* vbi nomine phantasiæ pro imaginatiua vtitur. Verum phantasia vno modo pro imaginatiua accipitur, quæ est potentia interior, quæque non est motus à sensu: alio modo capitur pro imagine à sensu communi cognita, quæ in imaginatiua reseruatur: sicque illa descriptio est intelligenda. Hoc enim modo phantasia est imago, siue idolum rei, quæ in potentiam secundam interiorem recipitur, & imaginatiua vocatur. Vel phantasia, iuxta quorundam sententiam, à φαίνειν, id est, manifestare, & apparere dicitur, eo quod res sensata in tali potentia apparet; talis siquidem similitudo, rem ipsam manifestat, cuius similitudinem gerit: Et tunc est sensus literæ Trismegisti talis: Phantasiæ singula exprimit, hoc est, singula apparere fecit, & ex secretis suæ potentiæ, manifesta esse voluit. *Rerum distinctio à Deo.* Si itaque singula eduxit in lucem, phantasiæ expressit, visibilia fecit. rerum ergo multitudinem, atque distinctionem à Deo manasse, dubitare non licet: tametsi à plurimis varie disputatum sit: *Democritum.* nam Democritus, omnesque antiqui naturales, à quibus sola causa materialis posita est, rerum distinctionem à casu, secundum motum materiæ prouenire dixerunt: materiæ vero, & agenti simul distinctionem, & multitudinem rerum *Anaxagoras.* attribuit Anaxagoras, qui posuit intellectum, res à materia extrahendo distinguere. Sed de his vide in positione Anaxagoræ circa principium 1. libri. Verum cum ipsa materia à Deo creata sit, distinctionem ab ea manantem in altiorem, prioremque Deo causam referri, minime est necesse. Materia insuper est propter formam, & non è conuerso: rerum autē distinctio per formas proprias habetur. Nō ergo est distinctio propter materiā, sed potius illius causa diuersa, hinc difformis reb. incūbit cōditio: ꝓpterea ꝙ diuersis est formis

Rerum [illegible] [illegible] a [illegible] [illegible].

accommodata. Auicenna rerum distinctionem secundis concessit agentibus, dixit enim Deum seipsum intelligendo, primam produxisse intelligentiam: in qua, quia non est suum esse ex necessitate potentiæ, incidit & actus compositio. Sed hoc iampridem explosum, est, primo quidem quia creare soli Deo competit: deinde quia secundum hunc modum, ex multarum concursu agentium causarum procederet vniuersitas rerum, non autem ex intentione primi agentis, quod est falsum aliogui à casu hæc omnia manare dicerentur: quod veris magnisque philosophis summopere semper displicuit. Itaque rerum multitudo, atque distinctio, ex primi processit voluntate opificis; omnia enim produxit propter suam bonitatem, quam creaturis communicare voluit. Quoniam vero vna tantummodo illius bonitatis abundantiam exprimere non valebat; ad hoc multæ conditæ sunt, vt multiplici creaturarum distinctione, multiformis bonitatis diuinæ in creaturis specimen prætenderent. Est enim in Deo bonitas simplicissima, & vniformis, in creatis vero rebus multipliciter diuisa. Quam ob rem diuinam bonitatem perfectius participat, atque repræsentat totum vniuersum, quam aliqua quæcunque creatura, cum in numero rerum

Rerum distinctio quare.

Gen. 1.

habeatur: *Vidit Deus*, ait Moyses: *cuncta quæ fecit, & erant valde bona*: qui simul omnia maius bonum, quam singula, aut aliqua discreta, & distincta. *Et dixit Deus, Fiat lux, & diuisit lucem à tenebris*: Dei ergo verbo creata est multitudo rerum, & facta distinctio. Bene ergo dictum est à Mercurio, quod Deus expresserit singula, id est, quod fecerit, & distinxerit. Cæterum, sicut sapientia Dei est causa distinctionis rerum, ita plane, & inæqualitatis: duplex namque in rebus inuenitur distinctio, vna quidem formalis in his, quæ differunt specie: altera vero materialis in his, quæ discreta sunt numero. Cum autem materia sit ob gratiam formæ; haud dubium quin materialis distinctio sit propter formalem, ideoque principalior est formalis, quam materialis distinctio. Vnde distinctio formalis inæqualitate semper indiget; quia nimirum formæ, authore philosopho 8. met. sunt sicut numeri: in quibus additione, vel subtractione vnitatis, varia specierum oritur multitudo. In rebus autem naturalibus gradatim species ordinatæ esse videntur: veluti mixta perfectiora elementis, & plantæ corporibus mineralibus, & animalia plantis, & homines cæteris animantibus: & in singulis horum, vna species altera perfectior inuenitur. Rerum ergo inæqualitas, atque distinctio perfectio est vniuersi; quia non vnus, sed multiplex gradus est Dei bonitatis.

Rerum inæqualitas a Deo.

Specierum ordo.

Res non erant ab æterno.

In principio creauit Deus cœlum & terram.

Singula produxit in lucem, ait Mercurius: non erant ergo ab æterno secundum Mercurium: quæ enim sunt ab æterno, principium temporis, aut creationis habere non possunt: ideoque a Moyse paucis admodum verbis, multorum confutati, atque euersi sunt errores: *In principio*, inquit, *creauit Deus cœlum, & terram*: non ergo mundus ab æterno extitit, nec tempus non habuit principium. Hac Moysis sententia illorum eliditur error, qui duo creationis posuere principia, bonorum vnum, alterum malorum: quandoquidem in principio, id est, in filio creauerit Deus omnia. Etenim, quemadmodum propter potentiam effectiuum principium patri tribuitur, ita plane, propter sapientiam, filio principium exemplare, de quo Psal.

Psal. 103.

Omnia in sapientia fecisti. Et ad Coloss. 1. *In ipso* scilicet filio, *condita sunt vniuersa*. Extruditur præterea illorum hæresis, qui asserebant corporalia, mediantibus angelis, à Deo condita fuisse. At aliud loquitur Moyses: Omnia, inquit, creata sunt à Deo, & cœlum, & terra: & corporalia scilicet, & incorporalia. Et Mercurius: *Singula produxit in lucem*. Omnium ergo Deus est conditor, pater, & opifex. Cæterum, rerum productio demonstrari non potest non quidem ex parte rerum, siue ipsius mundi conditi, demonstrationis enim principium, est quod quid est: vnumquodque autem secundum suæ speciei rationem, abstrahit ab hic & nunc. Non ergo potest esse sufficiens medium, ad rei nouitatem inferendam; ipsa enim temporis nouitas differentiam continet. Liquido enim constat, non esse maiorem rationem essendi nunc, & non prius: cum indifferenter se habeat ad vtrumque: ex cuiuscunque ergo rei quidditate, non potest eius nouitas simpliciter demonstrari.

Mundum incepisse est articulus fidei.

1. Mundus præterea vniuersitatem significat rerum: extra vero vniuersum est nihil, illius principe duntaxat excepto. Nullus ergo relinquitur demonstrationi locus, pro

2. mundi nouitate statuenda. Similiter se habet res ex parte opificis, à cuius voluntate res conditæ sunt: voluntas autem Dei, ratione inuestigari non potest, nisi circa ea, quæ absolute necesse est, eum velle: cuiusmodi non sunt res ab eo in esse, & lucem productæ. Potest autem Dei voluntas per reuelationem hominibus innotescere: mundum

An mundus sit æternus.

ergo incepisse est credibile, non autem demonstrabile: Te net conseq. quia fides reuelationi innititur. Adde, id non parum prodesse vtilitati fidelium, tum propter reprimendam præsumptionem, tum etiam propter euitandam irrisionem; dum enim putat se aliquis id demonstratiue ostendere posse, ab infideli irridetur, qui illis rationibus adductum arbitratur huiusmodi gremio fidei Christianæ se credere. Quomodo ergo Deus produxit omnia in lucem, (ipso in adytis suæ sapientiæ manente) hæc pauca dixisse arbitror sufficere. 3.

CAP. II.

Argumenta contraria.

Mundus non fuisse ab æterno.

Quamuis in primo, & secundo Pymandri de hac materia disputarim, quia tamen sapientissimus Mercurius nouam nobis suggerit occasionem disputandi, aliquid obiiciendo, & proponendo loqui, minime ratus sum inutile fore. Exurgat ergo aliquis, 1.
atque tueatur mundi æternitatem, hoc modo arguendo: Omne, quod incipit esse, antequam fuerit, possibile fuit, ipsum esse alioqui fieri minime potuisset. Si ergo mundus incepit esse, antequam inciperet, possibile fuit ipsum esse. sed omne tale est materia, quæ est in potentia ad esse, quod est per formam, & ad non esse, quod est per priuationem: ante ergo mundum fuit materia. sed non potest esse materia sine forma; materia autem mundi cum forma, est mundus: fuit ergo mundus antequam inciperet: quod est falsum. Amplius nihil habens virtutem, vt sit semper, quandoque est, & quandoque non est; tamdiu enim est alicuius virtus, quamdiu sese protendere valet. sed omne incorruptibile potest semper esse; non enim ad determinatum durationis tempus concluditur: nihil ergo incorruptibile, vtpote substantiæ intellectuales, & corpora cœlestia, quandoque est, & quandoque non est: nec ergo consequenter incepit esse: ergo quod prius. Nullum præterea ingenitum 2.
1. Phys. & cœl.
incepit esse. sed materia est ingenita, cœlum vocatur ingenitum: ergo, &c. Adde, quod omne mouens, aut est naturale, aut voluntarium. sed neutrum incipit mouere, nisi aliquo motu præexistente; natura enim semper eodem modo operatur: quapropter nisi aliqua præcedat in natura mouentis, siue in mobili mutatio; à mouente naturali non incipit esse motus, qui prius non fuerit. Voluntas autem absque sui mutatione remoratur ab eo, quod facere proposuerat. Sed id certe non contingit, nisi ob aliquam, quam imaginatur ex parte temporis immutationem fore: sicut qui futurum tempus præstolatur domus ædificandæ, quod plane sine mutatione fieri non potest, cum tempus sit numerus motus; reliquum est, vt ante motum nouiter inceptum, alius motus præcesserit, quod est falsum. ergo quod prius. Paulo superius folio .... simile quiddam dictum est à nobis. Amplius, cuius actio est æterna, & effectus quoque 3.
est æternus. sed actio Dei est æterna, vtpote eius substantia, & effectus: mundus ergo erit æternus. Iterum, quod 4.
non sit articulus fidei mundum incepisse sic ostenditur: Omne factum habet principium suæ durationis. sed Deum esse mundi causam effectiuam, demonstratiue persuaderi potest, sicut pluries dictum est à nobis: mundum ergo à Deo conditum esse, non est articulus fidei, sed demonstratiua scientia. Sane, aut mundus factus ex aliqua

Quod non sit articulus fidei mundum incepisse.

materia, aut ex nihilo: non quidem ex aliqua materia, alioqui mundi materia mundum præcessisset, quod philosopho non probatur: ex nihilo ergo factus est; & sic habet 5.
esse post non esse, atque ita principium habuerit necesse est. Item, omne operans per intellectum, a quodam principio operatur: sicut perspicuum esse potest in artificialibus omnibus. sed Deus est agens per intellectum: à 6.
quodam ergo principio operatur. igitur mundus, qui est Dei effectus, non est ab æterno. Adde, quod si mundus esset æternus; par vtique esset Deo duratione. sed certum 7.
est Deo æquari posse nihil: ergo quod prius. Præterea, concessa mundi æternitate, multa sequerentur absurda. inprimis, infinitos dies, hunc diem præcessisse. sed infinita non est pertransire: nunquam ergo ad hunc diem fuisset peruentum: quod est manifeste falsum. Generatio insuper fuisset æterna: vnus ergo homo ab alio genitus fuisset in infinitum. atqui pater est filii causa efficiens, authore philosopho 2. phys. in causis ergo efficientibus esset processus in infinitum, quod philosopho non placet

2. met.

An Mundus sit æternus. Soluuntur argumenta.
2. met. Denique infiniti homines præcessissent, atque ita in-
finitæ essent animæ hominum in actu anima enim homi-
nis est immortalis. *Respondeo*, sicut respondi superius ad pri-
mum: possibile fuisse mundum esse: non quidem secun-
dum potentiam passiuam, quæ est materia; sed secundum
actiuam Dei potentiam; & quatenus etiam aliquod abso-
1. lute possibile dicitur. non secundum aliquam potentiam;
sed ex sola terminorum habitudine, qui sibi minime repu-
2. gnant, sicut 5. met. possibile opponitur impossibili. Ad 2.
dico, illud, quod habet virtutem, vt semper sit, antequam
illam virtutem habuerit, non semper fuisse. Ratio ergo
quæ ponitur ab Aristotele primo cœli, non concludit sim-
pliciter corporalia scilicet esse non incepisse; sed per mo-
dum naturalem, quo generabilia, atque corruptibilia esse
3. cœperunt. Ad 3. Materia ab Aristot. vocatur ingenita, eo
quod non habeat subiectum de quo fit: & mundus ingeni-
tus, quia non habet contrarium, ex quo generetur: vtro-
que ergo testimonio probatur, cœlum, atque materiam
per generationem non incepisse: quod etiam nos ipsi fa-
temur, dicentes per simplicem emanationem seo creatio-
Primum agens. nem, à Deo optime hæc condita esse. Ad *confirmationem*, pri-
mum agens, est agens voluntarium, vnde quamuis habe-
at voluntatem æternam alicuius effectus producendi; non
tamen produxit effectum æternum. Proinde non est præ-
supponenda aliqua in eo mutatio, aut temporis imagina-
tio: propterea quod est agens vniuersale totum produ-
cens; non autem particulare, à quo forma producitur, sed
præsupponitur materia. Deus ergo simul omnia produ-
4. xit, & materiam, & formam, & tempus. Ad 4. Posita
actione sequitur effectus secundum formæ exigentiam,
quæ est principium actionis; in agentibus autem per vo-
luntatem, quod conceptum est, & prædefinitum, accipi-
tur vt forma, quæ est principium actionis. Ex actione i-
gitur Dei æterna, non sequitur effectus æternus; sed qua-
lem Deus voluit, scilicet, vt haberet esse post non esse. Ad
5. 5. Augustinus 11. *de ciui*. Dei, affirmat quosdam philoso-
phos mundi æternitatem posuisse modo quidem vix in-
Pes impuluere ab æterno. telligibili: vnde 10. *de ciuit*. exemplum posuit: *Sicut*, inqui-
unt, *si pes ex æternitate semper fuisset in puluere, semper subesset ve-*
stigium, quod à calcante factum nemo dubitaret. sic mundus sem-
per fuit semper existente qui fecit. Reuera, causa efficiens, quæ
agit per motum; de necessitate vtique suum tempore præ-
cedit effectum: effectus enim est in termino actionis. at si
actio sit instantanea, & non successiua; non est necesse, vt
agens sit prius facto duratione. sicut in illuminatione, res
potest esse perspicua. Cum ergo Deus sit causa mundi
per creationem, quæ non est mutatio successiua; non est
Quomodo factus ex nihilo. necesse, vt mundum duratione præcedat. Ad *confirmatio-*
nem, qui posuerunt mundum æternum dicerent mundum
à Deo ex nihilo factum; non quidem factum post nihilum,
sicut nos intelligimus per creationis nomen; sed non fa-
ctum de aliquo. Et sic a quibusdam illorum admittitur
6. creationis nomen. Ad 6. Illa Anaxagoræ positio intelle-
ctui conuenit humano, non autem diuino. Sed quæ fue-
rit mens Anaxagoræ, dictum est in 1. libro. Ad *confirm*. esse
diuinum est esse totum simul, teste Boetio, non sic autem
esse mundi: propterea mundus, etiamsi esset æternus, par
7. Deo minime diceretur. Ad 7. Transitus semper intelligi-
tur à termino in terminum: quæcunque autem hora, aut
præterita dies signata fuerit ab illis, ad istam vsque sunt fi-
niti dies, qui plane pertransiri poterunt. Obiectio autem
procedit perinde ac positis extremis, media essent infini-
Processus in infinitum in causis agentibus. ta. Ad *confirm*. in causis efficientibus datur processus in in-
finitum; non quidem per se, sed per accidens quando sci-
licet illæ causæ vnius, retinent causæ ordinem: earum ve-
ro multiplicatio fiat per accidens; generat enim homo,
quatenus est homo, non autem quatenus est filius alte-
rius. In causis enim efficientibus omnes homines habent
vnum gradum, particularis videlicet generantis. Fieri au-
tem potest, vt hoc modo homo generetur ab homine in
infinitum. esset autem impossibile, quando generatio istius
dependeret ab hoc homine, & à corpore elementari, & à
sole, & sic in infinitum. Ad *confirm. et*. animarum circulus
saluare posset illam animarum multitudinem: sed de his
Quod rerum multitudo non à Deo. in aliis libris disputaui. Quoad vero ad illa, quæ dicta sunt,
posset *aliquis obiicere*. à Deo non manare rerum multitudi-
nem, atque distinctionem, sic obiiciendo: Vnum sem-
per est natum facere vnum. sed Deus est maxime vnus: non
producit ergo, nisi vnum effectum. Profecto, exempla-
tum, sibi assimilatur exemplari. sed Deus est causa exem-
plaris sui effectus: cum ergo sit vnus, vnus quoque erit eius
8. effectus. Ea denique quæ sunt ad finem, fini proportionan-
tur. sed finis creaturæ est vnus scilicet diuina bonitas: vnus
ergo, & non plures effectus à Deo proficiscuntur. Amplius, *De ingenito.*
optimi est, optima adducere. sed inter optima, vnum non
est maius altero: Dei ergo optimi est, omnia æqualia face- 2.
re. Sane, æqualitas est effectus vnitatis 5. *met*. sed Deus est
vnus: facit ergo omnia æqualia. Denique, iusti est in-
æqualibus inæqualia reddere. sed Deus est iustus in omni-
bus operibus suis: cum ergo eius operationi, à qua rebus
esse communicatur non præsupponatur aliqua inæquali-
tas rerum: igitur omnia fecit æqualia. *Resp*. ad primum: *Soluuntur argumenta.*
Agens per naturam, per formam vtique agit, quæ cum v-
nius tantum sit vna, non nisi vnum producit. At agens 1.
voluntarium, cuiusmodi est Deus agit per formam intelle-
ctam; idcirco cum multa possit intelligere absque suæ sim-
plicitatis dispendio; haud dubium quin possit facere, imo
facit multa. Ad *confirm*. Ratio illa valet in exemplato, quod
perfecte repræsentat exemplar: quodque non nisi materia-
liter multiplicatur, vnde imago increata perfecta est vna
tantum. sed nulla creatura, perfecte repræsentat primum
exemplar, diuinam scilicet essentiam; ideoque potest per
multa repræsentari. Ad *confirm*. vna creatura non potest
finem, cuius gratia creata est, exprimere; hac de causa mul-
tæ creatæ sunt, vt finem illum omnibus modis manifestare
valeant. Ad 2. optimi agentis est producere totum suum ef- 2.
fectum optimum; non tamen quamlibet partem totius o-
ptimam facere simpliciter; sed potius optimam secundum
proportionem ad totum: tolleretur enim bonitas anima-
lis, si quælibet pars illius eadem polleret dignitatis præ-
eminentia. sic ergo Deus vniuersum optimum fecit: par-
tium vero diuersitatem inseruit, quæ ad totius pulchritu-
dinem maxime faceret. Ad *confirm*. in creaturis est æquali-
tas proportionis, & hoc sufficit. Ad *confirm*. illa authoritas
valet in retributione præmiorum, quorum inæqualitas
debetur inæqualibus meritis: at in rerum constitutione,
non est inæqualitas partium per quamcunque meritorum,
seu dispositionis materiæ inæqualitatem præcedentem;
sed propter totius perfectionem. Quomodo ergo rerum
multitudo, distinctio, atque inæqualitas sit à Deo, dixi
satis.

MERCVRIVS.

At vnicum id ingenitum, incomprehensi-
bile phantasiæ, cum vero per ipsum cuncta cla-
rescant; per omnia rursus, atq; in omnibus ful-
get usque præsertim apparet, quibus notitiam
sui communicare voluit.

Commentum IV.

AVdiuimus quomodo singula expresserit *Expo. textus.*
phantasiæ. *At, inquit, vnicum id ingenitum in*
comprehensibile est phantasiæ. quasi diceret, quæ
cogitari possunt, in lucem prodierunt: Ve-
rum quæ superant captum phantasiæ, in
seipsis delitescunt: Id autem est vnicum ingenitum, id
est, Deus benedictus vnus, non ab aliquo alio, quam à se
ipso essentiam habens. Dicitur autem Deus vnum, autho- *Deus vnum*
re Dionysio: quoniam est vnice cuncta, per singularis vni- *3. de diuin. nom.*
tatis excessum, omniumque causa est: *nusquam ... à pro-*
pria vnitate discedens: nihil enim est in rebus vnius expers
sed quemadmodum numerus omnis, vnitatis est parti-
ceps: nam binarius dicitur vnus vnusquoque denarius. &
dimidium vnum, & tertium, & decimum vnum, sic omnia
omniumq; partes, participationem vnius habent. atque ex
eo, quod vnum extat, sunt omnia. Ipsum vero vnum, quod *Vnum omnium causa.*
omnium causa iudicatur, non est aliquid è pluribus vnum;
sed ante omne vnum, omnemque multitudinem quod &
quodlibet vnum, multitudinemq; definit; nulla enim mul-
titudo est, quæ non particeps sit vnius, siquidem quod est
secundum partes plura, est toto vnum: & quod plura acci- *Nihil est expers vnius.*
dentibus, vnum est subiecto: & quod plura numero, seu vi-
ribus, vnum specie: quod speciebus plura, vnum genere.
quod multa processibus, vnum principio. Denique nus-
quam existit quicquam omnino vnius expers. quippe cum
ipsum vnum natura sua penitus vnica, omnia atque tota,
etiam inter se opposita singulariter ante comprehendat.
Sensus est: Deus dicitur ipsum vnum, quia est nihil, quod il-
lius secundum aliquem modum particeps non sit sicut o-
mnis numerus particeps est vnitatis, siue vnius. Vnum
namque cuncta participant, & in vnitate conseruantur.
Sequitur tex. *Ingenitum*. Vocat Mercurius Deum ingenitum, *Ingenitus.*
id est, principium, sine principio: & paulo post in eo-
dem

De ingenito.

dem dial. dicit, *Tu demum es quodcunque genitum: & ipse omne quod nunquam genitum*: quasi diceret: Tu condidisti, quæ genita sunt siue creata, quæ vero creata non sunt, tu ipse es. Et dial. 8. *Primus omnium, inquit, vere sempiternus, immortalis, ingenitus Deus, omnium autor. Secundus deinde ad illius imaginem, mundus ab eo genitus siue creatur.* Reuera, Ingenitum vno modo significat increatum: atque ita in diuinis secundum substantiam dicitur; per hoc enim increata à creata discernitur, atque distinguitur substantia: alio modo significat id, quod non est genitum; & sic relatiue dicitur eo certe modo quo negatio reducitur ad genus affirmationis: sicut non homo ad genus substantiæ, & non album ad genus qualitatis. Quam obrem, cum ingenitum in diuinis relationem importet: ingenitum quoque ad relationem pertinet: non ergo sequitur, vt pater, qui est ingenitus, à filio genito secundum substantiam distinguatur; sed sola relatione, quatenus scilicet relatio filij negetur de patre. Itaque, ingenitus negationem generationis passiue importat; pater idem enim est, ac non filius: & cum hoc etiam, est propria notio Patris: prima enim & simplicia per negationes notificantur, sicut dicimus punctum esse, cuius pars non est. Sumitur autem interdum negatiue tantum: vnde à Hieronymo spiritus sanctus ingenitus, id est, non genitus est appellatus: aliquando priuatiue potest dici ingenitum; aliquam tamen imperfectionem non denotat. vno siquidem modo priuatio est, quando aliquid non habet, quod natum est habere ab alio: sic lapis res mortua nominatur; caret enim vita, quam aliæ res natæ sunt habere. alio modo, vt talpa, qui captus est oculis, qui insunt aliquib. sui generis: tertio modo, quando non habet, quod natum est habere: atque ita imperfectionem denotat. sic autem ingenitum non dicitur de patre, sed potius secundo modo; quatenus scilicet aliquod diuinæ naturæ suppositum non dicitur de patre: cuius tamen naturæ aliquod suppositum est genitum. Verum secundum hanc rationem Spiritus sanctus quoque potest dici ingenitus. Vt ergo soli patri conueniat; intelligi oportet nomine ingeniti, principium alterius personæ in diuinis; vel quod omnino non sit ab alio per aliquem modum producendi. Itaque, sicut in quolibet genere oportet ponere vnū primū; ita in diuina natura vnū principiū, quod non sit ab alio, quod est ingenitū. Quā ob causam, si ponerentur in diuinis duo innascibiles, duo Dij vtique ponerentur: vnde Hilarius. *Cum vnus Deus sit, inquit, duo innascibiles esse non possent; vnus n. illorum esse esset ab alio: sicque relatiua oppositione non distinguerentur: distinguerentur ergo diuersitate naturæ: quod est falsū pariter & impium.* Cyril. lib. 2. de trin. ingenitū non esse substantiale dixit: *Imperite, inquit, atque indistincte substantiam Dei dixerunt quidam esse ingenitam.* Basilius accepit ingenitum secundum substantiam: *Quemadmodum, inquit, incorruptibile non inesse Deo corruptionem significat, & inuisibile omnem oculorum comprehensionem eum excedere, & incorpoream non inesse ei trina dimensioni obnoxiam essentiam, & immortalem, nunquam dissolutionem ipsi futuram. sic & ingenitum, generationem ipsi non inesse significat.* Et lib. 5. contra eundem: *Ingenitum, ait, vno modo dicitur, quod nunquam natum est, neque est nasciturum*: rursus ingenitum intelligimus, quod minime, ac nullibi est, non ens; cum vero Deus appellatur ingenitus, id est, qui non natus, nō productus ab alio. Augustinus arguit hoc modo: *Quicquid de Deo dicitur vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur.* Quapropter ingenitum esse patri, secundum substantiam est, & genitum esse filio, secundum substantiam est. Diuersum est autem ingenitum esse, & genitum esse: diuersa est ergo substantia patris & filij. Cap. 6. respondet: *ideo, inquit, filius est, quia genitus*: vnde sicut filius ad patrem, sic genitus ad genitorem refertur: ideoque alia notio est, qua intelligitur genitor, & alia, qua intelligitur ingenitus; genitor enim ad filium refertur, ingenitus vero ad seipsum. sed de his disputauimus in primo Pymandri, Mercurius autem accepit ingenitum secundum substantiam: *Vt sit Deus ingenitus*: id est, sine aliquo principio. Sequitur Tex. *Incomprehensibilis phantasia*, hoc est, nullo animi conceptu comprehendi potest. Præclare à Dionysio docetur in libello de mystica theologia, Deum intellectu capi non posse; sed esse supra intellectum, & super omnem scientiam. *Volo itaque tu illi ò Timothee, qui est super omnem substantiam, omnemque scientiam: & ignote pro viribus teipsum intende ad supersubstantialem caliginis radium. hac autem caue, ne quis imperitus, accedat exaudiat: eos autem sic appellauerim, qui visibilibus affixi, nihil supra ea, quæ obtutibus, ac sensibus patent, supersubstantialiter esse arbitrentur: putantque scientia sua illum assequi, qui posuit tenebras latibulum suum. Moyses primum vt mundetur, admonetur. hoc autem recte insinuat, angustissima quælibet, & suprema visibilium, atque intelligibilium, rationes congruas, ac signa quædam esse eorum, quæ subiecta sunt omnia transcendenti, per quæ ipsius præsentia, omnem intelligentiam superans demonstratur. Tum vero ipsa quoque visibilia atque intellectualia contemplator linquens, ingreditur ignorationis mysticam profecto caliginē in qua omnia scientiæ, & cognitionis præsidia terminans, transcendit omnia: & qui nullius est, neq; sui met, neq; alterius, ignote scientiis omnis & cogitationis vacationi, præstantiore modo coniunctus: & eo quoque ipso, quod nihil cognoscit, supra sensum, mentemque cognoscens euadit.* vnde cap. 2. *Ad hanc nos perlucidam liquidissimamque caliginem admitti oremus, & per visum scientiamque priuationem videre, ac scire eum, qui omnem aspectum, scientiamque transcendit.* Bene ergo dixit Mercurius: Deum esse incomprehensibilem phanthasiæ. Et reuera, nihil cadit in phanthasiæ conceptum, nisi aliquo fuerit phantasmate vestitum. sed primus opifex alicuius rei phantasmate figurari non potest; nihil enim est in rebus, quod illius maiestatem exprimere queat: Deus ergo est phanthesiæ incōprehensibilis. Vnde Dionysius *Sicut, inquit, neque sensibilibus intelligibilia comprehendi, spectariue possunt: neque fictis, figuratisque simplicia, & infigurata, neque per corporum figuras formatis informitas ipsa incorporeorum, effugiens tactum, figuraque carens: eadem veritatis ratione ipsa superessentialis infinitas, omnes essentias antecellit. ipsa quoque vnitas intellectu superior, omnes superemìnet intellectus: ipsum denique vnum cogitatione præstantius, nullis cogitationibus potest excogitari: atque bonum excelsius omni verbo, verbis est ineffabile.* quasi diceret: Deus verbo exprimi non potest: cogitatione nequit excogitari: intellectu intelligi non valet: oculos siquidem non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit. vnde postea ipsemet Dionysius subdit: *Diuinitas quid sit, nemini patet omnibus est inaccessa, quippe cum ab omnibus superessentiali quadam excellentia sit segregata. Iam vero theologos multos inuenias diuinitatem celebrauisse, non solum tanquam inuisibilem, incomprehensibilemque, verum etiam inscrutabilem, inuestigabilemque dixisse: quasi extet vestigium eorum, qui occultam diuinitatem illius accesserint. De hac igitur secretissima deitate, nec loqui, nec cogitare quicquam est, præter illa, quæ sacra eloquia nobis diuine admodum tradiderunt.* Hæc Dionysius: intellectus siquidem lumine naturali potest certis rationibus, primo quidem intelligere Deum esse: deinde quid ipse non sit; tertio quod mundum gubernet: quarto, quo ordine res ad Deum omnes sese habeant: scire vero quid proprie sit ipse Dei natura, nec noster intellectus, nec angelicus naturali lumine potest. Est enim natura illa longo interuallo super essentiam, & intelligentiam quantumcunque perfectam. Sequitur tex: *Cum vero per ipsum omnia clarescant*: id est, omnia habent claritatem à Deo, quatenus esse habent, & quodammodo ex tenebris in lucem venerunt: *ipse per omnia, & in omnibus fulget*: quasi diceret, omnia à Deo habent claritatem essendi: & omnia vicissim Deum quasi ignotum clarificant, atque manifestant; Dei enim bonitas ante mundi creationem erat ignota: per rerum vero creationem sese omnibus cognoscendam insinuauit. Est ergo Deus per omnia, quia est omnium vita: fulget vero in omnibus, vtpote pulchritudo, metrum, & mensura omnium. Et est sensus, quælibet res diuinæ bonitatis, sapientiæ, atque potentiæ gestat imaginem: Deus enim non solum est omnium causa efficiens, sed & conseruans, sed & perficiens, sed & finalis: ad rationem autem causæ, affectusque pertinet, vt hic ab illa pendeat, & illius exemplar prætendet. vnde est illud orphicum. *Iupiter quam in se ipse lucem occulit, edidit quandoque foras, ex alme corde operans admiranda.* Dionysius cap. 1. de diuinis nominibus: *Deus est causa omnium, inquit, principium, essentia & vita. Et vt summatim dicam, viuentium vita existentium essentia, omnis vita essentiæque principium, atque causa ob propriam bonitatem, omnia vt essent, producentem, atque conseruantem.* Et iterum in eodem capitulo: *circa ipsam primam causam sunt omnia, & ex ipsa tanquam causa, principio, atque fine pendent omnia: Ipsaque, vt scriptum est, est omnia in omnibus.* *Vt sit Deus*, inquit Apostolus, *omnia in omnibus*. Doctores græci, nempe Chrysost. Theoph. Oecumenius &c. ad hunc modum interpretantur, Cum autem Christo subiecta fuerint omnia; tunc & ipse filius subiicietur ei, qui illi subiecit omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. *Vt in ipso*, inquit Chrysost. *omnia deuincta sint, ne quis duo principia siue principia, aut regnum quoddam aliud diuisum esse suspicetur. ne quid omnino ab ipso non pendens extet; vbi enim hostes ad filij pedes prostrati sunt, & is qui prostratos pedibus tenet, cum patre nihil discrepat; sed prorsus congruit: erit ille sine dubio in omnibus omnia.*

Duobus modis.
Increatum
Relatiuum.
Ingenitum non filium.
Negatiue.
Priuatiue.
Ingenitum quomodo dicatur de patre.
Duo innascibiles.
In lib. de synodis.
Lib. 2. de Trin.
Lib. 1. cont. Eunom.
Lib. 5. Trin. c. 5.
Textus
Deus est supra intellectum.
Mystica caligo.
1. c. de diu. nom.
Deus est incomprehensibilis.
Scire quid sit Deus, est ipsius proprium.
Text. capo.
Omnia Dei gestant imaginem.
Orpheus.
Dionysius.
1, Cor. 15.
Deus est per omnia & in omnibus.
Chrysost.

Deus est omnia in omnibus. Sunt qui mali sublationem etiam significesse, cum hæc dixit, putant, nempe cedentibus omnibus, nec vllo posthac repugnente, aut in peccato persistente; nam vbi peccatum, non amplius est: patet in omnibus omnia iam Deum esse. Similem quoque sensum sequitur Ambrosius *(Ambrosius)*: *Hoc dicit*, inquit, *quia cum omnium principum & potestatum & dominationum fuerit pressa superbia, & adorauerit Christum quasi Deum; tunc Christum propter vnicam authoritatem patris, Deum quidem se ostendet*: sed de Deo vt vnius principij sublimis, & inaffabilis authoritas manent, hoc est, subijcera se filium patri: hoc est Deum esse omnia in omnibus: quia cum discit omnis creatura caput suum esse Christum, Christi autem caput Deum; omnia in omnibus est pater. Augustinus exponens illud *(Augustinus. Osee 2.)*: *Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs*, id est, ego ero, vnde satientur: ero quæcunque ab omnibus honeste desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona; sic enim & illud recte intelligitur: Vt sit Deus omnia in omnibus. Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur: sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. sed de his satis. Ad hoc propositum, Plato *(Plato.)* in epistolis ait, omnia à Deo regente pendere, tanquam ab efficiente pariter atque fine. In quarto legum idem confirmat his verbis: *Deus, vt prisci tradunt, principium & finem; & media omnium comprehendens recta via pergit: & secundum naturam omnia circuit.* In Timæo atque Parmenida *omnia deducit ab vno*. Recte ergo dixit Mercurius, Deum per omnia, & in omnibus esse. Sequitur Text. *(Text. expo.)* *Et iis præsertim apparet, quibus notitiam sui communicare voluit*: id est; ij percipiunt Deum per omnia, & in omnibus esse: quibus Deus sese communicauit. Deus sane omnibus communicat esse *(Communicat esse.)*, quod est quædam diuini esse participatio: vnde & bona sunt omnia, & vera; quatenus esse habent ab eo, qui est ipsa bonitas atque veritas. Aliis communicat non solum esse; sed etiam motum vitalem, siue, vt aliqui dicunt, vim vegetatiuam, veluti plantis, rebusque mineralibus: quæ profecto omnia augmenti sunt, & decrementi participia, cognitionis vero experita. Aliis præter esse & motum, communicat etiam sensum *(Motum vitalem. Sensum.)*: quemadmodum sunt animantia vniuersa, quæ motu aguntur, & sensu; sed sunt rationis ignara. Et hæc quidem diuinæ bonitatis, atque sapientiæ magis exprimunt potentiam, quam ea, quæ tantummodo esse habent, aut vitæ vegetatiuæ funguntor officio: aguntur enim imaginationibus, & sensuum ministerio vtuntur; idcirco cum ratione quandam affinitatem, cognationemque habere videntur. Aliis, nempe hominibus, præter illa, quæ cæteris rebus tributa sunt, rationem *(Rationem.)* communicat, siue intellectum, & voluntatem, ideoque & rationalia nominantur, & Dei similia. vnde & super cuncta animantis dominium acceperunt: quibus ante omnia insita est Dei cognitio, & quasi quidam tactus diuinæ bonitatis. Inter hæc autem animantia rationabilia, quædam Dei beneficio electa sunt, quibus Deus sui amicitiam communicauit *(Communicatio amicitia.)*, & notitiam: cuiusmodi sunt electi & dilecti Dei, qui admissi sunt ad secreta Dei agnoscenda.

MERCVRIVS.

Tu igitur ô fili mi Tati, inprimis piis precibus obsecra dominum patrem vnicum, vnum, & à quo vnus, vt sis illius misericordia dignus.

Commentum V.

(Text. expo.) PRoposito certamine, hortatur ad pugnam: Dixi, inquit, Deum notitiam sui aliquibus communisse: si ergo cupis huiusmodi communicationis particeps fieri, ante omnia *precibus obsecra dominum, patrem vnicum*, id est verum, à quo & esse, & bene esse recepimus, & quotidie recipimus. *Vnum*, hoc est, non solum est vnicus, & verus pater; verum etiam, est vnum, scilicet principium, & dominus mundi; *à quo vnus*: à quo nempe principio, est vnus mundus, qui patris sui gerit imaginem. *Vt sis illius misericordia dignus*: precibus, hanc dignitatis gratiam obtinere poteris: si enim id egeris, vt sua te misericordia dignetur; protinus sui notitiam tibi communicabit. Age igitur, ac precibus instanter incumbito. Et reuera, nihil ita Dei misericordiam nobis conciliat; ac tam efficax, & efficax precum studium *(De oratione. Precum studium.)*, in quo non armis, sed precibus pugnetur. Quis enim iustorum non orando pugnauit? quis hostem, non orando deuicit? quis non orando veniam & misericordiam impetrenit? hostis noster, dum oramus, premitur. dum cessamus, erigitur. Duæ sunt potissimum ad bonum viæ: inquisitio disputans: & oratio supplicans. illa quidem ad agnoscendum bonum contendit: hæc autem ducit ad consequendum, & consecutione perfectissima consequandum. Tria autem sunt ad orationis efficaciam necessaria *(Tria necessaria orationi.)*: Primum perturbationes sensuum cohibere, quæ à diuinitate nos detorquent: secundum, ab intellectu imaginationis figmenta, veluti nebulas depellere: tertium, vniuersum voluntatis affectum, in diuerse nunc bona distractum, in primum bonum conuertere: sicque fetuor obsecrantis animum Deo coniungit. *Oportet*, inquit Dionysius *(Cap. 3. de diuin. nomin.)*, *nos votis inprimis ad Dei bonitatem tanquam bonorum originem prouehi: atque ita ad illam propius accedere: ac hoc ipso gradu optima quæque dona penes ipsam sita perdiscere; illa enim omnibus adest, non tamen omnia illi adsunt. quando vero illam castissime precibus, & intellectu tranquillo, affectuque ad diuinam vnionem apto, precamur: tunc nos etiam illi adsumus.* Finge cathenam variis contextam luminibus quasi anulis per totum cælum diffusam, & ad terram vsque porrectam: qualam Plato *(Plato.)* in decimo de repub. fingit: qualem rursus apud Homerum *(Homerus.)* Ioppiter Deos conuocens, per cœlum proiecit: promittitque sursum se tracturum quidquid cathenam apprehenderet: se vero trahi non posse deorsum. *Veluti*, inquit Dionysius, *si cathena quadam multis contexta luminibus à summo cælo suspensa vsque ad infima protendatur, nosque hanc manibus semper alterum in alteram porrecta apprehendamus* *(Oratio ma[…]bus.)*; *trahere quidem ipsam ad nos videbimur; re autem vera non deduceremus eam ad nos, supra videlicet infraque præsentem; sed ipsi potius ad excelsiores radiorum varie lucentium splendores feliciter proueheremur.* Quasi diceret: Oratione Deum ad nos deducare putamus. sed contrario modo res se habet: nam per orationem ad Deum rapimur, illique connectimur: ideoque vocetur ascensus mentis in Deum. *Quamobrem*, ait Dionys. *ante omnem actum, præcipue theologicum, ab oratione nobis exordiendum est: non quidem vt potestatem illam vbique præsentem, & nusquam addictam ad nos quandoque trahamus; verum vt diuinis commemorationibus, inuocationibusq; nos ipsos illi dedamus, & vnione iungamur*: Hæc Dionysius. Quapropter omne studium nostrum esse debet, vt ad supra conuertamur, & naturæ meliori vniamur *(Vtilitates orationis.)*: in quo tota summa posita est felicitatis humanæ. Conuertimur autem per hymnos, per vota, per preces: hinc Pythagoricæ, & Platonicæ disputationes à sacris precibus exordium acceperunt, vnde Socrates *(Socrates.)* in Philæbo ita exoritur: *Nunc expiationis gratia, Deum ipsum inuoco atque testor.* In Phedro sic: *O Musa Lygia*. id est Camœnæ, *meum adiuuate sermonem* 5. de Republica. *Adoro itaque supplex ad Astriam, ob ea, quæ dicturus sum.* In Critia: *Deum obsecro, vt si quid decenter dictum est, seruet ipse nobis, atque custodiat.* Plato *(Plato.)* quarto de legibus: *Deum inprimis ad ciuitate constitutionem inuocemus: qui vtinam audiat, exaudiat que propitius, & benignus nobis adueniat. vna nobiscum ciuitatem, & legem exornaturus.* Et decimo de legibus sic: *Age modo, magisque quam vnquam Deum omni studio inuocemus: cum deos esse diligenter demonstrare conemur.* In Timæo deniq; sic: *Cum omnes qui mentis quoquo modo compotes sunt, in operis cuiuslibet vel magni, vel parui principio inuocare Deum soleant; quanto nos æquius est inuocare diuinam opem?* Porphyrius *(Porphyrius.)* 2. *de occasionibus*, rationem reddit, quare mouemur ad preces supplicesque Deo fundendas: *Tribus*, inquit, *de causis Deum oramus. vt veneremur scilicet: vt gratiam referamus. vt necessaria ab ipso petamus: malaque propellamus.* Iamblicus *(Iamblicus.)* lib. de mysteriis Aegyptiorum: Votum; siue adoratio, siue oratio omnia sacrificiorum opus perficit, & imprimis ad totam confert religionem: & sacram indissolubilemque animabus ad Deum consiat communionem. Adoratio denique diutissime frequentata nostrum nutrit, & perficit intellectum: animam ad suscipianda diuina admodum raddit ampliorem: diuina hominibus patefacit. Plotinus scalam ostendit, per quam ascenditur ad principium, septem gradus habentem *(Scala septem graduum. Plot. Enn. 6. lib. 7. c. 37.)*: primus est *animi purgatio*: secundus, *diuinorum cognitio operum singulatim comparata*: tertius, *contemplatio ordinis, quo opera inferiora gradatim ad superiora ascendunt*: quartus, *comparatio quadam huius ordinis ad diuinum ordinem*: quintus, *negatio, qua cuncta separantur à primo principio*, sextus,

supplex

De oratione. *supplex ad Deum oratio*, qua efficitur animus orantis mundus, & Deo coniunctus: septimus, *transformatio in bonum*, quod est supra intellectum. Est, inquit, ipsius boni cognitio, siue tactus aliquid proculdubio maximum: cuius disciplinam Plato maximam appellauit. Docent itaque nos hoc analogiæ, id est, proportionum conuenientiæ quædam, item negationes, rursus eorum quæ fiunt ab ipso cognitio: denique ascensus quidam hic gradibus procedentes. Peruenimus autem ad ipsum purgationibus, precibus, cultu animum exornante. *Oratio est purgatio.* Oratio ergo secundum Plotinum, est enim purgatio, & ascensio. Purgamur autem, dum infima, & terrena exuimus: ascendimus autem mente, atque amoris affectu Deo vnimur, & connectimur. Inquisitio ergo diuinorum animum purget: imitatio vero Deo similem facit. *Orationis necessitas.* Cum hæc igitur ita se habeant; post hæc nobis dicendum, quanta sit orationis necessitas: inprimisque vtar illa Aristotelis ratione, qua ipse vsus est in ethicis: nempe ea prorsus falsa iudicanda non esse, quæ omnium ore vulgarentur: cui consequens est vt multo minus falsa dicenda sint, quæ ab iis producuntur, quos publica sapientiæ fama commendat. *Aristoteles Prima ratio.* Amplius, cum in primo ethicorum libro probauisset eorum diffinitionem, qui censuerant bonum id esse, quod omnia appetunt, in 10. eiusdem operis, ait, eos, qui hanc negant diffinitionem, nihil dicere: nec aliam reddit causam, nisi quod ipsi sibi aduersantur, qui affirmant id, quod omnibus videbatur. Consimili itaque ratione dicere possumus, eos nihil dicere, qui orandi necessitatem negant, quam omnes, minutissimis quibusdam duntaxat exceptis, approbarunt. Omnes siquidem gentes constet in rebus aduersis diuinum auxiliū implorasse: secundos ac
2. prosperos euentus precibus procurasse. Quisnam vnquam fuit, qui vel in subitaria spe, vel repentino metu, non inuocarit aliquod numen, quo se voti compotem fieri crederet? *Thales* Hinc illud Thaletis: *Omnia Deorum plena*, ex quo religio elicitur. *Lex antiqua.* Hinc antiquarum gentium lex: *Addiuos adeunto: Caste pietatem adhibento.* *Homerus.* Homerus Aegypto diuersatus mullissimos dixit Iouem habere oculos, vt ipsum omnibus prospicere assereret. Omnes igitur gentes in rebus, aut inchoandis, aut perficiendis, Deum precabantur, vtpote à quo bona hominibus prouenire conspexerint. Si quis, *Theodorus.* inquit Theodorus, naturas rerum diligenter explorauerit; inueniet non animas tantum, atque mentes; sed quodammodo omnia, excepto primo, adorare, & vouere. Quem *Oxidrachi.* morem sanctos illos viros apud Indos seruasse scribit Philostratus testimonio Apollonii: qui appellantur Oxidrachi: qui suas vrbes non manibus, sed orationibus defendabant ab hostibus. Ait enim quod Deus ab eis suppliciter exoratus, hostes tonitruis, fulminibusque fugabat. Vnde quamuis vno mentis intuitu, Deus omnia disposuerit, teste *Boetius. lib. 10.* Boetio de consol. quæ sunt, quæ fuerant, venientque, vno cernit mentis intuitu. *Epigram* Et Martialis. *Aut quia flectitur iratus voce rogante Deus.* *Ouidius.* Ouidius Met. *Non quia dominam mundi flectere vota valent.* Vel quia gnosticis assentiamus, qui a- *Enn. 2. lib. 9. c. 15. 16.* pud Plotinum rithus, & verbis humanis è suo habitu flecti cælestia putabant; sed quia præuidit nos Deus gratiam obtenturos orationibus mediis, teste August. preces valent *5. ciu. c. 10.* ad illa impetranda, quæ se precantibus concessurum esse præsciuit. *Oramus, vt mereamur accipere, quod nobis Deus disposuit donare.* *Gregorius.* Gregorius in dial. *Obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non sunt: sed ea quæ sancti viri orando efficiunt; ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur.* *Ambrosius* Ambrosius lib. de vocatione gentiū cap. vltimo, *Quamuis quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri; studia tamen non tollantur orandi: cum implenda voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum.* Non ergo mutatur diuinum propositum per nostras orationes; sed nos per illas mutamur ad illud immutabile omnino. Orationes ergo dispositiones sunt, quibus intrinsecus anima paretur ad dona capienda *Oratio est dispositio meriti accipiendi.* diuina. Iamblichus lib. de mysteriis Aegyptiorum cap. 9. *Dii mouentur ad bonum hominibus exhibendum: & sponte nos ad hoc prouocant, nobisque inuocando conuersis occurrunt vltro.* Et hæc quidem dicta sint de orationis necessitate. Deinceps *Orationis modus. Socrates.* dicendum nobis est de modo orandi, cuius præsertim meminit Socrates in Phædro dicens: *O amice Pan, atque cetera numina, date obsecro, vt intus pulcher efficiar: & quæcunque mihi extrinsecus adiacent, intrinsecis sint amica; sapientem solum diuitem putem: tantum vero huius auri tradite, quantum nec ferre, nec ducere alius quam vir temperans possit.* Hæc ibi: vbi externa leuiter transit, eligens illa se habere tantum, vt tranquillam puritatem animi non impediant. Deinde pulchritudine iam parte optat, vt solam sapientiam esse opulentiam omnem, sufficientiamque existimet. Postulat tantum auri, tantum sapientiæ, quantum ferre vir temperatus va- *De oratione.* les: postulauit & hanc Salomon & obtinuit. Lacedæmonii apud secundum Alcibiadis ralie orando petebant: *O Dii date nobis pulchra cum bonis.* Quod quidem votum dum publice & priuate seruerant; semper voti compotes e- *3. Reg. 3. Lacedæmonii.* rant, & præsertim cum gererent bellum contra Athenienses. A quibus interrogatus Ammon, qua de causa contra Lacedæmones essent infortunati semper, præsertim cum magnifica semper, & splendida sacrificia facerent. Respondit Ammonis nuntius: *Dicit Amon placere sibi magis Lacedæmoniorum orationem, quam reliquorum Græcorum sacra.* Nec plura. Plato in Alcibiadis lib. 2. refert. *Iuppiter rex optime quidem nobis & vocantibus, & non vocantibus tribue: mala autem poscentibus quoque abesse iubeto.* *Plato.* Addit petitionem alicuius certi boni tunc esse securam; quando prudentiam quis fuerit consecutus, qua bonum à malo discernere queat. Id autem *Quando est certa petitio.* intelliget quando à mente didicerit: discet autem, cum ad illam se conuerterit conuerter, cum purgauerit animam, tenebrasque expulerit: purgabit eum si nouerit: *Nosce enim teipsum*: in templo Apollinis erat inscriptum, ne quis *Nosce te ipsum.* temere Deum oraturus accederet. Valerius Maximus ait: Socrates humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil vltra petendum à Diis immortalibus arbitra- *lib. 7. c. de s. p. dictis.* batur, quam vt bona tribuerent: quia hi demum scirent, quid vnicuique esset vtile: nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Iuuena- *Iuuenalis.* lis Saty. 10. *Orandum est, vt sit mens sana in corpore sano: Fortem posce animum, mortis terrore carentem: Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat Naturæ, qui ferre queat quoscunque labores: Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores Herculis ærumnas credat, sæuosque labores &c.* Hæc sunt quæ petenda putat Iuuenalis. Cum ergo iuxta Salomonis sententiam in libro sa- *Salomon.* pientiæ, incertæ sint prouidentiæ nostræ, recta erit petitio, vt cum Salomone sapientiam petamus, quæ nobiscum sit, nobiscum laboret, nobis denique præstet, quod viderit vtile fore. Paulus ad Rom. 8. *Quid oremus sicut oportet, nescimus.* Et 2. Corin. 12. *Ter dominum rogaui, vt auferret eum à* *Rom. 8.* *me: Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Ego*, inquit August. *medicamentum ad vulnus posui: quando posuerim noui, quando* *in Psal. 53.* *auferendum sit noui: non recedat ægrotus à manibus medici: non det consilium medico: ita sunt omnia ista temporalia, tribulationes sunt. Si bene colis Deum, nouerit, quia nouit, quid cuique expediat: prosperitates sunt magis cauendæ, ne ipsæ corrumpant animum tuum.* Itaque nullo modo credendum est ipsum Apostolum, vel quibus dicebat: Quid oremus sicut oportet, nescimus, *Nescimus quid oremus.* Dominicam nescisse orationem. Cur ergo putamus hoc eum dixisse? nisi quia molestiæ temporales plerunque prosunt, vel ad sanandum tumorem superbiæ, vel ad probandam patientiam, cui probatæ clarior merces retribuetur: vel ad abluenda peccata: tamen nescientes quid iste prosint, ab omni tribulatione optamus liberari. Si ergo secundum petitiones nostras non euenit; desperandum non est: nam nonnullis impatientibus, Deus quod petebant, concessit iratus. Contra, Apostolo negauit propitius. *Numeri 11.* Iudæis dedit escas carnium. *1. Regum 8.* *Numeri 11. 1 Reg. 8.* Regem postulantibus, concessit Saulem. *Iob. 1.* Diabolo concessit, quod contra Iob postulauit. *Lucæ 8.* audiuit immundos spiritus in porcos mox irruituros. Petamus ergo cum sapientissimo Mercurio, vt Dei misericordia digni simus à nostro Pymandro, qui de indignis facere potest dignos.

CAP. II.

Orationis studium & virtus apud sacros.

QVoniam de orationis studio, et qua virtute sermo *Moysis oratio.* incidit; rationi consentaneum esse puto, vt quid de huiusmodi negotio sacræ scripturæ dicant, in medium efferatur, palamque omnibus fiat. Inprimis autem obuiam venit oratio Moysis, quæ *Exodi 17.* describitur: *Pugnabat*, ait scriptura, *Amalech contra Israel. Moyses,* *Chrysost. Exod. 17.* *& Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis, cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalech: manus autem Moysis erant graues.* Stabat, inquit Chrys. *Moyses in monte, non armis, sed precibus pugnaturus: stabat extensis manibus ad cælum, deuoto orans affectu: fit Moyse orāte occulta pugna, sed manifesta victoria: cessante mæstitia, potentior*

De oratione. *hostis efficitur, iusti corpore fatigato.* Apud Deuteron. 9. quantum pro delictis commissis sibi populi orauerit, & ipsemet confitetur: *Et iacui, inquit, corā DOMINO quadraginta diebus ac noctibus, quibus cum supplicater deprecabar, ne deleret vos, vt fuerat comminatus.* Exodi 29. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti.* Et placatus est Dominus propter preces Moysi. Plagæ Aegypti, Moyse orante, cessabant: multiplicabantur autem, quoties Pharao ad cordis duritiam redibat. *Numeri* 12. Mariam sororem lepra perfusam oratione mundauit. Et *Numeri* 14. pestilentiam in diffidentes grassantem precibus inhibuit. Et *Numeri* 16. in seditione versos pariter cum Datan, & Abiron repentinus terræ hiatus absorbuisset, nisi ipse reliquæ multitudini veniam orando impetrasset. Rursus cum in illum, & Aaron, turbæ insurgerent, incendio diuinitus excitato, *Numeri* 16. disperirent; sed eius monitu, Aaron offerens thymiama, processit in medium: & cum orasset, flamma substitit: & internecio cessauit. Postremo *Numeri* 21. cum in deserto in Deum murmurantes passim serpentium ictibus sternerentur supplicante pro eis Moyse, DEVS placatus æneum serpentem in ligno suspendi præcepit, quem percussi dum aspicerent, sanabantur. Abraham orante *Gene.* 20. Abimelech Geraræ regis vxor eiusque ancillæ, cum ante steriles essent, prolem diu optatam susceperunt, & matrum nomine lætatæ sunt. Orante Iosue 10. *cap.* sol & luna immoti steterunt; donec ipse vlcisceretur se de inimicis suis. Non fuit ante ea & postea tam longa dies, obediente DEO voci hominis, & pugnante pro Israel. Anna Helcanæ coniux, diutinæ sterilitatis opprobrium, cum Deum orasset, fœcunditate compensauit: genuit primo Samuelem, deinde filios tres, duasque filias: Fennena vero altera Helcanæ vxor, consorti suæ semper infensa, post susceptos liberos parere desiit: & in idem vitium, quod illi petulanter obiicere consueuerat, ipsa incidit. Denique, sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios infirmata est; vlrio enim superbiam, orationem sequitur gratia. Samuele orante, 1. Regum, intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit, & cæsi sunt à filiis Israel. Orante Dauid misertus est Dominus super afflictionem: & dixit Angelo percutienti populum: sufficit nunc, contine manum tuam. Oratio Salomonis describitur. *Et attende, inquit, Domine respice ad orationem serui tui, & ad preces eius Domine Deus meus. Audi hymnum, & orationem, quam seruus tuus orat coram te hodie; vt sint oculi tui aperti super domum hanc die ac nocte.* *Multum valet oratio iusti assidua,* ait Iacobus, *cap.* 5. *Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit: & ad eius orationem annos tres, & menses sex non pluit super terram, donec rursus orauit: & cælum dedit pluuiam, & terra fructum suum.* Sareptanæ viduæ, quæ illum famis tempore, hospitio susceperat, hydria farinæ non defecit: nec lechytus olei fuit imminutus: & quæ fame moritura erat, hospitis beneficio vixit. Insuper, filiū suū defunctū ipsius precatione vitæ restitutū accepit. Elia orante, cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustū, & ligna & lapides & prophetæ Baal iugulati sunt. Eodē Propheta orante, ignis de cœlo lapsus, quinquaginta & quinquaginta viros, alios post alios ab Ochozia rege ad ipsū cōprehendendū missos, consumpsit. Inuocauit autē ille, non vt se vindicaret; sed vt Dei veri immensam expauescendamque potentiam contra præuaricatores, qui eo relicto, Beelzebub Deum Accaron adorabant, ostenderet. Posthæc Iordanem transiturus, comitante se Eliseo, pallio percussit flumen, & diuisis aquis, per siccum aluei tramitem ambo ad ripam vlteriorem peruenere. Eodemque rursus pallio Eliseus, cum solus reuerteretur, eandem expertus est virtutem. Quod si tanta vis in Prophetæ pallio erat, quanto maior in oratione eius. Qua etiam meruit ad paradysi loca, igneo curru transferri. Eliseus Propheta apud Iericho noxias aquas potantibus noxias, cum orasset, salubres fecit: terræ sterilitatem fœcunditate mutauit. Ascendens in Bethel, pueris sibi illudentibus male imprecatus est, non vt suam, sed vt Dei iniuriam vlcisceretur: qui statim ab vrsis laniati, pœnas dederunt. In Samaria mulieris viduæ inopiam miseratus, modico oleo non modica vasa impleuit: ita vt ille, eo vendito, & à creditore se redimeret, & victum, qui satis esset, sibi filiisque pararet. In autem Suna, mulieri hospitæ infœcundæ ac sterili, vt viro suo filium pareret, à Domino impetrauit. Et eundem puerum, postea exanimum, ad vitam reuocauit. Rursus in Galgala pulmentum amarissimum, in dulce conuertit. Panibus viginti hordeaceis, 5. *cap.* viros centum satiauit. Naaman Syrum à lepra curauit: securis ferrum in Iordanem delapsum, enatare fecit: obsessus in Dothaim aduersariis subita cæcitate percussis, liberatus est. Super ossa eius defuncti, proiectum cadauer, statim reuixit. Vt vel hinc satis discipossit, quantæ ille virtutis fuerit viuens, qui mortuus alteri mortuo vitam dedit. Ioachaz rex, cum suos, eo quod se idolorum cultura polluerant, in ditionem Syrorum redactos vidisset, ad Dominum conuersus, pro ipsis deprecatus est, & à seruitutis iugo misericorditer ereptos recepit. Ezechia rege Iuda deprecante, cum in extremo rerum periculo esset constitutus, nocte vna angelus Domini percussit in castris Senacherib centum octuaginta quinque millia Assyriorum; sicque eum, quem arma nequiuerant, oratio seruauit. Et *cap.* 20. eiusdem libri, cum aduersa valetudine esset affectus, & ab Isaia propheta audisset, se breui decessurum; facie ad parietem versa multis cum lachrymis Deum rogando; & vitæ longioris spatium, & corporis impetrauit sanitatem. Certe non paruam orationis vim in Asa rege Iudæ belli euentus ostendit: cum exigua enim manu obuiam procedens Zeræ Aethyopum regi, cuius exercitus decies centum millium hominum armatorum, & trecentorum curruum erat, inuocauit Dominum; & repente lymphatico quodam pauore conterriti Aethyopes, terga verterent. Persequenteque eos Asa à Maresa vsque Gerara ad internecionem cæsi sunt Domino cædente, atque pro illo pugnante. Aeque sane, sed aliquanto mirabilius & Iosaphath Regi diuinus propitiatus est fauor, nam cum innumera pene multitudo Moab, & Amon, & Idumæorum venissent contra Iudam, proximeque Ierosolymam castra metati fuissent; Iosaphath metu perculsus, nihil aliud, nisi DEVM deprecari, interdictoque ieiunio se, & sua illi impensius commendare studuit. Denique vrbem egressus, gladium non eduxit, nec pugnam iniit, & hostes mutuis inter se vulneribus ante eum conciderunt: Iudæorumque tunc labor non in vincendo, sed in spoliando fuit, cum prædam prope mœnia iacentem vix per triduum præ magnitudine efferre quiuerint. In fine 2. *Paralipomenon*, ponitur oratio Manassis regis Iudæ, quam fecit cum captus teneretur in Babylone: Immensa, inquit, est, & inuestigabilis misericordia promissionis tuæ, quoniam tu es Dominus altissimus, longanimis, & misericors, & pœnitens super malitiam hominum. Iudæ quoque Machabæi orationes magis quam arma de hostibus triumpharunt. Mach 1 *cap.* 4. Sæpe enim perfecta prece, solius Dei auxilio fretus ad bellum egrediens, parua manu ingentes copias vicit: cum tribus millibus virorum pene Inermium, Gorgiæ exercitum quinque millium peditum, & mille equitum, nec minus armis, quam viris munitum, ad Amaum fudit, fugauitque: & tribus millibus eorum cæsis, victor est reuersus. Iterum, cum decem millium manu profectus in Bethoron, Lysiam superauit, cuius copiæ erant sexaginta millia peditum electorum, & quinque millia equitum. Item *cap.* 7. cursum in Bethoron non plus quam tria millia bellatorum secum habens cum validissimo Nicanoris exercitu, sicuti confidenter, ita & feliciter conflixit; ea siquidem pugna aduersariorum castra fuere euersa: Nicanor interfectus: reliqui fugientes, à persequentibus cæsi. Has tantas victorias Hebræis attulere non Iudæ pauci milites, sed Iudæ DEO gratæ preces. CHRISTI venturi, reuelata fuere Danieli mysteria: *Cap.* 9. Dan. & annorum numerus vsque in diem ipsum, quo nasci debuit, quia sollicitus fuerat ad orandum: Posui, inquit, faciem meam ad Dominū Deum meum rogare, & deprecari in ieiuniis, sacco, & cinere. Denique oranti apparens Gabriel angelus, egressum se dixit, vt doceret illum: Ab exordio precum tuarum, inquit, egressus est sermo: ego autem veni, vt indicarem tibi. Recepit igitur gratiam cumulatiorem, quia deuotior extitit in rogando. Is, *cap.* 6. vir desideriorum ingressus cœnaculum, siue superiorem partem ædium, apertis fenestris contra Ierusalem, ter in die statutis horis genua sua flexisse, & adorasse Deum suum dicitur. Thobias pater, *cap.* 3. cum lachrymis orasse perhibetur, & cum casu quodam oculos amisisset; ab angelo Raphaele de cœlo in terram misso, meruit curari: adeo inter orandum illi fleuisse profuit. Thobiæ autem filio, eius etiam nuptiarum celebritatem sacris precationibus placuit initiari, *cap.* 8. cum Sara enim vxore sua, priusquam copulæ coniugali operam darent; tres noctes totas in cubiculo simul orando consumserunt. Inde illa, quæ primo statim concubitu, iam septem extulerat viros; cum hoc postremo diu feliciter vixit. Posthæc

Marginal notes (left column): *Deu.* 9. — *Exod.* 29. — *Exod.* 10. — *Nume.* 10. — *Serpens æneus.* — *Abraha oratio.* — *Iosue.* — 1. *Reg.* 1. — 1. *Reg.* 7. *Samuelis oratio.* — *Dauid oratio.* — 2. *Reg.* 24. — *Salomon.* 3. *Reg.* 8. — *Elia oratio.* — 3. *Reg.* 18. *Sareptana vidua.* — 3. *Reg.* 17. — 4. *Reg.* 1. — 4 *Reg.* 2. *Transitus Iordanis.* — *Elisei oratio.* — 4. *Reg.* 2. *Aqua noxia.* — *Pueri.* — *Vidua.* 4. *Reg.* 4. — *Puer mortuus.* 4. *Reg.* 4. — *Panes hordeacei.* 4 *Reg.* 6. — 4. *Reg.* 13.

Marginal notes (right column): De oratione. — *Ioachaz rex.* 4. *Reg.* 13. — *Ezechias rex.* 4. *Reg.* 19. — *Azarix. Paral.* 2. 3. — *Iosaphat. Paral.* 2. 6. 20. — *Manassis oratio.* — *Iudas Machabæus.* — *Daniel.* — *Vir desideriorum.* — *Thobias pater.* — *Thobias filius.*

De oratione. hæc quoque & pater à cæcitate, & filius ab internecione liberati, *cap.* 18. vt pro beneficiis gratias agerent, vterque in faciem se prosternant, asper horas tres benedixerunt Deum. Et cum, vt ait scriptura, narrauerunt omnia mirabilia eius; vt sciat peractis etiam precibus, à laudibus creatoris non esse cessandum. Præterea, orationes eorum coram Deo ab Angelo oblatas fuisse legimus, *cap.* 12. ne quid pr..., nisi quod Angelorum relatione dignum sit: quodque Dei aures delectet audire. *Iudith.* 9. Porro, Iudith oratorium ingressa, cilicio induta, cinere conspersa, in terram prostrata, Domino supplicauit: & sola meruit Iudæam vniuersam, die vno ab Assyriorum oppressione liberare, ausa enim facinus omnibus seculis memorandum, inter tot armatorum millia *Virtus Iudith.* Holofernem ducem sua occidit manu; quo cæso, reliqui metu perculsi, in fugam conuersi sunt. Iam seruitutis iugum Israelitarum imminebat ceruicibus: omnes simul vno die, vna Iudith liberauit. Nunquam tantum facinus perpetrare potuisset, nisi prius perpetrandi facultatem à Domino suis precibus impetrasset. *Susanna oratio.* Quid de Susanna dicam? quæ iudicum sententia morti addicta, exclamauit ad Dominũ: & Dominus exaudiuit vocem ipsius. Spiritum quippa Danielis pueri suscitauit, qui malignos accusatores falsitatis conuictos talionem subire compulit. *Christi oratio.* Quid autem suo Domini nostri IESV Christi vita, nisi quasi continua, atque perpetua oratio? *Vespere autem facto*, ait Euangelista, *erat in monte pernoctans in oratione.* Dormientibus Apostolis, ipse vigilans, iterum, & tertio, eundem sermonem repetendo orasse dicitur: &, vt Lucas ait, *factus in agonia prolixius orabat.* Lucæ 11. similitudinem orandi posuit: Si quis nocte intempesta, inquit, ad amici pulsans fores, perseuerat; ipsa poscendi improbitate, coget illum de strato surgere: & panes quos petierat, sibi mutuo dare. Item, parabolam proponens iudicis, Deum, hominesque contemnentis, qui viduæ quotidie interpellantis victus tædio, eam ab aduersarij sui calumniis tandem decreuit vindicare. *Audite, inquit, quid iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet electorum suorum clamantium ad se, die ac nocte: & patientiam habebit in illis?* Lucas scribit in actibus Apostolorum, *Erant, inquit, perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre IESV, & fratribus eius:* *Actor.* 2. inde refert, Spiritum sanctum aduenisse: domum, vbi erant sedentes Apostoli, repleuisse: supra singulos eorum linguas tanquam ignem apparuisse; vt intelligas orationi dedita Spiritus sancti adesse præsentiam: propterea dictum à Propheta Zacharia. *Zach.* 12. *Effundam super Ierusalem spiritum precum.* *Spiritus precum.* Fides enim impetrat spiritum: spiritus autẽ diffundit charitatem: charitas vero orationem offert. In *Actibus* 3. scribitur: Petrum & Ioannem ascendisse in templum ad horam orationis nonam: & languido ante vestibulum mendicanti pro eleemosyna sanitatem dedisse. In Apocal. *Apocal.* 8. *Incensa, inquit, sunt orationes sanctorum: & ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* *Ephes.* 6. Apostolus Paulus hortatur Ephesios, vt precum studio diligenter incumbant *per omnem orationem*, inquit, *& obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso, vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis, & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Euangelij.* *Ambrosius.* *In spiritu semper orate*, ait Ambrosius in suo commentario, *est conscientia munda: & fide integra preces ad Deum dirigere; in carne enim orat, qui polluta mente precatur: iterum peccatum, non de casu, aut subreptione, sed de proposito.* Discipuli duplici de causa orant pro magistro, vt & sensus eius impleatur Spiritu sancto: & facultas ei detur, vt pro virili verbum Dei nunciare possit. Quanti autem faciat Apostolus orationis virtutem, in multis sæpe epistolis commemorat. *Phil.* 1. Phil. 1. *Scio enim, ait, quia hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem.* *2. Thess.* 3. Alterius ponusquam suæ fidera videtur orationi. 2. Thess. 3. *In quo etiam oramus semper pro vobis, vt dignetur vos vocatione sua Deus noster. De cætero fratres orate pro nobis; vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos: vt liberemur ab importunis & malis hominibus.* *Rom.* 15. Et ad Roman. *Obsecro vos fratres per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, & per charitatẽ sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deũ.* *2. Cor.* 1. Et ad Cor. *Vt non simus, inquit, fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit, in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet, adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis. vt ex multarum personis facierum, eius, quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.* Vbi ergo sunt, qui orationis meritum contemnunt, quod tanti fieri à tanto Apostolo, apertissime videmus? Ee de orationis virtute secundum scripturas, satis.

Pymandri Tomus Quintus.

CAP. III.

De oratione secundum Theologos.

POstquam visum est, quid scripturæ dicant de orationis virtute; posthac dicamus quæ à Theologis de ea dicta sint: & inprimis quid sit oratio: *Est autẽ oratio primus actus religionis, siue latriæ, per quam homo ordinatur in Deum;* *Oratio est primus actus religionis.* habet enim religio aliquos actus imperatos, aliquos vero elicitos. Porro imperatos, virtutibus, quibus imperat, mediantibus, generat, siue producit. Etenim virtus, vt dicitur 1 eth. cap. 1. ad quam pertinet finis, illis imperat virtutibus, quæ spectant ad ea, quæ sunt ad finem: quemadmodum ars architectonica, artibus in eam ordinatis ius habet imperandi: vt equestris frenefactiuæ; & militaris fabrefactiuæ armorum. Sic itaque actus religionis imperatus, est visitare pupillos, & viduas, in tribulatione eorum; *Iacob* 1. qui est actus elicitus à misericordia: & immaculatum se custodire ab hoc sæculo, quod eligitur à temperantia. Alij religionis actus immediate ab ea eliguntur, per quos homo ad Deum tantum ordinatur *Actus interiores religionis.* inter hos autem habet aliquos interiores: qui quidem sunt cæteris præstantiores: in quorũ numero habentur oratio & deuotio: alios autem habet exteriores, quasi secundarios, *Exterior.* qui subseruiunt interioribus, atque spiritualioribus actibus. Cæterum, oratio, quæ est primus actus interior religionis, *Oratio est opus bonum.* quandoque opus bonum nuncupatur: proinde semper orare dicitur, qui semper bene agit: quandoque iustitia, seu bonitas hominis nominatur: quæ in filiis Dei apparens, quasi quædam Dei videtur imago, habetque apud eum vim orandi: sicut & præsentia filij Dei coram patre, est quasi quædam oratio pro nobis. Itaque, iustus nunquam desinit orare, nisi à iustitia decesserit: interdum accipitur oratio pro earum petitione rerum, quæ decent virum probum: verior tamen modo oratio est deprecatio, pro bonorum acquisitione paranda: atque ita à Damasceno intellecta sic describitur. *Oratio est ascensus intellectus ad Deum*: id est, est *Oratio est ascensus mentis. lib. 3. c. 23.* expressio desiderij in Deum directi, *propter bonum adipiscendum, vel malum remouendum. formata per verbum internum, & externum.* Intellectus ibi accipitur pro vtraque animæ potentia, nempe pro ratione, & voluntate ascendit autem intellectus ex suorum defectuum consideratione, ad summum bonum, à quo nouit suos posse, & velle remoueri defectus, illorumque infirmitatem tueri. Decet ergo eum, qui pie recteque orare cupit, suos defectus agnoscere: deinde ardenti desiderio ad Deum ascendere, cui deuote sese offerat ad iuuandum, atque castigandum. Est ergo oratio actus liberi arbitrij, vbi voluntas primo mouet, & inclinat *Oratio actus liberi arbitrij.* ratio vero deliberans, ordinat: voluntas tandem imperat. & exequitur, atque executioni mandare non cessat; idcirco dictum est ab Isidoro lib. ethymol. Orare, est dicere. Auicenna 4 meth. *Isidorus.* *Homo, inquit, per orationem Deo loquitur.* Et Philosophus in eth. *Oratio deprecatur ad optima.* Igitur nuntius animæ nostræ ad Deum, est oratio: eleuatio mentis ad Deum per humilem & pium affectum: humilem, inquam, ex cognitione propriæ infirmitatis, atque fragilitatis: pium vero propter considerationem diuinæ clementiæ. vnde & orationi alas imponunt: *Alæ orationis.* quarum vna est: *Dimitte, & dimittetur tibi: Da, & dabitur tibi:* altera vero, *ex animo pristinis vitiis renunciare:* ne insit propositum redeundi in Aegyptum: & iterum velle reuerti ad abominationes Babylonis. Possunt & illa Boetij carmina orationi satis commode aptari, atque attribui. *Lib.* 4. *Boetij versus.* *Sunt etenim pennæ volucres mihi, quæ celsa conscendant poli. Quas sibi cum velox mens induit terras, perosa despicit, aëra immensi superat globum: Nubesque post tergum videt, quique agili motu calet ætheris Transcendit ignis verticẽ, donec in astriferas surgat domus.* Hæc ille. Alio modo oratio sic describitur. *Oratio est ardens, & pius castitatis animi affectus, Deo deditus, quod bonum est, exoptans* *Oratio est ardens desiderium.* Licet enim Deo cognitio bona sit, Deoque grata, animi tamen casti desiderium, ei placet magis; potest enim placere affectus sine voce, non autẽ vox sine affectu. ipsa namque est qui tacito Moysi ait: *Quid clamas ad me?* præuenit siquidem affectus nostros, & affectus anticipat. Vis igitur exaudiri, corde ora: corde autem *Psal.* 36. orabis, si delectaberis in Domino; & sic dabit tibi petitiones cordis tui: *Cap.* 10. Augustinus de spiritu & anima. *Quid compunctio.* *Meditatio parit scientiam: inquit, scientia vero cõpunctionẽ compunctio autem devotionem: deuotio perficit orationem.* *Deuotio.* Compunctio est, quando

De oratione.

ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur: *deuotio est pius, & humilis affectus in Deum*: humilis ex conscientia infirmitatis propriæ: pius ex consideratione diuinæ clementiæ. *Oratio, est mentis deuotio*, id est, conuersio in Deum, per pium & humilem affectum.

Oratio. Affectus.

Affectus, est spontanea quædam, ac dulcis ipsius animi ad Deum inclinatio; nihil enim in Deum inchoat ad pietatem, & misericordiam, ac purus mentis affectus. Et iterum: Oratio est clamor ad Deum, & intentio cordis, atque flagrantia dilectionis, quia semper petitur, quod semper optatur. Hoc à Deo absconditum non est, quoniam ad ipsum redit, quod ab ipso processit. Et in Psal. 85. *Oratio tua, locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur: quando vero oras, cum Deo loqueris.* Et in ter. *Oratio orantis est subsidium, Deo sacrificium, dæmonibus autem flagellum.*

Basilius.

Basilius homelia 5. in martyrem Iulitam: *Oratio*, inquit, *est boni cuiuspiam petitio, quæ ad Deum à piis effunditur.* Sane eiusmodi petitionem neutiquam statuimus in sola verborum præcisione; ipsi enim credimus Deo nihil opus esse verbis, quibus commonefiat nostræ petitionis.

Oratio est boni petitio.

Non ergo nos oportet orationem plene in syllabis constituere, quin potius ipsam suas vires plenius explicare in animæ orantis libera electione ac proposito, simul & in actionibus, quæ per omnem vitam intento studio perficiuntur. Siue comeditis, ait Paulus, siue bibitis, siue quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Iustus ergo, secundum Basilium, agens opera iustitiæ, semper orare dicitur.

Chrys. in epist. ad Hebr. c. 8.

Chrysost. *Opus est nobis armis, bona autem armatura est oratio; maxime autem matutina, & nocturna*. Et in capite 11. eiusdem epistolæ, ait: *Fortis munitio est oratio, si cum intentione fuerit integra: fortis armatura, si sine vana gloria, si cum animo syncero fiat. Ipsa bella deuicit, ipsa gentem integram, & indignam beneficium promereri fecit. Audiui,* inquit Exodi 2. *gemitum eorum, & descendi liberare eos. Ista medicamentum est salutare, & prohibitio peccatorum, & medicina delictorum.*

Oratio fortis munitio.

Et hæc quidem de orationis descriptione dicta sint. Deinceps dicamus: quod orando Deum consulimus, & precamur, non autem docemus.

Quare Deum oramus. epist. de gratia. 120 cap. 29. Tob. 12. Oratio est testimonii seruitium.

Annunciant Angeli, ait Augustinus, *non solum nobis beneficia, verumetiam illi preces offerunt: nã scriptum est. Ego obtuli memoriam orationis vestra: non vt tunc Deus nouerit quid velimus, vel quo indigeamus. Nouit enim pater vester*, Matthæi 6. *quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo; sed quia necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo, temporales causas ad æternam veritatem referre: siue petendo quid erga se fiat, siue consulendo quod faciat, quia prius mentis affectus est, vt ipsa construatur, non vt Deus instruatur: nam & hæc quædam contestatio rationalis creaturæ est, quod non sibi ipsa sit bonum, quo beata fiat; sed illud incommutabile, cuius participatione etiam sapiens efficitur.*

Spe, Fide, charitate semper oramus. Fides in pisce.

In epist. de orando Deum epist. 121. cap. 9. *In ipsa fide*, inquit, *spe & charitate semper oramus continuato desiderio: quæ Matthæi 6. expressa sunt: Quis ex vobis*, inquit, *à quo filius suus panem petit, nunquid lapidem porriget ei? aut si piscem, nunquid serpentem porriget illi? aut si ouum petit, nunquid scorpionem dabit illi? Fides significatur in pisce, vel propter aquam baptismi, vel quod in huius seculi fluctibus integra est: cui contrarius est ille serpens qui vt non crederetur Deo, venenosa fraude persuasit.*

Spes in ouo.

Spes in ouo, quia vita pulli nondum est, sed futura est: nec iam videtur, sed iam speratur; spes enim quæ videtur, non est spes: cui contrarius est scorpius; quoniam qui sperat æternam vitam, quæ retro sunt, obliuiscitur, & in anteriora se extendit, cui noxium est retro respicere: scorpius autem ex ea parte cauendus est, quæ venenatam, & aculeatam caudam retrorsum habet.

Charitas in pane.

Charitas in pane, maior enim horum charitas: & in cibis vtique vincit cætera panis vtilitas: cui contrarius est lapis, quoniam dura corda respuunt charitatem. Hic ergo tribus innixi virtutibus, semper oramus: sed ideo per certa interualla horarum & temporum, etiam verbis rogamus Deum; vt illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus: & ad hoc agendum nos ipsos acrius excitemus; dignior enim sequitur effectus, quem feruentior præcedit affectus.

Sine intermissione orate.

At per hoc, & quod ait Apostolus 1. Thes. 5. *Sine intermissione orate, quid est aliud, quam beatam, siue æternam vitam sine intermissione desiderare? Semper ergo hanc à Deo desideramus, & oramus semper. Sed ideo ab aliis curis, quibus ipsum desiderium quodam modo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem reuocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes, in id quod desideramus intendere, ne quod tepescere cœpit, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur.*

Breuis & crebra oratio.

Quibus igitur innitatur virtutibus oratio, & quomodo Deo cognita sit, ostendit Augustinus. Qualis autem esse debeat, videlicet breuis & crebra, ex eodem audiamus. Sequitur in eodem libello, siue epistola, & in eodem capitulo: *Neque*, inquit, *hoc est, orare in multiloquio, si diutius oretur: aliud est enim sermo multus, aliud diuturnus affectus: nam & de ipso Domino scriptum est*, Lucæ 6. *quod erat pernoctans in oratione, & quod prolixius orauerit: vbi quid aliud, quam nobis præbuit exemplum, in tempore precator opportunus, cum patre exauditor æternus?*

Frat porno (?) flans in oratione.

De oratione. Orationes in Ægypto monachorum.

Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes; sed eas tamen breuissimas, & raptim quodam modo iaculatas: ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras euanescat, atque hebetetur intentio. Ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt, hanc intentionem, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest; ita si perdurauerit, non cito esse rumpendam. Absit enim ab oratione multa loquutio; sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio: nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis: multum autem precari, est ad eum, quem precamur diuturna, & pia cordis excitatione pulsare: nam plerunque hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur. Ponit lachrymas nostras in conspectu suo, & gemitus noster non est absconditus ab eo.

Ad quid verba necessaria. Orationis virtus.

Nobis ergo verba necessaria sunt, quibus commoneamur, & inspiciamus quid petamus, non quibus Dominum seu docendum, seu flectendum esse credamus. Quanta sit autem orationis virtus, ab ipso docetur Augustino in principio, Psalm. 128. *Debet*, inquit, *vnusquisque nostrum videre, in quo profundo sit, de quo clamet ad Dominum. Clamauit de profundo Ionas, de ventre Ceti: erat non solum sub fluctibus; verumetiam in visceribus belluæ: nec tamen illud corpus, & illi fluctus intercluserunt orationem, ne perueniret ad Deum: & venter bestiæ non potuit tenere vocem deprecantis. Penetrauit omnia: dirupit omnia: peruenit ad aures Dei, quando aures Dei in corde precantis erant.*

Oratio Ionæ.

Et sermone 22. ad fratres in Eremo: *Oratio sancta, columna sanctarum virtutum est: deitatis scala: viduarum maritus: angelorum cognata: fundamentum fidei: monachorum corona: coniugatarum leuamen. Ieremias oratione confortatur in carcere*, 20. cap. *Daniel inter leones exultat*, 6. cap. *Tres pueri in fornace tripudiant*, 3. capit. Dan. *Iob in sterquilinio nudus triumphat*, 2. *Paradysum de cruce latro inuenit*, Lucæ 23. *Susanna inter senes defenditur*, Daniel. vltim. *Stephanus de torrente in cælum suscipitur*, Actor. 7. *& inter lapidantes pro Saulo exauditur.*

Oratio fidelis nuncius.

Et in Psalmo 65. *Orationis pura magna est virtus, & velut fidelis nuntius, mandatum peragit, & penetrat, quo caro non peruenit. Oratio refectio est ieiuniorum: duritiam cordis emollit: austeritatem temperat: ieiunium dulcificat.*

Ambrosius

Idem docetur ab Ambrosio de viduis. *Vbi oratio est*, inquit, *adest verbum: fugatur cupiditas: libido discedit.* Et in libro de pœnit. *Multorum preces impossibile est contemni. Despiciuntur autem orationes leues, diffidentes, inutiles, sæculi curis anxia plena & rerum corporalium implicita, bonorum operum fructibus infœcunda.*

Chrysost.

Chrysost. in sermone de Moyse: *Oratione*, inquit, *Danielis visa panduntur, sopiuntur flammæ, feræ hebetescunt: caduni hostes, inimici vincuntur. Quanto enim purior frequentiorque fuerit celebrata oratio; tanto celerior veniet inimicæ vindicta. Licet colloqui cum Deo orando: licet cum eo fabulari, cum velis: licet precibus mercari, quod optas. Et quamuis vocem eius audire non possis; tamen dum id, quod accipis, colloqui tecum, etsi non verbis, tamen beneficiis dignatur.*

Oratio spes nostra.

Et super orationem Annæ: *Oratio est spes nostra, per quam sterilis mater est facta: & fœtuosa, quæ filiis carebat: & mœrens læta: per quam læsa natura reparatur, & impossibilia fiebant possibilia.*

Hieronym. Ieremias.

Hieronymus in expositione illius sententiæ Ieremiæ c. 27. *Et si Prophetæ sunt, & est verbum Domini in eis; occurrant Domino exercituum, vt non veniant vasa, quæ derelicta fuerant in domo Domini, & in domo regis Iuda: Ostendit*, inquit, *verum Prophetam posse Domino precibus resistere secundum quod & Moyses*, Exodi 32. *stetit in percussione contra Dominum, vt auerteret iram furoris sui. Samuel quoque* 1. Regum 5. *idem fecit. Quid ergo oratione potentius, quæ omnium potentissimus quodam modo retinetur, atque cohibetur, ne in homines rebelles meritas pœnas immittere audeat?*

Oratione implentur promissa.

Et in caput Danielis 9. *Danielis oratione implentur promissa. Prædixerat Ieremias 29. & 52. septuaginta annos desolationis templi, post quos rursus veniret populus in Iudæam, & ædificaretur templum, & Ierusalem: quæ res Danielem non facit negligentem; sed magis prouocat ad rogandum: vt quod Deus per suam promisit clementiam; per suas impleat preces.*

Danielis oratio.

Hæc Hieronymus. Ex quibus licet animaduertere, quanta sit vis orationis, quando Dei promissa per ipsam implentur, vult enim omnibus nobis vitam æternam, sed orantibus, & puro, atque ex animo ad eum clamantibus: hoc siquidem modo dilata desideria crescunt, & augentur: vt

Orationis epitheta.

De oratione. vt postmodum euicta, coronam accipiant laboris. Itaque oratio est fortis munitio, & animæ armatura: flagellum hostium: turris inuincibilis: portus salutiferus, qui naufragio facto, dirari iterum rupiunt: fidelis nuntius, qui non erubescit suas propalare necessitates, & auxiliũ implorare: miseriæ comes indiuiduus: animæ solatium, diuitiæ, atque ornamentum: Deo iucundum obsequium, atque gratum colloquium, angelorum cognata: denique vt vno verbo dicam, totius vitæ Christianæ perfectio, & complementum. Sed de oratione satis.

CAP. IV.

Argumenta contraria.

QVoniam dictum est, orationem esse actum religionis & cognitiuæ virtutis, & aliquis posset contra supradicta arguere; nonnulla mihi argumenta proponenda esse putaui, quibus de oratione negotium absolui facile possit. In primis ergo arguo, quod oratio non sit religionis actus: Oratio pertinet, vt dictum est, ad partem intellectiuam: igitur non est actus religionis. Tenet consequentia, nam religio est pars iustitiæ, quæ in voluntate est, sicut in subiecto. Spectat ergo ad donum intellectus, quandoquidem per illam ad Deum mens ascendat orantis. Adde, quod actus latriæ cadat sub necessitate præcepti. sed oratio ex mera voluntate dependet supplicantis; cum nihil aliud sit quam volitorum petitio: non ergo videtur esse religionis actus.

1\. *Quod oratio non sit actus religionis.*

Amplius, quod non sit actus virtutis cognitiuæ. Orationis est exaudiri. sed desideriũ à Deo exauditur *psal.* dicente. Desideriũ pauperũ exaudiuit dominus: Oratio ergo est desiderium precantis. sed desiderium est virtutis appetitiuæ: & oratio ergo similiter. Confirmatur hoc per Dionysium, vbi ait; per orationem nos Deo vniri. sed vnio spectat ad amorem, ad vim appetitiuam: ergo quod prius. Adde, quod philos. 3. *de anima* duas dicat esse operationes partis intellectiuæ, nempe indiuisibilium intelligentiam, qua apprehenditur de vnoquoque quid est, & compositionem, & diuisionem, qua apprehenditur aliquid esse vel nõ esse, quib. etiã ratiocinatio additur, qui est quidam processus de notis ad incognita. sed oratio ad aliquam ex istis minime pertinere videtur. non est ergo actus virtutis intellectiuæ.

2\. *Quod non sit actus cognitiuæ.* *cap. 4. de diuin. nom.*

Iterum, quod non sit conueniens orare: oratio est quædam intimatio earum rerum, quibus nobis opus est, quas intimamus ei, à quo petimus. sed Deus omnia, quibus indigemus, antequam petamus, optime nouit: *Scit*, loquit, *pater vester, quod his omnibus indigetis* Matth. 6. Cum ergo hæc omnia à Deo sciantur, antequam à nobis petantur: non ergo opus nobis est oratione. Ad hoc accedit, quod oratione flectitur animus eius, quem oramus. sed Dei animus est immutabilis, atque inflexibilis. *Triumphator in Israel non parcet, nec pœnitudine flectetur*: ergo quod prius. Denique, liberalitatem commendet magis beneficia largientis, si non petenti, quam petenti præstet beneficia; nulla enim res carius emitur, quam quæ precibus emitur: at Deus est summe liberalis: ad suam ergo magnificentiam liberalitatis spectat, sine orationis suffragio, in nos beneficia conferre.

3\. *Quod non conueniat orare.* *1. Reg. 15.*

Nil carius emitur quã quod precibus emitur.

Præterea, si tandem preces sunt effundendæ, Deo soli conueniunt, & non aliis sunt offerendæ; oratio enim est actus religionis. sed solus Deus est religione colendus: solus ergo est orandus. Reuera, frustra ei oratio offertur, qui eam intelligere minime potest, siue cognoscere; à solo enim Deo illa cognoscitur. partim quidem, quia frequenter illa agitur actu tantummodo interiori, qui soli Deo patet: partim vero, quia secundum Augustinum *in lib. de cura pro mortuis*, quæ hic aguntur, mortuos latent. Adde, quod si orandi sunt sancti, propterea quod Deo per spiritum gratiæ, & amoris coniuncti sint, pari quoque ratione orandi essent ij, qui in purgatorio, & in hac vita degunt: quibus maxime est cum Deo vnio spiritus & amoris: ergo quod prius.

4\. *Quod solus Deus sit orandus.*

Item, quod in oratione nihil sit determinate petendum: Oratio, teste Damasceno, est petitio decentium à Deo: inefficax autem reputetur oratio, qua id petitur, quod habere minime licet: *Petitis*, inquit Iacobus 4. *& non accipitis, eo quod male petatis.* Et ad Rom. 8. *Et quid oremus, sicut oportet nescimus:* non ergo aliquid nobis in orando determinate petendum. Adde, quod aliquid determinate petendo, Dei voluntatem ad nostram quodam modo trahere nitimur: cuius contrarium fieri, necesse est; vt scilicet diuinæ per omnia conformes reddamur voluntati: ergo quod prius.

5\. *Quod in oratione nihil sit determinate petendum.*

Amplius, quod non sit orandum pro aliis: Sane, in orando formulam orandi à domino nobis præscriptam imitari debemus. sed illa nos docet, vt pro nobis oremus: *Dimitte nobis*, inquit: &, *Panem nostrum da nobis*, &c. non ergo nobis pro aliis est orandum. Profecto ad hoc oremus, vt exaudiamur. sed qui vult exaudiri, pro seipso orare debet: *Exaudiuntur*, inquit Augustin. exponens illud Ioan. 16. (Si quid petieritis patrem in nomine meo) *omnes pro seipsis, non autem pro omnibus.* vnde non simpliciter dictum est: *Dabit*: sed, *Dabit vobis*: ergo quod prius. Denique pro malis prohibemur orare: *Tu noli orare pro populo hoc*, ait dominus ad Ieremiam Prophetam: *& ne obsistas mihi*: non ergo debemus orare pro malis: nec etiam pro bonis; ipsi enim pro seipsis orantes, exaudiuntur: ergo non est nobis pro aliis, sed pro nobis ipsis orandum.

De oratione. 6. *Quod non sit pro aliis orandum.* *Ierem. 7.*

Præterea, si debemus pro aliis orare, pro inimicis tamen minime conuenit orare, scriptura ad hoc non hortante: sic enim in Apocalypsi loquitur. *Vsque quo non vindicas sanguinem nostrum?* sed vindictam de inimicis petere, in malum illorum cedit: & illud Psal. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* & illud: *Erubescant, & conturbentur inimici mei*; & similia multa. Deoque aliquando homines sicut contra inimicos exercent bellum: non ergo est semper pro inimicis orandum.

7\. *Quod non sit orandũ pro inimicis.* *Apoc. 6.*

Amplius, sancti in patria non orant pro nobis. Alterius actus est magis sibi quam alii meritorius. sed sancti in patria pro seipsis nihil mereri possunt, quia scilicet sunt in termino constituti. Cum ergo pro se nequaquam orent, quomodo pro nobis orabunt? Adde, quod illorum voluntas à Dei voluntate minime discrepat. sed Dei voluntas semper impletur. frustra ergo pro nobis orarent. Item, sicut qui sunt in patria sunt nobis superiores; ita, & qui in purgatorio, quia iam peccare non possunt. sed qui sunt in purgatorio non orant pro nobis; sed nos potius pro illis oramus: ergo quod prius. Reuera, si pro nobis orarent, sufficeret nobis superiorum spirituũ oratio, vtpote efficax, & sufficiens; alii ergo inferiores sancti non essent orandi. Postremo, anima Petri non est Petrus: non debemus ergo Petrum, sed animam Petri pro nobis interpellare: cuius contrarium seruatur ab ecclesia. Sancti ergo in patria non orant pro nobis.

8\. *Quod sancti in patria non orent pro nobis.*

Præterea, quod peccatores orando non impetrent aliquid à Deo: Oratio execrabilis non impetrat aliquid à Deo: sed oratio peccatorum est execrabilis *Prouerb.* 28. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis: peccatores ergo orando nihil à Deo impetrare possunt. Vnde Ioan. 9. *Scimus*, inquit ille cæcus, *quod Deus peccatores non exaudiat.* Sane, qui cupit exaudiri, pie debet orare. sed peccatores nequaquam pie orant, quia charitatem, quæ est virtus pietatis, nequaquam habent: imo teste Apostolo, habent quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegant: ergo quod prius. Adde sententiam Chrysostomi in Matthæum: *Pater non libenter exaudit*, inquit, *orationem, quam filius non dictauit.* sed illa oratio docet, quæ peccatores non faciunt: nempe dimitte nobis debita nostra, vel hoc dicentes mentiuntur. Cum ergo illam formam institutam non seruent; nequaquam exaudiuntur à Deo.

9\. *Quod peccatores non impetrent aliquid orando.* *2. Tim. 3.*

Amplius, quod oratio non sit meritoria; Omne meritum procedit à gratia. sed oratio gratiam præcedere videtur: quippe quæ gratiam impetrat, Lucæ 11. *Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se*: oratio ergo non est actus meritorius. Adde, quod si aliquid mereatur; illud profecto est, quod orando petit. sed aliter sæpe contingit: vnde Paulo orante, vt stimulus carnis ab eo auferretur, minime impetrauit: ergo quod prius. Denique oratio innititur fidei. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* sed fides informis non sufficit ad merendum: Igitur oratio non est actus meritorius.

10\. *Quod oratio non mereatur aliquid.* *Iacob. 1.*

Amplius, quod non debeat esse vocalis: Oratio Deo offertur. sed ipse nouit abscondita cordis. non ergo necesse est voce exprimere, ei qui nouit omnia antequam homo loquatur. Ad hoc etiam dominus hortari videtur Matth. 6. *Tu autem*, inquit, *intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum.* sed vox orationem publicat, & impedit mentis intentionem: non ergo necesse est, vt oratio sit vocalis. Hæc & similia dici possunt, & dicta sunt à sanctis theologis.

11\. *Quod non debeat esse vocalis.*

* * *

De oratione.

CAP. V.

Soluuntur Argumenta.

1. *Quid sit actus religionis.* Respondeo ad primum, atque dico: Alias animæ potentias in suum finem à voluntate mouert, ideoque religionem, quæ est in voluntate, ad Dei reuerentiam actus aliarum ordinare potentiarum. Inter alias autem animæ potentias, intellectus alnor est voluntatique propinquior: idcirco post deuotionem, quæ ad voluntatem pertinet, oratio quæ spectat ad partem intellectiuam, est præcipua inter actus religionis, per quam religio mouet intellectum in Deum. Oratio enim est rationalis creaturæ testimonium, qua se Deum colere profitetur. *Ad confirmat.* Non solum petere quæ desideramus, sed etiam aliquid recte desiderare, cadit sub præcepto, sed desiderare cadit sub præcepto charitatis: petere vero sub præcepto religionis: quod certe præceptum Matth. 6. ponitur: Petite & accipietis. *Ad 2.* Orare idem est, quod dicere, secundum Isidorum, sed dictio spectat ad intellectum: oratio ergo est actus virtutis intellectiuæ.

2. *Quid sit actus cognitiuæ.* Reuera, oratio est quasi oris ratio: bocautem interest inter practicam, & speculatiuam rationem: quod speculatiua sit solum rerum apprehensiua: practica vero eadem & apprehensiua, & causatiua. Est autem aliquid alterius causa dupliciter: vno quidem modo perfecte necessitatem inducendo; quod quidem contingit, quando sub causæ potestate effectus subditur omnino. alio vero modo imperfecte, disponendo tantummodo: quando scilicet effectus non omnino subiicitur sub causæ potestate. Eodem quoque modo oratio bifariam dici potest aliquorum causa: vno quidem modo necessitatem imponendo: & sic ad rationem non solum spectat, inferioribus potentiis, membrisque corporis imperare; sed etiam hominibus & subiectis, quod quidem fit imperando: alio modo inducendo, & quodam modo disponendo: & sic ab his qui illi non subiciuntur, nihil petit, siue sint æquales, siue superiores. Vtrunque autem horum, imperare scilicet & petere, siue deprecari, quandam importet ordinationem, quatenus scilicet homo disponit aliquid per aliud esse faciendum. sicque ad orationem attinet ordinare: Ad optima, inquit philos. deprecatur oratio. Hoc autem modo hic accipitur oratio, pro deprecatione videlicet, vel petitione. quemadmodum docet Augustinus *in lib. de verbis domini*, quod oratio sit quædam petitio. Et Damascenus *lib.* 3. Oratio est petitio decentium à Deo. vnde petet, quod oratio sit actus rationis. Ex hisce ergo patet solutio ad secundum argumentum. Itaque, desiderium pauperum dicitur dominus exaudire, tum quia desiderium est causa petendi, quandoquidem petitio sit quodam modo desiderij interpres; tum etiam, vt velocitas ostendatur exauditionis. *Et antequam clament* dicit dominus *exaudiam eos.* *Ad confir.* cum ad suum finem à voluntate ratio moueatur; nihil prohibet, mouente voluntate, rationis actum in finem charitatis, qui est Deo vnire, facillime ac promtissime tendere. Ratio autem in Deum tendit, quasi à voluntate charitatis dupliciter mota: vno quidem modo ex parte eius, quod petitur; hoc enim præcipue in oratione est petendum, vt Deo scilicet vniamur: *Vnam petij à Domino*, ait Dauid, *hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini &c.* alio modo ex parte ipsius petentis, quem oportet loco seu mente eum adire, quem rogat: ideoque à Damasceno oratio vocatur ascensus mentis in Deum. *Ad aliam* confirmationem dico, illos tres actus, ad rationem pertinere speculatiuam: ad practicam vero, per modum imperij, siue per modum petitionis, aliquid causare. *Ad 3.* Diuina prouidentia, vt dictum est *lib.* 4. titulo de diuina prouidentia, non solum disponitur, qui effectus fiat; sed etiam ex quibus causis, atque quo ordine fieri debeat: inter alias autem causas, sunt etiam quorundam causæ actus humani. Quamobrem necesse est, ab hominibus aliqua fieri: non quidem, vt suis actibus, diuinam mutent dispositionem; sed potius, vt impleant ordinem à Deo dispositum. Itaque, non propterea oramus, vt diuina mutetur dispositio; sed vt impleatur potius. Ex quo patet, non esse nobis necesse, Deo offere preces, quibus indigentiæ nostræ illi notæ fiant; sed nobis ipsis persuademus, his in rebus, ad diuinum nobis auxilium esse recurrendum. *Ad confirmat.* nostris precibus diuinam nequaquam mutamus voluntatem, sed implemus; nam huiusmodi medio illa implenda esse disposuit. *Ad aliam* confirmat. Multa nobis, etiam non petita, à diuina liberalitate præstantur; aliqua vero voluit nobis petentibus præstare, idque in nostram vtilitatem; vt scilicet fiduciam quandam accipiamus Deum adeundi: eumque cognoscemus bonorum nostrorum authorem. *Considera*, inquit Chrysostomus, *quanta sit tibi concessa felicitas, quanta que gloria attributa, orationibus fabulari cum Deo: cum CHRISTO miscere colloquia. eptare quod velis: quod desideras postulare.*

Ratio bifariam est causa imperandi.

Oratio est petitio. 3. eth.

Desiderium exaudire. Isa. 65.

Ratio tendit in Deu à charitate mota. Psal. 26.

3. *Quod sit conueniens orare Dn̄m.*

Chrysost.

4. *Iob. 5.* *Quod non solum Deus sit orandus.* *Ad 4.* *Voca*, inquit Iob, *si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere.* Dupliciter siquidem, alicui offertur oratio: vno quidem modo per ipsum implenda; alio autem modo per ipsum impetranda. Et primo certe modo soli Deo est offerenda; hac enim de causa oremus, vt gratiam & gloriam valeamus accipere, quæ à solo Deo dari possunt: alio modo petimus sanctorum precibus, & meritis, nostras preces iuuari. vnde *Apocal.* 8. *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli.* Vnde ecclesia illa formula vtitur in orando: Sancta trinitas miserere nostri: & sancta Maria ora pro nobis. Soli Deo itaque impendimus latriæ cultum, eumque profitemur esse bonorum nostrorum authorem: alios autem oramus, vt interpellatores, bonorumque nostrorum coadiutores. *Ad confirmat. sancti in patria*, teste Gregorio 12. moralium, *vident in verbo, quæ decet eos videre. propterea cognoscunt, quæ hic aguntur. & orationes, quæ illis efferuntur: etiam motus cordis intrinsecos; decet enim egregiam illorum excellentiam, vt ab expetitionibus cognoscantur, quæ voce aut corde illis porriguntur: idque manifestante Deo.* Ex hoc soluitur alia confirmatio. Qui enim in hoc mundo sunt sancti, aut in purgatorio; quia verbi visione non fruuntur; propterea preces, si ad eos mitterentur, minime cognoscerent: ideoque illorum suffragia non imploramus orando.

Sancti in patria cognoscunt preces nostras

5. *Quod sit aliquid determinate petendum.* *Ad 5.* Quamuis homo ex se scire non possit, quid petere aut orare debeat; Spiritus sanctus tamen adiuuat infirmitatem, & postulat pro nobis, id est: facit nos postulare, quæ sunt saluti nostræ necessaria: atque ita diuinæ reddimur conformes voluntati. *Ad 6. Orate pro inuicem vt saluemini*, ait sanctus Iacobus. *Pro se orare necessitas cogit*, ait Chryso. *pro altero autem charitas fraternitatis hortatur: dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit; sed quam charitas fraternitatis commendat.* Illud autem de oratione dominica, hic a Cypriano expositum fuisse legimus: *Non dicimus*, inquit, *pater meus, sed noster: nec da mihi, sed da nobis, quia vnitatis magister noluit primatum preces fieri: vt scilicet quis pro se tantum precetur; vnum enim pro omnibus orare voluit. quoniam in vno omnes ipse portauit.* Ad confirmat. orare pro se, est vna orationis conditio, non quidem necessaria ad effectum merendi; sed ad indeficientiam impetrandi: contingit autem aliquando, vt oratio pro alio facta, non impetret quod petit, etiamsi pie ac perseueranter fiat, ob impedimentum ex parte eius, pro quo oratio funditur. *Si steterit*, inquit Ieremias 15. *Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Est tamen nihilominus oratio meritoria oranti ex charitate; *Et oratio mea in sinum meo conuertetur:* hoc est, etsi illis non prodest, pro quibus ego oro; non sum tamen frustratus mercede mea. *Ad confirmat*, orandum est nobis pro peccatoribus, vt conuertantur: pro iustis, vt in iustitia perseuerent, & crescant: pro peccatoribus autem prædestinatis exaudimur: quod cum nobis incertum sit; propterea pro omnibus nobis orandum est.

6. *Iacob. 5.* *Quod sit orandum pro aliis.*

Orare pro se

Mat. 5. 7. *Quod sit pro inimicis orandum.* *lib. de serm. dom. in monte.* *Ad 7.* *Orate pro persequentibus vos.* Sicut enim ex charitate cogimur inimicorum naturam diligere; ita etiam pro illis orare. Proinde scripturæ, quæ aliud sentire videntur, multis modis intelligi possunt: vno quidem modo quatenus sub figura imprecantis, consueuerunt futura prædicere, authore Augustino. alio modo, quatenus quædam temporalia mala peccatoribus quandoque à Deo in correctionem mittuntur: tertio illorum petitio: non contra peccatores agit, sed contra regnum peccati, vt scilicet illis in melius mutatis, peccati regnum aboleatur. postremo, cupiunt diuinæ conformari iustitiæ in his, quos in peccato morituros certissime sciunt. Ex hoc petet solutio *Ad confir.* vindicta siquidem martyrum, authore Augustino, est, vt euertatur regnū peccati: quo regnante, tanta perpessi sunt, vel, vt idem author dicit in quæstionibus veteris & noui testamenti, vindicari se postulant, non voce, sed ratione: sicut sanguis Abel de terra clamasse dicitur. Lætantur autem de vindicta, non illius, sed diuinæ iustitiæ causa. Denique licet impugnare inimicos, vt à peccatis compescantur; sic etiam orando licet aliquas patera, quibus illi corrigi possint. *Ad* 8. 2. Machab. dicitur cap. vlt. *Hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa ciuitate.* Ieremias propheta Dei.

Imprecationes scriptura quid significent.

8.

Sane,

De oratione.

Quod sancti in patria orant pro nobis. Sane, si oratio est actus charitatis: quo igitur sancti maiori erunt præditi charitate: proculdubio maior, ac feruentior erit eorum oratio. sed sancti in patria perfectissima Charitate Deum, seipsos atque proximos diligunt: pro proximis igitur eos feruentius orare, dubium esse non potest, habet enim hoc diuinus ordo, vt superiorũ excellentia in inferiora refundatur. *Si*, inquit, Hieronymus, *contra Vig.* *Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse soliciti, pro aliis orant, quanto magis post coronas, victorias, atq; triumphos?* *Orant pro nobis.* Sancti igitur qui sunt in patria, deest secunde stole, gloria scilicet corporis, pro cuius possessione habenda instanter orant: pro nobis vero, vt vltimam perfectionem consequi valeamus. Porro, ex diuinæ acceptatione bonitatis, & ex præcedentibus ipsorum meritis, eorum oratio habet efficaciam impetrandi. *Ad confirmat.* illud impetrant sancti, quod Deus illorum precibus fieri disposuit. proinde & id ab illis petitur, quod æstimatur ab eis, illorum orationibus, secundum Dei voluntatem, esse adimplendum. Ad aliã confirmat. *An sancti in purgatorio orant pro nobis.* Qui sunt in purgatorio, licet sint nobis superiores, propterea quod peccare nequeunt, quoad pœnas tamen, quas patiuntur, sunt inferiores; ideoque non sunt in statu orandi: sed magis, vt pro illis oretur. *Ad aliam* confir. inferiora per superiora disponi, atque adiuuari Deus disposuit; ideoque non superiores solum, verumetiam inferiores sancti orandi sunt: alioqui solius Dei esset misericordia imploranda. hoc etiam modo Deus aliquius sanctitatem testatam esse voluit. *Ad vltimum*, Quia sancti dum viuerent, meruerunt, vt pro nobis orarent; hac de causa, propriis eos nominibus compellamus. propter fidem etiã resurrectionis insinuandem.

6. *Ad 9. Si peccat vt Deus non exaudiret*, ait August. *In Ioan. 9.* *frustra publicanus dixisset: Domine propitius esto mihi peccatori.* Et Chrysost. *Omnis qui petit, siue iustus sit siue peccator &c.* *Quod peccatores impetrent à Deo veniam.* Sane, in peccatore duo sunt consideranda, natura quam Deus diligit, & culpa, quam odio habet. *In peccatore duo considerantur.* Si igitur peccator, secundum desiderium peccati orando aliquid petit; sic à Deo minime auditur, quia vt peccator orat, nisi fortassis in vindictam precantis, vt in maiora ruat crimina: *Deus quædam negat propitius*, ait Augustinus de orando Deum, *quæ concedit iratus.* *Deus peccatores exaudit.* Porro, orationem peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem, audit Deus: non quasi ex iustitia, cum id peccator nequaquam mereatur; sed ex pura ipsius misericordia: obseruatis nihilominus conditionibus debitis: vt scilicet pro se petat necessaria ad salutem, pie, ac perseuerãter. *Ioan. 9.* Illud ergo verbũ cæci intelligi potest, si peccator oret, vt peccator: sicut dictũ est. *Ad confir.* peccator pie orat, nõ quia eius oratio sit informata habitu virtutis: sed ideo pia dicitur, quia id quod petit, ad pietatẽ facit: sicut ille, qui nõ habet habitũ, potest aliquid iustũ velle. Itaq; quamuis illius oratio non sit meritoria, potest tamen esse impetratiua: quia nimirũ meritũ iustitiæ, gratiæ vero impetratio innititur. *Ad vltimã cõfirmat:* Oratio dominica, ex totius ecclesiæ persona profertur. ideoq; si in aliquo orante non impletur, impletur nihilominus in ecclesia: ille vero sic orans, fructu orationis priuatur.

10. *Ad 10.* *Quod oratio sit meritoria.* Oratio, præter consolationem, quam affert orãti, respectu effectus futuri, duplicem habet virtutẽ; merendi scilicet, impetrandique: inest autem illi virtus merendi, sicut & cæteris virtutis actibus, ex radice charitatis, cuius proprium obiectum, est bonum æternum. Cum igitur oratio procedat ex actu charitatis, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; proculdubio oratio est meritoria. *Non nos hortaretur*, inquit Augustinus, *vt peteremus, nisi dare vellet.* Et Chrysost. *Augustinus. Chrysost.* *Nunquam orantibus beneficia denegat, qui vt orantes non deficiant, sua pietate instigat.* Ex his patet solutio argumenti: oratio siquidem absque gratia gratum faciente, meritoria esse non potest: gratia tamen, quæ impetrat gratiam gratum facientem, ex aliqua gratia, quasi ex quodam gratuito dono proficiscitur: etenim ipsum orare, teste Augustino de bono perseuerantiæ, est donum Dei. *Orare donum Dei.* *Ad confir.* respondet Augustinus in lib. sententiarum Prosperi. *Fideliter supplicans*, inquit, *pro necessitatibus huius vitæ, misericorditer non auditur; quid enim infirmo sit vtile, magis nouit medicus, quam ægrotus: & propter hoc Paulus non fuit exauditus, petens à se auferri stimulum carnis; quia non expediebat Paulo.* *Paulus orans non fuit exauditus.* At si petit, quod ad salutem spectat, impetrat sine dubio quod petit: sed non cito datur, vt congruo tempore detur. *Ad vltimam confirmat:* Oratio fidei innititur, non quoad merendi; sed impetrandi efficaciam: fide enim diuinæ omnipotentiæ, atque misericordiæ notitiam accipimus: ex quibus oratio impetrat quod petit.

11. *Ad 11.* *Quod oratio debeat esse vocalis.* Oratio voce depromitur, vt effectus excitetur, atque augeatur orantis: non vt Deus aliquid noui sciat. *Ad confir.* verba ad aliud pertinentia distrahunt mentem, & impediunt deuotionem orantis. sed aliquid significantia ad deuotionem spectantia, excitant mentes orantium. *Ad aliam* respondet August. in lib. de serm. domini in monte: Videri ab hominibus nefas est, quando ideo illud agitur, vt ab hominibus videamur: intentio ergo est consideranda orantis. *Deus est sicut Sol.* *Oratio communis.* *Oratio singularis.* Adde, quod oratio communis, totius ecclesiæ gerit vicem: ideoque debet esse vocalis, vt toti innotescat ecclesiæ, pro qua & offertur: oratio autem singularis, non eget omnino, vt voce proferatur; verumtamen voce exprimitur, vt interius excitetur deuotio, quo facilius mens orantis in Deum eleuetur: quod si vox sit impedimento orenti, est relinquenda: quod his solet accidere, quorum mens Deo coniuncta est. sicut loquitur Dauid: *Tibi dixit cor meum exquisiuit te facies mea.* Et 1 *Regum* 1. Anna orans, labia videbantur moueri, vox autem penitus non audiebatur. *Quare addatur vox.* Amplius, vt Deo debitum soluat seruitutis, hoc est, vt non solum mente; sed etiam corporali voce, Deum oret, & supplicet; constat enim ex mente & corpore. id autem ad orationem spectat, quatenus est satisfactoria. *Aufer*, inquit, Osæas Propheta, *omnem iniquitatem, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* *Osææ 14.* Denique ex quadam animæ redundantia ad corpus profluit illa oratio vocalis, sicut scriptum est: *Lætatum est cor meum. & exultauit lingua mea.* Hæc dicta sint de orationis virtute, modo, atque ordine, propter occasionem, quam sapientissimus nobis attulit Mercurius. *Pia*, inquit, *precibus obsecra dominum*: non enim commode fieri poterat, vt quæ sint preces piæ, intelligeremus, & quomodo Deum obsecrare debemus, vt simus illius misericordiæ digni; nisi quid sit oratio pia, & quæ sunt generis eiusdem intelligeremus. Sed de his satis.

MERCVRIVS.

Si tandem Deum tantum percipere poteris, si vel vnus duntaxat illius radius intelligentiæ tuæ benigne refulserit. Sola siquidẽ intellectio latens, latentia perspicit. Itaque si mentis oculis inspexeris ô Tati, ille tibi, crede mihi, patebit.

Commentum VI.

Text. expl. SI Dei misericordia, tuis te precibus dignum reddideris ô fili, sic tandem Deum percipere poteris: neque tibi opus esse scias, vt omnes sui luminis radios in te immittat: quippe qui nullo modo illos ferre posses; sed sufficeret tibi, *si vel vnus duntaxat illius radius intelligentiæ tuæ benigne refulserit.* Sine metaphora sic dixisset, Non indiges, vt totam sui notitiam Deus in te effundat, cum par non sis ad illam ferendam: proinde illico opprimereris à gloria. sed sufficit tibi notitiæ, quæ pro tuæ capacitate naturæ, ab illo tuæ intelligentiæ infundetur. Ex quibus tria sunt consideranda: *Tria consideranda.* Primum quidem, vniuersos radios diuinæ cognitionis, neminem capere posse: deinde paruam diuinæ notitiæ homini scintillam sufficere: postremo, huiusmodi notitiam mentalem esse, non corpoream. Sane, cum anima, teste Platone in Phædone, ad aliquid cõsiderandũ sociũ corpus assumit, *Plato.* vel per visum, vel per auditũ, vel per aliũ sensum, tũc quidẽ à corpore trahitur, atque aberrat, perturbaturque quasi ebria: at vero quoties ipse animus per seipsum excogitat, illuc se confert ad purum, sempiternum, immortale, semper eodem modo se habens: & tanquam ipsius cognatus semper inhæret illi, quoties ipsa redierit in seipsum. Cum igitur animus ad seipsum redieris, & ad id, quod in eo cæteris supereminet, suæ intuetur nobilitatis virtutem: eodem quoque modo Deum percipere nequit, nisi in eo, quod est in se præstantissimum, in mente scilicet. *Cognitio spiritualis.* Nam quemadmodum conspectis alterius hominis partibus, meipsum considerare non valeo, nisi lumina illius attente inspexero: tunc enim licebit mihi in luminum illius palpebris mei corporis imaginem clarissime intueri, ita plene, Deus, non nisi mente conspicitur: quæ est quasi quædam scintilla diuinæ maiestatis. Porro, licet mẽs huiusmodi habeat aptitudinẽ ad videndũ; eget tñ diuino lumine, sicut & aer solis micantis

fulgo-

Deus est sicut Sol. lib. 15. Trin. c. 1. & 10. conf. c. 25. Vbi inuenitur Deus.

fulgora. Est tamen Deus supra mentem: propterea nequit vniuersos illius diuinitatis radios accipere; *homo enim*, teste Augustino *mente siue anima, cætera antecellit animalibus.* Supra hanc ergo naturam si quærimus aliquid, & verum quærimus, Deus est, natura scilicet non creata, sed creatrix. Et *Transcendi, inquit, partes quas habent bestiæ, cum te recordarer: quia non ibi te inueniebam inter imagines rerum corporalium: & veni ad partes eius, vbi commendauit affectiones animi mei. nec illic inueni te. Et intraui ad ipsam animi sedem, quæ illi est in memoria mea, quoniam sui quoque meminit animus: nec ibi eras: quia sicut non es imago corporalis, nec affectio viuentis; ita nec ipse animus es: quia dominus Deus animi tu es. Inueni ergo te supra me.*

Plato. 6. de repub.

Bene ergo dixit magnus Trismegistus: Si radius illius refulserit, quia ille est supra mentis intelligentiam. Planū ait, Deum per radium suæ notitiæ, species rerum intelligibiles reddere, mentesque euadere intellectiuas, ac deiformes. Distribuere autem lumen intellectibus pro sua cuiusque proportione, quemadmodum stellæ singulæ pro natura sua lumen varium à sole recipiunt. Hunc imitatur Dionysius

1. de diuin. nom.

Verumtamen, inquit, *summum illud bonum, nullum alicubi existentium sui expers esse patitur. sed cum in seipso stabiliter superessentialem fixerit radium; benigne tamen ceteris pro cuiusque existentium proportione, vnicuique fulget, atque ad ipsius communionem, contemplationem, similitudinemque, quatenus assequi possunt, sacros intellectus extendit. Qui, vt fas est, aciem in ipsum reuerenter retendunt: neque ad superiora, quam ferat inductus ipsis pro modo suo radius, frustra insolenterue contendunt: neque inclinatione quapiam ad deterius vergente, ad inferiora labuntur; sed firmiter, indeclinabiliterque ad illucescentem sibi radium, aciem intendunt. & amore decentium illustrationū congruo, sacra cum reuerentia temperato, sancteque per sublimia peruolant.* Recte ergo dictum est à Mercurio; vnum duntaxat sufficere Tatio diuinæ cognitionis, siue notitiæ radium. quandoquidem secundum Apostoli sententiam, *vnicuique datur administratio spiritus secundum mensuram fidei.* Et cap. 4. dicit Deum

Deus est sicut Sol.

soli similem esse: Quemadmodum, inquit, sol hic nobis conspicuus nec cogitatione, nec electione, sed eo ipso, quod est, illuminat omnia, quæ pro modo suo participatio nam lucis admittunt; sic & ipse Deus ipsa sua existentia per ea, quæ sunt, omnia, pro sua cuiusque capacitate bonitatis suæ radios abunde diffundit. Et reuera, sicut in aliis

Conditiones luminis.

libris dictum est, res nulla magis, quam lumen refert naturam boni opificis. primū quidem lumen in genere sensi-
1. bilium potissimum, eminentissimumque apparet. deinde,
2. facillime omnium, & amplissime, momentoque dilata-
3. tur: tertio, innoxium occurrit omnibus, atque penetrat,
4. & lenissimum, atque blandissimum: quarto, calorem se-
5. cum fert almum, omnia fouentem, generantem, atque
mouentem. quinto, dum adest, mistque cunctis, à nullo inficitur, nullique miscetur: similiter ipse Deus totum rerum ordinem supereminet: & amplissime dilatatur: mul-

Plato.

cet, & allicit omnia. nihil cogit: amorem quasi calorem habet vbique communem, quo singula passim inescantur. Quemadmodum, inquit Plato loco iam dicto, Sol, & oculos generat, & colores, oculisque vim præbet, qua videant, coloribus, qua videantur: & vtrosque in vnum lumine conciliante coniungit; ita Deus ad intellectus omnes, resque intel-

Cap. 4. de diuin. nom.

ligibiles se habere putatur: atque ita demum excedit hæc omnia: quemadmodum sol oculos, & colores. Quamobrem recte sensit Dionysius de lumine sic loquens: *Lumen*, inquit, *est diuinæ bonitatis imago. Illuminat, quæcunque lumen admittere possunt, & fabricat, viuificatque, atque continet, & perficit omnia. Rerum quoque omnium mensura est, & æuum, & nume-*

Virtutes luminis.

rus, atque ordo, custodia, causaque, & finis. Simili ferme ratione euidens diuinæ bonitatis imago. Lumen insuper congregat, & conuertit ad seipsum omnia, quæ videntur: quæ mouentur; quæ illuminantur: quæ calefiunt, quæue omnino ab eius radiis continentur. Quapropter sol græce helios appella-

Sol helios dicitur.

tur, quod congregabilia reddat omnia; conciliet que dispersa. Ab ipso vtique conuersionis, & congregationis effectu, vt dicit Plato in Cratylo, omnia solem sensibilia concupiscunt, videlicet videre, aut moueri, & illuminari, atque calefieri, & omnino ab ipso lumine contineri desiderantia; sic & omnes intellectus ipsum solem Deum: denique omnia bonitatis illius participia concupiscunt. Non inepte ergo Deus sol nominatur, & eius notitia, radius illius bonitatis: quem Tatii intelligentiæ Mercurius

Quinque lumina.

refulgere cupiebat. Platonici quinque lumina ponunt: primum superintelligibile, secundum intelligibile, tertium cogitabile, quartum imaginabile, quintum visibile: visibile hoc, cuius fons primus est sol, dependere

Deus est sicut Sol.

putant ab imaginabili, quod animæ mundanæ imaginatio, etiam excellentius isto, apud seipsam imaginatur. Imaginabile quoque à lumine cogitabili, quod cursus præstantius est eiusdem animæ, ratio excellenter excogitat. Cogitabile ab intelligibili, quod viget in intellectu angelico: lumen vero ipsius Dei proprium vocatur plusquam intelligibile.

Pater luminum.

quoniam nullam habet cum intellectu proportionem: proinde ab Apostolo Iacobo 1. vocatur pater luminum, scilicet quatuor reliquorum. Hoc ipsum lumen sic in suo fonte superat intellectum, quemadmodum lumen in ipso sole visum noctuæ. Temperat vero seipsum benignitate sua, graduque pleniore descendit in angelicos intellectus: in nostros vero parcius, per radium duntaxat, vt dicit Mercurius. Officium luminis est, tenebras discutere: caligines amouere: leuitatē præstare, ac motum: sursumque attolle-

Luminis officium.

re. Hæc omnia facit lumen diuinum in anima intellectuali: primum quidem depellit ignorantiæ, ac peccati tenebras: hinc è vestigio sequitur amor quidam, nimirum ex lumine calor: amor vero effectus ardentior, quia purgat, & transfert, vberiorem iure reportat luminis plenitudinem. Sic etiam

Dionysius.

loquitur Dionysius in eodem cap. *Deus, seu bonus ipse*, inquit, *lumen intelligibile nuncupatur, quoniam intellectum omnem supercælestem lumine implet intelligibili: atque ex omnibus animabus, quibus seipsum infuderit, ignorantiam omnem, erroremque expellit: easque sacri luminis participes efficit. intellectuales harum oculos purgat: abductamque ex ignorantia caliginem discutit, explicatq; in lucem. Primum quidem mediocre lumen impartit. deinde postquam animæ gustantes lumen ardentius ipsum amare cœperunt; vberius affluit. ideoque illuminat abundantius, quoniam plurimum dilexerunt: atque ita semper incendit, vt gradatim vltra proficiant quatenus sursum pro viribus se attollere valeant.* Itaque Deus,

Lumen abigit tenebras.

lumen superintelligibile, & fontana lux, omnem intellectum superans, intellectualia, atque rationalia omnia congregat, & conciliat. Nam quemadmodum ignorantia eos, qui decepti sunt, diuidit, sic ipsa intelligibilis luminis præsentia eos, qui illuminantur, congregat, vnit, perficit: conuertit quoq; ad ipsum, quod vere est: ex opinionum diuersitate, varias imaginationes, in vnam veram, puram, vniformem cognitionem cogit, ac vno tandem, & vnifico lumine complet. Cum igitur hæc omnia cognita essent Mercurio; non temere Deum soli quodam modo similem esse dixit: cuius si vel vnus duntaxat radius, Tatij mentem illustrasset; mox plures recepisset, animumque illius omni prius detersa, discussaque caligine, intelligibili lumine complesset. Sequitur tex. *Sola siquidem intellectio latens &c.* sen-

Lumen ad se congregat omnia.

Text. expo.

sus est: si vel vnus illius solis radius mentem tuam tetigerit remota prius caligine peccatorum; illico in virum euades scientificum, & pene diuinum, intellectione latenti percepta. Sicut enim radius ille, à quo te illuminatum iri percupio, lumen est intellectuale, non corporale, ita plane secum affert latentem, hoc est, spiritualem intellectionem,

Intellectio latens.

ex qua latentia intelligere poteris: latentia, inquam, mysteria, de lumine increato, & de creato etiam: denique latentia naturæ secreta. Ex quo colligere licet, rerum cognitionem, atque obsconditarum rerum notitiam, cum ad pietatem, tum ad multarum artium, scientiarumque inuentionem spectantem, ex latenti intellectione manasse: quæ quidem per radium illius profecta est in hominū intellectus. Bonum igitur est studiis incombere; sed ad id primum niti debemus, vt vnus radius illius soli menti nostræ aciem illuminet; sic enim latentis intellectionis participes euadimus, cuius beneficio latentia quæq; percipere valemus. Sequitur Tex. *Si mentis oculo &c.* hoc est, si intellectus tuus fuerit ab omni ignorantiæ, ac erroris caligine per illius radii splendorē purgatus, & claræ scientiæ lumine effectus, si voluntas, omni prauo affectu postposito, illius ardiosi luminis calorem abunde susceperit; haud dubium, quin ille tibi apparebit ô Tati, sicut se suis insinuare, ac communicare consueuit. Beati igitur, quibus insunt duo isti

Duo oculi animæ.

oculi purgati, & diuini illius radii lumine illustrati, vt sanctum Pymandrum videre possint.

MERCVRIVS.

Deus totius expers inuidiæ, per singulas mundi particulas vbique splendet: atque adeo se notum præstat, vt non intelligere modo, sed manib. etiā ipsis (vt ita dixerim) liceat attrectare.

Nam

Deus vbique patet.

Nam vndique nostris oculis eius obuersatur, seque obiicit, & inculcat imago. Quod si intimum tui lumen te lateat, quomodo autem teipsum, aut eum inuenies?

Commentum VII.

Duplex modus cognoscendi Deum.

Bifariam Deum à nobis intelligi, seu cognosci posse, sapientissimus Mercurius apertissime ostendit: vno quidem modo, intellectiorse latenti, quæ ex diuino radio proficiscitur, quique suis familiarib. impartitus est à Deo omniũ opifice, & principio: altero vero per effectus, vtpote per res à Deo conditas: qui profecto cognoscendi modus tum Philosophis, tum etiam Theologis est apprime vsitatus: de quo in præsenti loquitur Trismegistus: *Deus*, inquit, *totus expers inuidia*: quod in Deo inuidia non sit, paulo ante dixi: *per singulas mundi particulas splendet.* Et est sensus: Inuidus sua sibi retinet, aliisque communicare non vult, quippe qui ex malis viuit alienis: at Deus ab omni liuore, & inuidia quàm remotissimus, sese quodam modo rebus omnibus communicauit, vt vnaquæque res Dei gestare videatur imaginem, eiius vtique bonitatis, vnitatis, potentiæ, & sapientiæ, *Per singulas ergo mundi particulas splendet*: hoc est, vnum quodque entium licet minimum, omnium conditoris profitetur maiestatem: omnia siquidem certo constant ordine, pondere, & mensura, quod plane fieri nequaquam posset, nisi à sapientissimo potẽtissimoq; artifice, & cõdita essent, & sapientia gubernarentur. Tex. *atque adeo se notum præstat &c.* id est, ita de se clara reliquit, exhibuitque testimonia; vt non modo eum intelligere valeamus, quod scilicet sit omnium principium, medium, & finis; verumetiam liceat, quodam modo eum manibus attrectare: quod ingenio obtusiores facere consueuerunt, qui nisi manibus rem tetigerint; fidem adhibere nolunt. Et reuera, tum opera Dei attente consideramus, adeo nobis illius sapientia innotescit; vt illam nostris manibus attrectasse videamur. Sic enim dicere consueuimus, quando certam alicui rei fidam facere volumus: Id nobis persuasum est, non solo oculorum intuitu; sed etiam certissimo, verissimoque nostrarum manuum attactu: hac loquendi formula vsus est Paulus disputans cum Atheniensibus: *Deus*, inquit, ô Athenienses, *dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationũ eorum, quærere Deũ si forte attrectent eum, aut inueniant: quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum.* Quærant vtique per cognitionem, per amorem vero inueniant, & attrectent: cum non longe sit ab vnoquoque nostrum: In ipso enim viuimus, mouemur & sumus, vtique sicut in causa efficiente: quippe qui causat in nobis viuere, moueri, & esse: ideoque nobis intimior, quam nos ipsi; propterea quod intrinseca connectit, atque coniungit principia. Sane, viuere in homine est intelligere; homo enim est homo per intellectum, i. met. animalia imaginationibus, & memoriis viuunt: homo autem ratione, & intellectu. Viuere etiam viuentibus est esse: proinde intelligere est esse humanum; est etiam ipsius moueri, in quantum per intellectum, & voluntatem cæteræ potentiæ mouentur. Quam ob causam ab Arato dictum est: *Ipsius enim & genus sumus*: id est, cognationem cum Deo habemus, quia intellectuali natura prædíti sumus. Itaque quæsiuerunt eum illi antiqui sapientes, nec inuenerunt: quamuis ita manifeste inueniri queat, quemadmodum si quid in medio positum palpemus. Neque enim ibi quidem est solum, alibi non: & in hoc tempore fuit, in alio non. & ita omni tempore, & in omnibus præfixis terminis habitationis nostræ possibile est, vt illum inueniamus. Profecto, ita pulchra dispensatione iniquitinocem ordinauit, vt neque loco, neque tempore prohibeamur. Idcirco ergo dixit, quod non sit longe ab vnoquoque nostrum; sed prope sit omnibus. Non solum ergo dedit vitam ac spiritum, & omnia, sed etiam, quod est summa omnium, duxit ad sui notitiam, dando hæc, per quæ possumus illum inuenire, ac cõprehendere quodam modo: sed noluerunt quærere, quamuis ante pedes esset; tam enim prope est, vt absque illo non viuamus. *In illo enim viuimus, mouemur & sumus.* Quapropter sicut impossibile est ignorare aerem vbique diffusum, & in nobis existentem; ita profecto & omnium opificem. Reuera, omnia entia aut producta sunt, aut improducta. Inter hæc extrema non datur medium, prima mutabilia sunt. Quod vero increatum, & improductum solum est omnino immutabile: nam quæ à non esse ad esse prodierunt, mutationi sunt subiecta; aut secundum substantiam, aut secundum qualitates, vt sunt corporea, atque materialia secundum substantiam mutationi subdita: res vero immateriales, vtpote Angeli, & animæ rationales secundum qualitates. Ex omnium ergo rerum mutatione, discimus vnum esse ens immutabile, quod est DEVS. Amplius, mens semper est coniuncta suo obiecto, illud intelligendo: nam si per essentiam suam intelligit; semper vtique intelligit; sicut ignis per naturam calet, & aqua friget. Est autem eius obiectum non fallacia simulachra sed pura veritas. Igitur, anima sedulo colit sedem æternitatis, & veritatis, & his pascitur mensis, quibus, vt ait Maro, datum est accumbere diuum. Est igitur naturale animæ Deum intelligere immutabilem, vbique per omnes mundi particulas splendentem. Haudquaquam ergo, vt ait Damascenus nos deseruit Deus omnimoda sui circumfusos ignorantia; quinimo conditæ cognitio (quod Deus sit) ab ipso naturaliter insita est, atque ingenita. Et cap. 3. Cognitio, quod Deus sit, nobis natura insita est, atque ingenita. Quãobrem non temere dictum est à Iob. *Interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cæli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & respondebit, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?* Merito ergo reprehenduntur illi idolorum cultores, Sapientiæ, *qui per hæc, quæ videntur, non potuerunt intelligere eorum artificem: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, aut lunam rectores orbis terrarum, Deos putauerunt: quorum si specie delectamur; tamen cogitare debemus longe speciosiorem esse dominatorem eorum. A magnitudine enim speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterat creator eorum videri*; nam si ordinem rerum omnium conspiciemus; nequaquam à casu, mundana instituta fuisse affirmabimus. Nam quod inordinatum, indeterminatumque est, vt casus; quo pacto poterit stabilem, & certis constantem legibus ordinationem efficere? Sapientissima præterea, & continua mundi gubernatio à casu esse non potest: quia quæ temere fiunt, non semper, aut eodem modo contingunt. Mundi autem gubernatio vniformiter, & suis vicibus statutisque temporibus consimiliter fit: ipsa ergo mundi creatura, & eius coaptatio pariter, & gubernatio, magnitudinem diuinæ insinuat naturæ. Boetius ita cecinit: *Si vis celsi iura tonantis pura solers cernere mente; Aspice summi culmina cæli. Illic iusto fœdere rerum: veterem seruant sydera pacem.* Nemo est enim, inquit Lactantius *tam rudis, tam feris moribus, qui non oculos suos in cælum tollens, tametsi nesciat cuius Dei prouidentia regatur hoc omne, quod cernitur, aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione. Nec posse fieri quin id, quod mirabili ratione constat, consilio maiore aliquo sit instructum.* Deus igitur per vniuersas mundi particulas ita fulget, vt quasi palpari possit: lib. 1. de hac materia abunde disputaui. Sequitur Tex: *Vndique nostris oculis se inculcat imago.* Apud Mercurium triplex Dei inuenitur imago: prima quidem vera, & proprio numine dicta, Dei scilicet filius. Dial. 11. *Vnus Deus*, inquit, *vnam habet ideam*, quam Psal. vocat sapientiam. Omnia in sapientia fecisti. Paulus ad Col. imaginem Dei. Plato in Timæo mundum archetypum. De hac autem Dei imagine in primo Pymandro fol. 170. & sequent. disputaui. Alia autem imago in 1. Pymandri dialogo ponitur, hominique tribuitur: *Pulcher enim erat, patrisque gestabat imaginem.* Faciamus, ait Moyses, *hominem ad imaginem nostram.* Rabi Moyses, zelam, dicit significare imaginem substantialem, quam Philosophi formam siue ideam appellant: non illam, quæ lineamentis, atque coloribus exprimitur; ea enim appellatur thoar, id est, corporis qualitas. Propterea ad imaginẽ diuinam factus homo dicitur; quatenus ad ipsam Dei intelligentiam ac rationem substantiamq; spectat: ad cuius similitudinem effectus est homo: quod homo in ipsa ratione, atque intelligentia homo sit. Quam opinionem refert Plutarchus etiam Homeri fuisse. Idem postea sensit & Socrates, quem Cicero secutus, pronunciauit corpus esse quasi animi receptaculũ. Quia igitur homo, id est, ratio & intellectus humanus, ad imaginẽ intellectus diuini factus traditur; idcirco imago Dei appellatur: de qua quidem imagine in 6. libro disputaui. Psellus in Chaldaicis oraculis, de hac etiã scribit, fuisse, &

Chal-

Marginal notes: *Texus expo.* — *Omnia Deum testantur.* — *Deum manibus attrectare.* — *Act. 17.* — *Si forte attrectent eum.* — *Viuere in homine est intelligere.* — *Deus non est longe à nobis.* — *In illo viuimus, mouemur, & sumus.* — *Deus vbique patet.* — *Damasc. lib. 1. c. 1. 3.* — *Lib. 1. c. 1.* — *Iob.* — *Sapient. 13.* — *Ordo rerũ Deum esse demõstrat.* — *Mundi gubernatio non est à casu.* — *lib. 4. de consol. 6.* — *lib. 1. c. 11.* — *Textus.* — *Triplex imago Dei.* — *Prima imago filius.* — *Secunda imago Dei est homo.*

Solis qualitas.

Chaldæorum eam opinionem, mundi scilicet huius opificem & patrem, suæ ipsius naturæ quædã symbola animis humanis inseruisse. Proclus etiam sic ait: Mens, quæ in nobis est, est imago primæ mentis. Tertia autem Dei imago, est mundus, qui profecto propriori vocabulo Dei imago dici non potest; sed exemplar quoddam diuinæ sapientiæ, potentiæ, atque bonitatis. Hanc autem Dei imaginem nobis quotidie adesse, mentemque nostram certis mouere rationibus affirmat; vt dubium esse non possit, quin artifex mundi sit, & bonus, & sapiens, & potens, qui mundum hunc pulcherrimum creauerit, sui opificis imaginem ferentem.

Tertia imago mundus.

Textus. Sequitur text. *Quod si intimum tui lumen te lateat, &c.* Similis videtur illa Saluatoris sententia, Matthæi 6. & Lucæ 11. *Si lumen, quod in te est, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Hieronymus in suo commentario: *Quomodo corpus, si oculus non fuerit, totum in tenebris est, ita & anima, si principalem fulgorem suum perdiderit, vniuersus sensus in caligine commorabitur.* Si ergo sensus, qui lumen est, animæ vitio caligatur; quanta erit ipsa caligo, quibusue tenebris obuoluetur? Sensus ergo Mercurii est, *si intimum lumen tui te lateat*: hoc est, si animæ tuæ vitio, sensum principalem, fulgoremque tuum amisisti; quomodo teipsum, aut Deum inuenies? Ex quo licet colligere, eos non intellexisse, Deum per vniuersas mundi particulas splendescere, quibus intimum sui lumen, ob ipsorum demerita, quasi extinctum fuit atque sopitum. Quare, cum seipsos non cognoscerent, non est mirum, si Deum non cognouerunt: *sed euanuerunt,* vt dicit Apostol. *in cogitationibus suis.*

Si lumen quod in te est tenebra sunt.

Rom. 1.

MERCVRIVS.

Denique, cum Deum videre volueris, suspice solem, ô fili mi Tati: suspice lunæ cursum: suspice sydereum ordinem reliquorum. Quis age perpetuum horum seruat ordinem? Ordo siquidem omnis, numeri locique limitibus terminatur. Sol Deus Deorum excelsitum præstantissimus: soli cælites reliqui veluti regi parent: sol tantus terra simul amplior atque mari, minores tamen super se stellas innumeras conuerti patitur. Quem timet is? quem veretur?

Commentum VIII.

Text. expo.

Boni est Rhetoris, quod prius ab eo dictum est, rationibus atque exemplis clarius reddere: quod quidem diligenter obseruat magnus Trismagistus. Dixerat enim prius Deum ita se nobis insinuasse; vt palpari quodam modo possit. Subdit: *Denique cum Deum videre volueris*: hoc est, vt quod tibi insinuaui, exemplis manifestem: Si ô fili Tati Deum videre volueris per ea, quæ ipse fecit, & ex pulchritudine operis, artificis agnoscere sapientiam; suspice imprimis cælestium ordinem, motum atque pulchritudinem corporum, lunæ, solis, cæterorumque sydcrum atque stellarum; & facile perspicies Deum esse, à quo hæc omnia facta sunt: & facta deinceps conseruantur. Porro, de motu solis, lunæ, ac syderum reliquorum in quarto libro Pymandri abunde copioseque disputaui. *Quis age perpetuum horum seruat ordinem?* quasi diceret: quod in cælestibus nullus error inuenitur; sed perpetuæ sint illorum leges. à casu fieri non potest: sed ab eo, qui semper eodem modo se habet: *ordo siquidem terminatur numeri, & loci limitibus*: non enim prætergreditur terminos loci atque numeri. Dial. 8. hoc idem insinuare videtur: *Cælestium, inquit, corpora vnum atque eundem seruant ordinem: quem scilicet primum à patre suo sortita sunt.* Ad hoc propositum Cicero egregie philosophatur lib. de natura Deorum: Quis, inquit, hominem illum dixerit, qui cum tam cæli motus certos, tam ratos astrorum ordines, tanquam inter se nomina connexa, & apta viderit, neque in his nullam esse rationem, eaque casu fieri dicat: quæ quanto consilio gerantur, nullo officio assequi possumus? An cum machinatione quadam moueri aliquid videmus, vt sphæram, horas, vt alia permulta? non dubitamus, quin illa opera sint rationis: cum autem impetum cæli admirabili cum celeritate moueri, vertique videamus constantissime, conficientem vicissitudines anniuersarias cum salute rerum omnium; dubitamus quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam ratione? Licet ergo librum naturæ, id est, ipsam mundi dispositionem, singulas creaturarum species, pulcherrimo ordine complectentem intueri; siquidem per hoc etiam à gentibus Deus se voluit agnosci, teste Apost. Rom. 1. *Quod notum est Dei,* inquit, *manifestum est in illis*: Deus enim illis manifestauit, hoc est, per naturæ librum ostendit se esse primum & verum opificem. Sequitur tex. *Sol Deus Deorum*: vocat solem Deum Deorum, non quod soli, aut cæteris syderibus diuinitatem tribuerit; sed more antiquorum, à quibus planetæ dij vocati sunt: *Sol, inquit, est præstantissimus Deorum*: hoc ait, omnium planetarum: *cui tanquam regi cætera sydera parent*: cum ab eo copiosioris claritatem luminis mutuentur, sicut dixi in quarto libro. *Et is est maior terra, amplior mari*: hoc est, sol tanquam manifestus cæli dominus, omnia prorsus cælestia regit: insuper ingentem habet magnitudinem, qua centies, sexagiesque, & sexies terram excedere iudicatur. Physici veteres nonnulli putauerunt, ipsum Iouem esse mundum, animal eorum sententia beatissimum: mundi vero cor, esse solem: quod sicut & in quolibet animali primum est, maximeque viuit. Quare sicut à corde per omnia membra spiritus diffunduntur; sic à sole radii per omnia mundana vibrentur. Hæc autem per quandam metaphoram dicta esse, intelligere nos oportet, quia solis excellentia ostenderetur. Sequitur textus: *Minores autem stellas &c.* hoc est, sol, licet videatur esse cælestium atque inferiorum corporum princeps, & pater, super se tamen quodam modo patitur, vt stellæ minores conuertantur. Verum quia de his omnibus in quarto libro disserui, & quidem satis; propterea breuiter transeo.

Ordo cælestium.

Cicero.

Ex Cæli cursu cognoscitur creator.

De fluxu maris.

Paulus.

Text. expo.

Deus Deorum Sol.

Solis quantitas.

Textus.

MERCVRIVS.

O fili, diuersorum syderum diuersi sunt motus. Quis mensuram singulis motionis assignat? Tatius: Arcturus circa idem se perpetuo vertens, totamque trahit mundi machinam. Trisme. Quis hoc vtitur instrumento? Quis mare suis finibus circumscribit? Quis terræ pondus sistit, ac librat in medio?

Commentum IX.

Quod syderibus diuersis diuersi sint motus attributi, atque dispositi, & quomodo Arcturus totam mundi machinam vehat, in 4. libro annotaui: reliqua ergo annotabo. Duo consideranda proponit, e quibus facile animaduerti potest, Deum per omnes mundi particulas, sese notum reddere: quorum primum est, quod aqua cum natura superior sit terra, ipsam nihilominus non ex parte discoopertam relinquit. *Quis, inquit, mare suis finibus circumscribit?* Vtique aliquis est, & quidem primipotens Deus, & mundi pater. Similis loquendi modus in sanctis inuenitur scripturis, *Et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Et Iob: *Vsque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Cum Mercurius igitur, cum etiam sacra eloquia id diuinæ attribuunt potentiæ, quod tota non sit aquis obruta, atque cooperta. Etenim vera, cum animantia propemodum vniuersa (paucis duntaxat exceptis) pulmonem habeant, & respiratione indigeant: respiratio autem aere mediante fiat; haud dubium, quin in illa terræ parte ea esse oportuit, in qua aerem attrahere possent. Quare, si terra secundum omnes ipsius partes, esset aquis operta; nulla profecto huiusmodi animalium inibi habitatio inueniretur. Quoniam autem natura non deficit in necessariis; aliquam terræ partem aquis discoopertam esse voluit, siue disposuit; vt terrestria animantia ipsorum vitam tueri possent: hæc causa à nonnullis causa finalis appellatur. De causa autem efficiente, multiplex est opinio: quidam n. dixerunt terram non esse sphæricam; sed oblongã potius, ipsiusque centrũ magnitudinis nõ esse cẽtrũ grauitatis: alteramque partẽ leuiorem aquæ supereminere; ideoque ab aqua cooperiri non posse, nisi ascendendo. Sed hoc à vero quam maxime aberret: nam absurdum est dicere, tantum altera ex parte terram in altum esse protractam, vt aquam superet: quandoquidem aquæ ad terram, vt dicit philosophus 2. de gener. decupla sit proportio.

Quare aqua non cooperiat terram.

Prou. 8.

Causa finalis.

Causa efficiens.

Dicũ.

De fluxu maris.

Dicis: in illa terræ parte stellas frigidas inueniri, in polo scilicet Arctico, à quibus aqua detinetur, ne tegat illam terræ partem, ad hominum vtilitatem dispositam. sed tunc aqua perpetuo extra suum locum consisteret, suapte profecto natura locum petit decliuiorem, terram videlicet. sed nullum violentum potest esse perpetuum: ratio ergo ista, nihili est facienda. *Dicis*, in hac terræ habitatione, quasdam latebras, terræque siccitates inueniri, à quibus aquæ exhauriuntur, ne totam terræ latitudinem tegere valeant. Item, aquam solaribus exhaustam radijs, in vaporem exhalationemque conuerti, sicque terram remanere discoopertam, & aquis denudatam. Aristoteles in secundo metheororum asserit, sub polo Arctico, & septentrionali aquam multo altiorem esse, quam in alia quidem parte eiusdem. idque propter loci frigiditatem. vnde fit, vt aer condensetur, & aqua inde generetur. Quare, montes aquarum esse videntur, si ad alia earundem loca comparentur: nec ibidem asserit violenter contineri, sed secundum illorum propriam naturam, ad decliuiora loca continue fluere: adeo vt totam terram facile tegerent, ni calor solis, aliarumque stellarum obsisteret, quo quidem calore, aquæ subtiliores fiunt, & in aerem conuertuntur. Terra præterea ex syderum solisque calore, leuis effecta, rara, atque cauernosa, aquam pro magna parte absorbens, atque consumens, placidum præstat hominibus, cæterisque animantibus quietis habitaculum. Paulo ante de hac materia locuti sumus. Liceat mihi posthac aliquid de mari philosophari, postquam magnus Mercurius occasionem dedit philosophandi: quoniam autem in rebus naturalibus libenter philosophum sequemur, quid de maris principio, natura, ac diuersitate dixerit, attente audiamus. In principio secundi metheororum, citat antiquorum sententiam theologorum, Orphei scilicet, Hesiodi atque Homeri, à quibus dictum est, & celebri fama vulgatum, ac veluti lege quadam sancitum. fontes tum maris, tum etiam terræ, radices esse, & principia. Quoniam vero terram maiore honore colebant, veluti primam ex fontibus ortam; hac de causa, ait Philosophus, magia tragicum, & reuerentius existimarunt forte esse, quod dicitur, quod hæc pars mundi, terra scilicet, sit longe mari præstantior. Totum præterea cœlum, circa terram versatur, & illius gratia videtur moueri: quare reliquorum videtur honoratissimum principium. Verum qui sapientiores fuerunt humana sapientia, Physici scilicet, vtpote, Anaximander, Diogenes, & similes, faciunt ipsius generationem, primum videlicet humidum fuisse omnem locum, qui est circa terram, & sic totam terram aquis fuisse opertam: deinde versiones solis, lunæ, cæterorumque syderum, humidum illud calefecisse, & sic euaporesse; per versiones enim solis & lunæ, & aliarum stellarum, spiritum, hoc est, aerem gigni, & ventum affirmant. Quod autem remansit, mare esse, minus quidem exsiccatum: nam quod magis siccum effectum est; in aerem, atque ventum conuersum putant: & tandem fore aliquando siccum totum. Itaque ex istorum sententia, mare aggregatum ex se, ex cataclysmi reliquiis totam terram mundantis, affirmare possumus, denique conflagratione, quæ erit quædam terræ habitabilia exsiccatio, mundum consumptum iri. Empedocles autem authore Alexandro, ait, calefactam à sole terram, velut sudore fieri, propterea quod salsum est: etenim sudor salsus est. Porro, Anaxagoras, & Metrodorus, vt refert idem Alexander, dicunt mare esse aquam per terram colatam; est enim salsum, quia dum colatur, sapores recipit, alicuius salis intra terræ viscera latentis. Aut, sicut humidum, quod per cinerem colatur, salsum fit, eodem modo, & hoc salsum esse, mista ipsa tali terra. Philosophus propositis aquarum diuersitatibus, huiusmodi opiniones euertere, atque abolere funditus conatur: Aquarum, inquit, quæ circa terram sunt, hæ quidem fluxibiles sunt existentes: hæ autem stationariæ. fluxibiles quidem igitur omnes fontanæ sunt, id est, à fontibus principium fluxus habentes: stantium vero, hæ certe collectiuæ, vt paludes, & quæcunque stagneæ multitudine, & paucitate differentes: hæ autem omnes manufactæ, veluti sunt, quæ puteales vocatæ sunt. Et primæ quidem spontaneè fluunt, quæ fontanæ, & fluuiales sunt. hæ autem arte indigent opera ore, vtpote aquæ puteales. quare si maris sunt proprij fontes: erit ergo aqua fontana, non ex pluuijs collecta; si autem fontana; aut fluẽs, aut stãs; non fluens, cum mare suos nequaquam terminos egrediatur. si sit aqua stans; aut arte, aut natura: non quidẽ arte, quia non videtur aqua fontana stans arte, nisi manu Dei. neque etiam natura; nam tãta aquarum multitudo stationaria esse natura, rationi consentaneum nequaquam esse videtur. In neutro ergo horum genere, fieri potest, vt hoc modo mare sit progenitum. Quod si quispiam dixerit, mare esse fontanam fluentem, propterea quod ad sensum fluere, & refluere videtur. Dico, illud more fluuiorum non fluere; idcirco aquam fluuialem, siue fontanam fluentem dici non posse. Porro, triplex dicitur esse fluxus maris: vnus quidem fluctuatio vocatur; fluctuat enim mare ad ventorum vim, atque impulsum: propterea pro ventorum diuersitate, diuersimoda maria mouentur: alius fluxus, libratio, trutinatio, siue trepidatio appellatur, qua mare modo huc, modo illuc trepidare videtur. Et hæc quidem est duplex, altera plane, qua maria propemodum vniuersa, ab Aquilone in Austrum continue fluere non cessant: quæque ordinaria trepidatio dicitur: altera vero est ab Austro in septentrionem, vel ab occasu ad ortum, ob aliquas certa particulares causas: ideoque non vna omnium potest esse trepidatio. Etenim sol, aut propter aspectus rectitudinem, aut propter notam cæli constitutionem, aliquam partẽ maris plus interdum exsiccat atque decoquit: vnde fit, vt ad huiusmodi locum mare currens, inde trepidatio generetur. Interdum vero ad vnam maris partem maior est aquarum, atque fluuiorum concursus proinde cogitur mare in aliam partem diuertere. In causa etiam potest esse alicuius terræ pars altior, atque eminentior, è qua in decliuiorem fluens, fit trepidatio: ordinariæ vero trepidationis causa dicitur maris altitudo, & fluuiorum copia, quæ in illa habentur maris cælique regione: in opposita autem solis caloris vehementia, aquas consumens, atque desiccans ex quo patet, mare non esse fontanam fluentem. De hac autem trepidatione loquitur Philosophus. 2. *metheo.* Fluens, inquit, videtur mare secundum angustias, propter scilicet adiacentem terram, & circumdantem vndique mare, in modicum ex magno coartatur pelago: propterea huc illucque trepidando discurrit. Est ergo prima causa, locorum angustia. Hæc autem aquarum trepidatio non est manifesta in Oceano, siue in aliqua magna multitudine aquarum; propterea quod in magno pelago parua, in minimo magna videtur aquarum trepidatio. Cæterum, mare, quod est inter columnas Herculis, quia in ima sui parte inæquale est, vtpote cauum in vna, & sublimius in altera, & in parte ima sublimiori, plures fluuij inueniuntur: hinc fit, vt ad depressionem impetu se decurrat. Simili quoque ratione Mæotis, in Pontum, Pontus vero in Ægæum, eo quod plures aquæ in Mæotim, quam in Pontum fluant. & plures in Pontum, quam in mare Ægæum. Eorum autem omnes pelagi, qui sunt extra Ægæum mare, trepidationem minus euidentem faciunt; quia non ita fluuiorum concursu circumdantur. illis vero, nempe Mæotidi, Ponto, & Ægæo, euidens hæc trepidatio accidit, propter paruitatem locorum, atque fluminum multitudinem; plures enim fluuij in Euxinum fluunt, & Mæotim, quam ad regionem maris multo maiorem ipsius. Euxinum autem mare incipiens à Bosphoro Thracio, vergit in orientem, & septentrionem. Pontus Axenus dictus, hoc est, inhospitalis, propter immanitatem incolarum: à quibus, authore *Strabone 7.* hospites immolabantur, & carnibus perelis, ex caluis eorum sibi pocula conficiebant: conditis vero ab Ionibus in illorum locis aliquot oppidis, cohibitoque assueto Scytarũ latrocinio, pro Axeno, Euxinus, hospitalis scilicet dictus est. Vnde Ouidius de Ponto. *Frigida me cohibent Euxini littora Ponti, Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.* Plinius *Pontus Euxinus antea ab inhospitali feritate Axenos appellatus, peculiari inuidia natura, sine vllo fine indulgentis auiditati maris, & ipse in Europam Asiamque funditur. Inuitis hoc accidisse terris, indicio sunt tot angustiæ, atque parua naturæ repugnantis interualla, ad Hellespontem octingentorum LXXV. pass. ad Bosphoros duos.* Solinus: *Quartus*, inquit, *Europæ sinus ab Hellesponto incipit, Mæotidis ostio terminatur, atque omnis hæc latitudo, quæ Europam Asiamque diuidit, in septem stadiorum angustias stringitur.* hic est Hellespontus. hac Xerxes, ponte nauibus facto, permeauit. Tenuis deinde Euripus porrigitur ad Asiæ vrbem, quam Magnus Alexander potiundi orbis amore transcendit, & potitus est. Inde diffusus æquore patentissimo, rursus stringitur in Propontidem, mox in quingentos passus coartatur. fit Bosphorus Thracius, qua Darius copias traduxit. hæc profunda delphines plurimos habent. Reuera, mare magnum ab occasu, & oceano fluit; & in meridiem vergit, deinde ad septentrionem tendit. Istud est, & mediterraneum, quia per mediam terram ad orientem vsque perfunditur, Europam, Africam, Asiamque disterminans. Cuius primæ partis sinus, qui in Hispanias extenditur, Hybericus & Balearicus appellatur. Deinde Gallicus, Narbonamque prouinciam alluens, mox Liguslicus Ianuæ vrbi vicinus. post-

Margin notes (left column, top to bottom): Alia ratio. — Aristotelis opinio. — A qua altior sub polo. — Principia maris. — Fontes theologi. — Physici. — Mare ex cataclysmo. — Diuersæ aquarum species. — Fontana. — Paludes.

Margin notes (right column, top to bottom): De fluxu maris. — Quare fluit mare. Fluctuatio. Trepidatio. — Causa trepidationis triplex. — Columnæ Herculis. — Mæotis. — Pontus. — Ægæum. — Euxinum. — Strabo. — Ouidius lib. 4. eleg. — Solinus. — Hellespontus. — Euripus. — Bosphorus. — Mare magnum. — Hybericus. — Gallicus. — Ligusticus.

De Oceani motu. *Tyrrhenus.* *Siculus.* *Creticus.*

hæc Tyrrhenus, quem Græci Ionicum appellant: deinde Siculus, à Sicilia vsque ad Cretam porrectus: inde Creticus, in Pamphyliam & Ægyptum tendens: inde Hellespontus in septentrionem retorquens, magnis anfractibus apud Illyricum, in septem stadiorum angustias stringitur: inde diffusus æquore patentissimo, rursus stringitur facitque Propontidem, qui mox in quingentos passus coarctatur, fitque Bosphorus Thracius: *Ponticus.* inde ponticus sinus amplissimus à tergo Meotidis paludis: siquidem à palude Mæotide vsque in Tenedum protenditur, sed vbi primum se arctat, à Tenedo incipiens à casu Helles vocatur Hellespontus, vbi se expandit Propontis: vbi itecũ arctatur, Thracius Bosphorus, vbi iterum latius diffunditur Põtus Euxinus, qui Meotidi paludi committitur. *Ægæum.* De Ægæo autem mari sic scribitur à Plinio *lib. 4. cap. 11.* *Plinius.* Ægæo mari, inquit, nomen dedit scopulus inter Tenedum & Chium verius quam insula; Aex nomine, à specie capræ, quæ ita Græcis appellatur, repente in medio mari exiliens. *Solinus.* Solinus, inter Tenedum & Chium, ait, est Claros insula, qua Ægæus sinus panditur: à dextra Antandrum saxum est; hoc enim verius, quam insula cognominari meruit. Id quoniam visentibus procul capreæ simile creditur, quam Græci αἶγα nuncupant, Ægæus sinus est appellatus. *Strabo.* Strabo ab Ægæis oppido in Eubea. *Philosophus.* Sequitur textus phi. Et propter breuitatem, inquit, profunditatis, semper enim profundius, adhuc videtur esse mare, & Mæotidem quidem. Pontus, hoc autẽ Ægeũ: Ægeo vero Siculum: Sardonicum autem & Tyrrhenicum profundissima omnium sunt. Et est sensus, fit omnium marium trepidatio, primo quidem austrum versus: secundo versus septentrionem, idque propter profunditatis breuitatem, *Mare australe profundius septentrionali.* maria à septentrione in Austrum decurrunt; mare siquidem Australe profundius est Aquilonari, & Mæotide Pontus &c. maria vero extra columnas breuia quidem, & paucum profunda sunt, ob lutum, quod in illorum visceribus inuenitur: denique cum sint quodam modo in ventre aliorum, sine quasi ventis esse dicuntur. Quare, sicut ex locis eminentioribus, ad decliuiora flumina ruunt; ita etiam ex Aquilone, veluti ex loco eminentiori, fluxus fit plurimus aquarum in Austrum: ita, vt pelagi in parte Aquilonari consistentes, propter continuum fluxum aquarum in Austrum, minus profundi sint. E contra, pelagi in Austro propter continuum accessum aquarum profundissimi. Quod igitur fontes non sint maris principia, & quam ob causam Deus mare suis finibus circumscripserit, ex his quæ dicta sunt, omnibus puto notum esse satis.

Qvæstionis Primæ

CAP. I.

Oceani fluxus.

Oceanus quid sit.

QVoniam sermo incidit de motu maris; consentaneum rationi esse ratus sum, vt de Oceani fluxu, siue æstu aliquid dicamus: qui à motus velocitate nomen accepit: ab ὠκὺς quod est velox, authore Solino, quod ocius currat: vel quod in morem circuli ambiat orbem: vnde & à littoribus nomen sortitur; ad dexteram siquidem, vbi primum terram intrat, Atlanticus dicitur: *Atlanticus.* ad sinistram vero Gaditaneus: illinc Arabicus, Persicus, Indicus, hinc Britannicus, Germanicus, Scythicus. Postquam vero terram ingreditur; varia nomina sortitur, vt dixi: Iste est, qui oras terrarum amplectitur, alternisque *Æstus oceani.* æstibus accedit, atque recedit: respirantibus enim in profundum ventis; aut remouet maria, aut absorbet huius autem motus æstus appellatus est, id est, accessus, & recessus, inquietudo scilicet maris. Sex enim horis crescit, & fluit ad littora, totidemque recedit, & in sinum suum se condit. *De causa autem multiplex opinio.* De causa autem huius æstus, multiplex est sententia: Nam Phauorinus, Plinius, & quidam ex veteribus, *Plinius.* huius æstus causam, motui lunæ diurno attribuerunt; dicunt enim Oceani, ac cuiuslibet maris occidentalis motum, ex sex horis in sex horas, motum lunæ diurnum sequi, siue imitari. Mare ergo occidentale de sex horis, in sex horas regulariter æstuat motu lunæ diurno, qui fit super *Auer.* hemisphærium nostrum. Auerr. in suis paraphrasibus ait, talis motus oceani causam à luna dependere secundum 1. suum motum diurnum. Etenim effectus suam causam regulariter sequitur semper: cum autem æstus Oceani sit regularis secundum motum lunæ diurnum: luna ergo se- 2. cundum suum motum diurnum, est illius causa. Amplius,

De Oceani motu.

Talis æstus non est semper æqualis; luna enim existente in quadrangulis cum sole, sensibilior æstus fit, quam cum à solis aspectu recedit: cum vero est in coniunctionibus, *Parmensis.* vel oppositionibus, adhuc sensibilior conspicitur: sed in oppositione longe sensibilior, quam in coniunctione; luna siquidem in opposito solis existente, est fortior duplato, & ordinato eius lumine. Item, æstus huiusmodi est fortior, cum luna ab ortu in meridiem fertur; quam cum à primo puncto versus medium noctis mouetur: actio enim lunæ est fortior, cum oritur, quam cum occidit respectu illius: propterea quod recte mare aspicit: vnde æstuationes vniuersaliter sensibiliores sunt, luna supra terram, quam sub terra existente. *Maria in mense semel æstuant.* Adde, maiores æstus fieri in hyeme quam in æstate; quia tunc sol per aquatica signa pergit, quæ vim lunæ præbent, adiuuant ad æstus mariaciendos. vnde fit, vt quædam maria, semel aut bis æstuent in mense, ob illorum profecto crassitiem: proinde non nisi à pleno lumine lunæ moueri possunt: aliqua quater æstuant in mense: quia mediocrem crassitiem retinent: luna vero est quater fortis in his quadrangulis, & bis in coniunctione, & oppositione. Itaque, oceanus & aquæ occiduæ æstuando regulariter mouentur ad motum lunæ per puncta cœli, quæ suo motu diurno describit. Habet autem luna cognationem quandam cum aquis occiduis ideoque illius influentia affectæ ad motum lunæ mouen- *Auerr.* tur. Auerroes in paraphrasi imaginatur, lunam suo motu, ac lumine calefactiuo quendam ventum gignere in imis maris, nempe quandam exhalationem: quæ si fiat, luna ab ortu in culmen decurrente, per maria versus littora mouetur: atque ita ad littora impellit maria. *Albumasar.* Verum quia Albumasar certo experimento inuenit fluxum & refluxum maris, non semper sequi cursum lunæ; ideo dici potest, aquas huiusmodi, cum sint quædam mista, duplici affectas esse virtute, cœlesti videlicet, & elementari. & elementari quidem deorsum: cœlesti vero, regulari æstu ex sex horis in sex horas moueri: alias vero aliter, pro illarum virtutis proportione atque mensura. Cum vero maria crescant semel in mense, & semel etiam decrescant. ex luminis ergo augmento, & decremento causa proficiscitur. *Mare sequitur motum lunæ.* Luna siquidem cum habeat in humidis vim dominandi, ipsius lumine crescente, & maria pariter crescunt, & aliæ aquæ, vt patet in conchilijs, alijsque rebus marinis: magis vero maria occidentalia, propter luminis ad illa conuenientiam, affinitatemque maiorem: vnde Ptolemæus, lunam occi- *Ptolemæus.* dentalem, solem vero orientalem esse dixit. E contrario, luna decrescente aquæ decrescunt, occidentales præsertim: ob causam iam dictam: luna autem in prima septimana, influentiam aquarum tumefactiuam imminuit: in secunda vero, contrario modo se habet: propterea oceanus ab interlunio vsque ad primum quadrangulum sensibilibus crescit à primo autem quadrangulo, vsque ad plenilunium decrescit: & à plenilunio vsque ad secundum quadrangulum iterum crescit, & deinde vsque ad interlunium decrescit. Hæc dicta sint de fluxu Oceani. Deinceps videndum nobis est, quinam sit locus maris: *Locus maris.* Irrationabile enim est, ait philosophus 2. *metheor*: si non aliquis est locus aquæ. *Philosophus.* sicut aliorum elementorum. Porro, Aristotelis opinio est, locum maris oceani naturalem, aquis omnibus proprium esse, mari vero quo aqueum est; mare enim cum sit ex terrestri mistum & aqueo, & in illo aqua prædominetur; profecto in loco aquæ erit naturaliter, quæ in illo præ- *Obiectiones.* dominatur. Sed *dices*, si ita res se habet; tunc mare mediterraneum, & similia, aut naturaliter in suis locis consi- 1. stunt, aut violenter. si naturaliter: non erit igitur vnus aquarum locus: sin autem violenter; tot certe ad eum non cucurrent flumina atque aquarum multitudo. Omnia ergo ad oceanum fluerent, atque ita non multa, sed tantum esset vnum mare. Amplius, aqua naturaliter est super 2. conuexa terræ superficie, & sub concaua aeris. quælibet ergo pars superficiei terræ potest esse locus naturalis aquarum; est enim aqua naturaliter locata, cum supra terram, & sub aere consistit. *Solutio.* *Dico*, aquæ locum naturalem, si naturam particularem aquæ inspexeris, esse quamlibet terræ partem, quantumuis eminentissimam; aqua namque supra superficiem terræ naturaliter consistere potest. at si attenderis ad ordinem vniuersi, qui est, vt semper grauius leuiori subsideat; tunc dicere necesse est, aquam ad locum decliuiorem fluere, ne vacuum detur in natura. Nam si ipsa non flueret; aerem oporteret descendere, ad vacuum remouendum. sed congruit vniuersali naturæ ordini, vt aqua aere grauior hoc fungatur officio vacui repellen- *Oceanus locus aquarum.* di. Oceanus præterea secundum Aristotelem, est perpetuus

De Oceani motu. tuus secundum speciem, & secundum indiuiduum per æquiualentiam: aliquo enim ipsius per solem, & cæteras stellas corrupto, per nouarum defluxum æquarum, de nouo generatur. Porro, maria mediterranea, ex reliquiis diluuiorum confecta sunt, quæ ad loca decliuiora, atque profundiora defluxerunt. Adde, quod maria omnia, & omnes aquæ fluant ad Oceanum, veluti ad ventrem totius terræ, vt dicit philosophus, non tamen semper; sed quamdiu illius aqua submissior cæteris cernitur: nam quando est maior, ipsa fluit ad alia aquarum loca: cum vero æqualis; neutra fluit ad neutram. *Oceanus venter terra.* Tantum ergo fluit aquæ in oceanum ex mediterraneo, & similibus, quantum fuerit in illo per actionem solis, aliarumque stellarum consumptum. Ex his ergo patet, oceanum, respectu ordinis vniuersi, naturalem esse atque communem locum aquarum; est enim cæteris profundior, & quasi in medio omnium positus. Insuper, cætera maria in locis suis naturaliter manere, debita illorum, vt dixi, qualitate seruata, quatenus aquæ sunt, nam quatenus maria; sic certe sunt circa centrum. hæc à peripatheticis dicuntur. Mouet philosophus in eodem lib. quæstionem: *Quare mare ex fluuiis non fit amplius.* Quære autem, inquit, antiquam dubitationem, propter quid tanta multitudo aquæ nusquam apparet; per singulos enim dies fluuiis fluentibus innumerabilibus, & magnitudine immensis, nihil mare fit amplius. hoc quidem nullum inconueniens est dubitare aliquos: non tamen & intuenti difficile est videre; eadem enim multitudo aquæ, & in latum diffusa, & tota simul non æquali in tempore exiccatur. Sed differt in tantum, vt hæc quidem permaneat per totum diem: hæc autem non. Exempli gratia, si quis super mensam magnam diffuderit aquæ cyathum; simul perspicientibus, exterminabitur totum. Quod vtique, & circa fluuios accidit; continue enim fluentibus simul, totum semper, quod peruenit ad immensum & latum locum, exiccatur cito, & latenter, non enim crescit sensibiliter mare: quia quantum crescit ex accessu aquarum vno die; tantum in eodem exsiccatur, & consumitur. Quod autem scriptum est in Phædone, & de fluuiis, & mari, impossibile est: *Plato in Phædone.* dicitur enim, quod omnia quidem inuicem perforata sunt sub terra, quasi habentia quosdam meatus ad vnum principium, qui vocatur Tartarus, fons aquarum, circa medium aquæ quædam multitudo: ex qua & fluentes, & non fluentes prodeunt omnes aquæ. *Tartarus.* Hunc autem Tartarum omnium esse principium, & finem aquarum affirmabat Plato. Mouetur autem sursum versum nos, & deorsum versus Antipodas, & vtroque modo secundum omnem positionis differentiam. Quod vero moueatur, patet, quia est primum, & principium: omne autem tale est seipsum mouens; effectus enim mouetur ab alio: principium autem mouet seipsum, & se mouendo, effectum producit. *Fons aquarum.* Itaque Tartarus, ad mentem Platonis, suo motu ad exteriorem terræ superficiem, aquas emittit: sic enim scribitur in Phædone, Tartarum vnicuique fluuiorum facere circumfluentiam, & mittere ad scaturigines aquas, ac volui circa medium terræ, estque primum, & principium. Ex hoc autem, quia sursum ad nos mouetur, & deorsum ad Antipodas, Rheumatibus effusionem facit; *Stagnum.* quæ profecto Rheumata multis in locis sic effundi dicit, vt stagnum conficiant, quod à nobis mare appellatur. Ex hoc autem patet, quomodo omnium sit aquarum exterorum principium. *Finis aquarum.* 1. Quod vero sit finis aquarum, liquet, cum omnia maria, atque aquæ, iterum circulo ad Tartarum redeunt, vnde fluere cœperunt; non tamen eodem motu, sed compressione, & constrictione. Et multa quidem secundum eundem locum, vtpote fluuij, qui multo tempore fluxerunt, deinde exsiccantur: redeunt namque per compressionem ad medium terræ à Tartaro factam: *Tartarus.* quædam vero redire affirmat per regionem fluxus positioni contrariam: per eas siquidem vias veniunt, per quas flumina è Tartaro ad mare dimittuntur: & reuertuntur per viam, qua mare redit in Tartarum. Quia enim mare non crescit, credidit Plato, aquam, quæ ad ipsum fluit, à Tartaro deglutiri. Asserit præterea aquarum ascensum, atque descensum ad Tartarum, æquales esse: *Ascensus, & descensus æquales.* siquidem omnis aqua, vsque ad terræ medium descendit, & à medio ad superiorem terræ superficiem: sunt ergo ascensus, & descensus æquales. Cum igitur Tartarus deglutiat atque absorbeat omnes aquas: est ergo omnium aquarum finis. Arguit philosophus: Si omnes aquæ, inquit, ex Tartaro veniunt. sunt igitur sapore, odore, & colore æquales. atqui huiusmodi aquæ non sunt æquales propter venas terræ, ex quibus exeunt. *Aristoteles impugnat Platonem.* Imaginabatur autem Plato, partes terræ intrinsecas esse diuersas, propter diuersas stellarum virtutes, diuersi mode partes illas afficientes. Verum *De Oceani motu.* præsupposito à philosopho irregulari Tartari motu, ad mentem Platonis, argumentatur: Si opinio Platonis esset vera; accideret fluuios fluere non ad eundem semper locum quoniam eoim ad medium confluunt, à quo defluunt, non magis defluent sursum quam deorsum, sed ad quodcunque tenderet fluctuans Tartarus. Nam si oriuntur 1. à Tartaro, cuius circumfluxus non est vniformis. non ergo eodem modo fluuii nascerentur. Amplius, aqua pluta, 2. siue pluuialis, & iterum sursum eleuata, non venit ex Tartaro; siquidem semper seruatur Tartarus æqualis, vt dicit Plato: quantum enim extra fluit, iterum fluit ad principium. Iterum, quamuis omnes fluuij, quicunque non 3. sunt ad inuicem contermini, ad mare terminati sunt: ad terram autem nullus est conterminus; sed si disparеant, 4. iterum prodeunt: non ergo redeunt in Tartarum. Præterea, si fluuij veniunt ex Tartaro, tunc certe maiores essent prope scaturigines, per quas ex Tartaro exeunt, quam in processu viæ: magis enim à principio recedunt, & sic minores euadunt. Verum contrarium experientia docet; magna enim fiunt flumina, quæ longo interuallo fluunt, quia multorum suscipiunt fluuiorum decursus: sicque maiorem impetum accipiunt, quo detruncant loco & longitudine viæ: hac ratione Istrus & Nilus sunt maximi. *Istrus. Nilus.* Hæc igitur omnia absurda sequentur, si mare, & flumina à Tartaro originem habent. Quod quidem igitur iste sit & aquæ locus, & non maris: & propter quam causam potabile quidem immanifestum in ipso mari; fluens tamen sursum euaporando, quod terrestre est, & salsum, subsidet. Constat ergo mare finem aquæ esse, & non principium: *Mare est aquæ excrementum.* quemadmodum excrementum in corporibus, est finis totius alimenti, & maximæ humiditatis ad ipsum currentis. sicut enim subtile alimenti euaporans, dulce efficitur, ac in membrorum substantiam conuertitur: terrestre vero, & salsum in excrementum, quod est totius alimenti superfluitas; ita plane est mare, quod remanet ex euaporatione aquarum. Dices, numquid mare est elementum, cum sit mistum? *Mare an sit elementum. Auerr.* Præterea, si esset elementum aquæ, tunc omnes aquæ & ab ipso manarent, & in ipsum denique redirent. Auerroes in paraphrasi asserit mare aquæ elementum esse: quia, authore philosopho: In textu in omni elemento, necesse est dari aliquod totum, ad quod reliquæ partes fluere valeant. sed in aquis nihil tale esse videtur, nisi mare: est ergo aquæ elementum. Verum recte interpretanda est philosophi, atque Commentatoris sententia; quandoquidem mistum, elementi nequeat subire rationem: denique ad mare, vt ad propriam perfectionem, aquæ nequaquam fluunt. Dico igitur, mare esse aquæ elementum per accidens; quia nimium accidit mari, vt sit aquarum congregatio, ob locum quem occupat decliuiorem. fungitur ergo vice elementi. Nam cum fieri non posset, vt purum esset aquæ elementum, propter bonum vniuersi, ipsius loco mare substitutum est, vt illius gereret puri elementi vicem. Ex his ergo patet solutio ad rationes præpositas: mare enim non est elementum per se cum non sit simplex; sed elementum per accidens deinde non est necesse, vt omnes elementi partes a toto veniant, & in totum redeant; sed satis est, vt totum sit in loco proprio: proinde extra elementum, & fieri possunt, & corrumpi: tametsi Auerroes dicat, omnes aquas mediantibus stellis formaque vaporum, à mari profluere, omnesque etiam in pluuiæ forma reuerti. Hæc de loco, & fluxu oceani dixi.

CAP. II.

Maris salsedo vnde.

Salsedo maris. Quoniam de fluxu motuque maris, & loco, aliquid dictum est; congruum esse putam, vt deinceps dicamus etiam aliquid de maris salsedine, de qua Aristot. 2. *meteor.* abunde disputauit. In eo siquidem libro post multam vtrinque inquisitionem, causam salsedinis esse dixit vstarum exhalationum permixtionem; putauit enim è terra multas cum vaporibus mistas exhalationes sursum ferri, quæ postea cum pluuiis ad mare descendunt, sicque mare salsum efficiunt. Mare ergo salsum est per terrei adusti mistionem. sed hæc sententia quæstione non caret: cur enim pluuia non est salsa, nisi cum cadit in mare, & illi miscetur? cur etiam dulce nō efficitur mare, ad ipsum plurimis aquis dulcibus fluentibus, & fluuiorum & pluuiarum? cur insuper exhalationes simili salsedinis qualitate reliquas aquas non afficiunt, in quas & ipsæ labuntur, illisque permiscentur? Quamobrem quidam peripathetici,

Salsedo maris. *Aristotelis opinio.* Philosophi opinionem sic interpretantur: Aristoteles (inquiunt) putauit, mare secundum totum perpetuum esse: secundum partes vero fieri, atque corrumpi. Quare, sicut mare est perpetuum, & causam non habet suæ æternitatis agentem, aut materialem; nec etiam suæ perpetuæ salsedinis. causam ergo dixit philosophus, cur mare sit semper æqualiter salsum, curue fiat secundum partem salsum, & salsedo illius secundum partem corrumpatur: quod vero ipsum perpetuo salsum sit, velut æternum non probauit, sed reliquit; æternorum enim non est causa reddenda. *Auerr.* Auerroes in sua paraphrasi hanc Aristotelis olfecisse videtur sententiam: ait enim solem, & exhalationes non esse causas maris, & illius salsedinis, nisi conseruantes: quia quantum ex dulci per solem trahitur, tantum per pluuias instauratur. Itaque pluuia non efficit secundum totum mare salsum, sed conseruat: Exhalationes quoque alias aquas salsas non reddunt, quia perpetua salsedine non erant affectæ: proinde salsæ secundum totum esse non possũt, plus de dulci in illis, quam de salsedine existente. Sed *dices*: si pluuię continue in mare descendunt: cur igitur mare in dies non efficitur salsius? His accedit, dulce & non salsum à sole attrahi, & sursum ferri: pluuias vero, & dulce, & salsum ad ipsum vehere & afferre: semper ergo efficitur salsius. *verum*, si vtrumque à pluuiis vehitur ad mare, dulce videlicet & salsum: ambo ergo illa restaurantur, quæ deperditum iri dicuntur. Addunt alij, aquarum fontanas sub montibus existentes, magnis meatibus ad mare decurrere, quibus aliquid de salsedine mari adimitur: adueniente præterea cælesti constellatione exsiccatiua aliquid semper de dulci & salso, & denique de toto mari remittitur, facitque de aquoso aridam: sed pluuiis denuo decurrentibus, vtrumque restauratur. Hæc illi: Catholici autem, qui maris, sicut & cæterarum rerum creationem tuendo profitentur, dicerent: mare à suæ creationis initio huiusmodi saporis qualitatem à Deo omnium opifice, & parente accepisse. Itaque salsedo mari competit, quatenus est mistum, authore Auerr. siquidem salsedo sapor est, qui sequitur primarum qualitatum mistionem. *Salsedinis causa & dulcedinis.* *Vas cereũ.* Porro, dulce est, quoties ab ipso separatur crassum atque terrestre. vnde phil. 2 *metheor* Si quis inquit, vas cereum conserens posuerit in mari circumligans os talibus, vt non penetret aliquid maris, quod ingreditur per parietes cereos, fit potabilis aqua. sic enim colatum, quod terrestre est, secernitur; facit enim salsedinẽ propter permistionem: causa ergo salsedinis est commistio dulcis cũ terrestri crasso. Itaque effectrix causa saporum, est calidum debite agens: materialis vero, aquosum & siccum, debite proportionata, mediante debita proportione calidi. Agens ergo causa est, calidum agens debite in aquosum & siccum terrestre, miscens illa debite proportionando. Dulcedinis igitur totalis causa, est humidi aquosi cum sicco terreo, mediante adæquata actione calidi illa permiscentis proportionata adæquatio. *Causa totalis dulcedinis, & amaritudinis.* Hæc autem est effectrix, & materialis causa dulcedinis; quandoquidem in talibus non fit excessus vnius super alterum: igitur est totalis causa dulcedinis. Causa vero totalis amaritudinis, est diminuta permistio humidi aquosi cum sicco terreo, mediante diminuta actione calidi, illa diminute permiscentis: sicut patet in fructibus nondum maturis. Permistio præterea sicci terrei cum humido, sicco adusto prædominante, facta à calido adurente, & fortiter permiscente, est tota causa salsedinis. *Saporum causa.* Ex quo sequitur, omne humidum esse salsum propter sicci terrei permistionem, modo illud terreum sit vstum. Item, non quodlibet siccum terreum, humidum salsum efficere; non enim siccum terreum, turbidam aquam faciens, illam facit salsam; sed siccum terreum vstum, vt cinis, siue calx. Quamobcausam, si calidum sit valde vstiuum, atque resolutiuum, facit amarum; calidum enim vltra temperamentum vstiuum, pro maiori minorique variatione, magis minusque facit salsum, & amarum. hæc autem incidenter dicta sunt, quo facilius causa salsedinis marinæ inueniri possit. Dicitur namque mare salsum esse propter sicci terrestris vsti permissionem, cum eius aquoso humido: sed quomodo id fiat, iam vtcunque à philosopho audiuimus: quod alij non percipientes, aliter locuti sunt. *Anaximanes. Diogenes.* Nam Anaximanes atque Diogenes, solis, stellarumque actioni, maris salsedinem attribuerunt: dixerunt enim mare in prima rerum origine, dulce extitisse postea actione stellarum, subtili plus euacuato, atque resoluto, quam terrestri, salsum euasisse. sed si ita res se haberet omnis ergo aqua ebulliens esset salsa, cum ab ea ob actionem calidi, dulce resoluatur. *Anaximander.* Anaximander putauit, mare salsum esse, quod ad ipsum flumina salsa plurima confluant. atqui plures dulces, quam salsi fluuij ad mare decurrunt. prętcrea aliquando mare dulce fieret, propter eam, quæ interdum solet accidere, exsiccationem fluuiorum. *Salsedo maris.* *Platonici.* Platonici, mare salsum esse dixerunt, ob nonnullas terræ partes salsas, quæ in imo maris habentur: ideoque nonnulli affirmant intra maris latebras, ingentes montes salis latitare, ex quibus salsedo maris gignitur, videmus enim modico sale multam aquam salsam euadere. Mare ergo secundum Anaxagoram & Platonem, est salsum propter venas terræ salsas. *Anaxagoras.* quæ quidem opinio est probabilis. Alij arbitrati sunt, mare ideo salsum esse; quia actiones solis & stellarum agentium, ex imis maris exhalationes eleuantur sursum, atque aquis maris permiscentur; imaginantur enim à superficialibus æquoris partibus potabile eleuari sursum, conuertique in pluuiam. ab imis vero maris adustas exhalationes, marique misceri, ac illud salsum efficere. *Astronomi.* Astronomi istorum sententiam sequi videntur: proinde asserunt solem cum aquis orientalibus, lunam vero cum occidentalibus cognationem habere: cum aliis vero vniuersalem tantum concordiam. vnde putant solem & lunam, ima maris commouere, indeque exhalationes educere: quæ cum in sublime, propter ipsarum crassitiem ascendere nequeant; aquarum vorticibus miscentur, atque ita salsedine complent. Huic autem fidem faciunt ima maris, quæ æstu feruent: quod quidem minime accideret, ni illa loca magno calerent exhalationum æstu. Ad hæc accedit, quod sol & luna circa maria quodam modo semper mouentur: tum propter affinitatem, quam cum illis habent: tum etiam propter perpetuam moram, quam in illis contexere videntur. vnde arbitrantur mare suæ terminum habere salsedinis: partim, quia aqua maris terrestrior statim fieri non potest: partim quia nec adustio, continuo intensior; quandoquidem complures dulces aquæ ad mare confluant, quibus maris siccitas temperatur, & temittitur, & exhalationum adustio dulcescit: proinde quantum ex vna parte salsedinis immittitur; tantum ex altera dulcedinis. quantum scilicet efficitur salsum; tantum ex alia parte dulcescit. Hæc dicta sunt de maris salsedine. Quilibet ergo pro suo libito, salua fide, accipiat quod vult.

CAP III.

Mare quid significet apud scripturas sanctas.

SCripturis diuinis affatim de mari loquentibus, silentio agendum esse non putaui, quod à sancto spiritu per ora prophetarum olim studiose digestum, atque pernotatum. *Mare præsens vita.* Porro, mare præsentis vitæ præferre similitudinem Dauid constantissime profitetur. *Psal. c. 3.* *Hoc mare magnum* inquit, *& spatiosum*, siue latum *manibus*, id est, locis, littoribus, aut vt alij exponunt, plagis, siue regionibus. *Illic reptilia, quorum non est numerus*: hoc est, diuersa animantium genera, quæ hanc enauigant vitam. Qui autem sine naue fuerit in hoc mari magno inuentus, id est, sine ecclesia catholica, inueniet draconem. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*: hoc est, vt illudatur ei ab angelis meis, teste Iob. *Job 40.* *Mirabiles elationes*, siue suspensuræ maris. *Psal. 92.* *Augustinus.* Cum eleuassent, inquit Augustinus, voces suas discipuli illi, crediderunt multi, & acceperunt spiritum sanctum: & cœperunt multa flumina clamare de paucis. Ideo sequitur *A vocibus aquarum multarum* mirabiles elationes, siue suspensiones maris. id est, huius seculi. Cum cœpisset Christus tantis vocibus prædicari, cœpit mare irasci, & suspendere fluctus: quando enim mare irascitur, suspenduntur fluctus. *Elationes maris* *Mirabiles elationes maris, sed mirabilis in excelsis dominus.* Venit dominus, Mat. 14. ambulans supra mare, super capita istorum fluctuum magnorum spumantium. Cur autem præsens vita mare nominetur, causam reddit Psal. 76. *Psal. 76.* *In mari via tua*: Omnes gentes, inquit, maria nomine nuncupantur, quod vita humana amara est, procellis ac tempestatibus subdita. Insuper, si illud attendas, quod homines tanquam pisces se deuorent, cum maior minorem absorbeat; sic enim ait Propheta Nahum: *Nahum 3.* *Fecisti hominem sicut reptile, & taces impio deuorante iustiorem se.* In mari ergo via tua, id est, in gentibus Christus prædicabitur, qui est via, qua itur ad patrem. Et in Psal. 65. *Conuertens mare in aridam.* *Psal. 65.* Mare erat mundus amarus salsitate, turbulentus tempestate: sęuiens fluctibus persecutionum. Conuersum est in aridam: modo sitit aquam dulcem mundus; quia salsa plenus erat. *In flumine pertransibant pede*: hoc est, illi qui conuersi sunt in aridam, cum essent antea amari, in flumine pertransibunt pede. *Flumen quid.* flumen est omnis mortalitas seculi: vide flumen, alia veniunt, & transeunt: alia transitura succedunt: sic omnis natus est, cedat oportet nascituro: & omnis iste ordo labentium, fluuius quidam est. Istum fluuium qui vere credit in Christum,

Mare pręfens vita. Mare pręsens vita. Mare prę facile pertransit pede, non equo: humilitate scilicet, & non superbia. Gregorius exponens illud Iob. 26. *In fortitudine illius repente maria congregata sunt, & prudentia eius percussit inimicum, siue superbum*: Quid, inquit, *aliud maris nomine, quam præsens seculum designatur, in quo corda hominum terrena quærentium diuersis cogitationum fluctibus intumescunt: quæ elatione superbiæ contendunt, dum alterna intentione se impetunt, quasi aduersantes se vndæ collidunt? sed tamen in fortitudine illius maria congregata sunt; quia incarnato domino, discordantium secularium corda concorditer crediderunt*. (*Lib. 17. mor. cap. 15. Iob. 26.*) Et lib. 36. mor. cap. 13. exponens illud Isaiæ 11. (*Isaio 11.*) *Et desolabit dominus linguam maris AEgypti*: *Lingua*, inquit, *maris est scientia doctrinæ secularis, quæ peccati obscuritate fuscatur. linguam ergo maris AEgypti dominus desolabit; quia huius mundi falsam sapientiam, per carnem se ostendendo destruxit*. Hieronymus in suo commentario (*Hieronymus.*): *Et desolabit linguam maris AEgypti quæ prius contra dominum blasphemabat, & superstitioni AEgyptiæ præerat*. Et exponens idem Hieronymus illud Isaiæ 21. (*Isaia 21.*) *Visio super onus deserti maris*. Quod, inquit, *mare appelletur seculum, vt multa præteream, vno testimonio Psal. 106. contentus sum* (*Psal. c. 6.*): *Qui descendunt mare*, inquit, *in nauibus facientes operationes in aquis multis. Ipsi viderunt opera Dei, & mirabilia eius in profundo. Qui enim operantur in hoc seculo opus Dei, & cum Dauid dicunt Psal. 68.* (*Psal. 68.*) *Veni in profundum maris: ipsi vident mirabilia eius in profundo. Vt igitur maris fluctibus obruamur, & opprimat nos saua tempestas, nostri vitij est, qui ante tempestatem præuaricatores fuimus, & iniqui*. In cap. autem 47. Ezech. (*Ezech. 47.*) clarissime ista describit: *Aquæ istæ, ait dominus ad Ezech. quæ egrediuntur in Galilaam, quæ vergit ad orientem, & descendit in Arabiam, intrabunt mare. & exibunt, & sanabuntur aquæ. Mirum in modum*, ait Hieronymus, *aquis euangelicis aqua sanantur mortuæ: quæ ab eo quod nihil in se vitale habeant, nomen mortis sortitæ sunt*. (*Aqua mortua sanantur.*) *Non enim nouerant eum, qui dicit: Ego sum via, & veritas. Vnde dicit Dauid* (*Psal. 45.*) *Transferentur montes in cor maris: hoc est, Apostoli, relicta iudaica Iudæa, in cor maris, id est, ad prædicandum gentibus, transierunt: suique aquæ amaræ dulces effectæ sunt*. Basilius in principio prouerbiorum homel. 12. (*Basilius.*) *Sæpe namque, vitam hanc, ait, & aquas, & mare appellatam inuenimus: vnde in Psal. 17.* (*Psal. 17.*) *Misit ex alto, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis. Palam est quod huius vitæ tumultum, ac turbationem, aquas appellat; non enim secunda omnia, & quibus plerique delectantur, perpetuitatem firmitatemque habent, sicut nec tristia semper durant; verum cuncta humana mobilitate quadam rerum inexpectata vicissitudini subduntur. Sicut igitur mare in eodem statu consistere nunquam potest, sed quicquid videt tranquillum, paulo post ventorum impetu turbatum aspiciet: quodque horridum, & vndis feruens, ac tumidum, mox multa quiete consistere videbis; sic humana res facile vtrinque conuertuntur*. Itaque, vita hominum huius mundi mare nominatur; quia plus amari habet, quam dulcis; quia in eodem statu nunquam consistit; sed varijs quatitur, atque tunditur tentationum fluctibus: quia varia habet animalium genera, sine ordine quodam modo viuentia: vnde fit, vt maior minorem deuoret: denique quia draco magnus, sæpe sæpius cogit nauiculas suo flatu, naufragium facere: propterea gubernatoris & vsu, & arte opus est; vt in vitæ tranquillitate, dum omnia ex animi sententia procedunt, rerum mutationes commode excipiat: & ne præsentibus, ita vt nunquam perituris conquiescat neue in rebus duris, se rursus affligat, aut desperet: (*Quare vocatur mare vita præsens.*) vnde Gregorius in expositione illius versiculi Iob 38. (*lib. 19 moral. cap. 7. Iob 38.*) *Nunquid ingressus es profunda maris? Mare*, inquit, *est mens humana, cum profunda Deus ingreditur, quando per cognitionem suam ad lamenta pœnitentiæ ab intimis cogitationibus perturbatur: quando priora vitæ nequitias ad memoriam reducit: fluctuantem in confusione sua animum concutit. Profundum maris Deus penetrat, quando etiam desperata corda permutat*. Et in illud Iob 14. (*Iob 14.*) *Quomodo si recedant aquæ de mari, & fluuius euacuatus, arescat*: *Mare*, inquit, *mens hominis est, & quasi fluctus maris, sunt cogitationes mentis, quæ aliquando per iram tumescunt. per gratiam tranquillæ fiunt: per odium cum amaritudine defluunt. Sed cum homo moritur, aquæ maris recedunt, quia iuxta Psalmistam* (*Mare mens hominis.*). *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum*. (*Psal. 145.*) August. lib. confess. 13. cap. 17. ad hoc propositum, ait (*Augustinus.*): *Quis congregauit*, inquit, *amaricantes in vnam societatem, nisi tu, qui dixisti, vt congregentur aquæ in locum vnum? Quoniam tuum est mare, & tu fecisti illud. Tu enim coerces malas cupiditates animarum*. Quid ergo significet mare apud sacros, hæc dicta sunt. Cæterum, vitam humanam ad modum nauiculæ se habere, quæ vndique quatitur fluctibus, & sæuissima tempestate premitur, Empedocles doctissime ostendit, (*Empedocles.*) quando ait omnia secundum litem constare; rapido enim stellæ obuiant firmamento: contraria inuicem elementa confligunt: terræ tremunt: maria fluctuant: aer quatitur: crepant flammæ: bellum immortale gerunt venti: homini nulla quies; sed ei ex toto mala vniuerso proueniont. (*Omnia constant lite.*) Omnis igitur vita nostra ars nautica est; (*Vita nostra nautica.*) nam si mare (vt dictum est) pro seculo sumi-

Pymandri Tomus Quintus.

tur, nauis nostra, moles corporea dicitur. Etenim sicut nauem multis tempestatibus agitatam, & iam vetustate consumptam, ille, qui clauum tenet, suo regit imperio, qui vbi compages solui, tabulataque & foros operiri fluctibus videbit, statim eam deserit; sic plane prudens animus hoc fragile corpus gubernat. Sane, corpus huius terrenæ patriæ eius est; animo autem cœlestis inest origo. Vnde Lucretius (*Lucretius.*): *Cedit idem retro, de terra quod fuit ante, In terram; sed quod missum est ex atheris oris: Id rursum cœli fulgentia templa receptant*. Et quoniam nobilior est animus, ideo sub inuolucris fabulosis, à Poeta nobilissimo describitur. (*Virg. 6. Æne.*) *Terribili squalore Charon, cui plurima mento canicies inculta iacet*. Si enim æterna fuisset anima à parte ante, vt quidam affirmarunt; commode apteque senex manifeste diceretur: nam æternitate nihil est antiquius. sed quia æterna est ex parte post, ideo cruda Deo, viridisque senectus; non enim vnquam deficit. Addidit Virgilius duplicem oculis flammam, (*Duplex flamma.*) quia liberi arbitrii eius est, ad verum velit flecti; & ad rationis fulgorem: & ad cupiditatis ardorem. Ratio est humanæ nauis anchora, (*Anchora. Clauus.*) & clauus consilium. Sæuiat late Pelagus, strideant vsquequaque venti tribulationum, & vndas æstusque permiserant: vbi valet anchora, id est, ratio, nullum periculum est. Arbor vero aurea, (*Arbor.*) & ramus, quædam est diuinæ sapientiæ delibatio; qua nobis futuræ vitæ claritas apparet. Sunt autem venti (*Venti.*) quatuor (Plinius lib. 2 cap. 49.) principales, iuxta quatuor mundi partes, quibus octo minus principalibus additis, 12. in vniuerso conficiuntur. Insunt namque nostro appetitui quatuor principales perturbationes, amor scilicet, (*Amor. Odium. Spes. Timor.*) odium, spes, atque timor quæ rabie, ac tempestate rerum inter scopulos miseros alternis flatibus animum exagitant: vnde Virgilius 6. Æn. (*Virgilius.*) *Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque*. Et August. in Ioan. (*Augustinus.*) *Affectiones nostræ*, inquit, *quatuor motus sunt animorum. lætitia est animorum diffusio: tristitia est animi constrictio: cupiditas est animi progressio, timor est animi fuga*. Aiunt Poetæ ventos ab Astreo patre ortos, qui vnus fuit ex Titanibus, qui ausi sunt temeratie cœlum infestare. Sed quid est bellum cum dijs agere, nisi naturæ nostræ repugnare, quo nihil est magis temerarium? (*Titanum bellum cum Ioue.*) Iure igitur ventos à Titanibus ortos dixerunt, quoniam perturbatio à temerario semper, & naturæ repugnante iudicio prouenit. Subduntur autem venti omnes Æolo regi, de quo Plinius. (*lib. 7. c. 56.*) Est enim Æolus in nobis inferior pars, siue portio mentis, quæ per prudentiam res administrat humanas, quæue perturbationibus, & sensibili appetitui præponitur, vt iussu suo illas cohibeat. *Sub te*, inquit Dominus ad Cain, *erit appetitus tuus: & tu dominaberis illius*. (*Gen. 3.*) Verum quamdiu ratio Deo obtemperat; tamdiu rationi obsequitur appetitus: quo fit, vt celsa sedeat Æolus arce (*Æolus in celsa arce.*) quoniam nihil humile cogitat. Et quia totius vitæ actiuæ administrationem habet, ideo *Sceptra tenet, mollitque animos, & temperat iras: Ni faciat, maria ac terras, cœlumque profundum. Quippe ferant secum rapidi, verrantque per auras*. Corripitur Æolus noster pollicitatione pulcherrimæ Deiopeiæ. (*Deiopeia.*) Quatuordecim Nymphas præstati corpore Iuno habet, quæ sunt aeris proprietates, quarum pulcherrima est serenitas, & tranquillitas, omnes enim ideo aliquid appetimus, quia ibidem quietem, nos inuenturos esse putamus. Quare sic decepti, fores relaxamus, perturbationesque emittimus: sicque perturbato appetitu, rationis lumine priuamur: vnde *Eripiunt subito nubes cœlumque, diemque, Teucrorum ex oculis. & nox Ponto incubat atra*. Quoniam appetitus, qui prius rationis lumine illustrabatur, nuo illa amissa, in tenebris versatur, verum à falso non discernens. Vnde Boetius de consol. (*lib. 1. metro 2.*) *Heu quam præcipiti mersa profundo mens habet: & propria lume relicta: Tendit in externas ire tenebras terrenis quoties flatibus acta, crescit in immensum noxia cura*. Ambrosius in officijs (*Ambrosius. lib. 1. cap. 47.*) *Perturbata mente*, inquit, *latius se, ac longius fundit appetitus: & tanquam efferato impetu, frenos rationis non suscipit, nec vlla sentit aurigæ moderamina*. Proinde 1. offic. eodem cap. ait, boni speculatoris esse, ita prætendere animo, vt appetitus, neque præcurrat rationem, neque deserat: ne præcurrendo perturbet, neque excludat, eamque deserendo destituat. Veni igitur Domine IESV, & impera ventis, & mari: & fiet tranquillitas magna. Quod autem terra sit in medio mundi, dictum est in lib. 3. vbi de loco disputaui.

De Ordine.

MERCVRIVS.

Est certe aliquis ô Tati, horum author & dominus: Etenim locum, vel numerum, vel mensuram seruare absque authoris virtute impossibile est. Ordo fieri à deformitate nequit. Eget autem deformitas Domino, qui ordinem præbeat.

Commentum. X.

NOtissima satis, & ad sensum probatissima vtitur ratione, vt inficiari audeat nemo. Si, inquit, tanta conspicitur in rebus, quæ à nobis videntur, pulchritudo, potentia, atque prouidentia; profecto negare omnino non possumus, quin aliquis sit horum author & dominus, hoc est, qui fecerit & gubernet. Sane, fieri non potest, vt creatura quælibet suum locum seruet, numerum, & mensuram, absque creatoris virtute. Nam etsi corpora cœlestia circa terram voluantur, & corpora leuia, sursum suapte natura ferantur, grauia vero deorsum, egent tamen creatoris virtute, qua conseruentur in ordine, quem ab illorum parente acceperunt.

Ordo creaturarum ostendit creatorem.

Iste ergo inuiolabilis creaturarum ordo, apertissime prædicat virtutem, & curam creatoris: nam quemadmodum lux, a tenebris non prodit, neque calor ex glacie; ita plane ordo à deformitate non proficiscitur; sed ab optima, & prima omnium ratione. Quomodo enim ordo à deformitate fieri potest, cum ipsa domino egeat, qui ordinem præbeat? Magna siquidem congeries primi orbis, molesque indigesta, & rerum omnium deformitas, haud dubium, quin Deo authore, hunc pulcherrimum ordinem sortita sit, atque conseruet. Ex rerum ergo ordine, cognoscitur prudentia, atque sapientia artificis Dei.

Philosophus ponit duplicem ordinem. 12. met. tex. 52.

Philosophus hoc quoque vtitur philosophandi genere, asserens duplicem in rebus ordinem inueniri vnum quidem, quem habent creaturæ ad inuicem, quo mutuis obsequiis vna iuuatur ab altera: alterum vero, quem ad principem habent, & ducem omnium Deum. Qui quidem ordo est finis alterius, hac namque de causa exercitus in bellando ordinem seruant, vt vnius pareatur voluntati ducis imperantis. In ordine ergo, quem exercitus habent ad seipsos, quo sibi ipsis sunt auxilio, & solicite famulantur, bonum illorum est, magis vero in ordinem ad ducem; nam si ille non esset,

Ordo creatura ad se.

ordo inter ipsos seruari non posset: non enim dux est propter ordinem, sed ordo propter ducem. Omnia vero, inquit, coordinata sunt aliqualiter, sed non similiter & natatilia, & volatilia, & plantæ: & non sic se habent vt non sit alteri ad alterum nihil, sed est aliquid. Ad vnum quidem omnia coordinata sunt:

Auerr.

Auerroes in suo commento: Bonum, inquit, existit in hoc toto vtroque modo, scilicet propter ordinem, & propter illud, propter quod est ordo, scilicet primum principium:

Ordo ad primum principiũ.

& omnia quæ sunt sub primo principio, non æqualiter habent ordinem. Hæc enim quidem perfectum habent ordinem, ita, vt nihil admisceatur eis per accidens: sicut est de corporibus cœlestibus. Inuenitur autem priuatio ordinis per accidens in illis rebus, quæ sunt sub corporibus cœlestibus. Itaque, cum ordinationis causa natura sit, & nihil inordinatum est eorum quæ natura sunt, vt dicitur 8. *phys. text. com.* 15. quia casualiter, & raro quædam extra illum ordinem esse videntur, non tamen sunt extra ordinem omnia gubernantis. Author vero naturæ Deus est, procul dubio ipsa ordinatissima mundi administratio palam ostendit administrantis prouidentiam,

Ordo vbi inuenitur.

pariter & potentiam. Porro, ordo, vt dicitur 5. *met. com.* 15. non est nisi aut respectu primi positi, aut intellecti: vnde prius & posterius sunt ordinis differentiæ, 1. *phy. com.* 42. Hæc autem in rebus conditis inueniuntur manifeste. Liquet ergo quomodo ordo, vt dicit Mercurius, a deformitate fieri non potest.

Plotinus.

Plotinus *enn.* 3. *lib.* 2. hunc rerum ordinem non dicit esse aduentitium pro aliquorum criminibus castigandis repertum; sed à Deo rebus omnibus insitum. Non est autem, vt quidam putant, ordo propter præuaricationem ordinis institutus. Quod enim ordine vtitur aduentitio; non assequitur quod vult, vel interiori vitio, vel propter aliud quiddam ab alio accidens. at conditor ordinis est omnipotens: ex propria ergo voluntate rebus ordinem tribuit.

Plato.

Plato in Timæo imitari videtur Mercurium dicentem deformitatem domino eguisse, qui ordinem præberet. *Cum vellet*, inquit, *Deus bona omnia fore, nihil vero quoad natura pateretur malum; quidquid erat quod in cernendi sensum cadere posset, assumpsit non tranquillum & quietum; sed temere agitatum & fluitans, idque ex inordinata iactatione redegit in ordinem: hoc enim iudicabat esse præstantius.* Quomodo autem hæc sint intelligenda, dixi in primo Pymandri, vbi Platonis sententiam de mundi creatione librando exposui.

Damascenus.

Damascenus *lib.* 1. *cap.* 3. vniuersum ordinẽ creatæ naturæ, librum naturæ appellat, quo libro ille bene vtitur, qui nouit omnia creata esse vno participantia, à quo de non esse vno, ad esse vnum vocata sunt: Ipsa, inquit, conditionis mundi coaptatio, conseruatio, & gubernatio, nos aperte docent Deum esse, qui hoc totum consistentia firmat, & continet, & conseruat. Quomodo enim aduersantes naturæ, ignis dico, & aquæ, aeris, atque terræ, in vnius mundi complementum concurrissent ad inuicem, & sine dissolutione perdurarent; nisi quæpiam omnipotens virtus, & ea coniunxisset, & semper conseruet indissoluta? Deus igitur ex his cognoscitur, etiam si quis tribuat regimen huius mundi casui & temeritati.

Lactantius.

Lactantius *lib.* 1. *cap.* 3. ad hoc propositum loquens, ait mundum ab vno regi opifice; idque vniuersum creaturarum ordinem protestari: Quamuis, inquit, poetæ Deos carminibus ornauerint; sæpissime tamen confitentur, spiritu, vel mente vna contineri regique omnia.

Orpheus.

De Orpheo vetustissimo poetarum traditur: quod cum inter Argonautas cum Tyndaridis & Hercule nauigasset, Deum verum & magnum [illegible], id est, primogenitum appellauit,

Primogenitus.

quod ante ipsum nihil sit genitum; sed ab ipso sint cuncta generata. Eundem & [illegible], id est, apparentem nominauit, quod rum adhuc nihil esset, primus ex infinito apparuerit & extiterit: cuius originem atque naturam, quia concipere animo non poterat, ex aere immenso natum esse dixit hunc ait esse omnium Deorum parentem, quorum causa, cœlum condiderit, liberisque prospexerit, vt haberent habitaculum, sedemque communem. Natura igitur, & ratione ducente, intellexit esse præstantissimam potentiam, cœli ac terræ conditricem.

Cicero.

Cicero de natura Deorum, hoc modo argumentatur: Nihil est præstantius Deo: ab eo ergo regi mundum necesse est: nulli igitur naturæ est obediens, aut subiectus: omnem ergo regit ipse naturam. Quid autem sit Deus, de consolatione definit: Deus mens est soluta, libera, & segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, ac mouens omnia. Itaque, quia omnium est præstantissimus, omniumque curam gerit, mouet insuper, & sentit omnia, Deus est appellatus, & cognitus à Cicerone; quæ profecto omnium elegantem rerum ordinem ostendunt.

Augustinus.

August. *lib.* 5. *de ciuitate Dei, cap.* 11. dicit à Deo omnia regi certo, atque præscripto ordine.

Omnia ordine gubernat.

A Deo, inquit, *est omnis modus, omnis species, omnis ordo: a quo est mensura, numerus & pondus: a quo sunt semina formarum, formæ seminum, motus seminum atque formarum, ipse enim non solum cœlum, & terram, nec solum angelum & hominem; sed nec exigui & contemptibilis animantis viscera, nec auis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium, sine sua partium conuenientia, & quadam veluti pace dereliquit. omnia ergo ordinata prouidentia, ac certis legibus gubernat.*

Quid sit ordo.

Quid autem sit ordo, *lib.* 19. *de ciuit. Dei, cap.* 13. explicuit: Ordo, inquit, *est parium dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens dispositio.* Ex quo perspicuum esse potest, si omnia essent paria, pulchritudinem ordinis habere non posse; nam si natura ordinis, vt dictum est respicit prius, & posterius, vbi non est huiusmodi rerum delectus; haud dubium, quin ordinis ratio seruari non possit.

Debita dispositio rerum.

Pulchritudo ex colorum consurgit varietate, partiumque debita proportione: musica quoque ex variarum vocum temperata mensura: & ordo ex parium, atque imparium ordinata dispositione rerum. Si enim eadem loca superioribus tribuerentur, quæ & inferioribus rebus; esset omnino locorum confusio: si Angeli eadem pollerent intelligendi puritate, qua & homines; nullum in illis relinqueretur discrimen naturarum: si denique hominibus ad belluas nulla esset discretio sentiendi, atque cognoscendi; nihil interesset inter hominem, & brutum. Quoniam igitur vnicuique sua loca disposuit diuina dispositio, ac naturarum, locorumque varietate seiunxit ab inuicem; hinc pulcherrimus rerum nascitur ordo; qui absque ordinatore Deo fieri, conseruarique, non posset.

11. de ciuit. c. 22.

Qui ergo mundi ordinem labefactare ac reprehendere conati sunt, non attendunt, ait August. *quam pulchro ordine omnia disposita sunt: quantumque vniuersitati rerum pro suis portionibus decoris, tanquam in communem rempublicam conferat varius dispositarum rerum ordo*: Quoniam, inquit, *sicut pictura cum colore nigro, loco suo posito: ita vniuersitas, si quis possit intueri, etiam cum peccatoribus pulchra est, quamuis per seipsos consideratos sua deformitas turpet.* Cap. autem 58. eiusdem libri

reddit

[*Terra centrum mundi.*] reddit rationem, qua ostendit nos naturaliter ordinem appetere. *Omnia, inquit, quia à Deo condita sunt; ideirco illius ordinem, quem seruandum acceperunt, naturaliter appetunt: illoque priuari non cupiunt. Quare, cum peccamus, contra ordinem naturarum facimus. quippe qui ab eo, qui summe est, ad id, quod nihil est, conuertimur. magna ergo est nostra ignominia, qui ordinis à Deo nobis præscripti violatores sumus: quem bruta rationis expertia pro suarum naturarum conditione violare non audent.* Cæterum, ordinem rerum triplicem esse Platonici affirmant: [*Ordo rerum triplex.*] mentium scilicet, animarum, & corporum: primam autem seriem, prouidentiam: secundam, fatum: tertiam, naturam appellarunt. Mentes sunt puri intellectus: hoc est, angeli à corporibus [*Angeli.*] soluti: qui quidem intellectus, & beatissimæ mentes suis ex ordinibus constant, vt scribit Dionysius 6. cælestis hier. ex [*Dionysius.*] triplici scilicet hierarchia: & quælibet hierarchia ex triplici ordine: nam si omnes essent eiusdem ordinis; non esset ordinata multitudo: in illis ergo beatissimis spiritibus pulchritudo ordinis maxime splendet. Animæ sunt solum rationales, [*Animæ rationales.*] quæ ex numero etiam constant, pondera, & mensura, memoria scilicet, intellectu, & voluntate: quæ se inuicem capiunt, & vnum iuuatur ab altero: quorum ordo, quamdiu purus inuiolatusque permanet; tam diu homo viuere dicitur vitam illam, quæ rationem sequitur non autem sensum, sicut bruta faciunt, quæ ad terram prona, natura ventri obedientia finxit. In tertio genere sunt omnia [*Corpora animata.*] cœlestia corpora, elementa, humores, & mista. & hæc quidem omnia constant extrina dimensione: latitudine videlicet, longitudine, atque profunditate: in quibus est debitus vnicuique à natura ordo distributus; vnumquodque enim illorum suæ habet naturæ proportionatam magnitudinem, longitudinem, atque profunditatem. In seminibus serendis, plantandisque arboribus, vitibus, stirpibus condendis, debitus plantandi, serendique ordo est maxime obseruatus. In arte militari, in exercitibus regendis, in ineunda pugna, in modo pugnandi. quid tam necessarium, quam debitus ordo? è ciuitatibus, è legibus, è modo vitæ humanæ, ordine perturbato, atque remoto, nonne omnia pessum iri necesse est? Omnia ergo, & cælestia, & infera constant [*Omnia constant ordine.*] ordine.

MERCVRIVS.

Vtinam tibi daretur, ô fili, facultas, vt alatum adminiculo in sublimem aeris plagam volares, mediamque inter cælum & terram regionem sortitus, conspiceres terræ soliditatem: ô felicissimũ spectaculũ: ô beatissimam visionem.

Commentum XI.

Diuinæ bonitatis, atque sapientiæ notitiam, Tatio transfundere cupiens magnus Mercurius; modis omnibus gestit de tam præclara cognitione ipsum certiorem facere. Hactenus, inquit, tecum disputando, mentem vtcunque tuam, ex multarum rerum dilucidatione, ad Dei bonitatem, sapientiamque moui, atque erexi: sed optarem tibi hoc bonum, vt istis tuis conspiceres oculis, quæ intellectu percepisti: sicque duplici testimonio confirmatus, solers atque sapiens in hoc genere scientiæ euaderes. *Vtinam tibi daretur, ô fili,* vt instar perpetis volucris, alarum remigio suffultus, *in sublimem aeris regionem volares: & in media inter cælum & terram regione constitutus, conspiceres terræ soliditatem:* & cæt. sub nomine soliditatis terræ, vniuersam terræ latitudinem, regiones, ciuitates, oppida, habitationes gentium, populorum mores, fontium vbertatem, fluminum impetum, & quæ sunt generis eiusdem, absque dubio intellexit: de quibus aliquantulum magna cum breuitate, non tamen absque aliqua vtilitate loquendum mihi esse putaui; vt sic lectori (quoad fieri potest) satisfacere possem. Siquidem in quatuor prioribus libris cælestia tractauimus: nunc autem cum [*Terra centrum mundi.*] sapientissimo Mercurio elementaria (diuo fauente Pymandro) nos tractaturos speramus. Inprimis autem adhibere animum nobis necesse est, in his rebus, quæ maiorem afferunt vtilitatem: quæque certiorem habere videntur veritatem. [*1.*] Cæterum lib. 3. dixi, terram esse in medio totius orbis positam. Reuera, si terra non esset in medio sphæræ posita, non æqualiter profecto ab omni parte eiusdem distaret. sequitur enim: æqualiter distat: est ergo in medio, vt scribitur primo elementorum Euclidis. Quod autem sit in medio, sic potest esse manifestum: [*Terra centrum mundi.*] siquidem existentibus in superficie terræ, stellæ apparent eiusdem quantitatis, siue sint in medio cæli, siue iuxta ortum, siue iuxta occasum. Nam si terra propius in vna, quam in altera parte, ad firmamentum accederet, aliquis certe in illa superficiei terræ parte existens, ad firmamentum vicinius appropinquantis cæli vtique medietatem videre non posset: [*a.*] quod proculdubio Ptolemæo, ac omnibus prorsus philosophis minime [*Ptolemæus.*] probatur; dicunt enim sex signa semper videri. sex vero occidi nobis vbicunque existentibus. Sic namque in primo Almagesti capitulo quinto: Non semper, inquit, medietas cæli à nobis videretur, cuius oppositum experientia nos edocet. Auerr. Si, inquit terra esset extra medium; non semper eclypses lunares contingerent luminaribus oppositis: [*2. cæl. c. 103.*] quando scilicet est oppositio solis, & lunæ quod est falsum, & contra sensum. aliter docente Aristotele 2. cæli tex. 99. [*Aristoteles.*] *Partium, inquit, & totius eadem est ad medium vniuersi latio naturalis.* sed partes terræ naturali latione ad medium mundi feruntur: & tota terra ergo similiter se habet. Cum autem idem medium sit terræ, & mundi; grauia ad illud descendunt: non quia terræ medium, sed quatenus est medium vniuersi. contrariorum siquidem, contrarij sunt motus. sed leuia locum superiorem vltimum petunt. & grauia ergo inferiorem, qui est centrum mundi. Accidit autem idem esse medium terræ ac vniuersi, quo fit vt pondera ipsa ferantur ad medium terræ, sed per accidens: quatenus scilicet accidit idem esse medium terræ & mundi. Quia, inquit, commentator, ad eundem locum partes & totum mouentur. At tota terra non ad medium mouetur, quatenus est medium terræ: alioqui alio posset moueri; sed quatenus est medium mundi: igitur & terræ pars eo eodem modo ad mediũ mundi mouebuntur; quatenus mundi, & non terræ medium. [*Grauia ad medium mundi feruntur.*] Ferri autem grauia in terræ medium hinc sciri potest, quod ea pondera quæ in illam feruntur, non lineis pari inter se interuallo distantibus; sed ad pares angulos mouentur. Quare, ad vnum medium terræ vnumquaque feruntur. Quoniam lapides, ait commentator, cadentes super terram ex partibus diuersis cadunt super angulos rectos: & hoc significat, quod omnes intendunt, idem punctum terræ, centrum scilicet, & quod terra sit sphærica, & quod illud centrum sit medium totius. Patet igitur terram necessario in [*Terra est immobilis.*] medio esse, atque immobilem: tum ob eas, quas diximus causas; tum quia ea grauia, quæ vi sursum iaciuntur, ad perpendiculum rursus in eundem locum feruntur: etiamsi in infinitum vis illa iaciat. Ex his igitur perspicuum est, nec moueri terram, nec extra medium locatam esse. Itaque vnumquodque eo modo quiescit, quo mouetur. Sed partes graues natura mouentur ad medium: ibi ergo natura quiescunt. Si ergo quæuis pars terræ à medio ferri non potest, vi non illata; profecto maiore ratione fieri non potest, vt tota moueatur. quo enim pars natura ferri solet; eo etiam & totum. ita si moueri loco, nisi à maiore vi non potest; in media mundi sede stet, & quiescat, necesse est: hinc est, quod paulo ante dixerat Mercurius: *Quis terræ pondus fulsit, ac librat in medio?* [*Mercurius.*] Tres causæ quietis terræ à Themistio assignantur: nempe formalis, finalis, & efficiens. [*Tres causæ quietis.*] Et formalem quidem illius grauitati attribuit; ob suam enim grauitatem in medio mundi collocata, subsistit: finalem, motui orbium: omne quippe, quod mouetur, indiget quiescente: at efficientem, æquedistantiæ, siquidem æquedistantia causa est frigiditatis: frigiditas vero grauitatis grauitas autem quietis in medio. Arguit Auer. Æquedistantia, inquit, non est per se causa quietis; sed per accidens, & secundum quid: causa etiam remota, quia causa grauitatis. Adde, quod æquedistantia non sit principium actiuum, propterea quod sit dimensio. His igitur permotus Auerroes rationibus, affirmat æquedistantiam non esse quietis causam effectricem; sed effectiue conseruantem, quia terra apud ipsum, non est tota genita. Causa præterea grauitatis & quietis non est æquedistantia, quatenus quantitatis; sed potius quatenus est medium motus circularis: quia nimirum causa est, qua à causis cælestibus calorem afferentibus, terra remouetur. [*Obiectio. 1.*] Sed *dicet aliquis:* frigiditas est accidens essentiale elemento: [*8. phys. t. 4.*] consequitur igitur formam elementi, non ergo ab æquedistantia proficiscitur; alioqui partes ignis, quæ sunt contiguæ circumferentiæ aeris, essent aliquantulum graues; ab igne remotæ sunt enim. Amplius, priuationis nihil est causa [*2.*] vt forma. sed quies est priuatio: illius igitur nulla potest esse causa, vt forma. Sana, vna forma non est nisi vnius. sed grauitas est forma terræ: non igitur est forma quietis terræ. Denique, forma & efficiens in idem numero non coincidunt, sed grauitas est causa, agens motum & quietem, [*12. met. c. 36.*]

Terra est rotunda. Solutio.

4. *tomm.* 22. non est ergo forma. *Dico*, grauitatem esse formam quietis, vel motus, bifariam intelligi posse: vno quidem modo pro prima illius perfectione, quæ forma partis nominatur: iuxta quem profecto modum, neutrius forma est appellanda. alio autem modo pro omni intriusseco alicui à quo illud dependet: sicuti medici dicere soliti sunt, calorem esse formam nutritionis, quatenus est quid intrinsecum nutritioni, intrinsece illam efficiens. Itaque hoc modo grauitas diei potest forma, quod est agens proximum & in actu: efficiens vero per excellentiam dicitur de extrinseco, & separato: grauitas ergo non est primo modo forma, sed secundo: sicque coincidit cum agente. Adde, quod grauitas, atque frigiditas, & positiue dici potest, & priuatiue; positiua enim frigiditas, vel grauitas, elementi est proprietas: priuatiua vero ab earum prouenit absentia causarum, quæ secum calorem afferunt. Frigiditas igitur, & grauitas positiue acceptæ, sunt proprietates elementariæ, non autem priuatiue: vnde partes ignis inferæ priuatiue, graues diei possunt, & frigidæ, non autem positiue. Sed de quiete, & loeo terræ satis. Posthac dicemus cum Philosopho terræ figuram esse rotundam: *Figuram*, inquit, *rotundam ipsam habere, necessarium est.* Vnaquæque enim pars pondus habet vsque ad medium: minorque à maiore pulsa, fluitare non potest, siue egredi, sed premi potius: & altera alteri cedere, dum ad medium venerit, hanc enim naturam & vim habet id, quod grauitate præditum est, vt in medium feratur: si autem ex omni parte ab extremis in vnum medium grauia ferantur, similem omni ex parte, vtique necesse est, magnitudinem existere: si enim omni ex parte par & æquale addatur; extremum æque à medio absit, seu distet, necesse est: hæc autem figura rotunda est. Sed *diceret aliquis*, non omnes terræ partes ex æquo ad mediū esse pulsas: nam fieri potest, vt plures ab oriente, q̃ ab occidente, & ab aquilone, quam ab austro: non ergo illa est vera ratio, quæ terræ rotunditatē ostendit. *Dico*, nihil ad rem id interesse, modo maius minusque graue, ad medium tendant minusque à maiore trudatur. Sed esto terra sit rotunda: addatur autem terræ ex aliquo hemisphærio plus ponderis, idem certe medium totius, & terræ non erit: *Dubium* ergo erit, an terra in illo situ quiescet? nam si quiescet, non ergo erit in medio posita: si non quiescit, mouebitur ergo; atque ita terra non erit naturaliter immobilis. *Dico*, terram moueri non secundum se totam, sed quousque medium terræ efficitur medium mundi, hucusque momentum, ac inclinationem habet: quo postquam peruenit, quiescit. hoc autem & partibus congruit. & toti: nihil enim interest, id de gleba, & quauis parte, an de tota terra dicatur: neque enim propter paruitatem, aut magnitudinem euenire id quod accidit, dixi, sed de omni re quæ suapte pondera ad medium mouetur, intellectum volo. Ita, siue tota aliunde feratur, siue eius partes, feratur necesse est semper, dum æque omni ex parte medium teneat, maioribus minores impulsu ponderis engentibus. Porro, compelli aliquid, aut per se, aut per accidens intelligi potest: primo autem modo partes minores à maioribus compelli, nequaquam dicimus; quia suapte feruntur ad medium. Per accidens vero nō negamus: sic enim dicimus bracchium ad motum corporis compelli; quia moto animali, & ipsum mouet necesse est. Itaque, si terræ maius pondus, siue pars adderetur; minorem præiacentem hoc modo compelleret: illa quippe per se ad medium tendente, & minorem quoque ad idem impelleret. Hæc autem ratio terræ est tribuenda, siue terra sit facta, vt nos Christiani confitemur, siue non, vt quidam errando putauerunt, quod scilicet terra sit sphęrica, quia minores partes ad medium à maioribus impelluntur. Amplius, omne corpus, cuius partes ad consimiles angulos feruntur, est sphæricum. sed terra est huiusmodi: omnia enim pondera ad pares angulos feruntur, non paribus inter se disiuncta spatijs, quod in eo solet contingere, cui natura figuram rotundam dedit. Aut igitur rotunda est, aut rotunda suapte natura; vnaquæque enim res talis dicenda est, qualis natura vult esse, & qualis est: non qualis vi, & contra naturam effecta est. Non igitur propter montium altitudinem, atque tumorem, valliumque concauitatem, atque decliuitatem, quæ ex aliquibus causis acciderunt, à terra figuram sphæricam remouere debemus. Est igitur sphærica, tum quia est talis suapte natura, tum quia pro maiori ipsius parte, hanc formam retinet. Omnis autem res, vel semper, vel pro maiori sui parte, in sua dispositione naturali consistere consueuit. Præterea, omne corpus quod vmbram efficit pyramidalem sphæricam, est simpliciter sphæricum. sed terra efficit vmbram pyramidalem sphæricam. est ergo sphærica: planum autem efficit vmbram sphæricam, non tamen ex omni parte posito luminari. at vbicunque sol positus luceat, terræ figura est sphærica pyramidalis. Id quoque ex ijs, quæ sensu animaduertimus, intelligi potest: neque enim lunæ defectiones, tales sectiones haberent: nunc enim in ijs quidem figuris quas singulis mensibus induit, omnes accipit differentias, nam & recta existit, & vtraque ex parte curua, & concaua. In defectibus autem semper quæ distinguit, curuam habet. Ita fit, vt quoniam terræ obiectu, terræ ambitus, figuræ causa fit: Luna autem recta est, quando partialiter est dimidia, circa scilicet 7. vel 21. diem; tunc enim decisio non arcualis, sed recta apparet: amphycirtica autem, siue ex omni parte curua, quando est plena, quod accidit circiter 14. diem: vacua vero, hoc est gibborosa, & tunc est arcualis, quod fit 11. vel 17. die. Quare in menstruis figuris, decisio est omnis generis: menstruæ autem figuræ fiunt propter lunæ ad solem situm diuersum. in defectibus vero, non nisi arcualis cernitur: idq; propter obiectum terræ, cuius vmbra est sphærica. Cum ergo defectum patiatur propter terræ interpositionem; terræ vtique circumferentia, quæ sphærica est, in huiusmodi defectibus causa erit arcualis figuræ. Ex quo cōstat terram esse rotundam. Præterea etiam per stellarum apparentiam patet, non solum rotundam esse, sed mole paruam. cum enim paululum ad meridiem & septentrionem progredimur; perspicue alius nobis orizon circulus fit, vt stellæ quæ sunt super caput nostrum, magnam mutationem ostendant, & non eædem videantur ad vrsam, atque meridiem migrantibus, Quædam enim stellæ in Ægypto, & in Cypro videntur: iis autem quæ ad Aquilonem pertinent, non videntur: & ex stellæ quæ semper in locis aquilonem spectantibus videntur, in illis occidunt. Quapropter non solum ex iis perspicuum est, figuram terræ rotundam esse; sed etiam magnæ sphæræ non esse: non enim tam cito claram & illustrem mutationem faceret ijs, qui tam breui cursu locum mutant. Itaque, ij qui eum locum, qui columnis Herculis finitimus est, coniunctum esse Indiæ, & ita vnum mare esse existimant; non ea afferunt, quę valde incredibilia sint; sed ex Elephantis etiam id intelligi dicunt, quod in vtrisque illis locis, quæ extrema sunt, genus eorum existat, quasi extremis hoc accidat propter eam, quam habent coniunctionem. Auerrues columnas Herculis appellat idola, quorum vnum ait, positum esse in vltimo occidentis Hispanię, quod dicebatur Cadem, vel Indię, quodque se vidisse affirmat: Alterum in oriente, quod ali Hercule in signum victoriæ positum est. Inter has autem columnas mare positum, putatur esse vnum, atque continuum. Plinius *lib. 7. cap.* 11. ait. Elephantes fert Africa vltra Syrticas solitudines: & Mauritania, fert Æthyopes, & Troglodytas: ex quo apparet in extremis locis Elephantes gigni. Mathematici quoque omnes, qui circuitus eius magnitudinem exquirere, & dimetiri conantur, eum quadraginta stadiorum millia patere dicunt. ex quibus si ratiocinemur; non solum rotunda moles terræ necessario erit; sed etiam non magna, si cum astrorum magnitudine conferatur. Verum hæc ad amussim speculari nostrę intentionis non est, cum grandis adhuc nobis restet via. Dicamus igitur aliquid de partibus terræ habitabilis: quæ, vt communis est omnium propemodum sententia, in tres partes diuiditur, in Europam scilicet, Africam. & Asiam. Quoniam autem in Europa est sedes Christi domini nostri, Romæ scilicet; ab ea exordium mihi esse accipiendum putaui: & à partibus ipsius occiduis ad orientem pergendo, idque (quoad fieri potest) breuiter, & vtiliter, curiositatem omnem dimitrendo. Assit igitur nobis fauor, & lumen Diui Pymandri, qui facit mirabilia solus.

Grauitas quomodo est forma. — *2. cal. t. 104. Terra est rotunda.* — *Causa rotunditatis.* — *Quomodo terra moueatur.* — *Compelli maiores à minoribus.* — *Alia ratio.* — *Quomodo rotunda si habeat tot montes.* — *Ratione mathematica.* — De Europa. — *Luna recta. Amphycirtica. Vacua.* — *Ex stellarū apparentia.* — *Terra est parua.* — *Columnæ Herculis.* — *Elephātes.* — *Magnitudo terræ quanta.*

DE EVROPA.

Europa vnde dicta sit.

De Europa altrice victoris omnium gentium populi, longeq; terrarum pulcherrima primum verba faciamus: quæ, vt fabulantur Poetæ, ab Europa Agenoris Phœnicum regis filia, nomen accepit, quam Iuppiter in bouem transformatus adduxit in Cretam. Hæc, authore Plinio, Pomponio Mela, Strabone, alijsque Cosmographis, ab ortu clauditur Tanai fluuio: qui & Silis & Dion à barbaris hodie dicitur. Huius fontes sunt in Riphæis montibus: atque duobus ostijs euoluitur in Mæotidem. Habet præterea ab ortu paludem Mæoticam, Bosphorum Cimerium, Pontum Euxinum, Bosphorum Tracium, Propontidem, Hellespontum, & Mare Ægæum. Ab occasu terminatur Oceano occidentali: à septentrione Oceano

lib. 3. c. 1. — *Tanais fluuius.*

De Laudibus Italiæ. Situs Europæ.

ceano septentrionali: à meridie mare nostrum habet, & fretum, quod nostris temporibus strictum Sibiliæ appellatur. Terra est multiformis, & ad virorum virtutem ingeoue disposita; est enim propemodum tota habitabilis exigua duntaxat parte excepta, quæ propter frigoris violentiam inhabitabilis redditur: & hæc finitima est Tanaidis & Meotidis incolis, Borysthenensibusque in curribus degentibus. Habitabilis autem regionis id quod algidum est, & montanum laboriose habitatur. Hæc est terrarum pulcherrima: diues opum: studiisq; asperrima belli. naturalemque temperiem afferens ad præclara hominum ingenia fouenda: ex quibus & artes diuersæ, & scientiæ manarunt. habet fructus optimos, vitæque necessarios: & metalla quæcunque vsui sunt: bestiarum quoque ferarumque habet raritatem: fontium amœnitatem: fluminum ac marium pulchritudinem: inde omnigeram natatiliū siue piscium abūdantiam. Sed de his satis. Et ab Italia primum exordiamur.

DE ITALIA.

Italia nomen. Hesperia.

ITalia mundi domina: terra omnium pulcherrima: Christi domini sedes: Catholicæ fidei immobila fundamentū: sanctorum requies, & sepulchrum: Europæ pars nobilissima, prius Hesperia ab Hespero Atlaotis fratre, qui à fratre pulsus, Hispaniæ atque Italiæ nomeo dedisse putatur. Macrobius vero dicit, ab Hespero stella sic appellatam, quod occasui subiecta sit. Oenotria quoque appellata à bonitate vini, quod in ea nascitur; nam Græci οἶνον, vinum dicunt: vel ab Oenotrio Sabinorum Rege: Virg. Æne. 1. *Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt: Terra antiqua potens armis atque vbere glebæ Oenotrij coluere viri: nunc fama minores Dixisse, ducis de nomine gentem.* Ab Italo vtique Siculorum Rege, qui agriculturam Italos docuit, legesque condidit: atque eam partem, in qua postea Turnus regnauit, à suo nomine Italiam appellauit. Timæus & Varro à bobus Italiam nomen accepisse arbitrati sunt; tauri enim veteri Græca lingua Itali vocabantur: à quorum multitudine pulchritudioeque Italiam vocauere. Latium autem, & Ausonia, non totius Italiæ, sed quarundam illius partium nomina sunt. Latium enim est pars Italiæ, quæ citeriori Tyberis ripæ adiacet: vbi hodie est Roma: Ausonia vero dicta fuit Italiæ regio ad mare Tyrrhenum porrecta. In ea parte sunt Beneuentum, Terracina ab Ausone Vlyssis, & Calypsus filio, qui illic regnauit dicta: inde mare Ausonium, quod est pars Ionij, Brutiam allint, & à Tarento iocipit. Est autem Italia omnis in formam cruris inter Adriaticum & Tuscum mare, à iugis Alpium dorsoque Apennini porrecta se paulatim attollens vsque ad fretum Siculum. In vltimo sui scinditur in duo cornua: quorum alterum Ionium spectat mare: alterum Siculum, in extremitate Rhegium oppidum habens: eius longitudo ab Augusta prætoria, quæ in Alpino fine sita est, per Romam Capuamque porrigitur, vsque ad oppidum Rhegium, Solioo teste, decies centena & vigioti millia passuum continet: latitudo vero quadringenta decem, vbi maior latitudo: vbi vero minor, centum triginta sex: habet vmbilicum in agro Reatino. De laudibus autem Italiæ mirifice cecinit magnus ille Poeta 2. Geor.

Oenotria. Virgilius. De laudibus Italiæ. Italus Rex. Latium. Ausonia. Forma Italiæ. Longitudo Italiæ. Latitudo. Medium Italiæ.

Laudes Italiæ à Virgilio describuntur in secundo libro Georgicorum.

Ganges Indiæ fluuius, per quem prouincia significatur. Panchaia, Arabiæ regio est.

Masicus mons Campaniæ, optimi vini ferax. Clitumnus est fluuius, qui oritur ex fontibus oppiduli, qui nunc Bisignanus vocatur: in valle Spoletana, de quo dicit Plinius, quod animalia, quæ eum potabant, albos fœtus pariebant. Aqua est limpidissima.

Larius lacus.
Benacus lacus.
Portus Lucrinus, & Auernus.

In Baiano Companiæ contra Poteolum ciuitatam duo lacus sunt, Auernus & Locrinus, qui olim propter copiam piscium, vectigalia magna præstabant. Sed cum maris impetus plerunque irrumpens exinde pisces excluderet, & redemptores grauia damna paterentur, supplicauerunt senatui: & profectus C. Iulius Cæsar ducta brachiis exclusit partem maris, quæ erat in festa, & reliquit breue spatium per Auernum, qua & piscium copia possit intrare, & fluctus non essent molesti. Quod opus Iulii dictum est. ambitiose autem dixit vndam Iuliam.

Volsci. Saturnia.

Sed neq; Medorum sylua ditissima terra,
Nec pulcher Ganges, atq; auro turbidus Hermus
Laudibus Italiæ certent: non Bactra, neq; Inde
Totaq; turiferis Panchaia pinguis arenis.
Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem
Inuertere, satis immanis dentibus Hydri.
Nec galeis densisq; virum seges horruit hastis.
Sed grauidæ fruges & Bacchi Masicus humor.
Impleuere, tenent, Oleæq; armentaq; læta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert.
Hinc albi Clitumne greges, & maxima Taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa Deum duxere triumphos.
Hic ver assiduum, atq; alienis mensibus æstas
Bis grauidæ pecudes, bis pomis vtilis arbos:
At rabidæ Tigres absunt, & sæua leonum
Semina. nec miseros fallunt Aconita legentes.
Nec rapit immensos orbes per humum, neq; tanto,
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias vrbes, operumq; laborem.
Tot congesta manu præruptis oppida saxis
Fluminaq; antiquos subterlabentia muros.
An mare quod supra memorem? quodq; alluit infra?
An ne lacus tantos? Te Lari maximeq; teq;
Fluctibus, & fremitu assurgens Benace marino?
An memorem portus? Lucrinoq; addita claustra?
Atq; indignatum magnis stridoribus æquor?
Iulia qua Ponto longe sonat vnda refuso.
Tyrrhenusq; fretis immittitur æstus auernis.
Hæc eadem argenti riuos, æraq; metalla
Ostendit venis, auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virum Marsos, pubemq; Sabellam,
Assuetumq; malo Ligurem, Volscosq; verutos.
Extulit hæc Decios, Marios, magnosq; Camillos.
Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar,
Qui nunc extremis Asiæ iam victor in oris
Imbellem auertis Romanis arcibus Indum.
Salue magna parens frugum saturnia tellus.

Hermus Lydiæ fluuius arenas aureas trahens. Bactra regio iuxta Assyrios, ciuitas est Indię, in plerisque locis aurum eruitur. Hydri, serpentis, cuius dentes immanes sunt.

Alieois mens. i, quando alibi hyems in Italia pene æstas esse videtur. Aconita sunt venenorum genera, quæ fere in petris nascuntur Scythiæ, iuxta Mæotidem paludem. Spiram, collectionem volubilitatis, reuolutionem, præruptis, excelsis, & magnis. Mare superum s. Adriaticum, & inferum Tyrrhenum videlicet Marsi velocitate pedum plurimum valebant, & à serpentibus erant illæsi. Alba finitima est Marsis, in excelso loco. Sabelli à colle Samnio dicti sunt. Nunc Aprutii appellantur inter Picenum, Campaniam, & Apuliam. Ligures inter Galliam atque Hetruriam vicatim vitam agunt, terram arantes asperrimam. venationibus quotidie vacāt, captisque feris fructuum inopiam tuentur. Feroces sunt, & acuti ingenij, non solum in bello, sed in communi vita. Verutum est telum breue, quo vtebaotur Volsci. Volsci populi olim, vbi Terracina vrbs, & Asturia oppidum, olim ciuitas, Circeusque mons prope Campaniam. Italia dicitur Saturnia tellus, quia Saturnus in ea regoauit, quaodo erat aureum seculum.

Marsi. Brutij. Ligures.

Itaque

De laudibus Italiæ. *Italiæ epitheta.*

Itaque Italia est metallis grauida: vbique vitalis & perennis salubritas: eximia cœli temperies: campi fertiles: aprici colles: innoxij saltus: opaca nemora: munifica syluarum genera: mira vitium, frugum, & oleatum fertilitas: nobilia pecori vellera: opima tauris colla: perspicui, & piscosi lacus: flumina fontesque saluberrimi: portus plurimi tutissimi atque delectabiles: maria pulchra, & vtilia: ita vt nulla regio laudibus Italiæ certauerit. Demque, si bonum omnia appetunt, vniuersas vero orbis nationes Italiam appetiuisse, in eamque veluti in omnium terrarum matrem confugisse, constat satis: est igitur omnium terrarum gremium, alumna atque regina. Nam & Gallis & Hispanis perpetuum studium fuisse, atque esse scimus arua Italica attingendi possidendique: ita vt reliquas terras Italiæ comparare non audeant. Germani, omnesque nationes sub Aquilone degentes à condito orbe, Italicam amœnitatem, vbertatem studiose quæsiuere. Troiam admonentur, vt antiquam exquirerent matrem. Sed quid his immoror? Nonne hæc est illa terra benedicta, & optima, de qua loquitur *Psal.15. funes mihi ceciderunt in præclaris*? Cum, inquit, pater meus diuideret orbem, portionem mihi dedit in optimis, in optima terrarum: hæreditas autem domini est ecclesia Romana, omnium ecclesiarum matrix, vt paulo ante demonstraui.

Psal.15. Funes ceciderunt in præclaris.

Etenim hæreditas mea optima est mihi, Græce κρατίστη, hoc est, non optimam tantum appellat sed fortissimam atque potentissimam. Pro hac autem hereditate Christi tuenda conseruandaque Paulus & Petrus duo lumina mundi, non in alia orbis parte, quam Romæ sanguine profuso martyrij certamen subire voluerunt; vt locum hereditatis domini ostenderent, pariter & consecrarent. Ad eum locum sacra aliorum pignora Apostolorum aduecta sunt, Christi domini, eiusque sanctissimæ matris sacræ reliquiæ deportatæ: Martyrum sanguis hoc protestatur, quo tota propemodum Romana, imo Italica tellus conspersa madet. Sanctorum omnium desiderium fuit intensum Italiam visendi, in eaque, veluti in domini portione quiescendi. Itaque, quamuis Romana respublica multis aucta victoriis, ius sui imperii terra marique protulerit; minus tamen est, quod illi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subiecit. Per Petrum & Paulum, ad hanc gloriam vrbs Romana, & tota denique Italia prouecta est; vt gens sancta nominetur, populus electus, ciuitas sacerdotalis & regia: per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta; latius præsidens religione diuina, quam dominatione terrena. Diuinæ namque prouidentiæ maxime congruebat, vt multa regna vno confœderarentur imperio: & cito peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis, quæ quidem quanto erat per diabolum tenacius illigata; tanto per Christum est mirabilius absoluta. Nam cum duodecim Apostoli, accepta per spiritum sanctum omnium locutione linguarum imbuendum Euangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus suscepissent; beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperii; vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.

Leo Papa in festo apostolorum Petri & Pauli.

Sedes Christi Roma.

Certatim itaque hanc paruam mundi partem omnes plane hominum nationes solicite exquisierunt, in eaque aliquo opere extructo, sui nominis memoriam posteris reliquerunt. Nam quis ignorat, inquit Solinus loquens de antiquitate Italiæ, dictam, vel conditam à Iano Ianiculum, à Saturno Saturniam, siue Latium; à Danae Ardeam, à Comitibus Herculis Policlem; à Iasone templum Iunonis Argiuæ, à Pelopidis Pisas; Tyrrhenos à Tyrrheno Lydiæ rege: Argilam à Pelasgis, qui primi in Latium litteras intulerunt. In Brutiis ab Vlysse extructum est templum Mineruæ; Parthenope à Parthenope vna Syrenum, quæ pro dolore, quod prætereuntem Vlyssem cum sociis canto non deceperint, in mare se præcipitarunt. vna hæc in eum delata est locum, vbi postea condita fuit Neapolis, præclara vrbs Campaniæ, quæ ab eius nomine etiam Parthenope est appellata, hodie Neapolis cuius Ciues, teste Lycophronte, olim quotannis ad tumulum Parthenopes faces afferebant. Aiunt ergo vrbem à iuuentute Cumana conditam: qui cum in eo loco Parthenopes corpus in veteri monumento conditum reperissent, nomen eius vrbi indidere. Sed postquam loci vbertate atque amœnitate, maiorem in modum frequentari ciuitas cœpit; veriti ne Cumæ desererentur, diruendi Parthenopem consilium iniuere: Quo facto, mox immani pestilentia vexati, oraculo moniti sunt, vt vrbem restituerent. Itaque subito instauratam, Neapolim, hoc est, nouam vrbem vocauere; Præneste, vt Zenodius refert, à Præneste Vlyssis nepote, Latini filio aut, vt Prænestini sonant libri, à Ceculo, quẽ iuxta ignes fortuitos inuenerunt, vt fama est, Digidiorum sorores. Notum est à Philoctete Petiliam conditam. Arpos & Beneuentum à Diomede. Patauium ab Anthenore. Methapontum à Pilhis: Scillacium ab Atheniensibus; Sibarim à Trizenis, & à Sagaris Aiacis Locri filio: Salentinos à Licio; Anconam à Siculis: A Misceo Achæo Crotonam: Rhegium à Calcidensibus à Naritiis Locros; Liciano placet, à Mesappo Græco Mesapiæ datam originem, versam postea in nomen Calabriæ, quam in exordio Oenotri frater Peucetius Peucetiam nominauerat. Par sententia est inter authores à gubernatore Æneæ appellatum Palinurum, à tubicine Miseno, Misenum; à nutrice Caieta, Caietam ab vxore Lauinia, Lauinium, quod post Troiæ excidium 4. anno Cussonio authore, extructum est. Æstate ab Ilio capto secunda Italicis littoribus Æneas appulsus, in agro Laurenti castra posuisse scribitur. vbi dum simulacrum, quod secum ex Sicilia aduexerat, dedicat Veneri matri, quæ Aphroditis dicitur; à Diomede Palladium suscipit, tribusque mox annis cum Latino regnat, socia potestate quingentis Liguribus ab eo acceptis: quo defuncto summam biennio adeptus est. Deinde constitutæ sunt ab Ascanio Longa Alba, Fidenæ, Antium, Nola à Tyriis: ab Euboensibus Cumæ: ibidem Sibyllæ sacellum est, eius quæ rebus Romanis quinquagesima olympiade interfuit: cuius librum ad Cornelium vsque Pontificem consulebant: tunc enim vna cum Capitolio igni absumptus est. Nam priores duos, Tarquinio superbo paruum pretium offerente quam postulabat, ipsa exusserat. Fuit ergo, atque est Italia velut gremium omnium gentium, terrarum omnium alumna, atque eadem parens, cælesti peculiarique prouidentia electa, vt sit mater orbis terrarum.

Quipprimi in Italiam literas intulerunt. *Neapolis.* *Præneste.* *De Situ Italiæ.* *Philoctete.* *Patauium.* *Beneuentum.* *Scillacium.* *Crotona.* *Rhegium.* *Locros.* *Calabria.* *Nola.* *Cumæ.* *Sibylla Cumana.*

De situ Italiæ.

ITaliæ situs talis ab antiquis scribebatur: ex vtroque latere mari supero, inferoque cingitur, Adriatico videlicet & Tyrrheno: ab occasu ex parte vna, Rubicone vetusto Italiæ limite nam fuit tempus, quo Cisalpina Gallia inter Italiæ regiones non numerabatur. ex altera parte Varo & mari Ligustico, quod à Varo ad lunam Hetruriæ vrbem excurrit: inde Tyrrhenum, quod ad Siculum fretum vsque protenditur, vna cum Siculo est ei à meridie, ab ortu eam allatrat Ionium, quod est inter Corcyram nigram, & Calabriam: Apenninus mons eam mediam secans perpetuis iugis ab Alpibus ad Siculum fretum, & Garganum montem vsque porrigitur: & vtraque perpetuo discriminat æquora tractu: post in meridiem vergens, ad Leucopetram finitur. Diuiditur autem Italia in Liguriam, Hetruriã, Latium, Campaniam, Locaniã, Calabriam, Apuliam, Samnium siue Aprutium, Picenum, Vmbriã, nunc ducatum Spoletanum. Quia vero de Liguria locuti sumus; dicamus deinceps de Hetruria. Est autem Hetruria Italiæ regio, ad primam vsque Tyberis ripam protensa: Macra fluuio à Liguria discreta. Hetrusci dicti eius regionis incolæ, olim Tusci appellati, auspiciorum & augurioram peritissimi. Dicta Hetruria ἀπὸ τοῦ ἑτέρου, eo quod extendebatur ad alteram ripam Tiberis: qui est terminus inter Latium & Hetruriam. Tuscia regio Italiæ celebris, à sacrificiis, vt quidam arbitrantur, dicta: Græce enim θύειν, sacrificare dicunt: vel à ture, quo maxime in sacrificiis vtuntur: vel à Tusculo Herculis filio. Hæc & Tyrrhenia dicta fuit, à Thyrrheno Atys filio: qui è Mæonia discedens, in Italiam venit: & eam partem occupauit, quæ ad mare sita est: quod & Tyrrhenum dicitur. Hæc à Liguribus Romanisque finibus contingitur: iugis inaccessis, & difficilibus referta. Eius fines Macra, & Tyberis amnes, centum & septuaginta quatuor millia inter se distantes: longior est quam latior. Strabo lib. 5. Tusci campus vsque amnem Tyberim possident ait, quos ad solis ortum maxime fluuius alluit, donec pelagus intret. Parte autem ex altera Tyrrheno atque Sardonico mari sunt contines: ex Apenninis montibus (qui hodie mons Aluernæ vocatur: in quo sanctus Franciscus sacra stigmata à Christo domino accepit: & ibi egregium est Franciscanæ familiæ habitaculum, & miræ deuotionis locus) Tyberis effluit, atque pluribus augetur amnibus, partimque per ipsam Hetruriam, deinceps autem ipsam disterminans: primum quidẽ ab ea diuidit Vmbriã: postea Sabinos & Latinos, Romæ ad littus vsque finitimos. Toscorũ finis sub ipsis est mõtibus, qui ex Liguria in Adriaticum sinum eos quasi versum includunt: à proprio autem mari capiunt initium, atque Tyberi. Romani Tyrrhenos Hetruscos appellant atque Tuscos, Græci vero hoc eos nomine nominarunt à Tyrrheno Atyos filio, qui ex Lydia colonos hanc in regionem (sicut traditur) dimisit: Atys enim ex

Situs Italiæ. *Prouincia Italiæ.* *Hetruria. Tuscia.* *Fines Tusciæ.* *Strabo.* *Tyberis.* *Mons Aluerna.* *Tyrrheni.* *Atys.*

prognatis

De Roma.

prognatis Herculis, & Omphales vnus, cum sterilitate ac fame populum emittere cogeretur; è duobus filiis sorte iacta, Lydum quidem regni successorem tenuit: Tyrrheno autem maiorem applicans populum, foras abire iussit. Hanc ille tandem ingressus oram, de suo vocauit nomine Tyrrheniam.

Tarcon.

Cumque ædificandis vrbibus, Tarcontem præfecisset, à quo Tarquinij cognomen accepit, ciuitates duodecim condidit. hunc ab ineunte ætate indolis gratia, canescentem fuisse fabulantur, tanta tum in eo efflorescebat sapientia. Ea igitur tempestate cum vno subduce instructi essent, magna ipsarum erat potentia. Postremis inde temporibus concordi illo regendi statu dissoluto, finitimorum viribus cesserunt. vnde agrorum beatitudine omissa, maritimas latrocinando artes inuaserunt; & longinquas expeditiones factitare ausi sunt. Post vrbem Romam conditam, Demaratus aduentat: frequentem è Corintho adducens populum, qui à Tarquiniensibus acceptus, ex indigena vxore Lucumonem procreat.

Lucumonem.

Is dehinc Anco Marco regi Romano amicitia deuinctus, adeptus est Imperium, & mutato nomine L. Tarquinius Priscus vocatus est.

Laus Tuscorum.

Hic igitur & pater, prius Tusciam magnis insignijere ornamentis: ille quidē artificum facultate & copia; hic autem præstitis à Romana ciuitate opportunitatibus. Namque memoriæ proditum est, vt triumphalia, insigniaque consularia, & simpliciter magistratuum decora in Romanam vrbem à Tarquinijs translata sunt: & virgæ, & secures, & tubæ, & sacrorum faciendorum ritus, vt auguria, & Musica, quam Romani ad Respublicas vsurpent.

Tarquinius superbus

Huius filius Tarquinius secundus extitit cognomento Superbus: qui regum extremus, eiectus est è regno.

Clusij Rex. Porsena

Et quem Clusij Porsena, ea Tusca erat ciuitas, armis reducere conatus est. Quod vbi efficere fas non fuit, pace facta, in amicitiam populi Romani, summis receptis honoribus, donisque magnificentissimis, abscessit. Hæc quidem de Tuscorum claritate. Vrbes nostris temporibus in Hetruria, Tuscia, siue Tyrrhenia capite sequenti præclarissimæ describentur.

De vrbe Romana.

CVm iam de aliquot Hetruriæ vrbibus sermo breuis defluxerit, liceat de inclyta Roma orbis domina verba facere: idque secundum probatissimos huius rei scriptores.

Strabo.

Strabo *lib.* 5. Romanorum originem ita descripsit: Æneam, inquit, vna cum Anchise patre, & Ascanio filio Laurentum applicuisse, memoriæ proditū est, ad littus prope Ostiā ac Tyberim, paulū à mari supra, circiter quatuor & 20. stadia oppidulum ædificasse:

Æneæ aduentus.

aduentantem deinde Latinum regem Aboriginum, qui tunc loca, vbi nunc Roma est, incolebant, cum Ænea societatem inisse aduersus finitimos Rutilos, qui Ardeam per id temporis tenebant.

Rutili Ardea.

Vrbs in Latio à feruore regionis, sic dicta, quæ decem & octo miliaria ab vrbe est posita. Mart: *Ardea solstitio Pæstanaque rura petantur: Quique Cleonæo sydere feruet ager.* Dicta quoque est Ardea à Danae Persei matre, vel à Dauno Pilumni filio, qui eam condidit, vt quidam existimant. Distat autem ab Ardea Roma 100. & 60. stadiis. Victor vero à Lauinia filia, proxime vrbem cognomine ædificauit. Denuo conserentibus pugnam Rutilis, Latinus cecidit. at Æneas, re feliciter gesta imperium adeptus, suos etiam Latinos appellauit.

Latini.

hoc etiam & genitore humanis ex rebus excedente, Ascanius in Albano monte, qui quantum & Ardea tantum distat à Roma, Albam posuit, quæ, vt Liuius scribit, à situ porrectæ in dorso vrbis, Alba longa vocata est.

Ascanius. Mons Albanus. Alba.

Vulgatior fama est ab omine porcæ ibidem inuentæ, dum à Troia cum patre profugus venisset. Post autem ann. 400. Amulij ac fratris Numitoris facta memoriæ mandata sunt, partim fabulose, partim propius fidem. Ambo enim ab Ascanij prognatis per successionem Albæ regnum acceperunt, quod vsque ad Tyberim dilatatum erat.

Amulius. Numitor.

Cæterum iunior Amulius natu, maiore supplantato, Regnum inuaserat. Verum cum Numitori filius adesset, ac filia; filium quidem inter venandum insidiis obtruncat: filiam vero, vt spem prolis interciperet, Vestæ sacerdotem constituit, seruandæ virginitatis gratia: eam Rheam Syluiam vocitant. Corruptam postea deprehendens, gemellis partu editis, Syluiam quidem coniecit in carcerem, fratri gratiam tribuens pueros vero ritu patrio exposuit in Tyberim: quos Marte genitos fabulantur.

Sylvia.

Ii cum à lupa catulorum instar lactari inspectarentur, Faustulus loci illius subulcus, sublatos enutriuit infantes.

Filij Syluiæ.

Coniectari licet subditum quendam Amulio locupletem, acceptos educasse; & alterum quidem Romulum, alterum autem Remum nominasse. Hi ergo cum adoleuissent, impetu in Amulium facto, cum stirpemque eius deleuerūt. Quibus extinctis & restituto in regno Numitore, domum reuersi, Romam condiderunt: & in locis non quidem arbitrio delectis, & idoneis, sed necessitate oblatis: solum enim neque munitum, neque agrum circumadiacentem alendæ ciuitatis satis fertilem habet.

De Roma.

Lupa lactabat pueros.

Orta autem inter eos seditione, inter ædificanda mœnia, Remum occisum fuisse, traditur. Plutarchus in Romulo fundamenta vrbis Romæ, à Romulo, & à Remo iacta scribit. anno tertio sextæ olympiadis, quo die fuit lunæ defectus.

Romulus. Remus.

Dionysius & Eusebius primo anno septimæ olympiadis conditam volunt: post dirutum Ilium, anno 432. Solinus 7. olympiade conditam esse affirmat. Idem etiam author de vrbis Romæ vocabulo multa scripsit: Sunt, inquit, qui videri velint, vrbi Romæ ab Euandro primum nomen datum, cum oppidum ibi offendisset, quod extructum antea, Valentiam dixerat iuuentus Latina. seruataque significatione impositi prius nominis, Romam nuncupauit. siquidē Græce [illegible], robur significat.

Roma quando condita est.

Hier. contra Iouinianum. *Roma fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos.*

Romæ quid significet.

Heraclidi placet. Troia capta, quosdam ex Achiuis in ea loca, vbi nunc Roma est, deuenisse per Tyberim: deinde, suadente nobilissima captiuarum, cui Rome nomen erat, incensis nauibus, posuisse sedes, & structo oppido Romen ab ea vocasse.

Romen.

Agatocles scribit Romam non captiuam, sed Ascanio natam, Æneæ neptem, appellationis istius causam fuisse. Et hæc quidem de ratione nominis, & originis. Quarto mense ab vrbe condita Circenses ludos primus Romæ fecit Romulus, vt scribit Fabius pictor, quo die Sabinas rapuit. Circenses dicti, quod ensibus circumdarentur, nam cum rudis vetustas loca huiusmodi ludis apta nequaquam ædificasset; inter enses & flumina eos agebant, vt ignauis vtrinque præsens esset periculum.

Ludi Circenses

Postea Tarquinio prisco rege, locus est designatus Circo, qui postmodum Maximus est dictus.

Romanorum reges.

Regnauit autem Romulus annos septem & triginta. Tatius anno quinto, septima & vigesima olympiade a Laurentibus interemptus est. Numa regnauit annis tribus & quadraginta: sepultus sub Ianiculo. Tullius Hostilius annos duos & triginta regnauit in Velia obijt olympiade quinta & trigesima. Ancus Martius, in summa sacra via vbi ædes Larium est, regnauit años quatuor & viginti obijt olympiade prima & quadragesima. Tarquinius priscus, annos octo & triginta. Seruius Tullius annos duos & quadraginta. Tarquinius Superbus annis quinque & viginti. Incipiente igitur olympiade septima, Roma condita est, anno post Ilium captum quadringentesimo tertio. Certamen siquidem olympicum, quod Hercules in honorem atatui materni Pelopis ediderat intermissum, Iphitus Elæus filius eius instaurauit, post excidium Troiæ anno quadringentesimo octauo. Ab Iphito ergo numeratur olympias prima: ita sex medijs olympiadibus interiectis, olympiade septima, Roma condita est.

Olympias prima.

Olympias autem est quinque annorum spatium, quod à Romanis lustrum dicitur. Hæc sint dicta de Romæ vrbis constructione. Deinceps dicendum nobis erit de moribus ac dignitatibus Italiæ, Romanorum maxime. Triplex erat in vrbis hominibus conditio: seruilis scilicet, libertina, & ingenua.

Ciuium triplex conditio.

Ingenuorum triplex ordo: plebeius, equester, & patricius.

Ingenui.

Sacrorum ratio penes pontifices & flamines. summus honor, & potestas in dictatore, à quo nulla fuit appellatio.

Dictator.

Ea dignitas semestris fuit: & ad eam per gradus fiebat a quæstura accessus, per ædilitatem, præturam, consulatum & censuram: non quod per hus semper gradus iretur; sed in dignitate potestateque huiusmodi ordo erat præscriptus. Siquidem in rei militaris negotio, miles Centurioni parebat. Centurio vero Tribuno, Tribunus Legato, Legatus Consuli seu alteri, cuius esset auspicia, Magister equitū Dictatori.

Militiæ gradus.

Militaris ætas ex Seruij Tullij præscripto à septemdecimo anno in octauum & quadragesimū decurrebat. Pacati in toga agebant: bellantes in sago, & paludamento. Est autem paludamentum chlamys imperatoria, id est, eorū qui exercitus educebāt quale illud est, quod hodie Cottā armorū vocamus.

Paludamentum.

Liu. *lib.* 1. ab vrbe, paludamētū posuit pro veste milliari, ēt eius, q nō esset imperator: bella feciali iure inferebantur, illataq; soluebātur, nō nisi legitime. Ciuitates autē sociæ, aut coloniæ, aut municipia dicebantur. Coloni vt mēbrū ciuitatis erāt, & Romanis viuebāt legibus: municipes vero suis. In his Decuriones, q Romæ senatores.

Municipes. Coloni. Decuriones.

Purpura patriciū distinguebat ordinē ab equestri: aurū equestres à plebeio Maiestatis iudicia totius populi erāt. rerū capitaliū, iudiciū, q ad id forte lecti essēt, ex ea decuria, q̃ eo anno iudicaret: ciuiliū rerū, prætoris centum viralis hastæ

Patricij. Equestres. Pleb[illegible]

De Roma.

hastæ illiaq; aliorum hunc morem à Romulo reliqua Italia accep t. Romulus namque iactis fundamentis Romæ vrbis absolutisq; omnibus, quæ ad illius munitionem necessaria erant, ad ciuium statum ordinandum disponendumq; se conuertit. Diuisa itaque inprimis trifariam omnis populi multitudine, singulis quibusque partibus clarissimos duces præfecit singulos: deinde trium rursus earum partium vnamquamq; diuidens in denas partes æquales, illis quoq; duces præfecit fortissimos: vocauitque partes maiores tribus, minores vero curias: homines autē tribuum ducatus habentes, tribunos: curijs vero præsidentes, curiones. In decurias quippe curias diuisit. earumq; duces, decuriones appellauit. *Tribuni. Curiones. Decuriones.* Omnibus igitur in tribus, & curias diuisis: agrum quoque in triginta partes diuidens, suam cuique curiæ partem tribuit: tantum ipse agri accipiens, quantum quidem ad sacrificium, templaque satis esset: partem quoque agri publicam relinquens. *Agri diuisio.* Illustres insuper genere, & spectatæ virtutis viros, & quibus erant filij, ab ignobilibus discreuit, humilibus, & egenis: vocauitque tenuioris fortunæ homines, plebeios: qui vero melioris erāt cōditionis, patres: proinde ab illis progeniti, patricij appellabātur. *Plebei. Patres. Patricij.* statuitq; quid vtrosque agere opus esset: sacra quidē patricios perficere iussit: Magistratus gerere, ius dicere: ac secū quoq; publica administrare: denique vrbanis negotijs incumbere. *Patriciorum officium.* Plebeios autem his muneribus absolutos, cum inexperti essent, & ob inopiam negotiosi: agricolari simul, & pascere pecora voluit quæstuariasque exercere artes. *Officia plebeiorum.* Ne vero dissiderent ab inuicem, patricijs plebeios commendauit: ac vnumquemque permisit, quem vellet sibi patronum deligere: patronatum vocans, susceptum pauperum humiliumque patrocinium. *Patronus. Patronatus.* Itaque, vtrisque commoda distribuit officia: beneuolas ciuilesque coniunctiones disposuit; vt illi clientes tuerentur, tanquam patres suos filios. clientes vero è conuerso suis essent patronis obsequiosi atque ita mutua concordia animorum, vrbis pacificum cunuictum conseruarent. *Clientes.* Consiliarios post hæc instituit: centum viros ex patricijs eligens. fecitque delectum eorum hoc modo: Ipse vnum ex omnibus optimum designauit, cui committenda essent vrbana negotia, cum ipse exercitum extra fines duceret: vnicuique tribuum edixit, vt tres viros ex se deligeret, qui ætate & generis splendore, sensuque excellerent post hos autem nouem viros: curijs etiam singulis imperauit tres maxime idoneos ex patricijs eligere. *Centum viri consiliarij.* Hoc ergo modo centum consiliariorum numerum expleuit: & à Romanis Senatus est appellatus, qui ob authoritatem patres, ob ætatem Senatores dicti sunt. *Senatus. Senatores. Patres.* Deinde trecentos viros ex generosissimis familijs eligens, robustissimis corporibus, quos curiæ renunciarunt, eodem modo, quo ante Senatores, singulæ denos iuuenes, eos semper circum se Romulus habuit. Nomen commune omnes habebant: celeres vocati, ab exequendi ministerii celeritate: custodes regis erant. *Celeres. Regis officium.* Regis autem hæc officia: Primum quidem templorum sacrificiorumque principatum tenere. agereque eum omnia, quæ ad deorum honorem cultumque spectarent. Deinde, legum morisque patrij custodem ipsum fieri, iurisque simul omnis Senatum cogere populum conuocare potestatemque sibi in bello imperatoriam esse. Senatorio ordini honorem & potestatem talem attribuit: omni de re, de qua referret regno, cognoscere, ac suffragium ferre: & quod visum maiori parti esset, id vincere. *Senatus dignitas. Plebis potestas.* Plebi deinde tria hæc dedit: Magistratus creare. leges sciscere: & de bello decernere, cum Rex vellet: neque tamen potestatem horum absolutam, nisi & Senatus approbasset. Ferebat populus suffragium, non quidem viritim, sed per curias conuocatus: & quod pluribus visum esset curiis, ad Senatum referebatur. *Suffragandi ritus.* Ex hac autem Romuli diuisione non ciuilia solum negotia; sed bellica quoque Celeres illi exequebantur. *Celerum officia.* Quandocunque enim ei visum fuisset exercitum educere, non opus erat tribunos tunc per tribus, nec per curias centuriones, neque præfectos equitum creari; sed Rex tribunis iubebat, illique curionibus, à quibus deinde decuriones edocti, statutos sibi quisque milites educebat: vna enim decentet instructi aderant. Mille etiam pugnatores elegit, quos ob numerum milites nominauit. *Mille pugnatores. Milites.* Tum ipse se imperij insignibus & cætero habitu, & duodecim lictoribus cum fascibus præcedentibus augustiorem populo reddidit: in quo fascium numero, duodecim vultures, qui ei augurium fecerunt, videri potest. *Fasces 12. vultures.* Romulus secutus, nisi ab Hetruscis morem ipsum aliqui potius sumptum dixerit: quibus cum duoderim populi essent, magistratumque vnum communi nomine crearent; singuli suum illi apparitorem dare consueuerunt. Dicti sunt autem apparitores, quod appareant, & præsto sint ad obsequendum. sunt enim ij, qui magistratibus circumstant *Apparitores.* parati ad obsequendum: quandoque tabellatiorum officio fungebantur. Lictores autem, qui Carnificis officiu fungebantur, quique portabant fasces, & secures. Romulus etiam Ciuitatis vires augere volens, causam honestam commentus est. & rem in honorem Dei referens, templum in loco vmbroso construxit, confugientibusque ad illud, sponsor factus est per speciem religionis erga Deos: nihil eos mali ab inimicis accepturos, ac si permanere apud se vellent: *Templum à Romulo factum.* Ciuitates etiam participes faciebat, tradebatque agri portionem, quam bello quæsierant. Fuit item & aliud institutum, vt ne captas bello vrbes funditus euerterent, aut in seruitutem redigerent: verum missis in eam colonis pro portione aliqua regionis. vrbes deuictas. colonias facerent Romanorum, & Reipub. participes. *Lex in bello obseruanda.* Cæterum. post Titi Tacij cædem, Romulus ad sacra conuersus, publica, & priuata multa instituit: legem de matrimonijs tulit, vt mulier viro socia esset pecuniarum, & cæterarum rerum, sacrorum etiam: & vt viueret ad mariti sui morem: domusque vt illa dominus, ita & hæc domina. Morienti viro sine liberis succederet, sui cum prole æqua sit illi pars sua. *Mulieres viro æquat.* Adulteram conuictam, vir & cognati (vt vellent) necarent. *Pœna adultery.* Si vinum bibisset domi, vt adulteram punirent: vnde mos inualuit apud Romanos, vt quoties viri domum se reciperent, filias, & vxores osculo exciperent, sicque periculum facerent, vinum bibissent necne: magnam vitæ corruptionem ebrietatem reputantes. *Vinum prohibitum mulieribus.* Parentum in liberos, vt omne ius sit, statuit: siue vellet coercere, siue verberare, siue vinctum rustico operi detinere: vendere quoque permisit, & occidere. Si quis à patre venditus se in libertatem vindicarit; vt iterum ac tertio patri ius vendendi sit. fuit id legis caput: 30a. deinceps anno in duodecim tabulis relatum. *Ius parentum in liberos.* Mitigauit tamen nonnihil austerum carmen Numa Pompilius, qui tulit legem; vt nullum patris amplius ius esset in filium, vbi illius iussu duxerit vxorem. Militaris disciplina, & agricultura ciuibus permissa: vnde laudationis mos ille manauit ad posteros. bonus miles, bonusque colonus. Pacis tempore ruri intendebant. belli vero, disciplinæ militari. permisse mercari etiam quando res aliqua desiderabatur: huiusmodi fuere Romuli leges.

Aliæ Romuli leges.

Romulus religionis nequaquam immemor, templa, aras, Deorumque simulachra instituit: quibus adiecit dies festos, sacrificia, ferias, nundinas, & alia pleraque ad Deorum cultum pertinentia. *Peregrina sacra vrbe exclusa.* Peregrina sacra, & ea inprimis, quæ Græcanico fierent ritu, vrbe exclusit, preter Herculeasam inde ab Euandri temporibus instituta. *Herculea sacra.* Alicarnaseus Dionysius Varronem secutus 60. ait sacerdotes, qui publica sacra facerem tribuum curiatimque ab eo institutos. additos & his Aruspices diuinationum interpretes, curiarū singulis genius suus cum sacrorum ministris datus, communisque omnibus Vesta. *60. sacerdotes Aruspices. Vesta dea.* & annus in decem menses digestus. Numa postea Pompilius, annum ad cursum lunę in 12. menses digessit: mutatoque mensium numero, siue ordine, Martius, qui primus tum fuit, ac ineuntem inchoabat annum, duobus Ianuario, & Februario prælatis, tertius in ordine est factus. Fastos quoque dies fecit, & nefastos, quibus nihil cū populo agi poterat: *Fasti dies. Flamines.* flaminem vnum Ioui creauit, qui Dialis est dictus, eum insigni veste, euruliquę sella excoluit. Adiecit & alios duos, Marti vnum, Quirino alterum, ab insigni quod capite gestabant, quasi flamines dictos. Erant enim flamines spiritus, flatus, sacerdos vnius alicuius Dei antistes: habebant in capite pileum, quod cum per æstus ferre non poterant, filo tantum capita religare cœperunt: nam nudis penitus capitibus incedere nefas erat. vnde à filo, quo vtebantur, flamines dicti sunt, quasi filamines. Vestæ virgines legit: hæ decem primos annos sacrorum ritum perdiscebant, totidemque deinde operabantur sacris: tertio decennio rudes, & nuper captas instituebant: postea, si quæ nubere vellet, fas erat alterum mallet sequi. *Vesta virgines.* Salarium his ex publico constituit: perpetua virginitate interim alijsque cæremonijs venerabiles fecit. si qua incœsti conuicta esset, ante ora ciuium mœsto silentio efferebatur, viuaque circa collinam portam in subterraneum specum dimissa, tellureque superingesta necabatur: *Incesta virgo.* Gradiuo Marti 12 sacrauit salios: hi mense, qui ab eo nomen traxit, plures dies celebribus locis vrbis solennem ducebant triumphum: tunica versicolori tegmine puniceo distincto amicti, æneo baltheo, & gladio succincti: dextera lanceam virgamque gestabant, leua thraceam, ex ære peltam, altioribus pileis, & in conum exeuntibus capita insigniebant. *12. Salij.* A soleani saltatione Salios *Vnde salij dicti.*

Romuli leges. *Vnde Salij dicti.* *Pontificis authoritas.*

lios Romani dixerunt. Græci vero curetas. Pontifex deinceps ab eo creatus est, cuius potestati omnia sacrorum iura subiecit: quibus hostijs, quibusue diebus, ad quæ templa sacra fieri oporteret, formula adocuit. Interiecti etiam sunt eot sacris ordinibus feciales: his etiam cura tradita est; vt Romani nullum iniustum bellum cuiquam inferrent. si qua per iniuriam adempta Romanis fuissent, res ablatas ab hoste repetebant; quæ si non reddidisset; bellum composito ad id carmine indicabant: legatorum iniurias vindicabant: quæ pia erant in fœderibus tuebantur: pacem sanciabant, eandemque minus legitime sancitam, irritam habebant: si quid imperator, aut exercitus, contra publicum iusiurandum fecisset; scelus expiare iussit. Puerum trimo minorem lugeri vetuit: neque natu grandiorem plures menses lugendum censuit, quam vixisset annos. tempus longissimi luctus io decem menses extendit. Populum in diuersa distribuit collegia tibicinum, artificum, architectorum, infectorum, sutorum, coriariorum, fabrorum, figulorum: & ex variarum artium opificibus contactis vnum omnium nouissimum, sua singulis sacra venerationes dijs reddendas distribuit. Seruius Tullius in classes & centurias, omnem ciuium multitudinem diuisit: quorum ordinum ratio hæc fuit, vt hi, quorum res centum millibus censerentur, in prima classe essent, quæ centurias habuit octuaginta. Pari numero iuniorum seniorumque, vt hi ad vrbis custodiam præsto essent: iuuenes foris bella gererent. arma vtrisque imperata, galea, clypeus, lorica, ocreæ, & hæc quæ corpus tegerent: in hostes hasta & gladius. Additæ sunt huic classi duæ fabrorum centuriæ, qui in bellum machinas ferreot, & ob id inermes. Altera classis ex viginti facta est centurijs quarum census à quinque & septuaginta millibus, ad centum millia extendebantur: arma illis scutum, galea, ocreæ, lorica duntaxat adepta: tela in hostes eadem, idem ætatis discrimen. Tertiæ classis census in quinquagima millia descendit; totidem centuriæ, nec in armis quicquam præter ocreas variatum, par centuriarum numerus. Quartæ classis census adhuc minor: quippe qui à quinquaginta millibus in summam dimidio minorem contraheretur: nihil his datum præter verutum, quod est telum breue, & acutum. Quintam classem triginta centuriæ explcuere fundam his, & lapidae missiles ferre in pugnam commissum. Cornices, tibicines, cum ipsis censi, in tres centurias distribuit: quadraginta millibus æstimata est hęc classis. Minor deinceps census reliquam habuit multitudinem, cui ob inopiam militiæ munus triburumque Tullius remisit. Ciues iuramento adegit; vt singuli bona sua æstimarent, quibus etiam parentibus orti essenr: quos filios haberent, cuius ipsi ætatis, cuius vxores, liberique, quæ illorum nomina, quo vrbis loco, aut quo regionis pago domicilium haberent: proposita his pœna, qui fallerent, vt ademptis bonis, ipsi verberibus cæsi venderentur. Peditum numero distributo, ex primoribus ciuitatis, nouos scripsit equitum ordines: vt cum ijs quę fuerant sub Romulo inauguratę, quęque illis postea à Tarquinio additæ duodeviginti assent centuriæ. Dena millia æris singulis ad emendos equos lata ex publico: & ad eot alendo eduo millia in annum constituta: viduæ, equitibus attributæ, quæ annuam pecuniam penderent. fuerunt equitum peditumque centuriæ nonaginta tres, quibus in ferendis suffragijs, sua omnibus ordinibus seruabatur dignitas vt qui plurimi censi essent; maiora bellorum onera sustinerent, (nam ita comparatum à Seruio erat; vt non viritim, vt antea, sed pro census æstimatione singuli tributa penderent) hi primo loco suffragia inirent. Tullij regis prudentia ordinatum est, vt ordines in eo paria facerene, vt ijs qui maiora sustinerent onera; id cōmodi suffragijs reponeretur: quibus licet nemo exclusus videretur; vis tamen omnis penes equites, & primæ classis centurias esset constituta. In quorum potestate fuit creare quos vellent Magistratus. sancire leges. bella indicere: quorum trium potestas ab initio fuit à Romulo populo data; deinde Tarquinio ex vrbe eiecto, iterum mutata reginnnia forma est. ac pro Regibus Consules habere cœptum: quibus omnia insignia permissa, quæ fuerant & regum, præter coronæ togæque palmatæ vsum: cum Brutus cum Collatino libertatis vindex hanc dignitatem centuriatis comitijs consequutus, ciues sacramento adegit, ne mortalium quenquam amplius Romæ regnare paterentur. Senatorum numerum in trecentorum summam expleuit: regem sacrificulum creauit: qui ea sacra perpetrauit, quæ reges facere consueuissent. Leges Valerius tertius consul tulit, quibus prouocatio à Consulibus ad populum est permissa; vt capitale esset, huic, qui iniussu populi Magistratum caperet: ciuium vectigalia tollerentur; quo contingit, vt vulgo

Tempus luctus. *Diuersa artes.* *Prima classis.* *Secunda classis.* *Tertia classis.* *Quarta classis.* *Quinta classis.* *Ciuitatis census.* *Equitum ordo.* *Tributi pensio.* *Equitum dignitas.* *Consules inducti.* *Brutus* *Senatores trecenti.*

promptiores ad quæstus & opificia sint homines facti: addidit & alio capite, vt qui tyrannidem affectaret, impune occideretur: ærarium in quo publica pecunia reponeretur, Saturni templum constituit populo, vt duos quoque quæstores crearet, permisit; est enim quæstor præpositus pecuniæ publicæ, ærarij curam habens. Creatus est dictator, à cuius imperio nulla esset prouocatio: dictatoris ei nomen inditum, à dictandi quæ vellet potestate, siue à dicendo potius, quia non populi suffragio creari contigisset; sed ab vno esset dictus, qui tum summum in vrbe imperium haberet. Semestris illius dignitas apud Romanos fuit: nec alio pacto creari solebat, quam cum vis aliqua maior repenta exorta, ingentem vrbi cladem minitari videretur. huic cæteros magistratus eligere licebat: vt magistrum equitum, qui secundam post eum dignitatem gerebat, præsertim in equites, & accensos: iungebetur dictatori, sicuti regibus tribunus. Spurio Cassio, & Posthumio Cominio consulibus, plebi datum est, vt & suum haberent magistratum, qui sacrosanctus esset, vtpote inuiolabilis, cui auxilij latio aduersus Consules esset: diserte expressum, ne patrum cuiquam eum magistratum capere liceret. Hic Tribuoi plebis nomine direbatur. Tanta fuit ipsorum postea insolentia; vt, nisi eis placerent dacreta Consulum & Senatorum, cassarent: comitijs creabantur, siue auspicijs, siue religione, primum duo numero, deinde tres additi, ad vltimum quinque. Tria comitiorum genera Romæ olim vsurpata sunt: Curiata, cum ex generibus hominum suffragium ferretur, nomenque ideo rei datum, quod curiatim per lictorem calarentur. Centuriata, cum ex censu, & ætate fieret, idque per Cornicinem. Tributa, reliquum genus appellatum est, ex regioniboa, & locis conflata: ex patribus centuriatis comitijs decem viri sine prouocatione creati: & in eos publicæ administrationis ratio omnis à Consulibus translata est, vt olim à regibus ad consules: hi condere leges iussi: decimo die ius singuli in orbem dicebant, quo in decem tabulas complexo, quod faustum felixque esset, leges decem tabularum populo promulgauere. Duodecim fasces præcedebant eum, cuius erat iurisdictio; sed diu non durauit Magistratus ille, quippe qui, vt tribunitia potestas ab eo ex vrbe in perpetuum tolleretur, à patribus excogitatus fuerat, recognita ab ipsis tribunis ipse sublatus est. Tum lege cautum, vt quod plebs vellet, totus populus teneret. Et alia: vt qui tribunis plebis ædilibus iudicibus noceret, eius caput Ioui esset sacrum, familia ad ædem Cereris liberi liberæque venderentur. Item, vt alter ex plebe Consul deinceps crearetur: atque vt inter patricios & plebeios connubia promiscua assent: Censores præterea creati duo, quibus scribarum ministerium, tabularum cura censendi formula commissa. Tanta illorum dignitae, atque authoritas fuit, vt omnis morum ciuilisque disciplinæ ratio, ab ipsis dependeret. Censor igitur præerat moribus populi, ac Magister morum dicebatur, qui censuræ officio eo tempore fungebatur. Magistratus & alius superaddirus, qui ius diceret, Prætorem hunc vocare placuit, cui omnis publici priuatique iuris potestate permissa, nouum ius condere, & vetera abrogare, facultas erat. Erat vnus ab initio, qui Vrbanus dicebatur, cum vero multi peregrini in ciuitatem venirent; alius creatus est, qui Peregrinus dicebatur: quod plerunque inter peregrinos ius diceret: honorarium ius illud appellabatur, à Magistratus honore, regia illis insignia, & apparatus Consulibus pene æqualis. Permansit huiusmodi ciuitatis status vsque ad Iulii Cæsaris tempora, qui Monarchiam Imperatorum in vrbe iterum aducxit. Consecrandi rationem apud Romanos, qua suos vita defunctos Imperatores consecrare, cœloque inferre consueuerant, talem fuisse Herodianus scribit. Locabant siquidem in regię vestibulo super eburneum lectum auro stratum imaginem, defuncto principi perquam similem: recumbebatque pallida effigies in modum ægrotantis: circa lectum, magnam diei partem assidebat Senatus omnis: ad leuam pullis vestibus amictus: ad dexteram lectę ex omni nobilitate matronæ in albis vestibus; is enim color lugubris fuit in muliere olim, omni alioqui ornatu detracto: id septem diebus defuncto darur: Medicis velut adhuc spirantem interuisentibus, denunciantibusque in dies morbum ingrauescere. Ad postremum, quasi tum demum vita defunctum, equestris senatorisque ordinis iuuenes per viam sacram in forum deferunt: lecto in rostris deposito, pueri puellæque patricij generis composito ab vtraque parte cætu, hymnos in defunctum canebam, flebili carmine modulatos. Deinde, eburneo lecto cum effigie ex foro in campum Martium translato, ingens ibi suggestus quadrata forma li-

Romuli leges. *Contra tyrannum lex.* *Ærarium constitutum.* *Quæstores.* *Dictator.* *Magister equitum.* *Tribuni plebis.* *Tria comitiorum genera.* *Decem viri creati.* *Leges decem tabularum.* *Censores.* *Prætor vrbanus & peregrinus.* *Ius honorarium.* *Quomodo defunctos cœlo inferebant.* *Suggestus.*

Cæsares Romani. ma lignea tantum materia contexitur, multis gradibus in phari speciem fastigio assurgentibus. Singuli auro & purpura instrati, signis ex ebore factis, varijsque picturis insigniter excoluntur: ac quo altiores illi minusque patentes, eo minores his imagines prominebant: interius erat moles aridis referta fomitibus. Effigie secundo gradu collocata, omnibusque odoramentorũ generibus omnifariam admotis, quæ certatim à tota ciuitate eo congerebantur, nobilissimi iuuenes equestris ordinis trabeati tabernaculo obequitabant motu quodam pyrrhichio solennique de-

Vana superstitio. cursu. Circumagebantur & currus, quibus insidebant rectores, personas illustrium principum gerentes: ac tum demum ab imperij successore face admota, circumfusa multitudo ab imis partibus molem incendit; ac simul ignis cœpit inualescere: ex ædificij fastigio aquila emittitur, quæ principis animam in cœlum ferre putabatur: hoc vanæ superstitionis ordine inter Deos colebatur. Sed gratias Deo per IESVM Christum filium eius, vnicum Dominum nostrum, cuius Euangelium depulit huius tenebras ignorantiæ: & verum lumen iam tenet vrbs Roma cum suo hodie Pontifice Gregorio XIII. in Anno magni Iubilei. 1575. 3. Augusti.

CATALOGVS CÆSARVM.

POst leges, & ordines, quibus vtebantur prisci illi Romani, par est, vt de Cæsarum, seu Imperatorum successione aliquid compendiose dicatur. Iulius Cæsar primum dictator Romanus deinde dux ex-

1. *Iulius Cæsar. Quintilis Iulius dictus.* ercitus, triumphator & victor multarum gentium. tandem primus Imperator, mense Quintili natus; ideoque mensi illi nomen suum dedit. Dictaturam quæ semestris dignitas erat, perpetuam in se recepit: ad hæc Imperatoris prænomen est ei à Senatu datum, quod libenter accepit. Cum vero diuinos honores sibi fieri pateretur, in curia 23. vulneribus interfectus est, anno ætatis suæ 56. Habuit filiam, sed nullum filium: propterea C. Octauium ex so-

2. *Octauius.* rore nepotem, hæredem instituit. Octauius patre Octauio senatore natus, ingenti stipatus multitudine Cæsaris interitum vindicauit. hic vrbem pro maiestate imperij ornauit: plurima publica opera fecit: templa præsertim,

Pater patriæ. ædesque sacras: pater patriæ totius populi consensu vocatus est. Dictus est quoque Augustus, cum post bella ciuilia imperium ordinasset: vocatus est autem Augustus, id est, auctus Iouis ope. Vixit annis 76. & regnauit annis 47. Ab

Augustus. eo dictus est mensis Sextilis Augustus, quod hoc mense consulatum inierit: triumphos in vrbem intulerit: finisque

3. *Claudius Tiberius. Drusus.* ciuilibus bellis impositus sit. Claudius Tiberius Cæsar filius fuit Tiberij Neronis, cuius mater Liuia post genitum Tiberium imprægnata, Augusto nupsit: tertioque post mense Drusum Neronem in domo Augusti peperit, qui postea in Germania perijt. Tiberius vero ab Augusto in filium adoptatus est. Hic Illyricum domuit: de Germania triumphauit: mortuoque Augusto, assecutus est imperium, anno 56. ætatis suæ. Fuit homo crudelis in filios, in nepotes, in ciues: libidini & vini potationi addictus: mortuus est in Campania anno ætatis suæ 78. imperij vero 23. Habuit vxorem primam Agrippinam, ex qua filium Drusum accepit: coactusque est hanc grauidam inuitus dimittere, ad Iuliam Augusti filiam ducere vxorem, quam tamen postea ob adulterium interfecit. Caius Caligula

4. *Caius Caligula.* Germanici filius, in exercitu natus, & educatus, militibus admodum charus, Tiberio mortuo, imperio successit. In tam vanam gloriam prolapsus est, vt se adorari pateretur, hostiasque expeteret. Tum sæuitiam in omnes propinquos exercuit: matrem in exilium relegauit. & inedia interfecit. Tiberium fratrem veneno sustulit: tres sorores suas constuprauit. Senatores multos occidit: inexplebilis luxuriæ fuit. sed talis crudelis bestia 30. vulneribus confectus, interijt, anno ætatis suę 29. imperij vero 3. & decem

5. *Claudius Tiberius.* mensibus. Claudius Tiberius frater Germanici, & patruus Caligulæ, cum Caius occisus esset, & inter milites tumultus exortus totam vrbem commouisset, timens ne & ipse raperetur ad supplicium, sese occultauit: inuentus tamen, & ad palatium vrbis perductus, Imperator à militibus creatur: anno ætatis suæ 50. Curam vrbis habuit maximam: fuit natura sæuus & sanguinarius gladiatorijs spectaculis plurimum se oblectabat: conuiuijs, libidini plus nimio deditus. Veneno perijt 64. ætatis suę anno,

6. *Nero.* imperij vero 14. Nero filius Domitij Ænobardi, & Agrippinæ filiæ Germanici, priuignus Claudij, vnde & postea Claudius Nero vocatus est, Claudio successit in imperio procuratione matris suæ Agrippinæ, quam tamen filius necauit: hic primum quinquennium liberalitate, clementia, comitate omnes principes facile superauit: multasque bonas leges tulit; sed mox Imperatoriæ dignitatis oblitus, musices studio adeo se addixit, vt in theatro publice cantauerit, certaueritque agonali certamine: comessationibus ita inseruiuit; vt è medio die ad mediam noctem protraheret inter scortorum sedens cætus. Agrippinam matrem contamina-

Neronis malæ. uit: deinde interfici iussit: cadauerque matris multis vulneribus confossum, spectauit intrepidus. multos affinitate sibi coniunctos interfecit: Senecam magistrum suum mori iussit: Senatores interemit: vrbem ipsam incendit: causatus ædificiorum deformitatem, & vicorum flexuras: durauitque

Nero incendit vrbem. incendium illud sex diebus, & noctibus septem, quod è turri tyrannus prospexit: cum autem Galliæ & Hispaniæ defecissent, & audisset Galbam salutatum Imperatorem ab exercitu, furibundus cogitauit vniuersum Senatum perdere: sed cum ab omnibus esset derelictus, nec quisquam repertus, qui eo petente sibi ceruicem amputaret; præceps cucurrit sese immersurus in Tyberim: sed cum auocaretur à quodam, & audiret se hostem à Senatu iudicatum, & ab e-

Neronis mors. quitibus inquiri, ferrum iugulo adegit, anno ætatis suæ 32. cum tredecim annis, & mensibus octo imperasset. Habuit autem vxores tres: primam Octauiam filiam Claudij principis, quam vt sterilem dimisit, & tandem interfici iussit: postea duxit Pompeam Sabinam, quæ antea habuerat Rufum Crispinum, cuius filium Crispinum Nero occidit: tertiã accepit Statiliã Messallinam, cuius maritum trucidauit.

7. *Sergius Galba.* Sergius Galba in adolescentia liberalibus artibus, & iuri operam dedit: Consulatum per sex menses gessit: Africam proconsul biennio obtinuit: Tarragonensem Hispaniam octo annis rexit: auditaque morte Neronis, ab exercitu Imperator salutatus est, cum annorum esset 73. sed mense septimo, ab æmulo successore suo Otthone, trucidatus est.

8. *Ottho.* Ottho splendidis maioribus genitus, prouinciæ Lusitaniæ præfectus, summa cum laude administrauit. Deinde magna ambitione militum animos beneficijs deuinxit, vt successorem imperij, palam omnes prædicarent. verum cum germanici exercitus contra Otthonem coniurassent, & in Vitellij verba iurassent; ille pugione sibi mortem intulit,

9. *Paulus Vitellius.* anno ætatis suæ 38. imperii vero nonagesimo quinto die. Paulus Vitellius à militibus salutatus est Imperator in Colonia Agrippinensi: hic introiuit in vrbem cum armato exercitu: diuina humanaque iura commiscens, desæuiens in omnes. pascebatque oculos cum quis coram se interficiebatur. libidini, & delicijs deditissimus: cibis vtebatur exquisitissimis atque ita Romani imperij opes pretio mensarum consumebat. Quam ob causam, octauo imperij sui mense à militibus destitutus, & Romæ religatis post terga manibus, iniectoque ceruicibus laqueo, seminudus in foro omnibus fœdo spectaculo, multisque ictibus confossus, interijt tractusque est in Tyberim, anno vitæ suæ 57. imperij autem mense octauo. Flauius Vespesianus ex antiqua

10. *Flauius Vespasianus.* Flauiorum gente, tribus cum legionibus in Iudæa administrabat bellum Iudaicũ, cum Tito filio suo maiore: eo tempore creatus est Imperator à militibus: vrbẽ afflictam confirmauit: militum audaciam compescuit: prouincias & ciuitates tumultuarias sedauit: ventris profluuio mortuus

11. *Titus.* est, anno 69. ætatis, imperij vero decimo. Titus Vespesiani filius in Germania & Britannia militauit, non sine excellenti industria & modestia. crudeli oppugnatione Iudæam domuit, fame, ferro, & flamma. Deinde Romam veniens, magna cum concordia imperiũ cum patre administrauit: eminuit clementia, liberalitate, pecuniæ contemptu, omniumque virtutum splendore. febre correptus est, & extinctus: ætatis suæ anno 52. imperij vero 2. & tribus mensibus.

12. *Domitianus.* Domitianus filius Vespesiani, sumptuosissima spectacula edidit: instituit quinquennale certamen: ædificia multa publica fecit: castrari mares vetuit: cupiditatis ab initio nullam suspicionem habuit. sed paulo post plurimos nobilissimos ex Senatu interfecit: & adiecit animum ad rapinas: dieque noctuque inter meretrices versabatur. perijt anno ætatis suæ

13. *Nerua.* 45. imperij autem decimo quinto. Cocceius Nerua natus ex nobilissima domo, & mitissimo ingenio electus est Imperator: annos circiter habens sexaginta sex: mortuus est autem anno ætatis suæ sexagesimo octauo, vir mitis & pro-

14. *Traianus Hispanus.* bus. Traianus natus in Hispania, cum esset 24. annorum, in Agrippina Colonia imperij suscepit habenas. Hic Dacius dictus est, ob deuictum Dacorum Regem: mortuus est in ciuitate Ciliciæ, quæ & Traianopolis postea dicta est: cum imperasset annos vndeuiginti, menses sex & dimidio, anno ætatis suæ 64. Aelius Adrianus, consobrinus Traiani Impe-

15. *Adrianus.* ratoris, cuius familia fuit ab Adria oppido Agri Piceni, quod & mari Adriatico nomen dedit. Fuit acri ingenio, & in græca lingua nobiliter eruditus. pacis magis, quam belli cupidus:

incidit

Cæsares Romani.

incidit in lethalem morbum, Baias petiit, ibique mortuua est. Antoninus Pius, adoptatus est ab Aelio Adriano, natu- 16. *Antoninus Pius.* ra clementissimus, vultu placidus, statura decorus & longus. tanta diligentia subditos sibi populos rexit; vt omnes sub eo prouinciæ florerent: mortuus est anno imperij sui vigesimo. 17. *Antonius Verus.* Marcus Antoninus Verus, & Lucianus Cummodus pares erãt imperij administratores antea vero per ducentos annos vnus tantum erat Augustus Cæsar. Fuit autem Marcus Antoninus magno ingenio philosophiæ deditus. *Duo fratres simul imperant.* Defuncto Pio Imperatore, à Senatu coactus est regimen publicum capere: fratrem sibi participem in imperio designauit, qui diuersis moribus erat imbutus: in imperij administratione ciuiliter se gesserunt: & magna cum prudentia se gubernarunt. Post multa gesta prælia, dum simul pugnant contra Marcomannos, alter apoplexia moritur in itinere: alter vero nempe Marcus Antoninus rempublicam tenuit: filiumq; Commodum Cæsarem fecit: mortuus 18. *Commodus.* est autem anno imperij 18. vitæ vero 61. Commodus filius Marci Imperatoris à puero improbus fuit, crudelis, libidinosus, digladiator magis quam Imperator: Senatum contempsit. honores, præfecturas per libidinũ magistros vendebat: inter trecentas concubinas in palatio debacchabatur: in muliebri veste in theatro publice sæpius se ostendebat: & cum digladiatoribus pugnabat. sed strangulatus perijt anno vitæ suæ 32. imperij vero 14. 19. *Ælius.* Aelius Imperator salutatur post interitũ Commodi: licet nomen imperij tanquam rem inuidiosam, & senectutem suam (erat enim sexagenarius) causando recusaret. Lætus præfectus prætorij, qui eum Imperatorem fecerat, quod sæpius reprehenderetur ab eo, conuocatis militibus in palatio confodit: sexto 20. *Iulianus. Imperium emitur.* imperij mense. Iulianus patria Mediolanensis, mercatus est imperium: magno militum comitatu, armis munitus, in aulam deductus est. Ac tum primum corrupti sunt militũ mores. & contemptus imperatoriæ maiestatis inoleuit: vbi autem Iulianus Imperium suscepit, vitam mollissimam duxit. Quamobrem inuisus militibus atq; Senatui, abrogatũ est ei Senatus authoritate imperium: tunc missisq; à Senatu, 21. *Seuerus Afer.* qui eum occiderent, inter mulierculas obtruncatur, anno vitæ suæ 36. imperij vero mense secundo. Seuerus in Lepti ciuitate Africæ natus, studiorum causa Romam venit: tandemque post quæsturam & præfecturam, Imperator est appellatus: quo tẽpore & Pescennius Niger à Syriacis legionibus Imperator est salutatus. congressi igitur apud sinum Issicum, vbi debellatus est Darius ab Alexandro magno. interiit Niger: sic ille imperium retinuit mortuus est Eboraci in Britannia ætatis anno 59. imperij autem 18. 22. *Marcus Aurelius.* Marcus Aurelius filius Seueri Imperatoris, obtruncauit fratrem suum supra matris pectus. Postea enormem militibus largitionẽ tum in nummis, tum in annona dedit, cuius magnitudine allecti, vulgata iam cæde fratris, vnum illum declarant Imperatorem. Romam veniens, [illegible] fratris domesticos. Relicta deinde Roma ad ripas secessit Danubij, vbi Germanos sibi associauit: & in Alexandriam profectus, sæuit in Alexandrinos, & Parthorum populum: in Mesopotamia per Martialem centurionem pugione perfossus est. imperauit annis sex: vixit annis 43. 23. *Macrinus.* Opilius Macrinus accepit imperium, profectusq; ad bellum contra Parthos, in conflictu interemptus est: filius quoq; eius, quem Antoninum appel- 24. *Heliogabalus.* lare decreuerat, occisus est. Antoninus Varius Heliogabalus ex Antonino genere natus, dum Antoninus pater a Macrino interficeretur, fugit ipse in Iouis templum: deinde prudentia matris declaratus est Imperator: & occisus Macrinus à militibus. Romam misit figuram numinis Heliogabalis iudaici in tabula pictam, vnde ipse Heliogabalus di- *Mulier recipitur in Senatu.* ctus est, asserens se sanguine Antonini Bassiani genitum. In senatu vocatus est princeps: & ipse primus Cæsarum fecit matrem suam in senatu sententiam dicere: homo fuit impurissimus: omnes enim honores, dignitates, præfectu- *Crudelitas Heliogabali.* ras per libidinum ministros administrabat: profanabat sacra populi Rom. incœstabat vestales virgines: Orestam ciuitatem condidit: & humanas hostias sacrificauit. Cum ergo omnibus esset inuisus, à militibus occisus est in latrina, ad quam confugerat. Et cum non posset cloaca excipere cadauer, ob angustum foramen, tractum est per circi spatia more canini cadaueris: & in Tiberim tandem proiectum, ne vnquam sepeliri posset. Occisa est cum eo mater eius: cautumque est, ne vnquam mulier ingrede- 25. *Alexander* retur senatum. Perijt anno imperij quarto. Alexander consobrinus Heliogabali, in literis ac rei militaris disciplina optime institutus, appellatus est Imperator: senatum & equestrẽ ordinẽ perpurgauit ab impuris hominibus: potestate ac magistratus vendi non est passus: pauperum filios publice aluit: nemini ab alio damnum inferri permisit: sed

omnibus operibus præscripsit illam legem naturæ: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *Lex naturæ.* Nullum delictum atrocius existimabat quam furtum, appellans fures Reipublicæ hostes. Cum autem Germanicum bellum immineret conscripto exercitu ad Gallum profectus est, ibique, militibus quod seuerior esset, trucidatus à Maximino duce, anno ætatis 29. imperij vero 13. Maximinus Thrax, à pueritia pastor, *Iustus imperator occiditur.* ob corporis autem vastitatem ac robur prima stipendia sub Seuero fecit. inter stipatores corporis sui in aulam lectus, quod virtute inter milites clarus esset: ferus erat, moribus asper, superbus, corpore procerus & vorax. Interfecto Alexandro, Maximinus vocatus est Augustus: cœpit 26. *Maximinus Thrax.* esse crudelis, præsertim in nobiles; quosdam enim in crucem adegit: quosdam vero feris obiecit: alios fustibus verberauit. cum Aquileiam obsideret, & duces aliquos suos trucidaret, in odium exercitus veniens, vna cum filio trucidatus est in castris. pater sexagenarius, & filius vigesimum annum agens. Triennio regnauit cum filio suo.

De Maximo, Gordiano, Marco, Decio, Gallo, & alijs Imperatoribus.

POst interitum Maximini, Maximus electus est Imperator: venienſque cum omni exercitu Romam, 27. *Maximus. Balbinus.* decreti sunt ei plurimi honores. Quod cum Balbinus ægre tulisset, exortæ sunt inter eos tacitæ discordiæ. Porro, Maximum exercitus vtrumque odio habuerunt, quod quem ipsi Imperatorem fecerant, occisus esset. Cum ergo Maximus contra Parthos, & Balbinus contra Germanos essent profecturi, ludis quibusdam scenicis, milites tumultum excitarunt contra Maximum in Palatio: atque ita ambo sunt de Palatio deturbati: & per mediam ciuitatem ad castra raptati, atque occisi, cum annum vnum imperassent. Gordianus electus est Imperator pro- 28. *Gordianus.* fectusque est ad bellum Persicum, transiens per Mœsiam, in Thracia hostes deleuit, atque fugauit. Inde per Syriam in Antiochiam venit, quæ iam a Persis tenebatur, triumphauitque de hoste. Erat tunc in exercitu Philippus quidam, qui Gordianum in odium militum duxit: circumuenitque milites artibus; vt se Imperatorem poscerent, quod Gordianus nimium iuuenis esset, nec regere tantum exercitum valeret. Imperium igitur Philippo mandatum est, vt ille cum Gordiano pariter imperaret. At ille suscepto imperio, curauit Gordianum occidi, ætatis anno 20. In perij autem sexto. Marcus Iulius Philippus Arabs humili ge- 29. *Philippus Arabs.* nere ortus, virtute rei militaris clarus, Romam venit & sub Cæsaribus militauit: cum que Gordianus contra Persas profectus, primum Præfectus creatus est, ac de imperio cogitans, Gordianum de Imperio turbauit. & clam occidi iussit. Et scribens Senatui literas, dixit Gordianum morbo extinctum, & se à militibus Imperatorem creatum. Decepius Senatus, ipsum Augustum appellauit. Hic seculares ce- *Christianus imperator.* lebrauit ludos in Pompeij theatro tribus diebus tot. idemq; noctibus. Hæc & alia multa ludis secularibus exhibuit, licet Christianus esset; primus enim Cæsar nomen Christi professus est: sed à militibus Veronæ anno Imperij sui quinto cæsus est. Decius in Pannonia inferiori natus à militibus Il- 30. *Decius Vulgarus.* lyricianis Imperator est factus: deinde à Senatu Augustus appellatus. Cogente autem Senatu, consortem imperij, ac Cæsarem fecit Decium filium suum, multa Christianis intulit supplicia: vixit annis 50. regnauit cum filio suo biennio. Gallus Hostilius Imperator factus est à legatione, quæ integra mansit in prælio Scytharum: Ille ignominiosum 31. *Gallus.* fœdus percussit cum Scythis. Cumq; paulo post Æmilianus à militibus Cæsar salutaretur, & Gallus motus illum vellet opprimere, interfectus est cum filio, anno ætatis suæ 47. imperij vero anno secundo. Æmilianus autem post tres *Æmilianus* menses interfectus est. Valerianus, & Galienus filius eius, Imperatores facti sunt ab exercitu, qui in Rethia & Norico 32. *Valerianus & Galienus filius eius.* fuit. Valerianus infœlix homo fuit vsque ad senium: captusq; à Rege Persarũ, ibiq; in vili seruitute consenuit. Sapor siquidem rex Persarum, eo incuruato pedem ceruicibus eius imponens, equum ascendere solitus, pro scabello *Imperator fit scabellũ regis Persarum.* eo vsus. Galienus vero cum audiret patris seruitutem, deliciosius plus solito viuebat. Valerianus septem, Galienus vero octo annis regnauit fueruntq; sub eius Imperio multi Imperatores electi à militibus in diuersis locis, sed omnes interfecti sunt. Claudius Flauius Imperator, è Dalmatis ge- 33. *Claudius Dalmata.* nus trahens. fuit vir integerrimæ vitæ: proceræ staturæ, & ex nobili familia ortus. Hic Daciam recuperauit barbaros vicit, & fudit: præsertim Scythas, & Gotthos, impetum in res Romanas facientes: morbo correptus, interijt, anno

Cæsares Romani. imperij secundo. Aurelianus in Pannonia obscura familia
natus, procera statura, neruis validissimis, erumpentes
34. *Aurelianus Pannonius.* Sarmatas atterit: repulit Gotthos. mortuo Claudio
factus est Imperator: Marcomannos compescuit. Com-
posito vrbis statu, ad orientem profectus est, partaque vi-
ctoria in Europam rediit, triumphumque Romæ egit.
Postea vero in orientem rediturus, inter Heracliam & Bi-
zantium à Notario suo interemptus est, quod princeps es-
35. *Annius Tacitus.* set truculentus: sex fere annis regnauit. Annius Taci-
tus post interitum Aureliani, à Senatu eligitur Imperator:
fuerat autem interregnum sex totis mensibus. Cum ex-
ercitus nullum haberet principem, qui Aureliano conferri
possit; reiecit electionem ad Senatum: Senatus vero
eam reiecit in exercitum, quod sciret milites ægre eos ac-
cipere, quos senatus elegisset. Tandem Senatus elegit
Imperator studiosissimus. Annium Tacitum. verum Tacitus causatus est ætatem
suam decrepitam, & corporis ægram valetudinem. Su-
scepto tandem imperio, vir fuit magnæ continentiæ, &
studiosissimus: nullam noctem intermisit, in qua non ali-
quid scriberet, vel legeret. Interiit sexto mense sui imperij.
Tunc Annius Florianus, Taciti frater, vir imperandi cupi-
dus, mox sine senatus authoritate, quasi hæreditarium ar-
ripuit imperium; sed secundo mense imperij, Taciti à mi-
36. litibus occisus est. Probus è Pannonia oriundus, in ado-
Probus Pannonius. lescentia multa vltra Danubium fortiter gessit: in Africa
contra Marmaridas fortissime dimicauit: Carthaginem
à rebellione vindicauit, quas ob virtutes electus est Impe-
rator: post bellum Persicum, & alia præclare gesta a mili-
tibus per insidias interemptus est: quod nunquam militem
37. pateretur otiosum. Obiit autem anno imperij sexto. Ca-
Carus Gallus. rus Narbonæ natus, & Romæ literis educatus, per milita-
res gradus creuit vsque ad imperatoriam dignitatem. &
bellum Persicum, quod Probus parauerat, cum omni dili-
gentia aggressus est. & nisi fulminis ictu cecidisset, regnum
Numerianus. Persicum subuertisset. Mortuo Caro, Numerianus susce-
pit imperium: sed socer eius Arius Aper generum occidit.
At paulo post Diocletianus ab exercitu in Imperatorem e-
Carinus. lectus. Carinus autem volens inuadere Diocletianum,
38. *Diocletianus Dalmata.* ab eo in Dalmatia occisus est. Diocletianus Dalmata, ex
obscuris parentibus natus, victo Carino, Augustus est ap-
pellatus: & a Senatu magno honore exceptus. Tunc in
Gallia, Britannia, Ægypto, Italia, multi surrexerunt Ty-
ranni, ideoque consortem imperij Maximianum Hercu-
leum sibi delegit, quocum imperium gubernauit. Cum
autem Diocletianus in oriente plurimas nactus esset vi-
ctorias; maximus est ei à senatu decretus triumphus, cum
inclytis nominibus populorum, quos debellauerat: quibus
Diuinos expetit honores. non contentus, diuinos sibi vsurpauit honores, nam aureo
& gemmato curru triumphauit: senio autem confectus,
abdicauit se imperio Nicomediæ: quo die Maximianus
Maximianus. Mediolani deposuit imperiales fasces: imperauerunt vero
annis 20. Et Diocletianus post depositum imperium,
mansit priuatus Nicomediæ Salonis, rei rusticæ indulgens
annis 10. Fuit vir sagax, & acri ingenio. sed in Christianos
valde crudelis. Maximianus autem fuit valde seuerus,
stolidi ingenij, libidinosus, qui ægre deposuit imperium:
Maxentius. genuit Maxentium, quem postea milites prætoriani Im-
peratorem fecerunt: & ad quem se pater conferens, spere-
bat resumere imperatoriam dignitatem. sed cum pro vo-
tis res sibi non succederet; profectus est ad generum suum
Constantinum, qui eius filiam Faustam habuit conabatur-
Maximiani mors. que per insidias illum imperio deturbare: quod, vbi Fausta
filia cognouit, indicauit marito, qui apud Massiliam illum
39. obsedit, & laqueo necauit, hominem crudelissimum in
Constantius. Christianos. Constantius post abdicatum à Diocletiano
imperium, factus est Imperator in Gallijs, in Hispanijs, in
Helena sancta. Italia, & Africa: Galerius vero obtinuit imperium in Illy-
rico, Græcia, Asia, & Oriente. Habuit autem Constan-
tius vxorem Helenam obscuri generis; fœminam tamen
sanctam, ex qua Constantinum Imperatorem genuit. ha-
buit & Theodoram Maximiani priuignam, ex qua sustu-
lit Constantium patrem Iuliani, atque Constantiam, vxo-
Galerius. rem Licinij Imperatoris. hic Imperator valde fauit Chri-
stianis: mortuus est anno imperij 13. Galerius vero,
quem Diocletianus adoptauerat, & Cæsarem fecerat, tra-
dita ei filia Valeria, prospere pugnauit in oriente. Præ-
Maxentius crudelis. toriani autem milites Maxentium Imperatorem fecerunt,
regnauitque vt Tyrannus. Tunc Galerius fecit imperij
Licinius. consortem Licinium: ipse vero paulo post ob sæuam in
Christianos sæuitiam, consumptis genitalibus periit: cum
solus regnasset annos duos: cum consorte vero imperij
40. *Constantinus.* annos sedecim. Constantinus natus patre Constantio,
& matre Helena, à patre in Britannia agente creatus est Cæ-

sar: Maxentius vero imperabat in vrbe, & quidem tyran-
nice. Interim Constantinus vocatus est à senatu ad detur- *Pons in Miluio.*
bandum Maxentium, qui iam à matre ad Christi fidem e-
rat inductus: venit in Italiam. At Maxentius iussit iuxta
Miluium pontem sterni nauibus ad decipulam compositis;
vt insequentem hostem deciperet. Sed ille prior ante ex-
ercitum suum furibundus è portis proruit vrbis: imme- *Maxentius mergitur.*
morque fraudis, pontem cum paucis aggressus, in profun-
dum mergitur cum equo: nec vsquam comparuit eius ca-
dauer. Periit autem Tyrannus sexto imperij sui anno. *Licinius interficitur.*
Postea Constantinus Licinium Imperatorem persecutus,
in Græcia apprehendit, & interfecit: cum esset septuagena-
rius, & sedecim annis regnasset. Fuit & alius Cæsar in o-
riente, Maximinianus, quem alij Maximinum appellant,
in Christianos crudelissimus, qui oppressus est à Licinio,
cum regnasset annis septem. Porro, Constantinus fecit
Cæsares filium suum Constantinum, & Licinium iunio-
rem, nepotem suum ex sorore, filium Licinij, quem sustu-
lerat ipse autem totum orbem gubernabat prospera sem-
per vsus fortuna. Senex in Sotiropoli vrbe mortuus, ple- 41.
nus dierum & honorum operum. Constans & Constan- *Constantius.*
tinus fratres, filij Constantini Magni, ex testamento impe-
rium susceperunt, atque inter se partiti sunt. Constan-
tinus accepit Galliam, Hispaniam, Britanniam, Hiber-
niam, & quicquid terrarum erat extra Alpes: Constans
vero tenebat Italiam, Africam, Illyricum, Dalmatiam, Ma-
cedoniam, & Achaiam, & quicquid à freto Propontidis
Asiam versus protenditur. Constantinus autem hac par-
titione non contentus, cum bellum ageret contra fratrem *Constantinus moritur.*
suum, confossus Aquileiæ, moritur anno ætatis suæ 55. cum
nondum triennio imperasset in Gallijs. Tunc Constans
potitur rerum in Gallijs. sed ipse post aliquot annos inter-
fectus est à factione Magnentij, anno sui imperij 13. Ma- *Magnentius arripit imperium.*
gnentius arripuit imperium, obscuris ortus parentibus,
vir astutus, & acer. Constantius audita morte fratris sui,
venit ex oriente. & pugnans cum Magnentio, victor effe-
ctus est: cæsaque fuere in eo conflictu 54. millia pugnatorum,
& amplius: sed reparato exercitu, rursus Magnentius
pugnare tentauit. sed denuo vincitur, confususque Lu-
gdunum se recepit, & ibi seipsum interemit, cum quatuor
prope annis imperasset. Habuit tunc Constantius con-
sortem imperij Gallum, qui quarto imperij sui anno pro- *Gallus.*
pter sua scelera interfectus est. Post hæc Iulianum patrue-
lem patris sui, fratrem Galli, Mediolani Gallis præfecit,
Cæsarem fecit, adoptauitque: & sororem Helenam vxo-
rem dedit. Moritur anno imperij suo 38. Iulianus filius 42.
Constantij, fratris magni Constantini ex parte patris, in- *Iulianus apostata.*
stitutus in fide Christiana, cœpit contra Christianos agere,
edidit que vnum librum contra orthodoxam fidem, quem
Cyrillus Episcopus Alexandrinus doctissime confutauit.
Cum in Gallijs strenue pugnasset, à militibus vocatus est
Imperator & Augustus. Deinde cum ingenti exercitu ve-
nit Constantinopolim: & transmisso Bosphoro à Chalce-
done Nicomediam processit, quæ tunc terræ motu cor-
ruerat: inde Antiochiam perueniens, hyemauit ibi: sequen-
ti vere Hieropolim profectus, in Mesopotamiam signa mo-
uit: atque hinc traiecto fluuio pugnam iniit cum Persis, ac-
ceptoque lethali vulnere, & manu cruore repleta, vt Chri-
sto blasphemaret, in aerem sanguinem proijciens, dixit: *Vi-* *Iulianus vulnera perijt.*
cisti tandem Galilæe, vicisti: sicque mortuus est, cum impe-
rasset solus annum vnum, & menses septem: ab eo autem
quod Cæsar fuit annos septem. Hic quanquam Christia- 43.
nos nimium insectaretur, sanguine tamen abstinuit. Io- *Iouinianus.*
uinianus eligitur Imperator, Romanumque exercitum tra-
iecit vltra Tigridem fluuium, ibique fœdus iniit pacis ad
triginta annos. Restituit Sacerdotes & Episcopos, præ-
sertim Athanasium magnum, qui prius sub Constantio &
Iuliano pulsi fuerant: cumque venisset ad locum inter Bi-
thyniam & Galathiam, mortuus est: cum imperasset men-
sibus septem, anno ætatis 33. Valentinianus Nicææ in Bithy- 44.
nia ab exercitu electus est Imperator, atque Valens frater e- *Valentinianus.*
ius collega designatus. Valens itaque Constantinopolim *Valens.*
concedens, bella gessit in oriente: Procopium deuicit,
& occidit. Postea Arianus factus multa mala Christianis
intulit. Valentinianus autem Saxoniæ populos tumultuan-
tes, domuit: vbi & Gratianum filium appellauit Augustum.
Paulò apoplexia tactus, mortuus est, anno ætatis 55. imperij *Mors Valentiniani.*
vero vndecimo. Hic fuit erga Deum valde pius, & à iusti-
tia nunquam alienus. Valens vero in hæresi perseuerans,
cum pugnaret contra Gothos, accepta clade in fuga vul- *Mors Valentis.*
neratus sagitta, ex equo decidit, acceptusque est in vile tu-
gurium iuxta Adrinopolim, vbi strues erat cumulata pa-
learum: locus vero septus erat ab hostibus, quia primo im-
petu capi

De Carolo Magno & eius successoribus.

petu capi non potuit : victor vero Alanus dum Imperatorem persequitur, inscius illic eum latere, ignem iniecit, quo Valens concrematus est, anno ætatis 50. imperij 16.

De Gratiano, Theodosio, Archadio & Theodosio.

41. *Gratianus Valentiniani.*

GRatianus filius Valentiniani Imperatoris, princeps religiosus erga Deum, pudicus, ac verecundus, liberalis, & comis in proximum, fratrem suum Valentinianum fecit regni participem. fodit circa Argentinam triginta millia Alemannorum. Deinde misit Theodosium magistrum militum cum exercitu contra Gothos in Thraciam: & ee bene gesta fecit illum censorem Imperij, tradito sibi oriente cum Thraciæ imperio. *Mors Gratiani. Maximus.* Gratianus vero dolo & insidiis Maximi Tyranni mortuus est, ætatis anno 29. imperij vero 15. Valentinianus iuuenis ad Theodosium properans, ab eo liberaliter est exceptus admonitusque ne sectaretur insanias Arianorum. Theodosius quoque ingentes copias mouit contra Maximum tyrannum: cepitque eum circa Aquileiam, & occidit. *Valentinianus.* Valentinianus autem ab Italia in Galliam profectus, dum Viennæ negligentius ageret, fraude Arbogasti, Alanorum præfecti, noctu in cubiculo strangulatus est : anno eius imperij 18. *46. Theodosius senior.* Theodosius Imperator, eminens statura, comis & clemens, Imperium Romanum restaurauit, filiosque consortes imperij fecit: Archadium orienti, & Honorium occidenti præfecit. Ipse vero Mediolani consenuit: defunctusque anno ætatis suæ 60. imperij autem 17. Diuus Ambrosius habuit funebrem orationem post obitum eius. *47. Archadius. Eudoxa. Chrysostomus.* Archadius orientis Imperator, moritur anno imperij 13. superstite filio Theodosio, qui regnum postea administrauit. Mater eius Eudoxa fœmina superba, cuncta pro suo arbitrio agebat : quæ cum reprehenderetur à D. Chrysostomo, persuasit Archadio viro suo, vt sanctum hominem in exilium pelleret, in quo mortuus est : à cuius obitu tres menses præterierunt: & Eodoxa in partu, mortuo fœtu in vtero, asperrimis cruciatibus mortua est. Interim Honorius in consortem imperij *Constantius.* accepit Constantium, cui & sororem desponsauit, qui magna indole sustulit tyrannos : & domuit barbarorum impetus, qui Galliam, Britanniam, & Hispaniam infestabant sed immatura morte præuentus est, circiter septimo mense postquam Cæsar appellatus est. Honorius quoque mortuus est, nulla superstite prole, anno regni sui et imperij 2. *48. Theodosius iunior. Valentinianus vltimus imperator.* Theodosius iunior filius Archadij, orientis imperator, & Valentinianus occidentis, Romanum imperium rexerunt. Fecit enim Theodosius Valentinianum consobrinum suum Cæsarem : vir Christianissimus, regnauit annis 42. febrique correptus, mortuus est. Itaque Valentiniano imperante, præpotentes tyranni surrexerunt, Gensericus in Africa, Attila Huonorum rex in Europa, & Theodoricus Gothus in Gallia. Confossus est autem Valentinianus consilio Maximi, qui arripuit imperium, cum regnasset annis triginta. Fuit Valentinianus vltimus Imperator, vsque ad tempora Caroli Magni, qui rursus factus est Imperator. *Imperij diuisio. Imperatores à Carolo Magno.* Durauit autem hæc imperij diuisio, à Constantino Magno ad Valentinianum tertium annis circiter 120. ad annum scilicet Christi 456. Itaque Carolus Magnus fuit primus Imperator, post Gothorum atque Longobardorum victoriam, filius Pipini regis Francorum bella grauissima gessit Aquitanicum, Longobardicum, Saxonicum, in Hispaniis, in Pannonia. venit in Italiam vindicaturus iniuriam factam Leoni tertio summo Pontifici Romano : ingressusque in die natali templum, vt oraret; Pontifex Leo coronam capiti eius imposuit : & Imperatorem Romanum pronunciauit, cui ab vniuerso populo Romano acclamatum est: *Corona imponitur Carolo Magno a pontifice Romano.* Carolo pijssimo, perpetuo augusto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori, vita & victoria. vnctus est deinde: & abolito Patricij nomine, quo prius vtebatur, appellatus est Imperator, anno regni sui 33. Christi 801. imperante *1. Carolus imperator. Irene.* tunc Constantinopoli Irene, quæ pacem iniit cum Carolo Magno. Diuisit inter filios suos regnum, Ludouicum Aquitaniæ regem, Bernardum vero nepotem ex filio Pipino, Italiæ regem dixit. sequenti anno Aquisgrani mortuus est, *Mors Caroli Magni.* anno domini 814. imperij 14. ætatis 71. Ludouicus filius Caroli Magni, pius appellatus, mitissimi ingenij, à regni proceribus Imperator salutatus; filios suos scilicet Lotharium *2. Ludouicus Imperator incarceratur.* in Italiam, Pipinum in Aquitaniam, & Lodouicum in Bauariam ablegauit. Sed inquieti filij patrem arctissimæ custodiæ manciparunt, in Monasterio D. Medardi Suessione, imperiumque inter se partiti sunt. Sed proceres regni id ægre ferentes, Imperatorem suo imperio restituunt, qui filio Carolo tradidit regnum Aquitaniæ, Pipinus enim iam obierat Lothario vero iam moriturus imperium commisit. mortuus est anno domini 840. imperij autem 26. Sepultus Metis in monumento Hildegardis matris. Carolus autem Aquitaniæ rex, cognominatus est postea Carolus Caluus. *3. Lotharius.* Lotharius, Pij Ludouici filius, suscepto imperio, ferox fuit in fratres suos, toto missoque bello, ita pertinaciter pugnatum est; vt magna pars nobilium Franciæ interierit. Composita autem pace, Carolus Caluus rex Franciæ declaratus est: Ludouicus vero Germaniæ vsque ad fluenta Rheni. Lotharius autem maior nato Galliam Belgicam accepit, & regnum Prouinciæ. *Imperator fit Monachus.* Sed Lotharius Imperator distributa tribus filijs suis hæreditate, monasticam vitam duxit. Reliquit autem tres filios, scilicet Ludouicum, Lotharium & Carolum. Siquidem Lotharius post decem annos imperij sui, regna filiis suis sic partitus est: Ludouico Italiam tradidit : Lothario Austrasiam & Lotharingiam: Carolo minori natu regnum prouinciæ. Mortuus est autem anno Christi 855. cum regnasset annis sedecim. Lotharius quoque filius eius paulo post, mortuus est in Italia ex peste cum magna parte exercitus. *4. Ludouicus iunior.* Ludouicus secundus filius Lotharij, cui pater regnum Italiæ, & imperium assignauit, fuit vir pius, humanus & iustus. Mortuus est anno imperij 19. anno autem salutis 874. *5. Carolus Caluus.* Carolus Caluus Ludouici Pij ex Iuditha altera vxore filius, ac Ludouici secundi Imperatoris patruus, cum iam occidentalis Franciæ regnum annis sex & triginta gubernasset, audita morte Ludouici Imperatoris; festinauit Romam pro corona imperiali accipienda, anno salutis 876. relicto Bosone vxoris suæ fratre rege prouinciæ. Deinde cum Sarracenos ex Campania vellet expellere, Mantuæ correptus febre moritur: imperauit biennio: regnauit 36. annis : mortuus est anno salutis 879. *6. Ludouicus tertius balbus.* Ludouicus tertius Caroli Calui filius, Balbus cognominatus, vir simplex ac mitis, iustitiæ, pacis ac religionis amator, vnctus & coronatus est anno salutis 878. Mortuus vero anno 880 cum vix biennio imperasset. *7. Carolus Crassus.* Carolus iunior cognomento Crassus, princeps Christianissimus, cum Normandi deuastarent, multas prouincias Romani imperij, nec posset vires illorum reprimere, ex hostibus amicos & affines fecit, data scilicet Gotfrido illorum regi in matrimonium Gisla, filia Lotharij patruelis sui, & Frisia in dotem, addito baptismatis lauacro. sed cum nec sic diu pacem seruarent; Imperator tandem coactus fuit tradere eis locum ad habitandum in Francia : vnde hodie Normandi appellantur : quod non placuit subditis, quam *Normandi.* ob causam Carolum regno abdicarunt. Mortuus est autem pauper sine honore, in abiecto monumento sepultus anno salutis 888. imperij autem decimo. *8. Arnulphus.* Arnulphus filius naturalis Carolomanni regis Bauariæ fit Imperator : vir strenuus, qui Sclauorum temeritatem repressit : & cum Normannis in ripa Mosæ grauissime bellauit. Nouissime vero cum Italiam tumultuantem pacare contenderet, graui morbo correptus, Ratisbonæ mortuus est anno salutis 899. duodecimo regni sui anno. Habuit duas vxores filiam regis Græcorum, ex qua genuit Arnulphum malum: & alteram, quæ ei genuit Ludouicum Romanorum regem, ac Bauariæ ducem, qui ei successit in imperio. *9. Ludouicus quartus.* Ludouicus 4. filius Arnulphi Imperatoris, post patrem electus iuuenis pugnauit contra Lampertum, Berengarium, & Ludouicum Bosonis filium, qui pro imperio concertabant. Eo tempore Vngari in Germaniam irruperunt quibus non potuit Imperator satis resistere, quia duces Germaniæ maximis discordiis laborabant. Mortuus est Imperator anno salutis 911. regni vero 12. *Caroli magni genealogia defecit.* In hoc defecit genealogia Caroli Magni. Centum annis & supra Caroli Magni genealogia imperij rexit habenas. Post Magni Caroli sublatam stirpem, designatur Augustus Conradus Franconiæ dux, *10. Conradus germanus.* opibus, ac robore animi præstantissimus. Porro, Conradus aduersa valetudine laborans, Henricum Otthonis Saxonum ducis filium Imperatorem designauit : mortuus *11. Henricus.* est anno Domini 919. imperij vero septimo. Henricus in imperium Conrado successit, qui summa prudentia & fortitudine regnum administrauit multaque grauissima bella gessit contra Vngaros, Sclauos, Dalmatos, Bohemos tandem tactus paralysi, designauit regem Otthonem filium suum maiorem: mortuusque est anno ætatis 60. imperij 17. humanæ autem salutis anno 937. *12. Ottho Magnus.* Ottho Magnus filius Henrici regis, habuit in principio regni sui multos æmulos, quos omnes expugnauit, grauissimaque bella gessit in Germania. Deinde in Italiam profectus est susceptaque imperiali corona, & pacata Italia, reuersus est in Germaniam, *13. Ottho secundus.* morboque subitaneo correptus est, ex quo interiit, anno salutis 973. regni 37. imperij 13. Ottho secundus Otthonis Magni fi-

De Carolo Magno & eius successoribus.

gni filius, viuente patre Aquisgrani, Rex est declaratus, & Romæ inunctus: Ducem Bauariæ patruelem eius sibi rebellantem domuit: motus in Lotharingia excitatos compescuit. Lotharius Rex Galliæ Cæsarem oppugnat: Cæsar euadens periculum Lutetiam Parisiorum inuadit: concrematisque suburbiis, depopulatus est agros: sed eruptione ciuium repulsus est. Pace postea composita inter Imperatorem & Regem Franciæ; bellum instituit contra Græcos, qui Apuliam & Calabriam occupauerant. sed exercitu eius fugato, ipse cum paucis nauiculam trepide conscendit: sicque euasit, & Romam rediit: vbi iterum congregato exercitu, Græcos & Sarracenos persequitur: sagittaque venenata vulneratur: Romamque rediens post paucos dies mortuus est: anno imperij 10.

Pugnat contra Græcos.

14. *Ottho tertius.* Ottho tertius, filius Otthonis secundi, ex Theophania græca Imperatrice natus, eligitur Imperator contra Italos, qui ad se imperium trahere contendebant. Veniens autem Roma à Gregorio V. Pontifice Romano, consanguineo suo, diadema imperiale accepit: qui nouam fecit formulam cum Cæsare Otthone de eligendo Imperatore; vt hæc electio maneret apud Germanos. sed inter remeandum veneno periit, nullo hærede relicto.

Itali volebant trahere ad se imperium.

15. *Henricus sanctus.* Henricus sanctus dux Bauariæ dictus Claudus, Rex Romanorum est designatus: & Imperator electus, coniugem illibatam virginem sicut accepit; ita in morte reliquit. multos Episcopatus auxit, & locupletauit: pie, caste, & sobrie vixit. mortuus est anno imperij sui vndecimo, regni vero 24.

16. *Conradus Saliquus. Lex Saliqua.* Conradus Saliquus, quod descenderit à Sicambris, à quibus leges cœptæ sunt dici Saliquæ, & ipsi Franci Saliqui, qui iis legibus vtebantur. Erat proinde inter cæteras lex Saliqua, vt soli virili sexus Reges à maribus regibus orti, regnum administrarent: nec ad eam dignitatem fœminæ admitterentur, in regno Francorum. Hic Conradus filius Hermanni ducis Francorum, successit in imperio Henrico pijssimo. Coërcuit potenter vrbes Italiæ rebelles: circa Traiectum inferius ægrotare cœpit, subitaque morte illico sublatus, decimo septimo regni anno, imperij vero 14.

17. *Henricus tertius.* Henricus tertius Conradi Imperatoris filius, ab Electoribus Romanorum Rex designatur, qui Vngariam variis motibus agitatam quietam reddidit, similiter & Italiam sedauit. mortuus est anno Christi 1056. ætatis suæ 39. imperij autem decimo.

18. *Henricus quartus.* Henricus quartus filius Henrici tertii, viuente patre in regem est creatus: & post obitum patris sub tutela matris educatus. Abstractus vero à cura matris, licentiosissime vixit: quapropter multis inuisus fuit: natoque magno dissidio in Germania, Rudolphus Dux Sueuorum electus est in Regem Romanorum. atque ita dum reges inter se pertinacissima bella gesserunt. Sed Rudolphus cecidit abscissa sibi dextera. Deinde Cæsar ingressus Italiam furibundus, coronatus est à Clemente: iactatus postea variis procellis, & à filio imperio priuatus, Leodii misere periit, qui sexagies & bis in acie pugnauit.

19. *Henricus quintus.* Henricus quintus filius Henrici quarti, vir bellicosissimus, Moguntiæ factus & electus rex ab vniuersi regni principibus, accepto iuramenti sacramento: deinde Romæ coronans imperialem accepit anno salutis 1111. In Traiecto inferiori mortuus est anno regni 20. imperij autem 14. nullo superstite relicto.

20. *Lotharius.* Lotharius electus dux Saxoniæ, & in regem Romanorum, vir prudens, & religiosus, qui Henrici Imperatoris progeniem persequi cœpit, à qua olim & ipse persecutionem sustinuit. Natæ sunt multæ discordiæ in Germania inter duces Sueuiæ & Imperatorem, quas sanctus Bernardus Abbas Clareuallensis sedauit. mortuus est Imperator anno regni sui 13. imperii vero septimo.

Sanctus Bernardus Abbas.

21. *Conradus tertius. Ierosolymam profectus est.* Conradus tertius filius Friderici ducis Sueuiæ, factus est Romanorum rex contra Henricum Bauariæ & Saxoniæ ducem, qui regnum summopere affectabat, quod gener esset Lotharij, & secum haberet crucem, lanceam & coronam regiam. sed nihil profecit, imo morbo correptus mortuus est. Porro, Conradus cum principibus regni sui Ierosolymam profectus est anno 1147. Reuersus vero moritur anno quinto post reditum in Germaniam, id est anno 1152.

22. *Fridericus Barbarossa.* Fridericus primus, vulgo Barbarossa, à rubea barba, filius fuit Friderici ducis Sueuiæ, frater Conradi regis: homo statura procera, facie eleganti, capillo & barba rufa, affabilis & mansuetus, manu & ingenio strenuus. In Germania exortas discordias compescit: Mediolanensem ciuitatem funditus euertit: simili modo egit, cum ciuitatibus & oppidis Italiæ rebellibus: multa tunc passi sunt Itali, & Alexander Papa. Cum vero in Syriam contra Saladinum traiecisset, & in Armeniam venisset, causa æstus mitigandi in flumen descendit: moxque in omnium conspectu, descendit in profundum sicut lapis, anno salutis 1190. imperii 37. filius vero Fridericus duxit exercitum per Syriam, vbi cum multis claris viris, qui erant in exercitu, diem clausit extremum.

Mors Friderici Barbarossæ.

Alij Cæsares post Carolum Magnum.

Cæsares post Carolũ Magnum.

23. *Henricus sextus.* Henricus sextus filius Barbarossę Imperatoris, princeps prudens, statura mediocri, facie decora, corpore tenui, sed animo inperterrito, electus imperator, in Italiam proficiscitur. Et cum Guilelmus rex Siciliæ sine hærede defunctus esset, magnates adulterinum sibi regem constituunt Tancredum. Papa id indigne ferens, Henrico Cęsari dat in vxorem Constantiam filiam Guilelmi regis Siciliæ defuncti: Tunc Henricus armata manu Apuliam, Calabriam, Siciliam subegit: ac deinde ingentes copias misit Ierosolymam contra Sarracenos. Tandem vero cum vxore & filio Friderico in Siciliam ingressus, mortuus est anno imperij octauo, superstite hærede vnico Friderico filio: sepultus est Panormi anno salutis 1198.

Constantia filia Guilelmi.

24. *Philippus.* Philippus dux Sueuiæ, filius Friderici primi, princeps facundus & liberalis, à principibus Germaniæ electus in Romanorum regem: sopitisque quibusdam discordiis contra eum exortis, coronam recipit Aquisgrani, Saxonia adhuc rebellante, quam cum compescere vellet, occiditur. Anno salutis 1208. imperij vero Philippi nono.

25. *Ottho quartus.* Ottho quartus, primogenitus Henrici iunioris superbi Leo cognominati ducis Bauariæ & Saxoniæ, temerarius, audax & superbus, suscepto diademate, & Romæ contumelia affectus, Romandiolam contra datam fidem inuasit; & latrociniis depopulatus est. Quapropter anathemate percussus imperio deturbatur, principesque sacramenti religione, qua illi obligabatur, absoluuntur. Ottho Langraphium Thuringiæ tanquam rebellem persequitur: Interim Fridericus Siciliæ rex, filius Henrici sexti Imperatoris, vigesimum annum agens vocatur in Germaniam, vt imperium suscipiat. venit Fridericus in Basileam: quod cum Ottho audisset Imperator, conatus est Fridericum de Basilea deturbare: sed frustra quidem, imo coactus est fugere, dedecore non paruo affectus: veniensque Saxoniam, dysenteriam sustinens, moritur anno salutis 1219. imperij autem 4. Interim eodem anno Fridericus vnctus & coronatus est Aquisgrani.

26. *Fridericus secundus.* Fridericus secundus filius Henrici sexti, vtriusque Siciliæ & Ierosolymæ rex, Sardinię & Italię dominus, dux Sueuię, princeps strenuus, adolescens ad imperium eligitur, Otthone quarto reiecto, & Romæ coronam imperialem accepit, anno salutis 1220. filium suum Henricum regem Romanorum curat insigniri diademate. habuit vxores multas, ex vna genuit Henricum ducem Sueuiæ, regem Romanorum, qui ei successit in imperio: & ea alia quę filia fuit regis Ierosolymitani, genuit Conradum, qui postea fuit Imperator. A Manfredo adolescente spurio ex concubina eius, in Apulia suffocatus est. quod scilic. Conradum filium hæredem instituisset. sub isto Imperat. exorti sunt in Italia Gibellini & Guelfi: omnesque vrbes Italiæ mutuis discordiis laborabant, cum multorum strage & sanguine, non sine magna vrbium, oppidorum, prouinciarum, dominorum, seruorumque iactura & damno.

Filia regis Ierosolymitani, vxor Imperatoris.

Gibellini & Guelfi.

27. *Henricus filius Friderici secundi.* Henricus filius Friderici s. viuente patre, pene puer Romanorum rex declaratur: duxit in vxorem filiam Ducis Austriæ, ex qua genuit duos filios gemellos, qui sublati sunt veneno à Manfredo, spurio Friderici secundi, ne Siciliæ regnum illi auferrent: Henricus vero à patre suo Friderico in Apulia, coniectus in carcerem, ibi misere periit. Cumque Manfredus regnaret in Sicilia, venit Carolus Andegauensis, gener, siue frater Ludouici regis Franciæ, & Manfredum vicit, & totum regnum occupauit.

Manfredus. Carolus occupat regnum.

28. *Conradus.* Conradus Friderici secundi filius, rex Siciliæ, & à matre Iole rex Ierusalem, Dux quoque Sueuiæ, viuente patre in Regem Romanorum designatur. Cum regnasset in Sicilia duobus annis à Manfredo veneno interemptus est: cum reliquisset filium suum Conradinum in testamento omnium regnorum hæredem, anno salut. 1255. Conradinus vero cum adoleuisset, vocatus in Italiam à Gibellinis, vt possideret auitum regnum, quod Carolus Gallus occupabat: veniens Conradinus in Italiam, inito certamine contra Carolum Gallum apud Beneuentum, dubio marte tres horas pugnatum est; victoria tamen Carolo Gallo cessit. Conradinus autem, & Fridericus Dux austriæ ignoto habitu octo diebus delituerunt: proditi tandem, Neapoli securi percussi sunt: atque ita extincta est familia, seu genealogia Friderici Barbarossæ.

Conradinus Dux vltimus Sueuiæ decollatur.

29. *Henricus Landgrauius frater Ludouici mariti sanctæ Elizabeth.* Henricus Landgrauius Thuringiæ & Hassiæ, frater Ludouici mariti sanctæ Elizabeth, eligitur rex Romanorum in odium Friderici secundi & filii eius Conradi. Conradus autem dum nititur Henricum de suo regno deturbare, magna cum suorum strage apud Francfordiam fugatus est,

Sueuis

Cæsares post Carolum Magnū. Sueuis eum persequentibus. Henricus itaque vi imperium
retinens, Vlmam, quæ partem Conradi sequebatur, obse-
dit, in qua lethali vulnere accepto, mortuus est eodem an-
no, quo electus fuerat in Romanorum regem. Guilelmus
30. *Guilielmus Comes Holandiæ.* Comes Holandiæ iuuenis imberbis eligitur rex Romano-
rum: fuit homo belli gubernauitque Holandiam, Selandi-
am, & Frisiam paternas prouincias: gessitque multa bella
contra Flandrenses. subegitque Frisiam: cumque victor ter-
rans egrederetur, à quibusdam fugitiuis secus viam in a-
rundineto latitantibus, cuspidibus transfigitur, delatusque
in glaciem cecidit: Frisones qui latitabant erumpentes, pe-
rimunt egregium regem: deinde Holandos expellunt, &
trucidant, mortuus est autem anno regni sui nono, qui
31. *Richardus Anglus.* fuit annus Christi 1255. Richardus filius regis Anglorum, in
dissensione est electus: nam Moguntinus, Coloniensis, &
Ludouicus palatinus elegerunt eum: alij vero principes Al-
fonsum regem Castellæ. Richardus insolescens contra ad-
uersarios suos, terras Treuerensis Episcopi depopulatur:
Boppardiam obsedit, & expugnat. Deinde Angliam red-
iens, obsedit Londinum, ibique capitur, & liberatos in
obsidione alterius ciuitatis, iaculo occiditur anno regni sui
32. *Rudolphus.* sexto. Rudolphus ab Habspur, anno domini, 1273. vnanimi
consensu in Romanorum regem a principibus eligitur: vir
maturæ ætatis: & qui sub Friderico secundo strenue milita-
uit. Veniens Aquisgranum coronatus est: pugnauit con-
tra Regem Bohemiæ Ottarium, qui 24. annis iniuste Au-
striæ ducatus occupauit: in quo quidem bello occisus est
Ottarius: & quatuordecim millia de suo exercitu cecide-
runt: in Italia non est coronatus, sed suppetias tulit Floren-
tinis, Lucensibus, Genuensibus, in quo auaritiæ notam in-
currit obiit anno suæ ætatis 73. imperij 18. Christi autem
33. *Adolphus.* 1291. Adolphus Comes à Nassa à quibusdam principibus
eligitur: ab alijs vero Albertus Dux Austriæ; Adolphus ta-
men Aquisgrani coronatur, qui cœpit Albertum persequi,
exercitumque in Colmarienses mouit, qui à partibus Al-
berti stabant, & expugnauit: deinde Alsatiæ vrbes sibi re-
belles compescuit. posthæc pugnat contra Thuringiam
& Misniam: & ad pacem coegit. Contra regem Franciæ,
Principes Germaniæ pugnant inter se. propter regnum Arelatense pugnat, totaque Germania bel-
lis ardebat: nam indignos principes extulit, dignos negle-
xit. adulteria patrauit virginibus vim intulit: viduas vio-
Adolphus in pugna occiditur. lauit: similiter fidem literis & sigillo obsignatam fregit.
Quamobrem principes Germaniæ rogauerunt Albertum
Ducem Austriæ, vt imperium sumeret, promittentes ei au-
xilium se præstituros. adhæserunt vero Adolpho, Otho
Dux Bauariæ, Rudolphus Comes palatinus, Francofordia,
Spira, Vormatia: committitur bellū sex horis acriter pro-
pe Spiram, vtrinque multis occisis, multisque ab equis de-
turbatis. Adolphus solis radijs oculos eius hebetantibus,
grauissime concussus equo est deiectus. Cum vero equo re-
34. *Albertus.* stitueretur, casu à superueniente Alberto. circa oculum en-
se traiecto, in collo quoque vulnus lethale accepit. sicque
mortuus est, anno regni eius octauo. Albertus filius Rudol-
phi, Dux Austriæ, post interitum Adolphi Aquisgrani coro-
natus, anno 1298. Ducatum Austriæ filio suo Rudolpho ad-
ministrandum commisit: & Blancam sororem Philippi re-
gis Franciæ in vxorem dedit. Princeps fuit fortissimus, qui
duodecies collata acie dimicauit, semperque victor euasit:
Bohemiam ingressurus cum magno exercitu contra Ducem
Carinthiæ, qui se regem Bohemiæ gerebat, à duce Ioanne
occisus est; qui perpetuis carceribus traditus est a Papa: re-
gnauit annis decem, vir magna prudētia & sagacitate. Post
35. *Henricus septimus.* cuius interitum Henricus 7. filius Henrici Comitis Lutzel-
burgensis, & Beatricis comitissæ Hannoniæ, iustitia &
prudentia magnus, successit. A Friderici secundi morte
vsque ad annum 1308. quando hic Henricus fuit electus, re-
ges Romani abstinuerunt ab Italiæ ingressu, nempe Rudol-
phus, Adolphus, & Albertus. Electus autem Henricus, & A-
quisgrani coronatus, celebratisque nuptijs filij sui, atque
rebus Germaniæ compositis; misit legatos ad summum
Pontificem pro suscipienda corona imperiali. quo annuen-
te, subsecutus est rex cum multis Ducibus, Comitibus, Ba-
ronibus, & alijs prælatis, susceptusque est honorifice à Me-
Turritani occiduntur. diolanensibus. Turritani autem mortem regi molientes,
eorum fraude detecta, profligati sunt, atque interfecti. quod
audientes celebriores vrbes Italiæ, Cæsari se passim dedi-
derunt: Romam veniens cum magna solennitate corona-
tus est, volens autem ex Italia dissidia tollere, veneno inter-
emptus est, anno imperij sui quinto, Christi vero 1313. Fri-
36. *Fridericus tertius.* dericus eius nominis tertius, filius Alberti Ducis Austriæ,
Romanorum rex; in discordia eligitur: competitor fuit
consobrinus eius Ludouicus dux Bauariæ. accepit in vxo-
rem regis Aragoniæ filiam: & Leopoldus frater eius Ducis *Cæsares post Carolū Magnum.*
Sabaudiæ filiam. Celebratis igitur nuptiis Basileæ: Fri-
dericus cum magnis copijs Sueuiam ingressus, iuxta Esslin-
gam cum Ludouico pugnauit. deinde iterum apud Argen-
tinam iuxta fluuium Bruscam duo magni exercitus con-
ueniunt, stantque acies in planicie: Ludouicus vero in-
tellecto stratagemate, se in Bauariam recepit. Iterum Fri-
dericus Bauariæ Ducem bello lacessit: concurritur vtrin-
que. victoria Friderico cedit; sed resumptis viribus, militi- *Fridericus capitur.*
bus Friderici in fugam actis, Fridericus equo deiectus ab
armigero, captus, & Ludouico adductus; custodiæ depu-
tatur ibique triennio mansit: liberatus vero, resolutus in 37.
dysenteria. mortuus est anno Christi 1330. Ludouicus Ba- *Ludouicus Bauarus.*
uarus, Mediolani ferream suscepit coronam: & ex Mediola-
no misit Oratores Auinionem ad Pontificem, petentes, vt
more maiorum imperialia insignia sibi conferat, idque se-
cundo fecit. Pontifex vero Oratores ignominiose repel-
lit: Ludouicus autem Romam petit, & à populo Romano
honorifice fuit exceptus. Imperator creat Papam Petrum *Petrus Corbariensis Minorita fit Papa.*
Corbariensem, Nicolaumque quintum appellat mortuo
Ioanne, creatur Benedictus 12. qui eodem modo cum Cæ-
sare se gessit. Cæsar cōfitetur se Christianum, & catholicum
esse coram multis principibus, anno Christi 1339. Mortuo
Papa, successit Clemens sextus, qui Ludouicum excom-
municauit: & Carolus rex Bohemiæ electus est in regem.
paulo post Ludouicus veneno corripitur: & ita mortuus
est, anno Christi 1347. Norinbergæ, in venatione, vbi in-
gentem vrsum offendit. Carolus rex Bohemiæ nepos ex 38.
filio Henrici septimi, regnante Ludouico, à quibusdam e- *Carolus 4. rex Bohemiæ.*
lectus, & Bonnæ coronatus, non est reputatus pro Cæsare
legitimo, quod tunc Ludouicus viueret: quam ob causam
quatuor electores, scilicet Dux Saxoniæ, Archiepiscopus
Moguntinus, Palatinus, & Brandeburgensis, elegerunt
Guntherum Comitem, qui paulo post intoxicatus, perijt:
Carolus igitur, conciliatis sibi animis principum Germa-
norum, Italiam ingressus, Romæ suscepit coronam impe-
rialem: inde Mediolanum, postea in Germaniam se contu-
lit. eliminauitque Flagellatorum sectam. Carolus Pra- *Secta flagellatorum.*
gense studium instituit, multaque collegia Canonicorum:
ac ciuitatem ipsam amplificauit: anno salutis 1376. Vence-
slaus filius eius, quindecim annos natus, electus est in re-
gem Romanorum, & coronatus. duxitque vxorem Iohan-
nam filiam Alberti Comitis Holandiæ, & ducis Bauariæ.
Conradus moritur anno 1378. anno imperij 33. Guntha- 39. *Guntherus.*
rus Comes competitor Caroli, à quatuor illis electus, po-
tionem accepit paratam à medico, quam iussit medicum
prægustare, qua ille inuitus gustata, faciem mutans, in ter-
ram cecidit, & tertio die moritur: Guntherus vero reli-
quum ebibit: venenumque vomitu quantum potuit eiecit;
sed reliquiæ corpus regis suffocarunt, atque mortuus est. 40.
Venceslaus filius Caroli quarti, Aquisgrani coronatus fuit- *Venceslaus.*
simatus autem, voluptates sequebatur, magna vtens ty-
rannide: à Baronibus regni captus, quatuor mensibus cu-
stodiæ est traditus donec per fratrem suum Ioannem Mar-
chionem fuit liberatus: sed inde non est melior factus. sed
cum in peius semper iret, iterum custodiæ mancipatur in
Austria, Sigismundo eius fratre rege Vngariæ consentiente:
sed inde elapsus, & ad regnum reuersus. priores assumpsit
mores. moritur apoplexia, & paralysi, anno ætatis suæ 57.
regni in Bohemia 55. anno, imperij autem 20. Christianæ sa-
lutis 1419. habuit autem duas vxores.

Alij Cæsares post eundem Carolum Magnum.

IOdocus filius Ioannis Henrici Marchionis Mora- 41.
uiæ fratris Caroli quarti, Marchio Brandenbur- *Iodocus.*
gensis, ante Rupertum electus est in Romanorum
regem, cum esset senex, & patruus Venceslai; non
tamen fuit coronatus: sexque tantummodo menses impe-
rauit. Rupertus Bauariæ Dux, & Palatinus Rheni eligi- 42.
tur: vir armis exercitatus, ac insignis iustitiæ cultor: Co- *Rupertus Bauariæ dux.*
loniæ ab Episcopo Coloniensi diademate est insignitus. de-
inde anno 1402. pro corona imperiali suscipienda Romam
petere parat; sed morte præuentus, voti sui compos esse 43.
non potuit: mortuus est decimo imperij sui anno. Sigis- *Sigismundus.*
mundus filius Caroli quarti, primum rex Vngariæ, deinde
rex Romanorū. sub suo imperio fuit magnū schisma scili- *Tres Papæ.*
cet tres Pōtifices præesse volebāt: vnde conciliū Cōstātiēse *Concilium Constantiense.*

Cæsares post Carolum Magnū. & Basilean se. fuit indictum, durauitque ferè quatuor annis: successit concilium Basiliense, anno 1431. Romam profectus est, ibique corona accepta, rediit Basileam: veniensque Bohemiam omnia dissidia composuit: mortuusque est anno ætatis suæ 70. Christi vero 1437. Doctos homines fouit, amplissimisque dignitatibus honestauit. habuit duas vxores, primam Mariam Ludouici regis Vngariæ & Poloniæ filiam, per quam regnum Vngariæ est consecutus: alteram Barbaram Hermanni Comitis Ciliæ filiam, ex qua suscepit Elizabetham vxorem Alberti Ducis Austriæ.

44. *Albertus quintus, Vngariæ & Bohemiæ Rex.* Albertus quintus eius nominis, rex Romanorum, filius Alberti quarti, vix decem annos erat natus, quando pater eius veneno interiit. anno 1422. duxit vxorem Elizabetham Sigismundi filiam: & Morauiç insigniores vrbes dotis nomine accepit: mortuo autem Sigismondo, à proceribus regni Vngariç, vnanimiter est rex salutatus: atque anno Christi 1438. coronatus. deinde & Bohemiæ rex est salutatus ob vetus fœdus inter Bohemiæ & Austriç reges, quo cauetur, vt deficiente, in altera domo masculino hærede, ex altera foret assumendus: concordi quoque electorum consensu est electus Romanorum rex. moritur anno 1439. prope Strigonium, anno 2. sui imperii. reliquit duas filias, & vxorem prægnantem. quæ peperit Ladislaum.

45. *Fridericus quartus.* Fridericus eius nominis quartus, si computetur Fridericus Ludouici Bauari competitor, filius Ducis Ernesti, & Cymburgæ Ducissæ Masouiæ, post Albertum eligitur Romanorum rex, anno 1440. deinde Italiam ingressus suscepit coronam imperialem, vbi & Leonora Eduardi filia regis Portugalliæ, illi datur in matrimonium: nuptiæ vero Neapoli celebratæ sunt apud regem Alfonsum. *Rex Vngariæ Mathias.* reuersus vero in Austriam graues passus est insidias, donec Austriaibus traderet Ladislaum regem. Defuncto autem Ladislao, Fridericus Cæsar designatus est rex Vngariæ: alii vero elegerunt in regem Mathiam filium Ioannis Hunniadis *Vladislaus.* sed coronari non potuit, quia corona apud Fridericum asseruabatur, quæ redempta est octoginta millibus aureorum. Fridericus regalia dedit Vladislao filio regis Poloniæ & Elizabeth filiæ regis Alberti, qui designatus fuit rex Bohemorum. Mortuo Mathia anno 1490. Vladislaus rex Bohemiæ, factus est rex Vngariæ: Fridericus autem, filium suum Maximilianum asciuit consortem imperii: obiit anno 1493. imperii 53.

46. *Maximilianus.* Maximilianus filius Friderici quarti, seu tertii & Leonorę reginæ Portugalliæ, decem & octo annos natus, ex Vienna Austriæ in Flandriam venit, vt nuptias celebraret cum sponsa, Caroli Burgundi filia. quibus peractis, genuit ex ea tres filios, Philippum, Franciscum, & Georgium, atque filiam vnam Margaritam; quæ postea in morbum incidit, & mortua est: insuper duo filii Franciscus, & Georgius mortui sunt: & Flandrenses Philippum in suam acceperunt tutelam, inuito patre. Margarita vero filia Carolo octauo regi Franciæ desponsata, in Galliam profecta est. deinde anno 1486. eligitur rex Romanorum. *Maximilianus custodiæ datus.* anno vero 1488. à suis est captus, ac Brugis in aromatarii cuiusdam domo custodiæ per nouem menses datus: decollatis plerisque in eius conspectu nobilioribus aulicis. at Fridericus collecto milite, veniens liberauit filium suum: deinde celebrauit secundas nuptias cum Maria filia Ducis Mediolanensis, *Sigismundus dux Austriæ.* cum iam Sigismundus Dux Austriæ Maximilianum heredem suarum prouinciarum instituisset, cogente eum od id Friderico Imperatore. mortuus est autem Sigismundus anno 1497. relicta omni sua facultate Maximiliano regi. *Bellum contra Venetos.* Anno 1508. cœpit Maximilianus pugnare contra Venetos: habuit regem Galliç in fœdere contra Venetos. mortuus est autem Maximilianus in Ianuario ann. 1518. Post mortem vero eius biennio durant tumultus in Germania: nec cessauit, quousque Carolus nepos Maximiliani fuit electus rex Romanorum, qui fratri suo Ferdinando tradidit Austriam, Stiriam, Carynthiam, & Carniolam.

47. *Carolus quintus.* Carolus quintus rex Hispaniæ & Siciliæ, Archidux Austriæ, & Dux Burgundiæ, electus est ad fasces imperii anno Domini 1519. die 28. Iulij. *Victoria Caroli.* deinde anno 1520. duodecima octobris, fuit Aquisgrani coronatus. cum vero Vormaciæ celebraret comitia, fuit à Leone Pontifice misso Legato confirmatus in officio, anno 1526. in Ianuario celebrauit Hispali nuptias cum Isabella sorore regis Portugalliæ: anno 1527. sexta die Maij exercitus Caroli quinti Romam expugnauit. anno 1525. in festo sancti Mathiæ Apostoli, comprehendit Franciscum regem Galliæ apud Papiam. *Coronatur.* Anno 1530. 24. Februarij coronatus est Carolus quintus à Clemente Papa in ciuitate Bononiensi. anno 1535. expugnauit Carolus Imperator in Barbaria ciuitatem Tunissam, atque totum regnū: restituitque regem Altzacheum, quem Barbarossa pirata expulerat: nec Carolus quicquam sibi retinuit de regno illo præter castrum vnum Collectina dictum: præterquam tributum annuum, quod regi imposuit. *Cæsares post Carolū Magnum.* Anno 1541. conatus est Carolus expugnare ciuitatem Argieram in Mauritania: sed ob aeris intemperiem, atque aeris magnam tempestatem id efficere non potuit. Anno 1546. & 1547. gràue bellum fuit inter Cæsarem, & dominos germanos: sed cæsar victor euasit. Anno 1556. omnia regna suo filio regi Philippo assignauit: & in Hispaniam secessit: ibique in quodam Monasterio vitam, quasi monasticam ducens, in pace diem clausit extremum: anno 1559. Iste fuit ille fortunatissimus Imperator, qui maxime ampliauit imperium, multis victoriis, eisdem illustribus auctus & coronatus. vir natus ad maiora, imperterrito semper animo.

48. *Ferdinandus.* Ferdinandus frater Caroli quinti vir strenuus magno consilio, atque prudentia, Archidux Austriæ susceptus est, atque coronatus anno 1527. vna cum coniuge sua, 24. die Februarij in regem Bohemiæ, idque Pragæ metropoli regni. Eodem anno mense Nouembri, electus est Ferdinandus rex Vngarorum, coronatusque in Alba regali. Deinde sequenti Ferdinandus electus est in regem Romanorum: & paulo post Aquisgrani coronatus. Eodem anno, mense Martio Leonora soror Caroli & Ferdinandi Cæsarum, desponsata est Francisco regi Francorum, atque in reginam Galliæ inuncta. *Solymanus.* Anno 1530. venit Solymanus Imperator Turcarum, in Vngariam cum maxima populi multitudine, subegitque eam pro maiori parte: pulsusque tandem est ille tyrannus, virtute & industria duorum Cæsarum, Caroli scilicet & Ferdinandi. Defuncto autem Carolo, Ferdinandus suscepit imperium, quod cum maxima iustitia pace, & prudentia administrauit. Anno domini 1564. die 25. Iulii, mortuo Ferdinando Imperatore,

49. *Maximilianus.* Maximilianus illius filius imperij habenas suscepit: concordique Germanorum consensu in demortui locum est surrogatus. Is cum paternam auitamque æmularetur virtutem; contra Turcas fortiter, atque magna cum laude pugnauit. Annum circiter quinquagesimum, cum in Hispaniarum regimina detineretur, contigit, vt quadam die venatum iret. imbre autem superueniente, aulicis hinc inde dispersis, in tugurium cuiusdam rustici se recepit: cum autem ille nefarius necem ei machinaretur, per filiam rustici nefario detecto consilio, infelicissimam mortem euasit, rustico interfecto, non sine auxilio puellæ. In Flandriam inde se contulit ad Carolum quintum, cuius filiam in vxorem accepit, ex qua fœtu Christianissimæ prolis suscepto, moritur anno 1576. decem annis Imperator.

50. *Rudolphus.* In cuius locum, Rudolphus huius nominis secundus, successit, Maximiliani primogenitus in eisdem Ratisbonentibus Comitiis, Cæsar proclamatus. Anno 572. Rudolphus secundus, Imperator in regem Vngariæ est electus Posoniæ, die 25. Septembris. In regem vero Bohemiæ electus & coronatus Pragæ, anno 1575. die 20. Septembris: in regem Romanorum Ratisbonæ electus, & coronatus in præsentia sex electorum, ann. 75. 20. Octobris. In Romanorum Imperatorem electus & confirmatus Ratisbonæ, anno domini 1576. die 12. Octobris ipsa die quando Maximilianus Imperator mortuus est; nominatus, & confirmatus Romanorum Imperator. cui ab vniuerso orbe Christiano acclamatum est, & acclamatur: Rudolpho pijssimo, perpetuo augusto, magno & pacifico Imperatori, vita & victoria. Et reuera Imperator est pijssimi ingenij, & morum mansuetudine cunctis amabilis, Christianæque fidei defensor. Iam quantum est laudandum huius Christianissimi Imperatoris propositum, & exemplum: vtinā omnes tam pientissimi Imperatoris religiosissimam vitam æmula Christiani nominis imitarentur virtute: proculdubio, bene nobis ageretur nec tot dissidia, dissensiones, bella, populorum strages, innocentum interitus, fidei Christianæ detrimenta apud Christianos principes inuenirentur. Iste est annus decimus sui imperii: vtinam ad centum annos, cum felici Christianæ fidei profectu, & omnium rerum abundantia, & pace, Amen. Deus faueat, foueat, tueaturque semper nostrum pientissimum Imperatorem cum omnibus, qui Catholicam fidem profitentur, tuentur, atque obseruant.

Aliæ vrbes in Latio.

Post descriptionem Cæsarum, ad alia loca, vrbes, *Latium.* atque oppida Latii describenda, reuertamur: A Liri autem ad Tiberim vsque Latium porrigitur. *Liris.* Saturnus arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis, hanc regionē Latiū vocari maluit, ijs quoniā latuisset tutus in oris. Porro, Liris fluuius Cāpaniç est, ortus in Apennino, & Minturnas præterlabēs: vernacula lingua Garilianus *Garilianus.*

[De Latio] [Plinius.] nus dicitur. Martialis: Cæruleus mons Liris amat, quem sylua Maricæ protegit. Vir. Et vmbrosæ Liris per regna Maricæ. Plinius lib. 3. cap. 5. Latium ea pars Italiæ, quæ est inter ostia Tiberis, & Circeios, millia passuum quinquaginta in longitudinem non excedens: quod postea prolatis imperij terminis, antiquum Latium est appellatum. Deinde [Latium citerius & vlterius.] Latij nomine dictum est, quicquid est inter Tiberim, & Vulturnum amnes: totusque ille tractus diuiditur in Latium citerius, & Latium vlterius. Citerius Latium à Tiberis ripa, Fundos vsque protenditur: vlterius à Fundis vsque ad Vulturnum amnem. Varro Latium à Latino rege dici putat: alij à latente Deo. [Ostia.] Ostia vrbs inter mare & Tiberim, quam Ancus Martius quartus Romanorum rex condidit. [Strabo.] Liuius lib. 1. Ostia ab vrbe, 10 ipso maris fluminisque confinio, vt totius mundi opes illo, veluti maritimo vrbis hospitio reciperentur. Strabo lib. v. Ad Apenninum Adriatico vicinum pelago sese habent, primi quidem Vmbri: post eos Sabini postremi Latium habitantes, cum omnes à fluminis initium accipiant. Latinus igitur tractus inter Ostiæ littus, & Senuessam vrbem, & Sabiniam iacet. Est autem Ostia vrbis Romanę nauale, quo Tiberis erumpit, eam [Ardea.] præterlabens extenditur autem in longum, vsque in Campa- [Antium.] num agrum, & Samnitum montes. Ardea vrbs in Latio à feruore regionis sic dicta, quæ decem & octo miliaria ab vrbe est posita. Antium, vrbs Latii, Volscorum caput, Ro- [Circæum.] manorum colonia: dictum quod ante alias vrbes in ipso littore sita sit: ad otium rerumque vrbanarum variationem accommodata: colonia fuit Romanorum. Mons Circęus, qui & Æęus, quondam insula: verum limus de Albanis [Tibur.] mōtibus fluens, angustias aquarum, quæ Circæum à continente excludebant, repleuit, & continenti coniunxit. Tibur, siue Tybur, vrbs ad sextumdecimum lapidem distans ab [Plinius.] vrbe Roma, quam Cato Solinus, & alij quidam à Catillo Arcade, classis Euandri præfecto, conditam esse arbitrantur. Plinius lib. 16. cap. vlt. ipsius vrbis originem antiquiorem esse docet, quam vrbis Romæ, & extitisse adhuc tem- [Tiburtus] [Tiburtii.] pore suo memoriam, ilices tres etiam Tiburto eius vrbis conditore vetustiores, apud quas inauguratus traditur fuisse Tiburtus, dum vrbem esset conditurus. Tiburtes, inquit, originem multo ante vrbem Romam habent. apud eos exstant ilices tres etiam Tiburtio conditore eorum vetustiores: apud quas inauguratus traditur: fuisse autem eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit, vna ætate ante Iliacum bellum. Prçneste, generis neutri, & [Præneste.] hæc Prænestis, vrbs in Latio, quod locus in quo sita est, [Polystephanos.] montibus præstet: alij à πρίνῳ, id est ilice, quæ ibi abundat. Solinus, à Prçneste Vlyssis nepote, & Latini regis filio. Olim Polystephanos dicta est, hoc est, multarum coronarum, vt dicit Plutarchus. Quidam à Cæculo Vulcani filio conditam [Fortunæ Templum.] ferunt super Aretino monte. Virg. lib. 7. *Nec Prænestinæ fundator defuit vrbis, Vulcano genitum pecora inter agrestia regem &c.* In hac fuit Fortunæ templum illustre, vt Strabo dicit lib. v. à Sylla ædificatum, à quo petebatur oraculum. Ambas vrbes Tyburtam & Prænestam Strabo dicit in eadem monta- [Tarracina.] na regione constitutas esse: sed distare inuicem stadia centum. & Prænestum distare ab vrbe Roma etiam duplo, sed Tyburum minus. Tarracina oppidum, Volscorum lingua Anxur, vrbs prona in paludes, eo quod colebatur imbi puer Iuppiter, qui Anxurius dicebatur, à verbo græco, quod sine nouacula interpretatur, propterea quod barbam non rasisset, est etiam fons circa Tarracinam, qui aliquando dictus [Caieta.] est Anxur. Caieta à nutrice Æneæ sic dicta, teste Virg. 6. Æneid. *Tu quoque littoribus nostris Æneia nutrix Æternam moriens famam Caietam dedisti.* Distat à Tarracina viginti millibus passuū: portum Caieta eo in sinu habuit semper optimum, qui ab Antonio pio magnis exstructionibus instauratus scribitur. Ea in via est ciuitas Fundana, decimo à Tarracina [Fundi.] miliario, de qua Liuius lib. 8. Fundanis, quod per fines eorum tuta parataque semper extiterit via. Euntibus a Fun- [Formiæ.] dis Formias sinistrorsum est oppidum, à quo Galba Impe- [Galba Imper.] rator originem habuit. dextrorsum vero est lacus Funda- [Lemurnæ.] nus. Inde Itrum quinto, quæ ciuitas Lemurnarum fuit & altero item quinto, sed extra viam Appiam est Caieta: ea autem decem millia passus viam habent inter arduos celsosque montes; sed viti olea arborumque consitionibus amœnissima regio, & secundum litus, marisque vndas, oppidum spelunca appellatum: vbi Strabo lib. 5. dicit, speluncas patere ingentes. Post speluneas in littore est Caieta, à qua ad Traiectum siue Lirim fluuium, nunc Gaurianum appellatum, millia decem passus extenduntur: terra vtiqua [Gelasius Papa.] orbis totius amœnissima. Caietam Gelasius secundus, Fun- [Sother Papa.] danam ciuitatem Sother, papali ornāt potestate. In conspectu autem speluncarum, quas ad Caietę sinum esse diximus, sunt propositæ in Pelago duæ Insulæ, Pandaria, & [De Latio] [Pandana & Pontia.] Pontia Colonia quæ à continenti, ducentis quinquaginta stadijs diuisæ, iacent. Ex hac autem parte Latij finis attigimus. Reliquum est, vt Romam versus redeundo alia quædam describamus. In mediterraneis est Velitræ ciuitas ve- [Velitræ.] tusta, de qua Liuius in octauo In Velitrenos veteres ciues. ex ea Octauij Cæsaris Augusti progenitores originem habuere: hodie est ciuitas notissima. Quinto ab ea miliario ad sinistram distat vetustissimi nominis oppidum Cora, ab [Cora.] vno trium fratrum conditum, quorum alius Tybur ædificauit: alius monti proximo Catillo cognomen dedit. de quo Virgil. 7. *Tum gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt Fratris Tyburti dictam cognomine gentem: Catillusq; acerq; corax, argiua iuuentus.* A Vilitris recto itinere est oppidum Sarmineta, o- [Sarmineta] mnibos propemodum notum. deinde aquę fœtidæ, à quibus palus incipit Tarracinam vsque inde Setia, Priuer- [Setia.] num Theotonica simul & Britonum rabie destructum: cu- [Priuernū.] ius alumna fuit Camilla virgo, quam mirifice commendat [Camilla virgo.] Pueta Maro. hac transit via Appia, cuius prima vrbs Alba, 16. ab vrbe distat lapide: huius tredecim fuere Albani reges de Æneæ, & Lauiniæ gente. Liuius scribit, Albam à Romanis destructam: Albanos in vrbem receptos, Cælium montem incoluisse. Virgil. in 1. Albanique patres. Et in 8. Ascani- [Via appia.] us clari condet cognominis Albam: quæ quidem vrbs trecentis annis ante Romam condita est. Siquidem in Italia Ianus regnauit, Saturnus deinde, post eum Picus, quem Faunus sequutus est. hinc Latinus successit: quo regnante, Æneas venit in Laurentem agrum, & Lauinium condidit. Ascanius in longam Albam, quam condiderat, regnum [Alba.] transtulit: vbi regnatum est annis quadringentis triginta & duobus: ab Ascanio 38. Posthumio 29. Ænea Siluio 31. Lati- [Reges Romanorum.] no Siluio 50. Alba Siluio 39. Atyne 24. Capy 28. Capeto 33. Tiberino 9. Agrippa 40. Auentino 37. Proca 22. Amulio 43. Porro ab vrbe condita anni numerantur sic. sub Regibus ducenti quadraginta vnus: sub Consulibus quadringenti sexaginta septem. sub Imperatoribus quadringenti septem. Sabini haud procul a Latinis degunt, intra Apennini iuga. [Sabini qui sint.] ἀπὸ τοῦ σέβειν, hoc est, à deorum veneratione, quos pie magis q̄ magnifice colebant, dicti. Populi sunt in quarta regione Italiæ non procul à Ruma, à cultu deorum cognominati Sabini, quasi Sebini. Silius vero à Sabo authore gentis, Sabi- [Silius.] nos dici putat. vnde lib. 8. ait: *Pars laudes ore ferebant Sabe tuas, qui de patrio cognomine primus, Dixisti populos magna ditione Sabinos.* Hos Plinius Apēnini iugis vallatos vtrinq; scribit. *Sabini,* [lib. 3. c. 12.] inquit, *vt quidam existimauere a religione, & deorum cultu Sebini* [Sabini.] *appellati. Velinos accolunt lacus, roscidis collibus.* Nar amnis exhaurit illos sulphureis aquis. Tiberim ex his petens, replet, è monte Siscello labens, iuxta Vacunæ nemora, & Reatæ in eosdem conditus. At ex alia parte Anio, in monte Trebanorum ortus, lacus tres amœnitate nobiles, qui nomen dede- [Sabinorum situs.] re sub laqueo, defert in Tiberim. in agro Reatino cutiliæ lacum, in quo fluctuet insula, Italiæ vmbilicum. M. Varro tradit, Infra Sabinos Latium. à latere Picenum, à tergo Vmbria, Apennini iugis Sabinos vtrinque vallantibus. Strabo [Strabo.] lib. 5. Sabinia, ait, inter Latinos, Vmbrosque iacet: extenditur ad Samnitum montes, propinquior Apennino ad Vestinos, Pelignos, & Marsos. Sabini angustum incolunt agrum: in longitudinem protensum à Tiberi vsque Nomentum oppidum stad. mille vsque ad Vestinos: paucas quidem, ac tenues habent vrbes, bellorum assiduitate vastatas. Amiternum, Curis vrbs quondam insignis: nunc autem vicu- [Numa Pompilius.] lus, ex quo exciti sunt T. Tatius, & Numa Pompilius, Romæ quandoque regnantes. Ager eorum egregie oliuetis & vinetis præditus est, glandesque passim producit: maxime gregibus, & armentis student. Itaque Sabini, gens antiquissima est, cuius postquam potiti sunt Romani, Fabio authore, tum primum illorum diuitiæ auctæ sunt. per ipsos via salaria, non magnæ longitudinis strata est: in quam & Nomentanā incidit, apud Heretum Sabinorum vicum, supra Tiberim iacentem, ex eadem collina porta inchoans. De hoc Latium. Virgilius ante inditum nomen Italiæ, Oenotrios illam coluisse affirmat: Oenotriam vero, Sabinorum situm [Sabina.] fuisse, constat. Virg. 7. *Oenotria tellus.* Seruius, Sabinis attri- [Oenotria.] buit. Romanos quoque à Sabinis originem ducere, ex Sabinarum raptu mulierum, satis est manifestum. In parte est, inquit Virgilius, data est Roma Sabinis: propter fœdus initum inter Romulum & Titum Tatium. Siquidem ea lege recepti sunt in vrbem Sabini; vt in omnibus essent ciues Romani: suffragiorum voto duntaxat excepto: ab eis enim Magistratus nequaquam creabatur. Sabina ergo gens totius Italiæ vetustissima, multorum locorum oppida,

montes

De Latio & Sabina. montes, lacus, flumina obtinebat, quę temporis antiquitate mutata ſunt. Dicamus inprimis de Narnia ciuitate, *Narnia.* arduo in colle ſita, à profluenti Nare dicta, quam Liuius & *Nar ſiue Negra fluuius.* Plinius nequinam fuiſſe dictã, affirmant. Hæc ciuitas pontem habuit ſuperbiſſimi operis, ſed hodie dirutum eſt, ciuili diuiſione lacerata, ſuorum ciuium necem peperit. *Ocriculi.* Septimo inde abeſt miliario Ocriculum in via Flaminea vetuſti nominis oppidum: vltra quod Sabinæ fines Tiberim attingunt. Fuerunt autem olim in Sabinorum montibus qui nunc Reate, & inter Sabinam præſentis temporis regionem altiſsimi cernuntur. Mons bonus, Mallianum, apud Pedelucum *Pedelucus.* montes incipiunt, qui ſiniſtra ciuitate Reatina perpetuo in meridiem curſu continuantur. longe ab Apennino recedunt. *Taliacotium.* Taliacotij montibus proxime adhærent, Tyburque feruntur: quos quidem montes olim Arcades *Tetrica rupes.* incoluerunt: & Tetricæ horrentis rupes, monſque olim ſeuerus, mons ſancti Ioannis, nunc mons Niger dicitur. Supra eos dextrorſum, eſt oppidulum caput Farfari dictum, quod eo in loco Farfarus amnis originẽ habeat: fams vtiq; notiſſimus, qui noſtri temporis Sabinã mediã diuidit. Imele aũt ſiniſtrorſum proximũ villæ, quæ nunc oppidũ Vacunna appellatur. *Mallianũ.* Imele dextrorſum, imminet Mallianũ, ciuiliter habitatum & primariũ hoc tempore Sabinæ oppidũ. Post Arduum montem, in quo Mallianum, deſcendentes in Sabinæ *Imele fluuius.* mediterranea, vallem inueniunt amplam, in qua Imele *Turres, patria Numæ Pompilij.* fluuio proxima eſt ſanctæ Mariæ, ſanctique Eutimij eccleſia: cui dextrorſum adiacet oppidum Turres: patria Numæ Pompilij. Nomentum ad hanc vrbi Romę conterminam *Nomentũ.* partem continet: ſupra Cures ſiniſtrorſum in montibus *Stronconium.* ſunt caſtella Stronconium, mons ſaluus, & ſanctus Petrus: inferius ad dexteram Contanellum, Rochs antiqua, & aſpera, ſecus, quam torrens labitur: Calentinus breui curſu in Tiberim ruens. Contanellum & Rocham antiquam ſupereminent colles alti: vltra quos eſt Buccinianum oppidum ſancti Petri inter Calentinum & Mallianum oppidum, ſunt aliquot caſtella, Collis vetus, Steiniliana, Furanum, Gabioianum, tranſiniſſoque Calentino, caſtellum eſt in Colle, Poggium Mirretum: cui torrentulus adiacet *Farfarus amnis.* riuus Solis dictus. Sequitur ad Tiberim Farfari amnis hoſtium: qui quidem fluuius Farfar, & Fabaris olim dicebatur. Fabaris, inquit Seruius, per Sabinos tranſit, & *Farfar monaſterium.* Farfarus dicitur. Ouid. Amœnæ Farfaris vndæ. Sane, longiſsimo tractu relictis tranſitiſque montibus per plana labitur: opacis vndique tectus arboribus. In amœniſsima vero planicie monaſterium ipſi fluuio dextrorſum imminet ampliſsimum. decem caſtella obtinens. Porro, vallis quam Farfarus efficit, multis habitatam caſtellis, montes, qui à Pedeluco Tibur vſque continuo tractu ſeſe extendere procurabant. interrumpit, diuiditque. In hac valle Horatius villam habuit. vnde primo carminum *Velox amœnum ſæpe Lucretilem mutat Lycæo Faunus* & c. Lucretilis eſt mons in *Allia fluuius.* Sabinis. Sequuntur ad Tiberim fluuij Curreſii, ſiue Alliæ hoſtia: vbi Sabinæ regionis olim finis erat. Allia fluuius non longe ab vrbe Fidenæ inter montem Rutundum Anienemque & Tiberim. *Vmbria.* Hæc de Sabinis. Ad quartam regionem Italiæ tranſeamus quæ olim Vmbria dicebatur, ab imbre. Vmbri omnium Italiæ populorum antiquiſsimi: qui inundationi terrarum imbribuſque ſuperfuiſſe creduntur. Vel dicta eſt Vmbria ab vmbra, quod ea regio propter altitudinem *Ducatus Spoletanus.* montium & vicinitatem Apennini. vmbroſa ſit. Dictus eſt Ducatus Spoletanus ab Hexarchis Italiæ ſedem Rauennę tenentibus. Quibus autem viribus, quaue potentia bellandi valuerint; vel ex hoc cognoſci poteſt, quod Romam ſe oppugnaturos minati fuerint, authore Liuio *Lib. 3 c. 14.* lib. 9. complectebatur hæc regio olim agrum Gallicum circa Ariminum, teſte Plinio. Vmbrorum gens antiquiſsima Italiæ exiſtimatur: vt quos Vmbros à Græcis putent dictos, *Strabo.* quod inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent. Strabo lib. 5. dicit Ariminum eſſe Vmbrorum coloniam. Sunt autem hoc tempore Vmbriæ termini ab Apennino Tiberis *Burgus.* fonte, hoc eſt, à monte Aluernæ vſque Namium: Ex Apennino autem deſcendentibus obuiam fit Burgus ſancti ſepulchri, ciuitas hodie Epiſcopalis: cuius accolæ valent *Caſtellum.* ingenio & armis: & ciuili diſcordia plurimum affliguntur. Decimo lapide à Burgo eſt Tifernus: ciuitas caſtelli, plurimorum ciuium ciuilitate ornata. illuſtri præſertim familia Vitulorum: ex qua plurimi orti ſunt bello clari, & armis inſignes à Plinio lib. 3. cap. 14. vocantur Tiberini, propterea *Eugubium.* quod ad ripam Tiberis ſint poſiti. Diſtat à Tiferno viginti millia paſſus. Eugubium ciuitas ad Apennini radices poſita, vetuſta & nobilis, ac ciuium ſuauitate repleta: in armis quoque non ignota, & obſcura. *Brancha.* Supra Eugubium caſtella ſunt Brancha, deinde Schigia: qua olim erat via Flaminea ad Romandiolam. à *De Vmbria.* *Schigia.* Schigia ſecundum Apennini latera, hanc ingredienti prouinciam obuium fit Coſtatiarium Eugubini agri oppidum: *Coſtaciarium.* deinde ſigillum Peruſinorum: inter quæ oppida Chiaſius *Sigillum.* fluuius oritur: qui inter Eugubinos Aſsiſinateſque montes *Chiaſi.* delapſus fertur ſub Channaria oppido in proximum amnem *Topinum.* Tinium, ſiue Topitium. Inde Foſſatum arduo in Apennini *Foſſatum.* colle caſtellum: & quarto inde miliario Validum, *Gualdum.* cui Gualdum nomen indiderunt: quod oppidum à Longobardis ædificatum eſt. *Nuceria.* Per viam vero Apennini eſt Nuceria ciuitas, cognomine Alphatenia vetuſti nominis, eſtque ad Tenium, nunc Topinum amnem poſita: iturque illac duodecimo *Fulgineũ.* miliario Fulgineum, olim forum Flaminij: hodie *Spellium.* ciuitas Epiſcopalis diues, & mercibus plena. Apud quam *Aſsiſium.* eſt planicies totius Vmbriæ ampliſsima, & amœniſsima. in qua ſunt ex vna parte Spelium vetuſti nominis oppidum. Inde Aſsiſium, antiquitus Axium: ſancti Franciſci natiuitate *Franciſcus.* clara ciuitas: in qua ſunt etiam eius ſacrę reliquię in templo mirifici operis ædificio: in planicie autem è regione ciuitatis, ſancta Maria de Angelis, toti orbi veneranda eccleſia: Franciſcani ordinis caput, vbi ſanctus Franciſcus è vita migrauit. & quotannis calendis Auguſti eſt indulgentia plenaria, qua culpa pariter & pœna tollitur ad quam ſingulis annis magna eſt populorum frequentia, ab anno milleſ. ducent. 24. vſq; ad hoc tempus 1586. 5. Auguſti. Non longe eſt oppidum Cannarium, & in colle poſitum oppidũ Bettonium, quæ Tupinus fluuius perfluit. *Baſtia.* Baſtia quam alluit Cheſius. qui ſub Cannario Topino iungitur: inde ad Torſanum *Cannariũ.* ruit in Tiberim: nec vllo Tiberis maiore augetur fluuio, *Bettonũ.* præter Narem Anienemque. Ad alteram Chiaſii partem, *Fracta.* ſunt multa oppida: Fracta, ciuile oppidum, & humanitatis *Treuium.* plenum: montonium in colle poſitum, non longe a Tiferno, ſiue ciuitate Caſtelli. Supra Fulgineum ad ſiniſtram arduo in colle eſt Treuium. ſiue Trebula: cuius Accolæ ſtudia multarum literarum plurimum colunt, & ciuilitati intendunt oppidum valde odiferum, & agri bonitate ſuaue. Sub colle huius oppidi perlucidus fons, tantam indefeſſo hiatu aquarum eructat abundantiam; vt intra ſtadij vnius rurſum, amnem efficiat. qui in Topinum labitur: vocaturque *Clitumnus.* Clitumnus: de quo Virg. in Georgicis, vt dixi. *Hinc Albi Clitumne greges, & maxima tauri: Victima ſæpe tuo perfuſi flumine* *Virgilius.* *ſacro: Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.* Plinius ſcribit *Plinius.* eam otam tauros gignere omnium Italiæ maximos in quibus plurimi ſunt albi. E regione autem Triuij ex altera parte Clitumni in amœno colle Falcũ eſt oppidũ cuius incolæ *Falcum.* valent ingenio, & agri vbertate fruuntur: ſed diſcordia ab inuicem diſſentiunt. Eſt inibi ſacrum pignus ſanctæ Claræ *S. Clara.* omnibus hominibus admirationi, & honori. Ad collis *Meuania.* illius radices in via olim Flaminea, eſt Meuania Propertij *Propertius.* poetæ patria: qui de ſeipſo ſcribit lib. elegiarum. Proxima *Spoletum.* ſuppoſito contingens Vmbria campo, Me genuit terris fertilis vberibus. Poſt Triuium imminet Spoletum, quam dicit Liuius lib. 20. Coloniam à Romanis deductam fuiſſe. Et lib. 22. Hannibalem, poſt Traſimeni pugnam feliciſsime geſtam, per Vmbriam ad Spoletum perueniſſe: inde cum depopulato agro ad expugnandam vrbem accederet; magna vi repulſus, terga vertere coactus eſt, & in Picenum agrum exercitum deducere. Ciuitas eſt antiqua, religioni ac pietatis operibus intenta; ſed nouarum rerum cupida, & facilis ad credendum. Nuceriæ, Folgineo, Triuio atque Spoleto imminent montes altiſsimi, plurimis inter ſe vallibus atque torrentibus ſeparati. Supra Fulgineum *Caputaqua.* eſt Caputaquæ caſtellum, à ſcaturiente ibi celeberrimo fonte dictum: à quo amnis efficitur, breui tenuium aquarum *Collis floridus.* curſu accedente. Supra eſt Collis floridus. Et per Collem floridum itur ad Apennina arctiſsima clauſtra: Serauallis *Seraualis.* nomine, inde in Camerinum, ciuitas vetuſtiſsima, *Camerinum.* finis vmbriæ, & principium Piceni. Supra Spoletum in montibus arduis eſt Ceretum & Pons: oppida à Nare fluuio ab inuicem diuiſa: non longe eſt oppidum Tripontium, cuius iuriſdictionis cauſa Nurſini atque Spoletani, non paruam inter ſe pugnam exercuiſſe leguntur. Non longe *Nurſia.* deinde inter montes, amœna planicie diſtinctos, Nurſia *S. Benedictus.* iacet, ſancti Benedicti patria. hoc tanto alumno clariſsima & nobilis, ciuitas eſt vetuſtiſsima, quæ Quintum Sertorium nulli Romanorum ducum virtute ſecundum genuit. populos ſub ſe plurimos habet, animi velocitate, ac corporis viribus præditos. ſed verborum conſtantia, & ſimplicitate minima. Inde verſus alteram partem eſt oppidum Caſsium, diues & mercibus plenum, multa ſub ſe caſtella continens, populos duros, & fortes, & à ſeditione nequaquam liberos. Proximus adiacet mons Leonis in *Mons Leonum.* arduis montibus poſitus; & inferius ad Narem fluuium

pons

De Piceno. Pons lapideus ad oppidum Heronem: infra quod oppidum Nar fluuius Velini amnis lacusque casu mirabili augetur. *Amnis Velinus.* Is enim amnis Velinus in Apennino binos habet fontes: primum quidem ad ciuitatem regalem: alteram vero ad Interdochum oppidum: delapsusque ad ciuitatem Reatinam, eam mediam secat: à qua originem duxerunt, Vespasianus, Titus, & Domitianus Imperatores. Progressus autem paruo *Reate.* spatio itineris à Reate Velinus amnis, multisque fontibus *Lacus Velinus siue pedilucus.* auctis, Velinum efficit lacum: nunc autem à pede Luci propinquo oppido vocitatum. Prius vero quam in lacum aquæ colliguntur, paludes efficiuntur: in quibus, vt dicitur iumentorum vngulæ indurantur. In eo autem lacu, vt dixi, *Vmbilicus Italiæ.* est vmbilicus Italiæ. Decidit autem ex eo lacu in Narem idem fluuius alta rupe, cuius ex sonitu casuque fumus ascendit in sublime, aerem obnubilans, & spumans, scintillasque exilire faciens. vnde Virgilius in septimo.

Virg. de laco. *Est locus Hesperiæ medie sub montibus altis,*
Nobilis & fama multis memoratus oris:
Amsancti. i. omni parte sancti. *Amsancti valles densis hunc frondibus antrum.*
Vrget vtrinque, latus nemoris mediisque fragosus.
Dat sonitum saxis, & torte vertice torrens,
Hic specus horrendum, & sæui spiracula ditis
Monstrantur, ruptoque ingens Acheronte vorago.
Pestiferas aperit fauces &c.

Cæterum Nar fluuius, de quo Virg. 7. Æneid. *Sulphurea* *Nera.* *Nar, albus aqua, fontesque Velini:* ex gemino fonte originem habet & quilibet fluuium inchoat: ex duobus manans orificiis narium, animalis cuiuspiam speciem in saxosi montis *Interamna.* capite imitantibus. Perlabitur hic fluuius Interamnam ciuitatem, quæ ex situ fluminum nomen accepit, quasi inter duos amnes posita: Vna fuit ex Coloniis Romanorum, teste Liuio lib. 27. cuius prata, teste Plinio, quater in anno irrigua secantur: non irrigua vero, ter: idque propter fluuii viciniatatem, & aquæ naturam, terræ pinguedinem afferentem. Ciuitas est bellicosa, & industria, atque gloriæ cupida, nullique cedere solita. Ex Interamna ad Ameriam paruum est iter: quæ vtique ciuitas est vetustissima: de qua Plinius. *Ameria. lib. 3. c. 14.* Ameriam ante Persei bellum conditam, ait Cato, annis 1464 Patria extitit Roscii, quem Cicero parricidii accusatum contra Syllæ dominantis potentiam defendit. Patrem e-*Roscius Amerinus.* nim Roscii hominem locupletem, magis quam par erat, in filium inclementem, clam occiderunt quidam: filiusque per occasionem discordiarum, quasi paternæ cædis author ab ipsismet interfectoribus accusabatur. Ciuitas est admodum curialis: parsimoniæ studiosa, ac bonis moribus ornata. Non longe positum est ab Ameria, oppidum Lucceolum, *Lucceolũ.* hodie Lugnanus: aeris temperie, ac agri fertilitate orna-*Lugnanus.* tum: nec non & accolarum industria, & humanitate: sicque de felici Vmbria satis dictum habeo.

De Piceno siue Marchia Anconitana.

Picenum. **Q**Voniam Picenum conterminat Vmbriæ, de qua locuti sumus; hac de causa, post hac de illa regione loquendum nobis esse arbitrati sumus. Nomen habet à Pico aue quæ in vexillis Sabinorum Asculum proficiscentium consedit. Scribit enim Strabo lib. 5 Picentium conditores è Sabinorum terra profectos fuisse. Est au-*Picus auis.* tem Picus auis parua vncorum vnguium, cauat arbores, in quibus pullos educat: & scandit in subrepeum felium modo. *lib. 10. c. 18.* Dicta à Pico Saturni filio, qui ei nomen dedit, teste Plinio Sunt & paruæ aues, inquit, vncorum vnguium, vt Pici, Martio cognomine insignes, & in auspiciis magni. Quo in genere arborum cauatores, scandentes in subrepeum felium modo, percussi corticis sono, pabulum subesse intelligunt: Pullos in cauis educant auium soli. Quoniam vero hæc auis Marti sacra est; idcirco Picus Martius interdum dicitur. Picos Romani veteres vocabant, quos Græci consueuere appellare Gryphes, belluas quadrupedes, visu & forma terribiles, corpore leonino, rostro, alis, pedibus aquilis similes habitare in Hyperboreis montibus, in Asia-*Pici vbi habitant.* tica Scythia feruntur, vbi aurum & gemmæ nasci perhibentur: regionemque illam inhabitabilem reddere. Plautus: *Marchia.* *Picos diuitiis, qui aureos montes colunt, ego solus supero.* Itaque illa regio, quæ prius Picenum dicebatur, nunc Marchia Anconitana vocatur: Marchia autem perinde sonat, ac præfecta, & capitanea, vt ita dicam, regionis. Et reuera, Picenum v-*Fines Piceni.* berrimæ quondam fuit multitudinis: namque trecenta, & sexaginta millia Picentium in fidem Romani populi venere: nostro quoque tempore copioso milite abundat: eruditorum etiam hominum frequentia, ac pinguedine terræ, *Troent.* sub ecclesiæ regimine consistens. Incipit à Troento amne, vsque ad Isaurum fluuium, qui nunc Folia dicitur: & hinc Apennino, hinc mari supero terminatur. Isaurus autem, si-*De Piceno.* ue, Folia, ex Apennino ad Cotulum arcem, ortum habens, Pisauri ciuitatis vetustæ mœnia attingit. hinc & Pisaurum *Isaurus. Folia. Pisaurum.* nomen accepit: quod scilicet prope, siue iuxta Isaurum ciuitas illa ædificata, consistat. Fuit autem à Romanis condita: vnde Liuius *lib.* 39. à Romanis simul cum Mutina, & Parma Coloniam deductam, scribit. Ciuitas hodie pulchra, sub illustrissimi Ducis Vrbini regimine degens. Supra Pisaurum ad Foliæ fluminis sinistram ripam, est Monsabbatis oppidum. è cuius regione Idaspis fluuius Isauro iungi-*Monsabbatis.* tur. Inter autem Idaspim & Isaurum, Pisaurensis, & Vrbinatis agrorum multa oppida numerantur. In editissimo *Vrbinum.* autem monte inter ipsa flumina Vrbinum vetusti nominis ciuitas, cuius meminit Cornelius Tacitus, & à Plinio Metaurenses vocantur: caput est hodie ducatus, nobilis, & literarum studiis referta. Supra Pisaurum ad sinistrum est *Mons Baroccius.* mons Baroccius, & Nouolaria: inter quæ torrens labitur: *Argilla.* Argilla, Fani fortunæ mœnia attingẽs. Est autem Fanum *Fanum.* Piceni vrbs in littore Adriatico, inter Pisaurum & Senogalliam. non longe à Metauro amne sita: sic dicta, quod in ea pulcherrimum fortunæ templum fuerit; fanum enim templum est, locus religiosus, à Faunis diis, qui solent diuinare. vel à Fauno, qui, authore Probo grammatico, primus conditor fuit. Porro, Metaurus fluuius velox est, distatque à *Metaurus fluuius.* Fano tertio lapide. Candianus quoque fluuius non longe *Candianus.* distat: Candianum oppidum ab eo fluuio appellatum. estque Lucceolis locus, apud quem Eleuterius Italiæ Hexarchus fuit interfectus. Interius vero ad Metauri superiora progredientes, planiciem inueniunt speciosissimam, in qua primum est oppidum à Metauro pene Insula circumdatum, *Castrum Durantis.* quod castrum Durantis appellatur, à Guilelmo Durandi Carnocensis decano à fundamentis ædificatum. Sequitur *Senogallia.* inde Senogallia vrbs antiqua à Gallis quondam Senonibus habitata: qua vrbe capta & incensa, à Romanis duce Camillo ad internecionem caesi sunt: ciuitas est in Adriatico littore. Sunt vero multa interius circa Misam amnem oppida, & *Misa amnis.* castella Mons Bodii, Cornaltum, & Rocha: & paulo superius augetur Misa Sentino fluuio, ad Saxiferrati mœnia delabente, patriæ Bartoli Iurisconsulti peritissimi. Sentinus au-*Sentinus fluuius.* tem fluuius vetusti nominis memoriam retinet, à Sentina *Saxum ferratum.* vrbe vetustissima, supra saxum Ferratum stadio secundo. *Bartolus.* Sexto ab inde miliario est Fabrianum nobile oppidũ. quin-*Fabrianũ.* gentis passibus ab ipso amne, arduo in colle semotum: ex *Mathelica.* auersa à Fabriano regione, est Mathelica oppidum non ignobile, cuius nomen in Picentibus à Plinio ponitur, iuxta *Ancona.* quod labitur torrens breui cursu in Esim. Post Esis ostia promontorium incipit, quod mons Anconæ nominatur. Est autem Ancona ciuitas nobilis, & mercatoribus plena, ædificata, authore Iuuenale, à Doricis Græcis, vel à Siculis, *Cubitus Italiæ.* vt Plinius sentire videtur lib. 4. More autem græco, Ancon, cubitus vel curuus dicitur. eo enim in loco Italiam se flectere, ait Plinius. & aduersam huius cubiti partem, concauum esse limatum ac maximum: quod à Pistoria incipiens per Casentinum Burgumque sancti sepulchri, tanquam primo cornu procedẽs, Centralem sinum aquid Fossatum, & Gual-*Portus Anconæ.* dum, alterum vero cornu ad Nursiam Casiamque habet. Anconæ portum Traianus Imperator insigni opere extruxit, ac nauibus tutissimum reddidit. Primus post Cimeri-*Musio fluuius.* cum promontorium, est amnis Musio, quem ad ostia aspidum vocant. Tertioque ab eo amne miliario, & paulo supra mare vetustissima interiit vrbs humana: & paruo ab inde spatio mari adhæret Sitiolum oppidum, in ipso Promontorio: Ad alteram vero Promontorii partem, in mediterranea, primum est castrũ Ficarellum: interius decimo ab An-*Auximum.* cona miliario, est Auximum ciuitas vetustissima in monte sita, cuius radices Musio alluit. Superius 12. miliario sub Apennini collibus, est Cingulum oppidum à Labieno ædificatum: & medio inter Auximum Cingulumque spatio, est Staphilum, haud ignobile Piceni oppidum. Attingit vero in mediterraneis mari propinquioribus Musio Recanetum ciuitatem, quæ Recinetum principio appellata est, *Recinetum.* ab Elio pertinace Romano Imp ædificata: demolitis enim euersisque Maceratæ fundamentis, eius accolæ in oblũgum istud dorsum demigrantes, Recanetum ciuitatem ædificarunt. Quod quidem Recinetum de Creta marmoribus insculpta, quę apud Maceratam visuntur, ex pare ostendunt. Porro inter Recanetum, & Adriaticum est sancta Maria in *S. Maria in Laureto.* Laureto, toti plane orbi notissima ecclesia: cuius beneficio ipse sum à faucibus mortis erutus, voto emisso eundem sacrum locum visendi, à me extrema valetudine laborante: meæ ætatis anno vigesimo: nunc autem 62. Laus tibi gloriosa mater, omniũ gratiarũ plenissima. Potentia fluuius se-*Potentia fluuius.* quitur: ad cuius ostiũ, eiusdem nominis vrbs, inter primas.

Picen i .m

Aprutiū. Picentium aliquando numerata. Ad primos Apennini
S.Seuerinum. colles præterlabitur sanctum Seuerinum nobile, sed no-
uum oppidum, ex reliquiis Septempedæ oppidi antiqui à
Longobardis diruti, erectum. Inde sequitur S. Maria in
Cassiano oppidum ad dexteram: & intus ad sinistram,
paululum à mari recedens ciuitas noua, & nono ab illo
Macerata loco miliario Macerata ciuitas noui nominis, ciuilitatis &
ciuitas noua. virorum non ignotæ literaturæ plena. Et quinto inde mili-
ario, mons Vlmi oppidum. & ad Chientum amnem, est
Tollentinum vetus oppidum sancto confessore Niculao fa-
Tollentinum mosum, & omnibus propemodum notum. Supra Tollen-
tinum tertio miliario Belforte oppidum. Inde Camerium
Belforte. ciuitas populi frequens atque [illegible]us famosa: à curuitate
Camerinū. situs ita appellata: ab ea Camertes dicti sunt: quos Liuius
scribit P. Scipioni in Armanda classe, quam in Africam du-
xit, cohortem vnam sexcentorum militum armatorum
Consignanum. præbuisse. sunt & in mediterraneis consignanum: & tertio
inde miliario Aufida, nobile ac natura loci oppidum mu-
Aufida. nitum: altissimis vero in montibus, qui prædictis oppidis è
regione respondent, summo in Apennino, est mons sanctæ
Cauerna Mariæ in Gallo oppidum: cui in ipso Appennino propin-
Sibyllæ. qua est cauerna Sybyllæ: & lacus ille dæmonibus infamis.
Lacus. Atquata oppidum nobile. Item in Apennino mons Mona-
chus non ignobile oppidum sub Asonis fluuij fonte situm.
Ad Asonis autem sinistram littori fluuioque adhæret Pe-
dasium castellum. & supra est mons Nouem, hoc est à nouem
Mons altus. nobilibus ædificatus: inde mons altus, Papæ Sixti V. nati-
uitate celebratus, ac illustratus, ordinis sancti Francisci. In
Apennino fluuius oritur nomine Castellanus, qui paruo
Asculum. cursu ad mœnia Asculi defertur, & paruo inde spatio cadit
in Troentum. Asculum ciuitas vetustissima: aliquando Pi-
centum prima fuit. Liuius 72. cum dixisset Italicos populo
bello sociali defecisse, primos ponit Picentes. Et lib. 76. di-
cit Asculum à Pompeio Strabone captum: quo in prælio
cum terra tremuisset Straho tellurem cæde promissa placa-
uit: post cædem nihilominus incendiaque commissa, vr-
bem euertit: propterea quod Asculani initio belli missos ad
se legatos interfecissent. Floruit hæc ciuitas viris præcla-
Viri illustres Asculani. rissimis, Tito Betutio Baro oratore, quem Cicero in Bruto
exteris suæ ætatis externis oratoribus prætulit: Ventidio
Nicolaus Basso duce Romano, qui primus Parthos attigit: Nicolao
Pontifex tertio Pontifice maximo. Est etiam alia ciuitas ex hac parte
Rom. in Piceno, Firmium, nobilis vtique, & probis viris ornata:
Firmium. & Adria, & similia loca. Sed de Piceno, siue Marchia Anco-
nitana satis sit dictum.

Aprutium.

POsthac dicamus de Aprutio, cuius regionis populi
Samnium. prius Samnites dicebantur à Samnio ciuitate: a-
iunt enim scriptores, Sabinos ad loca illa habitan-
da commeasse: ideoque prius Sabellios, quam
Samnites fuisse nuncupatos. Aprutium autem dictum est
ex tenui Præcuntino Samnitum agro, qui postea ab impe-
Præcuntinus. ritis Aprutinus est appellatus. Meminit Plinius huius agri
Præcuntini, quem dixit Piceno conterminum esse, à Troen-
Aprutinus. co amne: qua ad regni Neapolitani regionem obtinendam
ingressus est Annibal & Cæsar. Est autem ad dictam Troentis
Columella amnis sinistram oppidum Columella: & inde contra Guer-
ra, Ancaranum, Morum, Minotrassinium, quod vetus op-
pidum Plinius Tessuinum appellat: cui proximum est ostiū
Castellani amnis Asculum ambientis, quo se in Troentum
exonerat. Ad ipsius vero Castellani sinistram, mons San-
ctus, Macula, Bussarium, Sanctus Vitus. cui oppido hæret
vallis Castellana, quæ à fonte illius fluuij nomen sortita est,
Matrice. aliquot viculis habitata. Ab ea autem valle ad Matricem
vsque nobile præcuntinorum oppidum, Troento amni
montes imminent altissimi, sine vlla prorsus hominum ha-
Librata bitatione. Sequitur deinde in Præcuntinis fluuius Librata:
fluui. us. quem ab aquarum colore Albulam maiores appellauerunt:
qui quidem passus quinque millia secundum littus à Tro-
ento seiungitur: cui adiacent à dextris aliquot vici, Cara-
Salinus polis, Neretium, & à sinistris Toriuretum; Sanctus Merus,
fluuius. & Sanctus Egidius, vnde Libratæ flum. fontes oriuntur:
Salinus deinceps est amnis ab Apennino defluens, à Librata
Rochetta. fluuio vix duo millia passus semotus: habetque à dextera
Ciuitella. in mediterraneis montibus, Rochetta Castellum, & Ciui-
Montorill. tellam oppidum, arcem habens satis munitam. A leua est
Troia. Montorium, & paulo superius Poggium Morelli, &
Magis: supra Troia: quinque dehinc millia passus abest
Tordinus amnis, qui à Plinio Viuantius appellatur, ori-
turque ab Apennino ad montis Corni radices. Hæret vero

ei à dextris in litore maris oppidum Flauianeum: olim *Aprutiū. Flauianū.*
quidem nobile, nunc autem à paucis accolis cultum: quod
quidem à Ptolemæo atque Plinio Castrum nonum est ap-
pellatum: supra Flauianum dextrorsum in mediterranea *Mon. Corsan.*
parte, est Mosanum, Ripatonium, atque Villantum: sini-
strorsum vero ad littus maris, mons Paganus, & duodeci-
mo inde miliario supra maritimam oram Tordino Viciola
amnis connectitur, qui ab Apennino profluit, prope mon-
tem Cornum: ibique est Teramum nobilissimum illius re- *Teramum*
gionis oppidum: paulo autem superius torrens nomine *Tordinus*
Flumicellus influit in Tordinum. A Plinio & Ptolemæo *flu.*
Interamna nominatur: propterea, quod inter tria flumina
situm obtineat. Prope locum, vnde Flumicellus oritur
tria oppida consistunt, ita connexa ad inuicem; vt vno
nomine vocentur Campli videlicet. Supra vero fontem
amnis Viciolæ, est Bisigoum & Rugnanum. A flumine
Tordino vsque ad amnem Vomanum secus littus maris
sunt sex miliaria: infra cuiusmodi terræ interuallum, est
Morum, Locaristum, custodia Vomani, Castrum vetus,
Transmundum, Cautianum, Forcella, Mianum, Rapi-
anum, Collis vetus, Fornarolum, moororium, Ripa Mon-
corij, Poggium Vmbrechi, & Rosenum. Ad Vomani
autem fontem vici sunt in Apennino populosi, Campus
tostus, Poggium Castellum, & Massionum: ad leuam ha- *Massionū.*
bet Mutullam, montem Viridem, & montem Gualchinum;
hucusque Pręcuntini: Deinde de Marrucinis loquemur. *Marrucina.*
Post Vomanum amnem fluuius Plumba sequitur, cui ad- *Plumba.*
iacet castellum, quod portus Adriæ dicitur. supra vero est *flu.*
Sylua oppidum, & Troia: Adria vetus Romanorum colo- *Adria.*
nia, arduo in colle sita, Adriano Imperatore ciue ornata.
Supra Adriam Plumbæ fluuio ad dexteram castellum hęret
Celinum; ad ipsius vero fluuii fontem, oppidum est Schi-
ranum: & secundo supra mare miliario ad leuam, est ciui-
tas sancti Angeli: & Ilex oppidum Plumbæ amni pariter est *Adrianus*
propinquum. Distat à Plumba fluuio secundum mare *Imp. Ciuitas S. angeli.*
tria millia pass. Salinus amnis: eique ad dexteram adia-
cet in littore castellum, qui quidem ab accolis portus sancti *Salinus.*
Angeli appellatur. Supra in mediterraneis partibus, Sa-
linus augetur fluuio Sino, qui in Apennino oritur, ad Corni
radices: cui à dextris multa imminent, Cassilentum, mons
Siccus, Pignanum, Bisentum, Coruignanum, Serra, Val-
uianum. Paulo autem supra augetur Salinos flumine Ta-
uo: qui pariter in Apennino ad Cornum exoritur. Inter
hęc flumina, pari pene distantia, quarto à mari miliario,
est ciuitas Penne, apud veteres satis celebrata. Tauo dex- *Ciuitas*
trorsum imminet collis Coruinus, & Lauretum nobile *Penne.*
oppidum. Sequitur in litore Æterni amnis in regione
Primarij ostium; qui quidem amnis nunc Piscaria voca-
tur. Augetur autem huiusmodi fluuius, Nuria flumine *Piscaria.*
apud monasterium Casę nouę, secus Apenninum ortum *Nuria flu.*
habens: sunt autem ad Nuriæ dexteram mons Silnanus,
Castellum, Spoltorium oppidum, & Moseufum, Planel-
lomque, & Capagattum, & sub ipso fonte Abbatia. Supra
Nuriam fluuium, Piscariæ amni à dexteris adiacent Rosa-
num, Alandum, Petranicum, turris Antonelli, & superius
est Castilionum deinceps ascendenti obuius est fluuius, *Castilionū.*
Caput aquæductus, vberrimo manans fonte: cui fluuio
ad sinistram, Buxum primo, & superius ad fontem Offe-
num adiacet: inter ea vero est, duobus miliaribus ab eo-
dem flumine semota, Ioannis Capistrani patria, qui vitæ
sanctitate, ac miraculorum potentia Franciscanam fami-
liam illustrauit. Supra Capistranum in locis mediterra- *Capistranum. Ioannes Capistranus.*
neis est oppidum Carapellum: de hinc arduo ascensu Pisca-
riæ amni adiacet Vetoritum, & Raianum: & superius est
Aquila pręclara ciuitas, in qua est corpus sancti Bernardini *Aquila.*
Senensis, ordinis Seraphici Francisci, mirifice cultum, & *S. Bernardus.*
exornatum. Roma sub Consulibus atque etiam sub prin-
cipibus florente, hi montes, quibus nunc vrbs Aquila insi- *Amiternū.*
det, duas habuere vrbes: quarum vna Amiternum dice-
batur, maiori populo ornata, qua in præsenti inuenitur
ciuitas Aquila. De Amiterno Virgilius loquens, Amiter-
nas turrigeras appellat. & Liuius lib. 10. scribit: Amiternos
sua sponte, Scipioni in Africam transmeare cupienti, auxi-
lio extitisse. Fuit autem situm Amiternum in plano mon-
tis dorso, quinque miliaribus ab Aquila semotum, cuius
theatri, ac magnæ vrbis vestigia adhuc cerni possunt. Ha-
buit illa ciuitas Salustium, authorem clarum: & Crispum *Salustius.*
nobilem Historicum. Altera ciuitas Furconicum appel- *Furconium*
labatur, in montibus Aquilæ adiacentibus situm, ab Ami-
terno octo miliaribus distans. Porro Aquila dicta est, quod
instar aquilę, cæteris esset vrbibus dominatura. Supra Aqui- *Amnis Aterni fons.*
lam amnis Æterni, siue Piscariæ fonti subiacet in Apēnino
oppidum

Aprutiũ. oppidum moos Realis. Habet fluuius Piscaria sinistrorsum ad ostium in maris littore proximum Piscariam oppidum: cuius nomen, sicut etiam fluuij mutatum est; siquidem Aternum illam antiquam Plinius, atque Ptolemæus appellarunt. superius est vrbs Theatina ciuitas Dechieti Marrucinorum à Plinio appellata, septimo miliario à mari sapositia. Auget superiore loco Piscariam Alba fluuius, binis suctus torrentibus, ex Maiella oriundis, inter quos est oppidum Manuplallum, & paulo superius Maiellæ adiacet Rocha Morisij, inferius Cosanum. & ad Piscariæ ripam, est oppidulum Turris dictum. Lucus deinda oppidum Piscariæ proximum, ad flouij vnius ostium. Inter torrentes Caramanicum est oppidum non paruum: inde *Cantalupum.* Cantalupum paruum oppidum, à Piscaria remotum, montique adhærens. vnde fons viuus olei Petronici emanat. ad quod hauriendum Germani atque Vngari summa cum diligentia accedunt. *Tochum.* Proxime ad Piscariæ ripam est oppidum Tochum: & quatuor inde abest millia passus Populium, natura loci, munitionibus, atque populi frequentia ornatissimum. Deinde sequitur Corfinium oppidum antiquum: Porro ea Piscariæ pars, quæ ad Sulmonem labitur, geminum habet fontem: vnum quidem apud Pacentrum: alterum vero apud Vallem obscuram delabentesque inde fluuij, apud Sulmonem *Sulmo.* coeont. Sulmo autem est oppidum celebre, tum populi multitudine, ac ciuium honestate; tum ædificiorum nobilitate, Ouidio Poeta ornata qui asserit à quodam Sulmona Æneæ comite conditam fuisse. huius erat Solimus Phrygia comes vnus ab Ida à quo Sulmonis mœnia nomen habent. Exulabat tonetn Scythia, quando in Fastis hæc scripsit: *Sulmonis gelidi patria Germanice nostra. Me miserum Scythico quam procul illa solo est: Ergo ego tam longe, sed supprime Musa querelas.* *Pectorand.* Supra Sulmonem est Pectoranum oppidum: superius est Vallis obscura, vicus planicie quinque millia passuum ornatus: quæ quidem planicies erat olim multorum frequentia populorum habitata, quia à Plinio Superquani Pelignorum appellantur. Fluuius autem apud Pacentrum ortus, cum Maiellam montem à quo ruit linquere incipit, & in campos Sulmonenses labi; monasterium attingit, quod frater Petrus de Morrono colebat, quando ad Apostolici apicis dignitatem est assumptus: qui postea dictus *Papa Cælestinus.* est Papa Cælestinus. Ea itaque regio à Populio Sulmonem vsque tota campestris, quæ antiquato Pelignorum nomine Valuensis dicta est. Vltra Maiellam ad dexteram Sari, nunc Sangri amnis, Piscariæ proximus est ad mare Lentus fluuius, ex Maiella ortum habens, Ferentanorum Oræ primus: & ad leuam fluminis in maris littore Franca villa, quam antiqui Frentanam appellauerunt, vrbem Frentanorum primariam. Lento amni in mediterraneis hæret Buchianicum nobile ditissimumque olim oppidum: superius sub Maiella, est Rocha montis plani: & supra fontem Lenti, est castrum Menale. Ad Lentum in littore sequitur Forus amnis, à Maiella quoque originem habens: cui dextrorsum *Villa Maiana.* quinto à mari miliario, est villa Maiana: & superius postea sub Maiella ad leuam, est Meglianicum: & supra ipsum fon- *Fara.* tem est oppidum Fara, & castrum Rapinum: & ad Maiellam *Penna.* est Pennа. Ad littus redeundo, longe à Foro octo miliaribus, est amnis Morus: & supra ... est ciuitas antiquissima *Ortona* Ortona, quam Ptolemæus simul Piscariæ amnis ostio in Pelignis numerauit. Plinius vero, quicquid est à Piscariæ amnis ostio in Larinates Frenatorum oræ attribuit. Inter vrbem Ortonam & Forum amnem vsque ad Maiellam montem, supra Tullum est Iuianum: & ad dexteram Ortonæ, est Arum, Arouastrum. & super hæc oppida est Casa Candidella castellum. superius est Sanctus Martinus: & illi sinistrorsum est Flettum. Inter Ortonam vero & Morum fluuium in mediterraneis, est Crechium: superius sunt Artellum, atque Orsogna: Moroque fluuio ad sinistram adiacet Sanctus A- *Castrum* pollinaris: supra est Frisium. & superius castrum nouum Lanciani. At supra eius fluuij fontem ad duo miliaria, est Guardia Galli: paruus deinceps fluuius ad Morum sequitur Feltrinus, cui vnicum hæret in littore castellum S. Vitus: & in eo spatio, quod quatuor millia passus ad Sarum amnem intercedit, est Lancianum ciuitas, in qua quotannis ad nundinas magna est populorum frequentia. A dextris Lanciani Palumbarium procul abest. cui Penna castellum in monti- *Sarus fluuius.* bus hæret, & ad dexteram est fluuius Sarus, siue Sangrus: secus mare est monasterium sancti Ioannis, in quo olim celebre erat templum Veneris: supra sunt fossa cœca, & Rocha sancti Ioannis. & paulo superius, Saro proximæ sunt ingentes reliquiæ vrbis dirutæ, quam Ptolemæus & Plinius Bicam, nunc Secam incolæ appellant. Auget dextrorsum amnem siue Sangrum Auentinus fluuius, in Superaquanis Peligno-

rum apud Furcham originem habens: in ipsum vero Auen- *Aprutiũ.* tinum à dextris se exonerat Viridis torrens inter monasterium sancti Martini, & Faram oppidum: ad ortum autem torrentis, Maiellæ radicibus proxima sunt oppida, Ciuitella videlicet, & Lama. Auentino autem amni Viridi aucto *Auentinus fluuius.* torrente, à dextris est Tarantum, Lettum de Palena. Pale- *Pelignum.* num pro Peligno corrupte dictum: nam ea est Pelignorum altera pars, qui à maioribus Superequani vocati sunt. Paulo superius est Furca oppidum. Apud hæc loca, vt in amplissi- *Furca oppidum* mis montibus finit mons Maiella. Ad Furcam vero Peli- *Mons Maiella.* gnani, siue Palenam, ad leuam illius est planicies de Furca, supra quam sunt Peschum, Constantium, & Riuus sonitus, oppida populis frequentata. quæ quidem loca difficilem aditum habent propter montium asperitatem. Auentino amni sinistrorsum, qua eum influit torrens Viridis, proximum est Casale oppidum: superius collis Macinarum, & Falascutium. Inde altissimi montes Pictorum, vsque ad Auentinum amnem, sed amni Sangro ascendendo multa adiacent oppida, Altinum, Rocca, Scalogna, Gipsum, Turricella, Penna hominis, Mons Niger, Bona notte villa, vbi pon- *Bonanotte.* te amni est iunctus. Mons Lapianus, Fallum & paulo superius inter altissimos montes, est ciuitas Luparella, loci natu- *Luparella.* ra, ac gentis numerositate munita satis. Supra postea sons, Quatrum, Misserratum, Petra, Ansuria: & ad latus Sangri *Sancta Maria.* fluuij est oppidum S. Maria: superius Rocha quinque milium: deinde Sangro torrens Rasinus coniungitur, qui oritur ad planiciam Rochæ: ad latus vero Torrentis, est Rocha de Rasino: & ad dexteram prope Sangrum, est Scontroonum, denique villa Vallis Regiæ, fonti Sangri proxima. Verum propa mare ad leuam fluminis, fuit ciuitas antiqua nomine *Saro ciuitas.* Saro, quæ à flumine nomen accepit. Superius castrum Palieri est Suffectum à palearum copia sic appellatum; ibi enim paleæ triturantur. In monte Palensi est Borrata, collis medius. & trans riuum, mons Ferrandus: inde Petra ferrasina, cui supereminet castrum Pili: deinde est ciuitas Bucelli, Pesulum Pineatarij S. Angelus de Pesculo, Castrum iudicis: *S. Angelus.* supra ad leuam, arduo in colle oppidum Capracotta. Et interius in depressa valle, adiacet Maiellæ Ang ona oppidum, *Angiona.* inde S. Petrus de Auelana: & postea ad Fari amnis fluenta *Castrum Sangrum.* castrum Sangri, opificibus variis, maxime fabris ferrariis frequentatum. Supra Eida fluuio hæret oppidum Aufidana: deinde Vallis regia, Ciuitella, Rocca: inter montes vero est Assarolum in Apennini iugo amnis Sarni fontibus subditum. At in littore maris sequitur Sentua fluuius, in monte Palarto ortus; cui in mediterraneis à dextris Atissa, & Tornaticom oppida adiacent, & inter Sentum, ac proximum Asinellam fluuium, in littore est sancti Stephani monasterium. Intus vero est Burinum, Casale, Turinum, Polotrum, Sernium, Casalangra, Piliecornium. Ad Asinellæ sinistram in littore, est Penna castellum: superius vero est Vastum, no- *Vastum.* bile & vetus oppidum: quod prisci dixêre Histonium. Asinellæ fluuio in mediterraneis, à dextris adiacet mons Dorisius oppidulum; superius ad Asinellæ fontem, est Gipsum, Carpinionum, Basilica, Gelinum. & Tripalum. Deinde Asi- *Triuius amnis.* nellæ proximus est in littore Triuius amnis, ad leuam habens montem Nigrum: & paulo superius Castellutium, Roccam viuarum, & Triuentum nobile oppidum. Amplius Saleitum est fossa cœca, Bagnodum, Ciuitas noua: deinceps altissimi montes Apennino iunguntur, ad Triuij amnis ortum, quibus in montibus sunt viculi aliquot abs multorum frequentia populorum. Post Triuium amnem *Tifernus fluuius.* Tifernus Samnitium vltimus fluuius, in mare Adriaticum illabitur: qui quidam fluuius apud Bouianum vrbem vetustissimam à monte Tiferno habet originem. Est autem Tiferno amni ad dexteram oppidum Tarmole, mari proxi- *Termole.* mum, quod Guido Rauennas Interamnam putat fuisse, in qua magnus Plato de ideis librum scripserit. Intus octauo *Plato.* à mari miliario amni Tiferno ad mille passus hæret Guilimacum nobile oppidum. & superius octauo item miliario Guardia Alferi: inde alij viet vsque Bouianum ciuitatem *Bouianum* olim Samnitum opulentam. A Troento igitur amne vsque Tifernum Apuliæ conterminum, ex vno latere habet Apenninum. ex altero autem mare Adriaticum: quæ tota regio Aprutium vocatur.

De Terra laboris.

CÆterum, altera pars Samnitum, ex altera parte Apennini dependet, quæ quidem ad montes Samnitibus asscribitur: quæ vero in regionis planicie continetur, Terra laboris nominatur. Eadem si-

Terra laboris. *Liris.* *Garigliano.* *Fontes Liris.* *Sora.*

quidam flumina ex Samnitum montibus profluunt; quæ postea in plano, & mari proxima, ad terram laboris spectare dicuntur. Amnis Garighanus ab antiquis Liris appellatus, in Sammio duos quidem habet fontes: vnum prope Capistrellum, quod est castrum in Apennino octo miliaribus supra Soram: alterum apud Postam, quatuor miliaribus à Sora separatum. Ex hi quidem duo fontes subtus Soram, quandam insulam efficiunt, in qua ast Pescum, Pusta, & Lobrottolum. Sora autem in hac parte, est prima Samnitum ciuitas, quam Liuius Coloniam Romanorum extitisse affirmat, simul cum Alba agri Veltini. Porro, Vestina vrbs fuit ad Lirim in campis, qui nunc Sessæ dicuntur. *Vestina finitima.* Quicquid animæ ab ostio Liris, quo in mare defluit ad Soram vsque ipsi adiacebat fluuio, Vestinorum nomina censebatur: vnde Lucanus de Liri loquens, dicit; Vestinis aquis impulsus: & Suessa pometia, quæ nunc est Sessa, Vestinorum est appellata. *Sessa.* *Insula quã facit Liris.* Insulæ, quam Bifurcatus in Samnio Liris efficit, montes supereminent altissimi, ad Apennini iuga peruenientes, in quibus nulla est hominum habitatio: ad leuam autem habet plagam, montibus circumseptam altissimis, quæ Commmium vocatur, octo habens castella multorum hominum frequentia ornata, videlicet Vigcalium, Alutum, S. Donatum, septem fratres, Picinescum, Galliranum, & Casaliucrum. *Comminium.* Eam vero plagam veteres Commmium dixêre ab vrbe eius nominis: cuius locus ab incolis nunc plane ignoratur. Ad eandem regionis oram, ad leuam illius est Atina ciuitas, secus quam Melfa fluuius labitur, ex Apennino oriens, & apud Fregellas in Lirim defluens. *Atina ciuitas.* *Melfa fluuius.* Descendendo autem ad infima illius regionis, ad latus amnis Melfæ sub castro Casaliueri, ad leuam est oppidulum, nomina Scbiani: & paulo inferius est Arpinum, patria Ciceronis, & Marij. *Arpinum patria Ciceron.* sub Arpino ad leuam Melfæ fluuio, proxima sunt castelle Fontana, & Arce. At sub Sora, vbi bina Liris capita coeunt, est Insuletta oppidum, ab ipsis duobus amnibus cinctum, quod maiores Interamnam vocauêre: *Insuletta.* secundum vero amnium decursus, est Turris, Compalstum, & Insuletta: paulo yaro superius est parua insula, in qua natus est Cicero, vt ipsemet suis in legibus affirmat. Apud pontem Coruum, qui Fregelle dictus est ab antiquis, Liri miscetur amnis, ex montis Casini radicibus profluens. *Pons Coruum.* nec multo longa ab illo flumina, & quinque miliaribus à sancto Germano, in planicie est oppidum Aquinum, sancto Thoma doctore Angelico ornatum, & Pascenino Nigro Imperatore, & Iuuenali poeta: *Aquinum.* vltra Aquinum, hinc ad leuam, est Roccha sicca oppidum: hinc celso in monte, vbi vrbs olim fuit, Casinense est monasterium a sancto Benedicto conditum. *Mons Casinus.* *S. Benedictus.* Ad Casini quoque montis radices, nouum est oppidum Sanctus Germanus, à sancti Abbatis conditoris sui nomine appellatum: intra cuius mœnia, & per circuitum scatent vbertimi fontes, augentque amnem, qui ad oppidum sanctum Eliam oritur: quique tertius Lirim amnem in Samnitibus efficit. Vrbs vero, quæ erat in monte Casino, Liuio authore, colonia Romanorum dicebatur: *Vrbs Casina.* Volsci, inquit, Potentiam insulam sitam in conspectu litteris incoluerant: & vicerunt, vt Casinum deduceretur Colonia, sicut factum est. *Vulturnus.* Supra Liris fontem, haud longe Vulturni amnis origo distat: qui quidem fluuius superiore parte Samnites lambit, in mediterranea vero, & maritimis, Campaniam. Descendendo autem ad dexteram Vulturni, est Montaquilum, Rocha Rauimola, inde sancta Maria de oliueco. In montibus autem Apennino contiguis, qui Vulturni amnis fonti supereminent à dextris, est mons Niger, & Riuus frigidus: & inferius est Forulum vetusti nominis castellum. Postea secundum Vulturni decursus, est Fornellum, vini præstantia ornatum. Vulturno è regione Fornelli, est vallis Porcina, in qua vetusti oppidi ruinæ conspiciuntur. *Fornellum.* Et paulo inferius in Vulturnum influit amnis, ab Esernia delapsus: vetusta olim Romana Colonia, Liuius *lib.* 72. Esernia & Alba coloniæ, ab Italis obsessæ. *Esernia.* Ad eum vero Esarniæ fluuium, paulo prius, quam in Vulturnum ruat; vestigia cernuntur ingentia vrbis vsque ad fundamenta dirutæ: vbi fuisse putatur Telesiam vrbem Samnitum potentissimam: vnde Liuius *lib.* 22. Hannibal Thelesiam cepit. *Thelesia vrbs.* Thelesiæ adiacet Mastratum. Deinceps Beneuentana sequitur Ora, totius Sammij primaria. Ad Sabbati sinistram, vrbs est Beneuentum à Diomede condita: de qua Liuius *lib.* 9. Ad Beneuentum, quod tunc Maleuentum, triginta millia Samnitum cæsa. *Beneuentum.* Est autem Beneuentum in campestri solo, cui colles sunt proximi fertiles, villis longe lateque frequentati. Sexto à Beneuento miliario, est Mons Fusculus oppidum, supra quod ast turris: & aliud oppidum, quod Mons Nitidus appellatur. In valle, quam efficit Sabbatum amnis, ad leuam ast mons Falconue: deinde Candida, & Serpitum: & in montibus tremulis est Vultaria. *Terra laboris.* *Sabbatum amnis.* Calor fluuius tertio ferme supra Beneuentum stadio, Sabbatum influit, ad cuius dexteram hæc castella numerantur, Ispygium, Cusanum, Castrum vetus: *Calor fluuius.* & paulo superius est Montella nobile oppidum. Tropaldus fluuius in amnem Calorem influit: *Tropaldus fluuius.* cui adiacet sylua grandis eiusdam nominis: cui Tropo alto, est Bonetum, Grotta, Manarda, Fiomarosum, & Vicus ciuinas ad leuam autem istius fluminis, est Miletum, Amendum, & Iunculum: *Vicus ...* & in Apennino, est Ardua mons, qui ob difficultatem ascendendi vocatur Crepacore. *Crepacore.* ex hoc autem monte oritur fluuius Trupo altus, & Muscanus: qui eadem cum Tropo alto in Caloram amnem influit: cui à dextris hærent Cursanum, & mons Caluus In colle est Arianum ciuitas, Ara olim dicta. *Arianum ciuit.* Ad dexteram vallis Muscant, est mons Malus, Bonus Albergus, Casale, Albulum, Castrum Francum, & amnis Calor: paulo antequam amni Sabbato misceatur, prope pontem Valentinum, recipit fluuium Tamarum: inter hæc vero duo flumina, est Padule oppidum in regione primarium. Et paulo superius à dextris Temari, est Sanctus Gregorius, Molinara, Casale Iosonis, Reganum, Sancta Maria de Colla, Cercellum, Consianum, Sancte Crux. *S. Crux.* vnde incipit amplissima sylua, quatuor miliaria latitudinis habens. Ad leuam Tamari ast Petra, Pulcinna, Pauo, Pestulum, Farnetum, Compolotarum, monasterium Gubatti, Marconum, saxum Honorij: & in Apennino Sepinum antiquum oppidum, Alta villa, Castrum vatus in dorso montis, vnde oritur amnis Tamarus. *Sepinum.* Ad sinistram Sabbati Amnis, est Telesia vrbs vetusta, vnde oritur fluuius ita frigidus, vt omnia reptilis sit expers. Limata oppidum Sabbato adiacet amni. Quatuor torrentes vno ore in Sabbatum influunt, quibus adhærent quatuor Castalla S. Laurentius scilicet, Sanctus Lupus, Pons Landulfi, & Casaltonum. *Quatuor torrentes.* Hucusque partim de Semnitibus, partim vero de terra laboris. Posthac de Campenia absoluta loquamur.

De Campania.

Terra laboris.

CAmpania sic dicta quod campestris sit: alio nomine terra Leboris nominatur: corrupte vero terra laboris. Plinius namque in Italiæ descriptione, cum ad Capuam perueniset; campum illi adiacere dixit Leborinum, totius Italiæ amœnissimum *lib.* 17. eiusque solum ardnum opera, & difficile cultu. Protenditur autem huiusmodi campestre solum à Tiphate monte, vrbi Capuæ imminente, ad Neapolitanos, Puteolanosque colles: & ad ostium Vulturni, quo sese in mare exonerat. *Campi.* Aiunt autem Capuani, campos illos, qui auersam vrbem nouam ad Attellanæ vrbis vetustæ ruinas ædificatam circumstant, in trecentorum annorum publicis priuatisque monumentis, Leborios fuisse nuncupatos. Quamobrem tanta fuit Leborinæ terræ vocationis authoritas; vt Campaniam in suum nomen mutauerit. *Leborina.* Sane, cum Capuæ nomen, ob odium Romanorum exosum esset; vicinarum vrbium incolæ, ac oppidanorum populi, Campanos se appellari ignominiosum, periculosumque esse arbitrantes; patrio nomine relicto, se Leborios vocauêre, eorumque solum terram Laboris: quæ postea corrupto nomine, dicta est terra laboris. Incipit autem Campania ad dexteram Liris fluuij, de quo superius locuti sumus 251. Et Strabo *lib.* 5. ao, ferri desuper ex Apennino, & à Vestinis: labique in mare ad Fretealas vicum, quæ olim fuit præclara ciuitas. *Situs Campania.* Lucanos: Vmbrosæ Liris per regna Maricæ, Vestinis impulsus aquis. Fuit autem Marica, Seruio teste in 7. *Virg.* vxor Feuni, dea littoris Minturnensiom, iuxta Lirim fluuium: *Liris amn.* *Ausones.* Vastini autem & Minturnenses prius appellati sunt Ausones: ipsa quoque Italia Ausonia dicta est, & mare Ausonium. Itaque duæ vrbes olim præclaræ, Fretalæ, postea Minturnæ, & Maricæ ad Liris ostium deletæ sunt; omnisque prorsus Ausonum memoria. Mons vero Liris ostio imminens, Campeniæque proximior, multis nominibus appellatur: nemps Gaurus, Massicus, Gallicanus. Cæterum, mons Gaurus, instar montis Vesuuij, sulphur emittit. *Mons Gaurus.* Quod quidem aquæ ostendunt calidæ, quæ paulo superius nunc scatent, vbi ast turris balneorum. Post Minturnum adiacet Trisanum, medium inter Minturnum, & Sinuessam: quæ quidem Sinuessa octoginta stadiis à Minturnis dissidet, seu remota iacet. *Minturnæ.* *Trisanum.* *Sinuessa.* Liuius lib. 8. Placuit, vt duæ coloniæ circa Vestinum Falernumque agrum deducarentur.

Campania. cerentur: vna qoidem ed ostium Liris, quæ nunc Minturnæ: altera vero in saltu Vestino, Falernum agrum contingente, *Sinope.* vbi Sinope à Græcis, à Romanis autem colonis Sinuessa appellata est: huius autem ruinæ in terra quidem multæ apparent: in mari vero plures, ad capite montis, qui Draco dictus est. Supplet autem vicem Sinuessæ oppidum Arx, *Draco mons.* mons Draconis dictum: vel potius eius suburbium, mille passus a mari semotum. vbi vero Sinuessa fuerit, aliud præter Balnea indicium non conspicitur: quæ asserit Strabo multis morbis prodesse. Post Ruchain montis Draconis, super montem Massicum, villarum plenum, ex regione maris non habens aliquod hominum habitaculum: è regione vero Liris, inter ipsum & mare, via Appia, ad dexteram Massici, est octo milium planicies culta *Casalidisessa.* satis, ac villis plena: quæ vulgo dicuntur Casalidisessa: campus vtique fœni ferax. In via autem Appia, cum primum ventum fuerit ad Massicum montem, est antiqua ciuitas *Suessa.* Suessa, quæ olim Pomatia vocabatur, & interdum Aruncaa: quæ quidem sæpe sedem mutauit: idcirco varia nomina accepit. A Sessa per viam Appiam est iter octo milium *Carinola.* Carinolam vsque, olim antiqua ciuitas *Calenum.* Calenum, vna ex parta territorio Falerni adhærens: ex altera vero monte Massico, tametsi vestigia Caleni à præsenti Carinnla aliquantulum distent. Mons præterea Massicus vsque ad *Tianum.* ciuitatem Tianum porrigitur, & Calui, *Cales.* vocata Cales, vsque ad Catazzam, antiquitus Calatiam. Ille enim mons *Mons Massicus.* vno dorso ad lauam, à Calui Venafrum vsque producitur: *Calui.* & inde ad Vulturnum recto cursu. Ex altera parte ad dexteram inclinatur, syluarum plenam: *Calcula.* & ad Canielium contendit, siue Calculant: & ad Vulturnum, in plano tamen. Itaque inter huiusmodi montes, & Vulturnum, Venafri planicies relinquitur oliuæ feracissima, cuiquidem hinc est Mignanum, Pesaotianum, Varianum, inde Sextum, & superius supra Vulturnum Alifæ. Omnis itaque illa regio, atqua terræ tractus, ad mara vsque, & ad montes est totius Italiæ amœnissima, atqua fertilissima: *Campus stellatæ.* quam olim campum stellatæ vocauêre, cuius meminit Liuius in describendo prælio Annibalia contra Fabium. Cæterum Vulturni amnis ostio à dextris olim adiacebat ciuitas Vulturnus nomine, quam Liuius *lib. 26. & 32.* ostendit coloniam Romanorum fuisse, *Vulturnus ciuitas.* Vulturnum vrbem ad ostia Vulturoi amnis sitam: vbi nunc oppidum Castellum *Castellutium.* ad mare dicitur. supra est Castellutium, siue Casalinum; supra qood duodecimo à mari miliario amni Vulturno adiacet vrbs Capua: nouo quidem loco, qui duobus miliaribus à priori Capua seiungitur, sicut vetustæ vrbis fundamenta demonstrant: in quibus erectum est templum sanctæ Mariæ de gratia. Dicta est autem Capua à camporum latitudine, in quibus sita est, teste Cicerone: Liuius à Capy Samnitum duce, Virgilius à Capy Æneæ commilitone, qui eam condidit, dictam putant. Strabo *lib. 5.* quod asser 12. vrbium caput, hoc ast, ipsa duodecima. Alij, quod omnem vitæ fructum capiat: ciuitas vtique multarum extitit deliciarum, & bellorum: in qua præclarissimi viri, virtutis neruos amiserunt: nunc sub rege Philippo catholi*Atella vrbs.*co degit. Sequitur postea Atella vrbs, vbi est noua vrbs *Anuersa.* Anuersa: facit huius rei nobis fidem sanctæ Mariæ ecclesia, haud longe ab Anuarsa, quæ aognomen in Atella vetustum retinet. Scribunt Poetæ, Macrobius, Marcus Varro, Aulus Gellius, vrbem fuisse multæ luxuriæ deditam. Verum Robertus Guiscardus illam Italiæ partem à Sarracenis Græcisque laceratam, ad ipsiua regni formam primus redegit: qui apud Atellam castra posuit: & ex vi aduersandi, Anuersæ nomen dedit, quam certe ipse condi*Clanius amnis.*dit. Post Vulturnum sequitur Clanius amnis, apud Suessulam oppidum medio pene tractu inter Capuam & Nolam. Clanio autem haud longe à mari turris apposita est in *Linternũ, sepulchrũ Scipionis.* Linterni ruinis. Est autem Linternum locus, in quo Scipio Africanus voluntarium duxit exilium: quem, fama est, morientem sepulchro inscribi iussisse, Ingrata patria ossa mea non possidebit: vocant autem illum locum Turrim patriæ. Scater autem inter prædictas ædificiorum ruinas aqua, quam pastores affirmant epotam omnes capitis languores curare. *Cumæ.* Linterno Cumæ ad quintum adiacent miliara: de cuius vrbis origine ita scribit Liuius lib. 8. Cumani, inquit, cum à Calcide ciuitate Nigri pontis recederent, ad illam Italiæ oram venerunt, vbi postea extitit *Ischia.* ciuitas Cumana: & primum quidem ad Insulam Ischiam sedem posuerunt: deinde animo maiori concepto, ad continentem sedes transtulerunt, haud longa à Baiis, qui locus *Baia.* à Baio Vlyssis filio ibi sepulto, nomen accepit. Visa autem in littore vacuo muliera grauida, inibi ciuitatem Cumanam condiderunt. *Campania.* Ea modo vrbs omni est habitatore destituta, præter rupes saxo stupendas, & pinnas murorum excelsas: nihilque restat integrum præter Sibyllæ an*Sibyllæ antrum.*trum, quod ingressus sum ego ipse anno 1560. in mense Augusto: *Hama.* Fuit quoque Cumis propinquus ad tria millia passus Hamarum locus sacer, de quo Liuius *lib. 23.* Sacrificium ad Hamas nocturnum erat. Ad partem, qua Cumæ spectant in Auernum, & Baias, distat pariter ab vtrisque vrbibus fornix laternio opere, sublimibus columnis sustentatus. Abest deinde quinto à Cumis Misenus mons, *Misenus.* à socio Æneæ sic appellatus. Eidemque, qua spectat in Cumas, Lacunæ adiacent: *Lacunæ.* nunc mara mortuum appellatæ, circa quas in continentis supercilio, ruinæ & fundamenta cernuntur eximia. Itaque distant à Miseni promontorio hinc Cumæ quinto miliario: inde Lucrinus Auarnusque totidem. Porro, illa ora maritima, quæ terram ambit, pulchra ast, & amœna: in qua Baiæ fuerunt ciuitas o*Baiæ.*pulenta: partim quidem integra in subterraneis, partim superius semiruta, & in ruinas collapsa veterum operum monumenta. Vnda Horatius: *Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis.* Cumque Missenus è regione Puteolos spectet, mare, quo inuicem dirimuntur, teste Suetonio in vita Caij Calligulæ, vix tria millia passus, & sexcentos implet: vnda sinus Baianus à Miseno, in intimum Auernium quinis *Sinus Baianus.* miliaribus, & totidem ab Auerno in Puteolos porrigitur. Cæterum, Misenus mons, qua in promontorium coarcta*De erectio montis Miseni.*tur, etsi natura cauernosus sit; tantis tamen excauatus est operum laboribus, ac marmoreis columnis erectus, vt pla-ne totus pensilis videatur. Erant autem, vt iam videre licet, intus balnea: erant natatoria: & ad cœnam luxumque triclinia: superius varo in continenti, & qua vergit in prædictum Missenatium classis locum, fundamenta videntur, vbi erat piscina mirabilis: & multa his similia antiquitatis monumenta. Sinus Baianus omnia eius littora decem millia passuum à Miseno ad Puteolos io circuitu protensa ædificiis maximis continuata habuit. Extant thermæ *Thermæ Baianæ.* ad ipsum Baianum sinum intimum: qui vnicus nunc locus, priscam Baiani appellationem, memoriamque retinet. Sed & balneum longe infra, Auernum & Lucrinum petentibus, est obuiam, tum ædificij structuram, tum etiam picturam conseruans, quod Ciceronis fuisse quidam putant. Supra illud ast alied Ciceronis balneum, in longam *Balneum Ciceronis.* tortuosamque fossam saxo excauatum, quod sine aliquo aquæ calentis vsu, solo vapore sudores prouocat copiosissimos, & quidem saluberrimos, vt dicunt medici. Incipit autem ad eam sinus Baiani partem Lucrinus esse: *An memorem,* ait Virgilius, *portus, Lucrinoque addita claustra?* *Lucrinus.* quod Seruius sic exponit: In Baiano, ait, sinu Campaniæ, contra Puteolam ciuitatem, sunt duo lacus, Auernus & Lucrinus: qui olim ob piscium abundantiam non paruum quæstum nautis, ac piscatoribus afferebant: sed cum maris impetus (vt dixi) pisces excluderet, Cæsar ductis bracchiis, partem maris infestam exclusit, ac paruum spatium per Auernum reliquit: quod opus, portum Iulium Suetonius appellat. Itaque Auernus & Lucrinus lacus antea siluarum densita*Auernus, & Lucrinus lacus.*te sic ambiebantur; vt exhalans inde per angustias, odor teterrimus superuolantes aues necaret: vnda & Auernus dictus ast ab *α & ὄρνις*, quasi auibus inaccessus. hunc locum Plutoni dicatum opinabantur: hinc ad inferos introitum patere credebatur. Cæsaris autem iussu deiectis siluis, amœna loca reddita sunt. Suetonius multa scribit, quæ Caligula, & Nero in illo tractu terræ Baiarum fecerunt. Auernus à Lucrino nunc separatus est, quod breue spatium à Cæsare relictum, quo piscium copia posset intrare, mare superinducta arena conclusit. Quæ quidem clausura diligen*Clausura Casa.*tissime de industria seruatur, ne aquarum augmento balnea destruerentur: quæ sunt hodie in Tripergula vico, plurima & saluberrima. Porro, aquæ Auerni salsæ sunt, & nimiæ profunditatis; ita vt attingi non possint. Inde sequitur ciuitas Puteoli, *Puteoli.* ciuitas vetusta, & toti orbi nota: in qua sepultus est Adrianus Imperator in villa Ciceroniana, vbi Antoninus successor templum pro sepulchro ibi consecrauit. Inter Puteolos, & ciuitatem Neapolitanam, fuit villa Luculli, *Villa Luculli.* cuius gratia montem excauauit, vt mare intro duceret. Procedentes eo itinera ad cauernam peruenimus, Criptam vtique dictam: *Cripta Neap.* vbi Pausilippus mons, pulcherrimus olim, teste Plinio, villisque habitatus, ad sexcentos passus defossus, atque excauatus, planum via Puteolana curribus iter præbet. Sequitur Neapolis vrbs vetusta, *Neapolis.* de qua paulo ante locuti sumus. In conspectu vrbis, est Vesuuius mons, de quo multa ab authoribus scribuntur. In mediterraneis duo extant loca, Marlianum, & vrbs Acerræ, cuius *Marlianũ.*

Campania. meminit Virgilius in Georgicis, vbi terrae laudans culturæ excellentioris, ait: *Talem diues arat Capua, & vicina Vesæuo ora iuga, & vacuis Clanius non æquus Acerris.* *Acerræ.* Est enim omnis illa regio Leborina feracissima: Clanius autem oritur à monte super Sessulam, à Clanio gygante sic appellatus, teste Probo: *Sessula.* ab Acerre autem Sessula quatuor miliaribus abest: hodie hæc ciuitas diruta, & ad solum prostrata iacet. Videntur deinde ex parte aquilonari montes Capuæ, qui à Liuio Tifates nominantur. Imminent huiusmodi montes Capuæ vrbi, *Montes Capuæ.* & ad Nolam vsque porriguntur, in quorum medio est vallis Gaudina, & Ileleros fluuius, qui in Vulturnum se exonerat, & ex montibus illis proficiscitur. Sunt autem in his montibus Grotta castellum, & paulo superius mons Taburnus, *Mons Taburnus.* de quo Virg. 2. Georg. *Neu segnes iaceant terræ, iuuat Ismara Baccho conserere, atque olea magnum vestire Taburnum:* dirimit siquidem ille mons Campanos à Samnitibus. Insidet autem monti nobile castrum Ariola: *Ariola.* sub ea vero montium parte, quæ ad meridiem vergit, quasi ad montium radicea, est Meroonda, & Caserta ciuitas, Magdalonum, *Magdalonum.* ab aliquibus vocatur Metaleonis: superius ad tria miliaria, est Durazzanum: & in planicie est Arxentum castrum: & Neapolim versus, est sancta Agatha. In eadem planicie quoque ciuitas Nola apparet, *Nola.* de qua Silius Italicus *lib. 8.* Campo Nola sedet, crebris circumdata in orbem turribus, & celsu facilem tuetur adiri planiciem vallo. Præclari ex ea viri prodiêre, præsertim S. Paulinus Nolanus, *Paulinus Nolanus.* ad quem S. Hieronymus, & Augustinus plurimas epistolas direxerunt: in quibus Paulini sanctitatem, doctrinam, atque eloquentiam mirifice commendârunt. In decliuio montis videtur Sarnus castrum, *Sarnus.* à Sarno flumine nomen habens: de quo Virg. 7. *Et quæ rigat oppida Sarnus:* nunc Scafati à scafis nomen habet: *Scafati.* quæ ibi tenentur viatoribus in agrum Nucerinum traiiciendis. Siquidem ad quatuor miliaria proxima est vrbs Nuceria, *Nuceria.* cuius meminit Cicero in lege agraria: Neapolim, inquit, Pompeianos, Nuceriam suis præsidiis deuincient. Nuceriæ montes dextrorsum imminent, in quorum medio oppidum, à loci qualitate, atque situ nomen habens; Inter montes eoim appellatur: vallisque sinistrorsum his montibus proxima, habet sanctum Seuerinum, *S. Seuerinum.* nobile oppidum: eaque vallis omnigenum fertilis frugum. Ad infimam vero illius vallis partem, apud oppidum, quod Aqua malorum appellatur, fluuius est, qui paucis delapsus passuum millibus, hiatu terræ absorbetur, & post centesimi ferme passus spatium, integer in amplam scaturiginem euomitur: Cauaque vrbs à situ appellata, *Caua vrbs.* valli & fluuio dextrorsum in monte imminet. Porro, montes Nuceriæ à dextris celsi atque amplissimi in mare inferum porriguntur, ac promontorium faciunt, *Promontorium Mineruæ.* quod Mineruæ nomen priscis temporibus habuit: nunc autem à Malphi oppido nominatur. *Malphi oppidum.* Regio illa in montibus, est olei ac vini feracissima: in maritimis vero ora, amœnissima cedri, malique, quod Arantium vocamus, cæterorumque melorum punicorum. *Manna S. Andreæ.* Vbertim quoque Manna sancti Andreæ Apostoli manare dicitur: vbi sumptuosissimo in templo sacra ossa illius conseruantur. *Salernum.* Inde ad Salernum vrbem iter est nauigantibus, de qua Lucanus libro 2. Radensque Salerni, culta Siler. à fluminea Sileri, mutata i ina. In ea est templum S. Matthæi Apostoli, *S. Matth.* in quo eius sacrum corpus requiescit: vigent quoque in ea multarum literarum studia: regio amœnissima, & deliciarum plena. Et hæc de Campania dicere habui.

De Lucania, seu Basilicata,

Lucaniæ nomen. Termini Lucaniæ. LVcania regio, à Lucio Samnitum duce nomen accepit, qui in quodam Luco, qui nunc Boscus dicitur, primus habitauit: inter Lauum, & Silarum amnes posita iacet. Itaque ab occidente habet Silarum amnem Campaniæ terminum: à meridie vero mare Tyrrhenum: ab oriente fluuium Lauum cum Brutiis, atque magnæ Græciæ parte: à septentrione Apulienses, Peucetios cum parte Hirpinorum. Est autem hæc regio pro maiori parte montuosa, proinde difficiles habet aditus: & iter asperum meantibus præbet. A Silaro igitur secus littus maris Calabriam contendens, templum Argiuæ Iunonis obuium venit, teste Strabone: vlterius ad sex miliaria Possidonia, *Peste. Possidonia.* quæ alio nomine Peste vocatur, quæ à Sibaritis secus mare condita est. Primum quidem Peste vocata est: deinde à Græcis Possidonia. Virg. 4. Georg. *Biferique rosaria Pesti:* quia scilicet bis in anno rosas emittit. Et Ouidius: *Cal-taque Pestanas vincat odore rosas.* *Lucania.* Est enim locus magna amœnitate, ac aeris temperie ornatus. Olim sinus Pestanus, nunc Agropolitanus, *S. de arte am. Agropoli.* ab Agropoli castro mari adiacenti, vocabatur. Huius autem ciuitatis quædam modo ruinæ apparent: vocatur hodie caput Laucosi, à nomine insulæ, quæ in illius conspectu esse videtur, Leucosia nomine, vna Syrenum, quæ inibi in mare se mersit, vt quidam fabulantur. Vltra hoc promontorium, inuenitur sinus, in quo positum est castrum Turris maris, vbi prius fuerat ciuitas Elia, *Elia ciuitas.* à Focensibus condita: à nomine fontis Ela sic vocata, vt Strabo ait. Alij putant à flumine Elete sic esse appellatam. Marcus Cato affirmat Valiam fuisse nuncupatam: *Velia.* Plinius quoque & Pomponius Mella; est enim oppidum, seu ciuitas maritima, nomen habens à loco palustri in quo sita est: nam Elos paludem significat, vnde primum Helia, & postea commutata aspiratione in u, Velia dicta est: vnde Virg. 6. *Portusque require Velinos.* *Portus Velinus.* Fuit hæc ciuitas, authore Strabone, legibus, ac statutis bene disposita: mœnium ac populorum fortitudine magnitudineque munita: in rebus maritimis, mercibusque comportandis, propter adiacentis terræ sterilitatem, multum sollicita ac bene instructa. Parmenides, & Zeno Pythagorici in hac ciuitate nati sunt, *Parmenides. Zeno.* vt dicit Strabo, qui doctrinæ eminentia, eorum patriam accumularunt. In illius conspectu sunt duæ insulæ Oenotriæ, Pontia scilicet vna, & altera Iscia. *Pontia insula.* Plus vltra procedendo videtur castrum Pisciota, *Pisciota.* ab autoribus Bussentum appellatum: propterea quod illius generis ligna, Bulli scilicet, inibi abundent. Videtur postea caput Pisciotæ, promontorium Pissiuntum, & oppidum Pissiuntum, flumen & portus. Vlterius est promontorium Palinuri, *Palinurum.* à Palinoro Phrygio, nautum Æneæ gubernatore ibi sepulto, sic nominatum: cuius meminit Virg. in 6. satis diligenter. Post huiusmodi promontorium, cernuntur in quodam monte mari imminenti Molfæ, *Molfa.* siue Melfi castri ruinæ, à flumine eiusdem nominis, qui subtus illabitur, nomen habens. Aiunt quidam hunc amnem à Policastro ad duo milia abesse, & alterum esse amnem Lauum, *Lauo, Cocco Fiume.* quem modo Coccum appellant; qui quidem ab huiusmodi Melfi triginta miliaribus distat. Policastrum nobilis ciuitas, *Policastrum.* vltra est ostium amnis Laui, siue Talaui: tota hæc ragio maritima Lucaniæ ad septuaginta quinque miliaria, secundum Strabonem porrigitur. Porro, in mediterraneis Lucaniæ à flumine Silaro rursus exordium assumentes, Calabriam versus, sylua quædam inuenitur, quæ lingua vernacula, il bosco di Eboli appellatur: *Eboli.* à dextris deinceps super colle est castrum Sere, *Sera.* viginti miliaribus à ciuitate Salernitana diuisum, & ad duo inde miliaria in monte Apennino, Pistiglionum: deinde post sex miliaria, Castelluzzum, Cizignum, Perina, & Auletta. *Castelluzzum.* A sinistris autem in ascensu, videtur Pallum, Catuzzum, & Puccenum, Cosentinum, castrum sancti Angeli, Caglianum. Vltra Auletam ad tria miliaria, est Pola, *Pola.* deinde incipit vallis Diani: vltra Auletam ad duo miliaria, est spelunca, in qua inuenitur altare sancto Michaeli consecratum: est qua magnus aquarum strepitus descendit in vallem, à qua fluuius Niger originem habet: *Fluuius Niger.* quæ quidem aquarum abundantia ex paruo lacu oritur, qui in principio vallis Diani inuenitur: Exit postea fluuius Niger inter montes, & in Silarum se exonerat. Vocatur autem vallis Diani à castello Diano inibi posito: *Vallis Diani.* habet autem longitudinis viginti miliaria, quatuor vero latitudinis: pulchra nimis, ac frumenti omniumque fructuum ferax. Ad dexteram ingressus ipsius vallis, stagnum, siue palus videtur, *Palus.* quæ speluncam ingreditur, vnde postea fluuius Niger generatur. Creat autem hanc paludem amnis Bottapicerus; sic dictus, quod Picernum castrum alluat: & inde per montes descendens, arcto ostio in vallem Diani contendit, & inde per mediam illius planiciem discurrens, quietis locum accipit, stagnumque duorum milium procreat. Augent autem huiusmodi paludem, plurimi aquarum riuuli vndequaque ad ipsam confluentes. In colle Apennini, est castrum Dianum opulentum satis, & nobile, *Diano.* à quo vallis illa nomen sortita est. A sinistris Polæ, è regione septentrionali, Apuliam, & Peucetiam versus: ad decem & octo miliaria inter montes, est Potentia, *Potentia.* ex illo latere Lucaniæ terminus: cuius meminit Plinius lib. 3. cap. 15. nominans eos Potentinos. Porro, quatuor miliaribus à Pola, sequuntur radices collis Ateni, cuius populi à Plinio Ateontes vocati sunt: inde sequitur Sala castrum, *Sala.* deinde Padula nobile castrum. *Padula.* Subter huiusmodi castrum, est grande & opulentum monasterium Cartusianorum. Inde ad quatuor milia ad radices collis, videtur mons Sanus: *Mons Sanus.* postea in arctum locum vallis reducitur: quam plane loci asperitatem, arctitudinemque vsque in finem conseruat.

Lucania. uat. Itaque ad finem vallis ingreditur amnis Botta: inde itur *Bosco del pellegrino.* ad syluam peregrini obscuram, ob arborum multitudinem, ilicum præsertim, magna altitudine, ita, vt cælum velint quodammodo attingere: estque, octo milium iter asperum, & minime tutum meantibus. Ibi incipiunt sublimes & asperi Lucaniæ montes. Post octo milium iter, est lacus Nigri Castri: *Castrum Nigrum.* ad cuius dexteram est Castrum Nouum, inter montes Turturella, & vlterius versus mare, Laurinum, Gioia, & Noie, Cuccarum, Franum, Casellæ, Saponara: videtur postea mons Morus, & senctus Clericus, Riellũ, siue Riusllõ, *Riuellum.* Luria, ad cuius dexterã est Trechina, & paulo inferius versus mare in montib. est Marathia. *Luria.* Ad sinistram Luriæ inter montes, est Latignicum & Clerus mons, Castelluzõ, sylua Lusilli, circuitu triũ miliũ, deinde Taiamnu castrũ cum suburbio. *Sapri fluuius.* Castrũ à suburbio Sapri amnis dirimit, & is quoq; Lucaniam à Brutiis; Suburbium enim ad Lucaniæ, Castrũ vero ad Calabriæ partem spectat: oritur namque huiusmodi amnis à Vincinello castro Lucaniæ, & per aspera loca decurrens, in Tyrrhenum mare se confert, Calabros à Lucania separans. Aqua huius amnis semper est clara, nec aliquo casu turbida redditur. Putant quidam hoc esse castrum Lanium, similiter, & Lauum fluuium. *Lauus fluuius.* Hæc de Lucania secundum Plinium, & Ptolemæum dicta sint, tametsi Strabo & Liuius longiorem illius situm descripserint.

De Calabria.

Calabri. Brutij. Strabo. Calabri prima dicti sunt Brutij, de quibus sic loquitur Strabo *lib. 6.* Eis, inquit, hoc à Lucanis nomen inditum est, Brutios enim Lucani rebelles fugitiuosque vocant. Antea namque Brutij Lucanorum pastores fuerant, à quibus transfugerunt, atque dehinc remissi, in libertate vitam exegerunt: qua tempestate Dion aduersus Dionysium exercitu ducto, cuncta in cunctos perturbata effecit. *Calabria.* Hæc regio hodie simul cum magna Græcia Calabria nominatur, à calos, id est, bono, & bryo, scaturio, siue emano, quasi bona euomens, scaturiens, siue producens. Incipit autem à fluuio Lauo & per Tyrrhenum mare decurrens, in Siculum fretum porrigitur, inde per longum littus, ad Tarentum vsque extenditur. Plinius *lib. 3. cap. 10.* Calabriam à Græcis, Masapiam appellatam esse, affirmat: ab eorum duce Mesapio. *Mesapia.* Relicto itaque flumine Lauo, inuenitur prima ciuitas Calabriæ ad littus maris Temesa, secundum Strabonem. vnde Ouidius 15. lib. *Terinosque sinus Temesesque Iapygis arua.* Quæ quidem, authore Strabone *lib. 6.* ædificata fuit ab Ausonis, & ab Etolis Toantis sociis exculta, qui postea à Brutiis extrusi sunt, & ij postmodum ab Annibale funditus euersi. Fuit hæc ciuitas colonia Romanorum, vt dicit Liuius *lib. 34.* *Tempsa ciuitas.* Tempsa, inquit, & Croto ciuium Romanorum coloniæ deductæ. Tempsanus ager de Brutiis captus erat. *Croton.* Brutij Græcos expulerunt: Crotonem Græci habebant. Tempseose vinum *lib. 14. cap. 6.* Plinius plurimum commendat. Paulo vlterius videbatur Terriana, quæ à Strabone Terina est appellata: *Terina.* à Crotonensibus ædificata; quæ quidem ab Annibale fuit destructa. Inueniuntur autem ad littus maris Tyrrheni plurima oppida atque castra: inprimis Scalia castrum, *Scalea.* & ad decem miliaria, Cirilium, Diamante castrum, vnde plurimum sacchari educitur, Beluidere, & inde Bonifacium, & postea Citrarium, *Citrarium.* deinde Paula castrum, in quo sanctus Franciscus de Paula natus est, miræ sanctitatis vir: *Paula. S. Franciscus De Paula.* canonizatus à Leone Papa decimo, ann. 1519. Inde ad quatuor milia, est castrum sancti Nuncisi siue Lucidi, vbi habetur optimum vinum, vulgari lingua Vernazze. Deinde totidem miliaribus abest Castrum Fluuius frigidus: vbi est abundantia aransium, Citronum, & similium. Vlterius est pulcher mons. deinde ciuitas Manthia, in qua est arx fortissima: *Manthia.* videtur inde castrum Castiglonis, postea itur ad sinum sanctæ Eufemiæ, *S. Eufemia.* qui profecto incipit à promontorio, quod caput suberi appellatur, & finem recipit ad littus Tropiæ. A Strabone vocatur sinus Hipponiatas, similiter etiã & à Ptolemæo, ab Ipponio vrbe à Locrensibus condita: vocatur quoque sinus Antiocus, Napetinus, & à Plinio & Tucidide in *Sinus Euf.* 6. Magnus sinus Terinus à Terina ciuitate. Item sinus Vibonensis Phocensium à ciuitate Ippo Vibona. Habet Corallos multos, & inde planities magna incipit arboribus consita: quæ posita est inter sanctam Eufemiam, Neocastrum, Maidam, & Laconiam. Ab hoc sinu vsque ad sinum Scyllaceum est iter per terram meanti viginti milium: per mare vero xxa milibus à sancta Eufemia Amana amnis ostium abest, *Ostium Amanu. Angitola.* & octo milibus per littus procedendo, amnis Angitola se iungitur: circa littus maris optimæ vinea habentur: ex quibus optimum vinum de Triuio producitur. *Calabria.* Est postea iter trium milium per myrtos: deinde per vineas & arbores odore fragrantes, Cedroni, Aranci, Limuni ordinatim dispositas, inde sequitur paruum castrum, vulgariter dictum Lopizzo: vbi magna Tunnorum copia à piscatoribus capitur. *Lopizzo. Tunni.* Inde ad Beuonam castrum quatuor sunt miliaria, vbi erat ciuitas Ippus: postea Vibo Valentia proxima monti Leonis. *Mons leonis.* hinc ad Tropeiam sunt duodecim miliaria: quæ quidem ciuitas est rerum abundantia referta, & deliciis plena: nec non *Tropia.* ciuium vrbanitate, & multitudine ornata: hinc ad promontorium Pelori Siculæ terræ quadraginta milia numerantur. Narrat Strabo illis in locis Medamam vrbem extitisse, cuius *Medama.* modo vestigia cernuntur, & fons idem nomen retinens: quæ quidem ciuitas à Paganis destructa est: vnde caput de Baticani nomen accepit: quasi à canibus Pagania percussi. Ad octo miliaria deinceps est ciuitas Nicotera, & paulo vlterius est ostium Medunæ amnis, *Nicotera. Meduna amnis.* qui paulo post Sarnum ingreditur Metremum. Dirimitur à Nicotera Gioia octo milium interuallo, amœnitate loci, ac fructuum pulchra satis. *Gioia.* Vlterius est fluuius Metaurus, qui hodie dicitur fluuius Seminaria. *Metaurus amnis.* Ad Gioia ad Palmam, est iter octo milium: inde castrum Bagnariæ: *Palma. Bagnara.* postea Silleum saxum, & Scyllæum promontorium ac Scyllæum oppidum: hodie dicitur Siglio. *Silla petra.* Ab hoc nomen Scylla accepit, de qua poetæ mira loquuntur. Virg. 3 Æneid. *Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo, Pube tenus, postrema immani corpore pistrix. Delphinum caudas, vtero commissa luporum.* *Virg. Ouid.* Ouid. *Altera Scylla monstrum medicamine Circes. Pube premit rapidos inguinibusque canes.* *Scylla & Charibdis.* hoc promontorium est finis extremæ Italicæ partis, habens in conspectu promontorium Pelori Siculæ telluris; quod vnum est trium, ex quibus trinaclia compingitur. Interuallum vero inter hæc, est viginti stadiorum: vt dicit Tucidides *lib. 6.* duo milia & dimidium, hodie lingua vernacula vocatur il Faro di Messina: *Faro.* quo separetur Sicula tellus à continente. Inde ad paruum itineris spatium erat Colonella regina, spectans Rhegium ciuitatem. mos enim erat antiquis, vt huiusmodi columnis suos terminos diuiderent; erat namque turris alta atque gracilis è regione promontorij Pelori. A Scylla ad Catonam, *Catona.* quæ est in conspectu Messanæ vrbis, est iter octo milium: vnde est Traiectus ex Italia ad Siculos, latitudinem sex milium habens. *Traiectus sex milium.* A Catona ad Rhegium est iter septem milium. *Rhegi.* Strabo *lib. 6.* Chalcidenses, inquit, condidêre Rhegium: siquidem cum ex oraculo Apollinis propter sterilitatem Decumatim oblati fuissent. postremo è Delphis eo coloniam deduxisse traduntur, & alios secum assumpsisse è domo. vt autem author est Antiochus, Zanclæi Chalcidenses adsç accersiuêre, & struendæ coloniæ principem Antimnastum constituerunt: in cuius coloniæ parte, & Messinorum è Peloponeso exules fuerunt. Quocirca Rheginorum principes, *Gloria Rhegij.* vsque ad Anaxilai tempora, semper ex Messiorum stirpe constituti fuêre: qui ab Oenotriis eiecti, in Siciliam traiecêre. Ingens vero olim Rheginæ ciuitatis potentia fuit, *Nomen vrbis.* validis quaque versum castellis munita. Cæterum, casu quodam Rhegio nomen inditum est, qui huic obuenit regioni, Æschylo teste, nimirum Siciliam à continente vi terræ motus auulsam fuisse. Ex quo ἀπὸ τοῦ ῥηγνύειν, id est, à frangendo nomen assecutum. Post Rhegium, littus circuendo videtur Spartauento, caput armorum, quod a tribus lateribus maris aquis abluitur. *Spartiuento.* Erat promontorium Leucopetra, teste Strabone, & Ptolamæo. A Rhegio hucusque sex milia & dimidium numerantur. Cicero in prima Philippica de hoc promontorio mentionem facit. Cum, inquit, ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venissem, &c. Deinde sequitur promontorium Herculeum, Finis autem Rhegini agri, est fluuius Alessus, qui ex monte Apennino labitur, *Alessus fluuius.* & per vallem profundam decurrens, postremo mare ingreditur. Rursus à Lauo amne per mediterranea loca meando, inter arduos montes super collem rotundum, est castrum Rotunda, *Rotunda.* sic nominatum quod in loco rotundo sit positum, à Castellutio Lucaniæ vico, quatuor milibus semotum: & pari spatio inter montes conspicitur vallis sancti Martini, amœna satis: *Vallis sancti Martini.* deinde est campos Temensis plurimum habens voluptatis, vndique montibus cinctus. *Campus Temensis.* Fit postea descensus ad castrum Morani per arcta præcipitia, & lapidum angustias, vnde & scala Morani appellatur: *Scala Morani.* inde oritur Sylaris fluuius aquæ limpidissimæ, instar Clitumni & in sinum Tarentinum sese recipit. In fine illius scalæ saxosæ est castrum Moranum, *Moranum.* duodecim milibus à Rotunda diuisum; in colle sublimi positum, quaqua versum regionem habens bene cultam. Sequitur postea iter quatuor milium inter medios montes vsque ad Castrum Vallare, *Castrum Vallare.* super altum iugum conditum. Ex hoc loco Cosen-

[Calabria.] tiam versus, ad dexteram in monte Apennino, videtur castrum Sarracina, à Morano 4. milibus remotum, & totidem *[Sarracina.]* ex Sarracina vsque ad altum montem pulchris admodum *[Alti montes.]* vineis, & arboribus fructuosis cinctum. Inde ad spatium vnius miliaris sunt minera salis: sunt quoque in ibi altissimi *[Salinæ. Cristalla.]* montes perpetua niue candidi: in quibus magna copia Cristalli inuenitur, ex continuo frigore congelati: ad læuam autem eiusdem viæ in vallem descendendo, quæ est è regione Alti montis, tempore æstiuo Manna colligitur, quæ *[Manna.]* noctu ab aere demittitur, præsertim si præcedenti die furiosa pluuia lapsa fuerit, & nocte sequente serena: colligitur ex frondibus & truncis arborum. Ascendendo postea ad dexteram illius viæ, inuenitur amnis Esarus, ex monte *[Esarus.]* Apennino oriens, apud Maluetum castrum: deinde in flumen Morani labitur, qui vocatur Sybaris, siue Cochilis. Ex altera vero parte fluminis apparet castrum Maluetum, in Apennino positum, & quatuor milibus inde S. Agatha & octo *[S. Agatha.]* sanctus Genitus. In hoc autem monte inuenitur lacus nigram habens aquam plenus serpentibus. Post sanctum Genitum ad quatuor milia per montes mare Tyrrhenum versus, videtur Bonifacium castrum: & tribus milibus ciuitas sancti Marci. Porro, ex alto monte ad decem milia super *[S. Marcus.]* paruum collem, est castrum Rugianum: & vlterius Cuchiare *[Rugianum]* amnis: deinde ad quatuor milia Turanus & castrum Re- *[Turanus.]* gina: inde itinera trium milium confecto, videtur Mons al- *[Mons Altus.]* tus ciuitas vini ferax: inde ad Rendam proficiscitur, oppi- *[Renda.]* dum in Apennini iugo positum: in Apennino quinque milibus à Monte alto super Cosentiam antiquæ Pandosiæ vrbis vestigia videntur: ad cuius radices oritur amnis Saututus: qui ab aliquibus Chiersinus amnis nuncupatur. Hæc *[Saututus.]* est illa Pandosia in qua infelicem vitam cum morte com- *[Pandosia.]* mutauit Alexius rex Epirotarum, teste Liuio lib. 8. Erat hæc Pandosia ciuitas regalis Oenotriorum, & Brutiorum caput: labitur autem fluuius, qui à quibusdam Acheronte vo- *[Acherontini.]* catur per profundam vallem inter arduos montes, Altiliam & Martoranum, & in sinu sanctæ Eufemiæ se exonerat. Ab hoc autem amne vocati sunt habitatores Acherontini, authore Plinio *lib. 3. cap. 5.* Et Procopius 3. *lib.* vocat quoddam illius regionis castrum Acherontida. A Pandosia miliario videtur castrum Francum: eundo vero Cosentiam versus, videtur Busentum amnis, qui ortum habet à mon- *[Busentum amnis.]* tibus Cosentiæ, eamque à plaga occidentis abluit, atque circumdat: deinde ad septentrionalem plagam, flumen Grati ingreditur: prope mœnia ipsius ciuitatis, suburbium abs- *[Gratis fluuius.]* psa dirimendo: ingresso autem Grati fluuium, nomen proprium amittit. Porro inter amnem Grati, & Apenninum est pulchra, & grandis vallis hincinde castellis munita: quam quidem diuidunt quinque flumina, cum aliquot torrentibus, qui ab Apennino labuntur, & in fluuium Grati sese exo- *[Vallis Grati.]* nerant. In fine vero huius vallis est ciuitas Cosentia, quam *[Cosentia.]* à suo suburbio amnis Busentum dirimit. Cosentia metropolis, & caput Brutiorum, pro maiori parte in descensu montis Apennini est posita, septemque paruulos complectitur monticulos, in quibus illius ædificia constructa iacent: idcirco insignia vrbis, septem colles depinguntur. Deinde super iugum montis, ad plagam meridionalem, est arx fortissima, & bene munita: quæ toti imminet vrbi, & locis aiacentibus circa existentibus. Est ciuitas nobilitatis plena, & diuitiarum: totius prouinciæ caput: armis & literis dedita: solo fertili ornata: ex qua præclara hominum ingenia prodierunt, Petrus Paulus Parasius Cardinalis, qui obijt Romæ *[Cardinalis Parasius.]* ann. 1545. & alij plurimi. Cæterum, Gratis amnis, teste *[Gratis.]* Herodoto in primo lib. Historiarum, nomen habuit à Grati fluuio in Pelopenso: oritur à paruo fonte, qui à Cosentia sex miliaribus abest, à latere orientis: deinde per arduos montes Cosentiam petit: illamque illabitur à parte orientali: deinde Busentum ingreditur: & sic deinceps suo nomine gaudet, & toti plane valli nomen indidit: & in sinum Tarentinum aquis onustus se præcipitat. Porro, aqua huius amnis efficit capillos flauos, Busenti vero nigros. Vnde Ouid. 15. lib. transformationum: *Gratis, & huic Sybaris nostris conterminus oris electro similes faciunt, auroque capillos.* Prodest etiam aqua Gratia non paruum infirmitatibus multis. Habet autem ciuitas Cosentia plures sub se villas, atque castra, quam aliqua Italicarum vrbium: quibus transitis, ve- *[Tabernarum oppidum.]* nitur ad oppidum Tabernarum, in quo ipse Logicam audiui à duobus philosophis Bernardino & Grandonio, viris vtique pietate vitæ, ac philosophiæ, theologiæ quoque scientia ornatis. Est enim sic bene instituta illa regio, & bonitate ingeniorum donata; vt omnes quodammodo philosophari videantur. Habet fluuium Ali, qui ex montibus oritur, & in mare Adriaticum decurrit, subtus oppidum, quod Castra

Hannibalis vocatur. Inde ad ciuitatem Catacerisem, ad si- *[Calabria.]* num Scillaceum versus, est iter: quæ quidem est secunda in *[Patria Hannibalis.]* prouincia Calabriæ, ciuium nobilitate, fide ac humanitate prædita: necnon doctissimorum virorum præsentia ornata, aeris temperie, ac soli fertilitate satis diues: in qua quidem vrbe concepit me mater mea Catherina, ex patre Ioanne Baptista à Rosellis bene nato, & literarum haud ignaro: peperit vero apud Gimilianum oppidum, ab vrbe sex miliaribus remotum, prima Dominica mensis Augusti ann. 1525. in media die: in hac deinceps ciuitate educatus, bonas literas didici: postea Neapolim me contuli ann. 1546. ad philosophiæ studia mihi comparanda: inde Lutetiam Parisiorum: postea in Angliam: ex qua Louanium contendi, vbi theologiæ operam dedi: deinde in Italiam redij: postea Cracouiam Poloniæ veni, in qua dedi operam libris imprimendis, anno 1586. 8. Iunij: Abest autem hæc ciuitas ab oppido Tabernarum itinere octo miliarium, à Squillacio vero duodecim: vbi est Isthmus, siue bracchium terræ positum inter sinum sanctæ Eufemiæ, & Scillaceum. A Catanzaro ad Neo- *[Neocastrum. Catanzaro.]* castrum est iter decem & octo miliarium: Neocastri autem solum est pulchrum, & fertile, & vsque ad sanctam Eufe- *[Sanctus Blasius]* miam protenditur: vbi est sanctus Blasius in paruo colle, ad radices Apennini posito: Postea è regione, est oppidum *[Maida]* Maida, populo ac ciuilitate plenum. A Maida ad octo milia- *[Franca villa.]* ria in Apennino, est Franca villa, & post tria miliaria mons *[Mons Sanctus]* sanctus: & inde ad quatuor, Baduarum Castrum, & itinera decem miliarium confecto, Lacoonia: à qua ad Roccam Angitolæ sunt 4. miliaria, & inde ad monte Leonis octo. Manet *[Mons Leonis.]* hæc ciuitas in Apennino. quo in loco aliqui affirmát ciuitaté Hipponium fuisse seu Vibonem Valentiam: videntur vsque adhuc prioris ciuitatis ruinæ, vsque ad paruum castrum Bibo- *[Bibona.]* nam, ad littus maris positum. Liuius *lib. 35.* Vibo Colonia deducta est ex senatusconsulto plebisque scito. Inde ad octo miliaria est Filogasus sedes Illustrissimi Ducis Noceriæ: de- *[Filogaso]* inde Panara, Belforte, & Surianum: & peractis 12. miliaribus *[Surianum.]* videtur Missagnum & ad sex miliaria, est Mellitum: & post quatuor miliarium iter, in alto monte prope mare ad duo *[Borellum. Mellitum. Briaticum.]* miliaria, videtur Borellum & Briaticum satis honorabile castrum, amœnitate arborum odorem spirantium refertum. Vlterius est Calimara: & post vallis ascensum inuenitur Rosarnum habens pingue solum; habet etiam amnem eiusdem nominis. Post Sarnum incipit planicies læta quidem; sed inculta, & syluarum plena. Ad sinistram itineris à Sarno ad Seminariam, videtur Polistina castrum satis po- *[Polistina.]* puli multitudine ornatum; & ad duo milia in Apennino castrum sancti Georgij; deinde octo milibus confectis ad radices Apennini ciuitas terræ nouæ, magnæ multitudinis, & à sancto Georgio sex milibus: sursum versus Grotaria: & *[S. Geor.]* decem milium itinere confecto, castrum Vetrum: & post *[Terra noua.]* spetium sex milium, Motta Gioiosa; & ad quatuor deinde *[Castrum. Vetrum.]* miliaria Stilum. A Rosarno vero ad viginti milia, est amnis *[Stilum.]* sanctus Leo: deinde Seminaria, oppidum satis populosum; *[Seminaria.]* inde ascensus est in Apenninum, vnde fertilis tellus Seminariæ conspicitur; deinde iter ad syluas Solani, in quibus solim erant rapina viuentes, ducere vitam: inde in ciuitatem Rhegium, de qua locuti sumus.

De Magna Gracia.

PLinius *lib. 3. cap. 10.* A Locris, inquit, Italiæ frons in- *[Magna Græcia.]* cipit, magna Græcia appellata, in tres sinus recedens Ausonij maris: quam Ausones tenuêre primi: *[Locres.]* patet 82. mil. pas. vt author est Varro: à Locris est Sagra, & vestigia oppidi Caulonis, Mystia, Consilinum castrum, Concinthum, quod esse longissimum Italiæ promontorium aliqui existimant. Deinde sinus Scyllaceus, & Scylletium ab Atheniensibus côditum: nusquam angustior *[Scylletium.]* Italiæ latitudo 20. scilicet milia pas. vsque ad sanctæ Eufemiæ sinum. Liuius *lib.* 8 huius regionis meminit: & Virg. *Has* *[3 Æneid.]* *autem terras, Italique hanc littoris oram Proxima, quæ nostri perfunditur æquoris æstu Effuge, cuncta malis habitantur mœnia Grais.* Sanctus quoque Hier. 10 epistola ad Paulinum, ait, Platonem moratum fuisse in ea Italiæ parte, quæ magna Græcia appellatur: siquidem & Timæus Locrensis, Platonis extitit præ- *[Timæus Lo.]* ceptor. Porro, Diodoro authore *lib. 12. & 13.* Strabone etiam & Eustachio, Locris ciuitas ab Euante, & ipsius sociis condita fuit, qui primi inter Græcos prope sinum Grissæum habitârunt. Aliqui aiunt, ab Aiace Oileo ædificatam fuisse, & suis socius Naritia: quod quidem Virgilius confirmare videtur. *Hic & Narycij posuêre mœnia Locri.* Locrenses primi *[Virg. 3 Æn.]* leges scriptas seruauêre, ac longo tempora ipsorum rempublicam optime gubernârunt. Plato in Timæo asserit, I- *[Plato.]* taliæ florem Locrum fuisse tum in diuitiarum copia: tum

etiam

Magna Græcia. Templum Proserpinæ. etiam in doctissimorum hominum numero: Erat apud Locrenses splendidum Proserpinæ templum, cuius meminit Liuius *lib. 29. & lib. 31.* vbi ex iussu senatus præceptum est, magna diligentia templum Proserpinæ custodiri: & Pleminium Begatum, eiusdem templi violatorem carceri Romæ mancipatum, puniri. A Locri ad castrum vetus, est decem milium spatium: & supra vnum collem eminentem, est nobile castrum Stilum, quatuor milibus à mari remotum: ad auium læuam sunt mineræ ferri, & ad dexteram vulam Pazzanum versus, transmisso fluuio, ad montis radices, minera argenti, & Azurri optimi; & hic prope, est vena auri. *Stilum, Minera ferri & argenti, & auri.* Extra autem terminos Locrenses, fluit amnis Sagrianus, à quo castrum nomen accepit: à Plinio, & Strabone huiusmodi amnis, Sagra vocatur. *Sagra.* Temporibus Strabonis super ripam istius amnis, erat templum Castoris, & Pollucis: vbi 10000. Locrensium cum Rheginis prælium inierunt cum 130000. Crotoniensium, authore Trogo: Locrenses vero victores domum rediere. Post istius fluminis transitum, est mons Caulonue, in cuius apice posita erat, teste Iginio, ciuitas Caulonia, prius Aulonis nuncupata, cuius modo vix videntur vestigia. *Caulonia ciuitas.* Virg 3. Æneid. *Attollit se diua Lacinia contra, Caulonisque arces.* Ad dexteram territorij Locrensis, in mediterraneis circiter octo milia, est Gierazzum ciuitas ab augurio Falcone condita, quod ipsius nomen sonare videtur. *Gierazzo.* Postea non longe à littore maris aliquot castella videntur, Turris Brutiana, Motta Brutiana, Bisueo, Crepacore, Pandurum, Carenum, Motta Bubalina Condoiannis sex milibus à mari distans: inde campus Stilli, à Ptolemæo promontorium Carcinum appellatum: alio modo Cocintum, à quo ad Scylletium est iter 22. milium, Strabo *lib. 6.* *Cocintum promontorium. Scyllacium.* Scylletium, inquit, Atheniensium Colonis, eorum qui Nesthei comites fuere, hoc tempore Scyllacium vocatur: ab vrbe sinus ipse Scylleticus nomen accepit. Porrigitur autem huiusmodi sinus Crotonem vsque, quod quidem interuallum quadraginta milia complectitur: in mediterraneis, est ciuitas belli castrum, ob Petilia ruinam inibi positæ. *Belli castrum. Petilia. Philoctetes.* Virg. 3. Æneid. *Parua Philocteta subnixa Petilia muro.* Petilia dicta est ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι, id est, volare. nam capto augurio condita est. Philoctetes autem fuit filius Pæantis Herculis socius, teste Seruio, quem Hercules, cum hominem in Aetna monte deponeret, petiit ne alicui corporis sui indicaret reliquias: De qua re eum iurare compulit, eique pro munere sagittas dedit, Hydriæ felle tinctas: postea Troiano bello responsum est, sagittis Herculis opus esse ad Troiæ expugnationem. Inuentus namque Philoctetes, cum ab eo Hercules quæreretur, & primo negaret se scire vbi esset; tandem mortuum esse confessus est. Inde cum acriter ad indicandum eius sepulchrum cogeretur; pede locum percussit, quum nollet dicere: Postea cum ipse duceretur ad bellum, vnius sagittæ casu vulneratus est pedem, quo percusserat tumulum, cuius insanabilis cum putorem Græci ferre non possent, diu quidem eum pro oraculi necessitate sustinuerant; ductum tandem apud Lemnum, sublatis sagittis, reliquerunt. Hic postea cum horrore vulneris sui ad patriam redire noluisset, paruam sibi Petiliam in Calabriæ partibus fecit. Meminit huius vrbis Liuius lib. 27. fuit enim populosa: nunc autem prostrata iacet. *Simari. Sibari.* A sinu Scyllaceo ad Simarum castrum est spatium 12. milium: vbi aliqui aiunt Sibarim fuisse, aliqui vero inter amnem Grati, & fluuium Morani: inde videtur ostium Tacinæ amnis, qui à montibus labitur, & sinum huiusmodi ingreditur. *Tacina fluuius. Castella.* Inde videntur le Castelle, quæ à Plinio lib. 3. cap. 10. vocantur castra Annibalis; vbi est optimus portus maris. Vlterius ad sex miliaria, est Isola castrum, & totidem est caput columnarum, promontorium Lacinium, vbi erat templum Iunonis Laciniæ. *Isola castrum. Capo delle colonne.* Virg. 3. *Attollit se diua Lacinia contra*, à Lacinio fure ab Hercule interfectu nomen habens, qui cum illam regionem à malis hominibus purgasset, templum Iunoni erexit, eique nomen indidit, quod à posteris obseruatum est, vt scilicet Iuno Lacinia vocaretur. *Templum Iunonis Laciniæ.* Erat autem templum illud maximis diuitiis ornatum, & ab hominibus illius temporis mirifice cultum. Liuius lib. 28. scribit in hoc templo ab Annibale aram erectam fuisse, tabulamque collocatam, in qua literis Carthaginensibus, sua insignia facta insculpserat. huius autem magnifici templi vsque hodie vestigia cernuntur. In hoc quoque loco fuit Pythagoricum auditorium, cuius adhuc columnæ cernuntur. *Pythagoricum auditorium.* Hic est finis sinus Scyllacæi, & incipit sinus Terentinus secundum Plinium. Ex hoc autem Lacinio promontorio vsque ad Epirum, est iter 75. milium. Ante promontorium Lacinium, est promontorium Giapigium, à Giapigiis illorum locorum accolis, sic appellatum: deinde promontorium Lacinium, ex quo Croto ciuitas antiquissima videtur: *Croto.* Crotos latine saltatio, propterea quod multi ludi inibi à Græcis fierent. *Magna Græcia.* Ait autem Antiochus sic conditum fuisse Crotonem: Appulsis inquit, Achiuis his oris, cum per vagationem eorum fœminæ vagarentur, quæ secum ab Ilio venerant: naues, quæ eos aduexerant succenderunt; vt nulli fas esset exinde abscedere: quam ob causam perplexi quid factu opus esset, à Diis admoniti sunt, vt ibidem ciuitatem erigerent. *Origo Crotonis.* Miserunt itaque Miscellum, ad loci naturam explorandam. à quo loci qualitate perspecta, illum locum ædificandæ vrbis cæteris meliorem decreuit ad Deorum oraculum reuersus, petiit, si hæc erat illa ciuitas, quæ vice alterius erat erigenda, ad quē respondit oraculum, cum gibbosus esset Miscellus. *Miscellus.* Terga breuis Miscelle, tuo de pectore omitte, Cætera perquirens frustra, en venaris iniqua. Ad Rectum quodcunque datur, tu laude probato. *Verba oraculi.* Rediens ergo ob oraculo, Crotonem ciuitatem condidit, cum auxilio sui Archiæ, qui ad Syracusanā ciuitatem erigendam properabat. Fuit autem hæc ciuitas ædificata quarto anno regni Numæ, & tertio an. 10. olympiadis. Prodiit ex hac vrbe Milo, de quo dicitur, quod pugno taurum interfecerit vnoque stadio super se asportauerit, & similia multa. *Milo.* Alcmeo Pytagoræ discipulus, Orpheus poeta, Formio militiæ dux, Philolaus philosophus, & his similes quamplurimi. *Alcmeon. Orpheus.* Ante Pyrrhi aduentum in Italia mœnia huius vrbis erant circuitus duodecim milium post vero ipsius aduentū, vix dimidiū ciuitatis remansit; hæc dolo à Dionysio Syracusano capta est, teste Liuio, deinde ab Annone Carthaginense: & lib. 35. ostendit deductam fuisse coloniam Romanorum. *Colonia.* hodie hæc ciuitas est parua, sed elatissimis, fortissimisque muris munita, & arce validissima instructa. In mediterraneis, est Cutro à mari quatuor milibus distans, in arduo colle collocatur. *Cutro.* Occurrunt deinceps duo amnes, Elarus simul cum portu, & Neæthus. *Elarus. Neæthus.* Elarus à Tucidide *lib. 7.* vocatur Ilia: per huiusmodi enim portum Demosthenes, & Eurimenes, cum prohiberentur territorio Crotoniatobus, mari transmisso, ad suos reuersi sunt. Plinius *lib. 3. cap. 11.* Amnis Negthus. Quatuor milibus e fluuio Neætho diuisum est castrum Strongoli: & vlterius, est quasi promontorium, in quo est villa Ippizirum, in quo sunt optima pabula animantibus. *Strongoli.* Inde ad decem milia, est turris Imperatoris, in qua habetur antiquissimum ædificium: & ad quatuor milia, est ciuitas Cariati: & ad 14. milia, est ostium amnis Triunti: & ad tria milia, est Calopizzatū, castrum: & ad octo milia, est ciuitas Rossanum, habens amplum, & fertile solum: & in vertice montis est Abbatia sanctæ Mariæ, diues & ab accolis miro studio deuotione exculta: ad littus est magnum ostium amnis Grati. *Cariati. Rossanum. Abbatia S. Mariæ.* Transmisso hoc amne, videtur locus, in quo cōdita fuit ciuitas Sibaris secundū Strabonem & Plinium, itinere 25. milium remota a Crotone. *Sibaris.* Quæ quidem ciuitas, teste Strabone, fuit ab Achæis ædificata: Solinus autē dicit, quod à Troezenis, & à Sagari filio Aiacis Locrensis erecta fuerit. Posita fuit inter Gratum amnem, & Sibarim, ideoque Sibaris nomen accepit. Ab hac ciuitate, teste Strabone 25. vrbes regebantur: proinde sæpe cum Crotoniatibus pugnabat; quæ quidem ciuitas à Crotoniatibus deleta est, aquis fluminis in illam irruentibus, quas Crotoniates ad illam direxerant: vt scribit Herodotus *lib. 5. atq; 6.* *Herodotus.* Deinde reliquiis huius vrbis ab Atheniensibus interfectis, alia ciuitas prope mare ab eisdē Atheniensibus erecta est, quam Thurium vocauere à fonte proximo Thurio, teste Diodoro lib. 12. ciuitas vtique multa populi multitudine prædita, multarum quoque delitiarum plena, posita inter illa duo flumina. *Turium ciuitas.* Sibaritis ergo illis nihil mollius, nihilque lasciuius inueniri poterat. hæc Lucanorū dominio subdita effecta: à Tarentinis vero destructa, demum à Romanis, mutato nomine, Copia vocata est. *Copia.* Meminit huius vrbis Liuius *lib. 25.* in quo populos Taurinos appellat. Vinum Thurinicum magnifiebat, teste Plinio *lib. 15. cap. 6.* Illa autem regio modo vocatur Thurana, & à Strabone Thurrana. *Terranua.* Huius iam vrbis pauca ad littus inueniuntur vestigia: in planicie vero, vbi erat ipsa ciuitas, Manna colligitur, tempore æstiuo de cœlo descendens super folia arborum. *Manna.* Vltra Thuriū, erat Lagaria ciuitas ab Epeo, & Phocensibus erecta, teste Strabone, vnde vinum optimū educitur, sicut loquitur Plinius *lib. 14. cap 6.* *Lagaria ciuitas. Vinum bonum.* Trentitu Sibari, est fluuius Conchilis, qui ab antiquis Sibaris est appellatus, ortum habens, vt dixi, à scala Morani. Thucidides *lib. 7.* hunc amnē Sibarim nominat. Demosthenes atque Eurimedon inquit, peditatū ad fluuiū Sibarim ducunt per agrū Thurinū. Inde sequitur Syrus fluuius, vt Plinius dicit, & Strabo nauigabilis quondam Strabonis tēpore, à mōtib. oriēs, in fluuiū Siri delabitur: prope fluuiū, erat ciuitas Syros, à fluuio Syro sic nūcupata, à Troianis ædificata, cuius ædificationis signū erat Palladis statua ab *Syrus fluuius. Sirus ciuitas.*

Magna Græcia. Eraclea.

Ilio illuc educte, multumque ab incolis culte: quæ quidem ciuitas ab Ioniis vi capta est, & plane destructa. Subdiderunt sibi Tarentini Siridem, quam Eracleam vocauerunt. Ad tria milia inde in loco eminentiore, tempore Strabonis, erat Eracleopolis, à Plinio, Liuioque Eraclea dicta: quadraginta milibus à ciuitate Thurinorum longe posita: Tereminorum colonia, Vlterius est amnis Acri, à Strabone Acerus appellatus: & à Plinio Acrin, inde itur ad ostium fluminis Talandri, & vlterius ad ostium amnis Bassentij: longius postea locus conspicitur, in quo fuerat ciuitas Metapontus, à Syto, & Eraclea 15. milibus distans. Itaque à Rhegio, siue ab amne Alesso vsque ad Metapontum posita erat magna Græcia. Erat autem ciuitas Metepontius in ampla & pulchra maritima planicie posite, duobus fere stadiis à mari seposita: cuius hodie parue videntur vestigia. Putat Strabo à Pilis enim Nestore, qui Troia huc aduenerant, Metapontum ciuitatem conditam fuisse. Solinus vero à Locrensibus: Ephorus autem à Daulio tyranno de Chrisia Delpho vicina: sed Antiochus à Metaponte Sisyphi filio: Alij quod fuerit meta terminus Ponti, maris scilicet: fuit autem hæc ciuitas euersa à Samnitibus. In Metaponto suum diem Pythagorae obiit, exactis in Crotone viginti annis: post eius vero obitum Metapontini domum Pythagoræ, in templum consecrârunt, ibique tanquam vnus ex deorum numero à Metapontinis colebatur. Erat in hac ciuitate templum Iunonis, cuius columnæ erant ex vitibus, vt scribit Plinius *lib.* 14. *cap.* 1. Meminit Liuius huius vrbis *lib.* 25. vbi scribit Metapontinos ad Annibalis partes transiisse. Ippasus philosophus, Pythagoræ discipulus fuit Metapontinus, teste Demetrio, in philosophia satis eruditus. Vltra Metapontum, spatio quatuor milium, prope mare in quodam loco eminenti viginti altæ, atque magnæ conspiciuntur columnæ, quas auditorij Archytæ Tarentini extitisse, memoriæ proditum est. Inter montes postea est Barnalda castrum: & inde ad duo milia ad radices montis, est Pomaricum, & in montibus Milonicum: & ad sex milia Grosolum castrum: & paulo vlterius, est Grassanum. Et in descensu, mare versus, ad radices montium, est ciuitas Tricaricum: inde itur ad amnem Bradanum: transmisso autem amne, in montibus videtur ciuitas montis Pelosi, qua transit Bradanus amnis: & inde sex milium itinere confecto, ad dexteram amnis, inter montes est ciuitas Grauina: & vltra ad sex milia, in Apennino est Alta villa. Spatio deinde 12. milium per Apenninum peracto, inuenitur pulchra vallis, in qua posita est ciuitas Matera, Acherontie dicta. Item, tondem milibus per Apenninum confectis, videtur castrum Tertiæ, aquis abundans, & à Matere 15. milibus ciuitas Castellanetum: totidem miliaribus prope Tarentum. A Castellaneto sex milibus, per Apenninum, est Motula ciuitas, à Tarento semota 12. milium itinere. Ad mare vero contendendo, confectis tribus milibus, in plano est castrum Pelesanum 12. milibus à Tarento seiunctum: & in curuatura Apennini tribus milibus distans à Pelesano, & quinque à mari, est paruum Castrum Masafre, Ginosa, Colubranum, Alsanellum, Alianum, & Guarda cum his similibus. Ad mare deinde est nobilis, & antiqua ciuitas Tarentum: de cuius origine sic loquitur Strabo lib. 6. Tarentum, inquit, ab heroe quodam nomen accepisse, literis proditum. At enim Ephorus de ipsius ædificatione, hunc in modum scriptum reliquit: Lacedæmonij aduersus Messenios belligerebant. Ij namque Regem Teleclum eo sacrorum causa profectum necauêre: illi vero iuramento se obstrinxêre, non ante domum reuersuros, quam Messana solo adæquassent, aut omnes certe occumbere morti: vrbis vero suæ custodiam, & iunioribus, & natu grandioribus, in militiam profecti, reliquêre. Decimo postmodum belli anno Lacedæmoniorum matronas concilium ineuntes, nuncios ad viros misisse, querentes haud pari sane conditione contra Messenios bellum illud geri. Hos namque commorantes in patria, in dies sobolem procreare: Lacedæmonios vero positis in hostili terra castris, vxores dimisisse viduas: quae ex re periculum impendere, ne patria virili destituta stirpe, deleatur. At illi simul sacramenti fide seruata, & mulierum verba figentes animo, eos ab exercitu mittunt, qui robore firmissimi, & iuuenta florentissimi fuerant. Eos namque minime iuramenti communione teneri nouerant, adhuc consistantes in annis, cum natu grandioribus ad bellum exierant: iusseruntque, vt cuncti virginibus cunctis miscerentur, rati hoc pacto copiosiorem procreatum iri sobolem. Quæ cum ita facta fuissent, nati ipsi Parthenie nominati sunt. Messena tandem anno 19. expugnata, eiusque agro diuiso, reuertentes in patriam, Parthenias nequaquam cum aliis pari honore dignebantur, perinde ac matrimonio minime

Eracleopolis. Acerus fluuius. Talandrus fluuius. Bassentius amnis. Metapontum. Pythagoræ mors. Ippasus philosophus. Scola Archytæ Tarentini. Tricaricum. Mons Pelosus. Grauina. Alta villa. Matera. Castellanetum. Motula ciuit. Tarentum. Origo Tarenti. Matrona Lacedæmonenses. Parthenie.

progenitos. Itaque ipsi cum seruis conspirantes Heloribus Spartanis insidias ordiebantur. Conuenit autem, vt signum in foro, cum adoriendum esset, tollerent pileum Laronicum. Re autem patefacta, infectum remansit negotium. Persuasi vero à parentibus, vt foras in coloniã exirent, missi, Achiuos contra barbaros bellum gerentes offenderunt: in partem igitur periculorum assumpti, Tarentum ædificant. Cæterum, amplissimæ Tarentinorum opes aliquando fuere, rem suam ciuilem populari potestate gerentes. nam classe maxima cunctos superauerunt. Pytagoricam quoque philosophiam amplexi sunt: inprimis Archytes singulariter, qui diutius eius ciuitatis princeps emicuit. Sed ut magna quondam Græcia satis dictum habeo.

Apulia. Opes Tarenti. Archytas.

Terra Hydruntis.

MAgnæ Græciæ proxime est terra Hydruntis, vernacula lingua, de Orrento, quæ Iapygia interdũ dicta est, à Iapyge filio Dædali, Cretensiũ duce, qui ad hæc loca colenda commeauit. Item, Messapie vocata est à Messapo Græcorũ ductore, teste Solino, & Virgilio quoque 8. Aeneid: *Ductores primi Messapus.* Est enim in Boetie mons Messapus, à Messapo Duce sic appellatus, qui in Giapygiam se contulit, ab eoque vocata est Messapia. Salentini præterea populi huius regionis dicti sunt à Salentinis Cratentibus teste Strabone, qui huc commearunt, regionem vtique illam habitaturi. Itaque terminus huius regionis à Tarento incipit: & vsque ad caput sanctæ Mariæ porrigitur, quod olim dictum est promontorium Iapygium, & Salentinum, inde Brundusium. A Tarento quinque milibus est monasterium sancti Viti, in quo habitant Monachi sancti Basilij, & peractis totidem milibus, inuenitur Monacicium: videntur etiam quam plurimi alij vici: & quatuor milibus confectis, est Marrugium castrum: & ad littus templum sancti Petri, ꝙ ipsius temporibus fuit erectum. Quo singulis annis innumerabilis confluit populorum multitudo, ad diem tertium Aprilis. inde videtur ciuitas Gallipolis sexaginta duorum miliũ itinere à Tarento semota, posita est super scopulũ, vndequaque munita, ac mercatoribus peruia. Habet optimum & fertile solum, plurimum afferens olei, vini, croci, atque piscium est abundantie. Eundo vero per littora, ad triginta milia, est caput sanctæ Mariæ, à magnifico templo diuæ Virgini ibidem erecto, nomen habens: quod quidem promontorium in mare longe lateque protenditur: vbi finem accipit mare Adriaticum, & incipit mare Ionicum. Cæterum, vbi modo extat templum Virginis, prius erectõ erat templum Mineruæ, opulentum, & in magno honore habitum, atque cultum, teste Strabone: cuius hodie aliqua cernuntur vestigia: de quo quidem Virgilius loquitur 3. *Aeneid.* Aeneas Didoni loquens. *Crebescunt optatæ auræ portusque patescit iam proprior, templumque apparet in arce Mineruæ.* Ab hoc promontorio Lacinium vsque est iter 87. milium: hinc ad viginti milia videtur ciuitas Castrum: & totidem milibus confectis, inuenitur promontorium Leuca à parua ciuitate Leuca sic dictum. Inter caput Leucæ, & insulam Sasonam, in mare Ionio existentam, proximam Apolloniæ Epiri, est quinquaginta milium iter: proinde est breuius spatiũ, quo ex Italia in Græciã nautæ traiiciunt. Quãobrem Pyrrus voluit pontem ex nauibus conficere, sicque Italiam Græciæ connectere: cuius etiam opinionis fuit Marcus Varro dux classis Pompeianæ. Igitur inter promontorium Leucam, & montes Ceraunios, est circiter spatium sexaginta milium. vnde Virgilius 3. Aeneid: *Prouehimur pelago vicina Ceraunia iuxta, vnde iter Italiam, cursusq; breuissimus vndis.* Vltra huiusmodi promontorium, ad quatuor milia inuenitur Hidruntum magna ciuitas, & istius regionis caput, habens fortissimam arcem, & solum fertile, omnium terræ, nascentium plenum. Ab Hidrunto ad octo milia, super scopulum, est castrum munitissimum, & simili spatio, scilicet Cataldus, vbi videtur turris instar portus Lezæ: post vero idem itineris interuallum, est ciuitas Brundusium, ab Aetolis conditum, qui Diomedem secuti fuerant. Aiunt nonnulli à Cretensibus fuisse cultum, qui istuc transmeauerant. Liuius *libro* 19. scribit fuisse coloniam Romanorum, magna quidem potentia; ita vt caput esset Salentinorum: hodie factionibus scissa, suæ antiquitatis amisit splendorem: habet portum nobilem, & arcem fortissimam. magnamque copiã olei. Cæterum, iter inter Tarentũ, & Brundusiũ pedibus conficiendum, est triginta duorum milium. à Tarento autem ad Brundusiũ in mediterraneis sunt multa oppida, atque castra. A Tarento Brundusium versus, ad o-

Iapygia. Messapia. Salentini. Caput S. Mariæ. S. Petrus. Gallipolis. Templum S. Mariæ. Mineruæ templum. Castrum ciuitas Leuca. Traiectus breuis in Græcia. Hydruntũ. Brundusium.

cto

Apulia. *Missagnū.* cto milia, ad radices parui collis, videtur Missagnum, siue Messapia, terra frumenti, & olei, croci, & aliorum fructuum. Et inde ad quatuor milia, est Lezanum, & Orea super collem: quæ à Plinio vocetur Vria, *libro 3. cap.* 11. Ab Herodoto *lib.* 7. Iria. *Iria.* *Tirea.* Tempora Strabonis videbatur in medio illius bracchij maris ciuitas Tirea, vbi erat magnificum palatium: hæc capta fuit à Lacedæmone Clemineo, aduersus quem Senatus misit Æmilium consulem, teste Liuio *lib.* 10. hodie locus eius non inuenitur. Porro, solum Oreæ & Franchæ villæ plurimum frumenti producit. *Orea.* Inde ad octo milia ad radices dicti collis Tarentum versus, est Grotaglie: *Grotaglie.* in qua quidem regione secundum picturam Ptolemæi, fuit Rudia ciuitas Græca, patria Ennij poetæ, *Rudia patria Ennij.* cuius modo pauca videntur vestigia. Silius Italicus, quem Rudiæ genuêre vetustæ, Epitaphium in sepulchro Ennij positum à Cicerone describitur in Tusculanis:

Aspicite ô ciues senis Ennij imaginis vrnam:
Hic vestrum scripsit maxima facta patrum.
Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. cur? Volito docta per ora virûm.

Sed à Brundusio Hydruntum versus eundo, antiquitus, teste Plinio, huiusmodi populi inueniebantur, nempe Egentini, Butnumenses, Decuani, Brunbestini, Narbonenses, Sturnini, & Tutini, Aletij, Lupiæ, Hyduntini: qui omnes Calabri dicebantur. *Lupia.* *Leza.* Ciuitas Lupiæ, siue Luspia, ciuitas Lezæ, à Brundusio 24. milibus remota: à mari vero octo. Aletium, corrupte Valetium, ab aliquibus Litiesibus nomen habens. *Valetium.* *Virgilius.* Virg. 3. Æneid.

Et Salentinos obsedit milite campos.
Lictius Idomeneus:

Salentini. Fuerunt enim Salentini populi certæ cuiusdam partis istius Calabriæ, quam quidem primum Galabri coluêre: deinde à Salentinis possessa: huc commeauit Idomeneus à Lictio ciuitata Cretensium, patria pulsus. Virg. 3.

Fama volat pulsum regnis cessisse paternis,
Idomenea ducem desertaque littora Cretæ.

Hæc ciuitas à promontorio Giapygio, siue Salentino, aot à templo diuæ Virginis triginta milibus distat: primatumque tenet in illa regione, tum in ædificiorum pulchritudine, tum etiam in hominum multitudine, ciuilitate, atque diuitiarum copia. Inibi siquidem residet regium Apuliæ consilium: *Regium Apuliæ consilium.* quo populi Apulienses procerum litibus sedandis, componendisque confluere solent. Hic natus est Robertus à Litio, *Robertus à Litio.* ordinis minorum Episcopus Aquinij, à quo aliquot sermones editi sunt. In mediterraneis, est castrum Busardum à mari sex milibus remotum, *Tricasum.* & post tria miliaria, Andranum, & pari spatio confecto, Tricasum, optimum castrum: deinde Alessanum, & postea mons Sardus, villa sanctæ Mariæ, & alij quoque vici in regione vtique bene culta. Deinde videtur ciuitas Minerumum à mari remotum itinere duodecim milium. *Mineruinum.* Per montem vero Sardum eundo spatium duorum milium, Gagliatium videtur, & post septem miliaria per viam, quæ ducit ad Vsentum, *Vsentum.* plurimæ villæ videntur, quas Græci colunt, ritus Græcorum, atque idioma obseruantes. Post terminos istorum, est Vsentum ciuitas super collem posita, ab Hydrunto viginti milibus distans. Erat olim magna ciuitas, vt ipsius ruinæ præseferre videntur: hodie vero est parua, quæ à Ptolemæo Vxentum nominatur. *Vxentum.* *Veretrum.* *Corlianū.* Inibi inuenitur, vbi Veretrum ciuitas prius condita erat, cuius populi Veretrini à Plinio dicti sunt. Hac dimissa, videtur Spechiano, & vlterius Russianum, & post quinque milia Coranum, & pari spatio transacto, Corlianum, & inde ad quinque milia, videtur nobile castrum sancti Petri, in Galatina inter syluas olearum positum: *S. Petrus in Galatina.* postea est Soletum, Sternatium, Noia, & his similia plurima castra. Ad læuam Galatinæ post tria milia, videtur Nardo, siue Neritum ciuitas antiqua, ciuilis, & diues, ac plena populo, *Nardo ciuitas.* inde sequitur castrum Bonum, & Manduria in Salentinis: deinde ad Tarsantum itur, quod est Salentinorum finis.

De terra Bari.

Posthac de aliis Apuliæ partibus est nobis loquendum: inprimisque de ea, quæ descriptæ contermina est regioni, de terra Bari scilicet: quæ ab antiquis Apulia Pucetia dicta est: & longe ante Ausonia eb Ausono rege Armaniæ: *Ausonia.* *Barrisus.* qui, teste Beroso *lib.* 5. huc transfretauit, atque mortuus est. Aralij septimi regis Assyriorum, anno decimo, Armetu Laniginæ griphonij cum coloniis suis ad Aurunum lanigenam venerant, quos exceptos hospitio etiam sedem cum laniginis, Ragenus assignauit, classe quoque Auson eodem tempore ab Aurunio fuit exceptus anno octauo sequente. *Apulia.* Et ipsi sedes in orientali Italia, ab eodem consignata fuit: hac igitur de causa illa regio Ausonia est appellata. *Apulus.* Fuit etiam vocata Apulia, id est, sine pluuia, propterea quod raro ibi pluit: vel ab Apulo antiquissimo huius prouinciæ rege, qui ante bellum Troianum, habitandi gratia, hanc petijt Italiæ partem. *Apulus rex.* *Termini Apuliæ.* Habet autem pro termino ab oriente Salentinos; a meridie Lucanos, Irpinos, & Samnites: à septentrione sinum Adriaticum: ab occidente amnem Fortorem, Catacanotum, & Frentanorum, picenorum scilicet terminum. vocatur autem Apulia Peucetia à Peucetio fratre Oenotrij filio Licaonis, teste Dionysio Alicarn. 1. *lib.* historiarum. *Peucetia.* Peucetius enim & Oenotrius, ante 17. ætatas, quã esset bellum Troianum, ad hanc regionẽ ex Græcia se receperunt, habitaueruntque supra Giapygios; ideoque populi huiusmodi Peucetij appellati sunt: & a regione alij Oenotrij dicebantur, ab Oenotrio vtique. Hi duo inter Græcos primi ad quærendas sedes, extra Græcorum terminos missi sunt, ante Troiæ excidium 375. anno, aut quadringentis. *Oenotrij.* Vocabantur etiam incolæ Etoli, ab Etolis Græcis, à quibus descenderant: qui expulsis illis Pediclis, sedes eorum obtinuerunt. Refert autem Strabo *lib.* 6. & Plinius *lib.* 3. Pediclos nouem iuuenes exiuisse, & totidem puellas, *Etoli.* *Pedicli.* qui ab Illyrie ad hanc Italiæ regionem contendêrunt, ex quibus tredecim populi geniti sunt. Paoni græce, latine pueri: hodie hæc regio vocatur terra Bari, à ciuitate Bari, eiusdem regionis capita. Incipit autem ab amne Aufido Olosanto; & altera pars extenditur vsque ad fluuium Fortorem, quæ dicta est Apulia Daunia, à Daunio antiquissimo eorum rege, Diomedis socero. *Losanto.* *Daunia.* Cæterum, Apulia Peucetia, siue terra Bari primum nobis describenda est. Itaque relicto Brundusij portu, ad septentrionem declinando, patet ingressus ad littus maris ciuitatis Ostunij, quæ à mari quatuor milibus abest: in hoc littore videtur villa noue, Ostunij portus. *Ostunum.* *Egnatia.* Hinc ad 14. milia videntur vestigia antiquæ vrbis Egnatiæ: deinde numerantur quatuor milia vsque ad sanctum Stephanum super scopulum positum: inde ad duo milia secundum littus inuenitur ciuitas Monopolis, Egnatiæ ruinis condita, à qua parũ aberat, pulchra quidem, ciuilis, & nobilis; sed non magna; *Monopolim.* terra affert magna olei, atque vini abundantiam. Confectis deinde quinque milibus, in eminenti præcipitosa, atque saxosa rupe ciuitas Polignani conspicitur, ciuilis satis, & populo plena; in ea quoque vrbe digne coluntur corpora sancti Viti, Crescentij, & Modesti martyrum: *Polignanum.* solum illius est ferax vini, & olei optimi. Post septem milium spatium, inuenitur ad littus quasi maris templum sancti Viti, & inde ad duo milia Mollacastrum ædificatum ad littus maris: *Corpora S. Viti, Crescentij, & Modesti.* & decem milium interuallo peracto, est antiqua ciuitas Baris, siue Barium, siue Baratum. Plinius Barionon appellat, dicique quod prius Iapyx dicta fuerit hæc ciuitas, à filio Dædali: deinde à Bariono vno ex numero Pedicliorum aucta, Barisque nuncupata. *Baris.* Est autem ciuitas pulchra, ciuium nobilitate atque multitudine ornata, primatum regionis tenens; in qua olim Neapolitani, atque Siculi Reges corona donabantur: proinde vsque ad hæc tempora, vestimenta, atque insignia regalia conseruantur. *Vbi coronabantur reges Neapolitani & Siculi.* Extat magnificum templũ, in quo sancti Nicolai Episcopi Mireæ reliquiæ conseruantur: ex quibus emanat liquor, qui à ciuibus Manna vocatur: abundat quoque frumento, oleo, & vino. *S. Nicolaus.* Hinc vero ad 12. milium spatium, est ciuitas Giouenazium: pari quoque rerum abundantia ornata. Et inde ad tria milia, ciuitas Marseta, eiusdem quoque soli, & diuitiarum plena. *Giouenazo ciuitas.* *Marseta.* Post vero vnius miliaris interuallum, est magna ecclesia sanctæ Mariæ de martyribus, ad quam magna confluit populorum multitudo. *S. Maria Martyrũ.* Ad quatuor deinde milia, ad littus super rupes maris consistit ciuitas Bisegli, Vigiliæ à latinis vocantur. *Bisegli ciuitas.* Hic inuenta sunt ossa sancti Mauri Episcopi, sancti Sergij, & sancti Pantaleonis, ac digna sepultura condita: ex quibus etiam liquor fluit, qui Menna ab accolis appellatur. Deinde ad quatuor milia, est monasterium Fratrum minorum, sanctos Marcus de Colonna nomine: & inde ad spatium vnius miliaris, est ciuitas Trant, siue Trinium: *Trani.* à quo autem condita fuerit literæ in porta ciuitatis scriptæ, manifestant: Tranum à Tyreno filio Diomedis, & à Traiano instauratum. Post sex milium iter confectum, est Barletta, siue Barulum oppidum nobile satis, & opulentum, ac plurimæ gentis plenum. *Barletta.* Quatuor sunt oppida, quæ ciuilitatis dignitate plurimis præstant vrbibus: *Quatuor castella, quæ ciuitates superant.* Barletta in Apulia, Fabrianum in Piceno, Pratum in Tuscia, & Crema in Lombardia. A Barletta tria milia pass. mouetur amnis Losento,

qui

Apulia. qui à Pomponio Mela *lib.* 2. vocatur Aufidus, & à Silio *lib.*8.*&* 9. At parte in dextra sinuat, qua flexibus vndam Aufidus, & Curuo circumerrat gurgita ripas: terminus quidem Apuliæ Peucetiæ, & Dauniæ, siue Apuliæ planæ. Cæterum, loca mediterranea talia esse dicuntur: à Brun- *Ostunum ciuitas.* dusio 24. milibus abest Ostunum ciuitas, syluis olearum vndequaque vallata, & ad septem milia, est palus ex arundinibus composita. Ad radices collis, est castrum Fasa- *Conuersana.* num: & in dorso est ciuitas de Conuersano: est collis saxosus, à Bari 15. milibus seiunctus. Solum Conuersani plurimum affert vini, frumenti, & olei: Brundusium versus, *S. Alicander.* est sanctus Alicander, castrum ecclesiæ sancti Nicolai de Bari. Inde in colle iam dicto, videtur Martina castrum, *Martina castello.* ab Ostuno 17. milibus semotum: & 16. à Monopoli, vmbrosis syluis vndique cinctus, in quibus sunt optima animantibus pabula. Super iam dictum collem, est antiqua *Celia ciuitas.* ciuitas Cilto, quæ à Ptolemæo Celia vocatur, ex cuius solo non parum croci incolæ colligunt: locus etiam venationibus aptus. Deinde sequuntur Carauigna, sanctus Vitus, Ci- *Aqua viua.* sternioum, Lugorsondo, Putiglanum, Aqua viua oobile castrum à Bari 15. milibus distans: Gioia, Cassanum, Altamura, Spinacciola octo milibus à Grauina distans, & pau- *Venusia.* lo vlterius ciuitas Venusia, quæ à Connosa abest 15. Ad hanc ciuitatem è castris se recapit Terentius Varro consul Romanus cum 50. equitibus, tot millibus in rurus Can- *Horatius. Acheruntia ciuitas.* nensi interfectis. Horatij poetæ natiuitate, & doctrina illustris: In Apennino est Acheruntia ciuitas. Et inde ad 15. milia inter montes est Atella A Venusia 15. milibus confectis prope fluuium Lofante, videntur vestigia dirutæ Cannis, in qua ab Annibale Pœno 101 millia Romanorum cæsa sunt. Erat hæc ciuitas proxima fluuio Losante, in pul- *Canna quadraginta milia peditum & 2700. equites. Bitontum. Andri.* chra planicie posita, quæ ab antiquis Caonusium vocabatur. Sequuntur post aliqua castra, ciuitas Bitontum, id est, bonum totum: quæ quidem ciuitas abundat frumento, vino, & oleo, & similibus vitæ necessariis. Sequitur castrum Terlitio, & postea ciuitas Riuo, siue Rubo, Corato: & ad octo milia ciuitas Andri, cuius accolæ ingenio, & industria valent. Sunt & alia castra in montibus.

Apulia plana.

Apuliæ Dauniæ, siue planæ terminus orientalis, est terra Bari cum amne Lofante: meridionalis vero Apenninus cum Irpinis, & Samnitibus: occidentalis, Frentani, & Caraceni, hodie Samnium cum amne Fortore: septentrionalis, mare Adriaticum. Itaque transmisso amne Aufido, siue Lofante, apparet locus anti- *Salapia.* quæ Salapiæ, ab amne prædicto 20. milium interuallo seiunctus: qui quidem erat ad litus maris: à Ptolemæo Salpia vocatur, quæ condita fuit à Diomede, secundum Varronem: secundum vero alios ab Elfia Rodiano. Verum *Salpe.* relicta antiqua Salapia propter aeris intemperiem, ciues eiusdem in mediterraneis locis, Salpem condiderunt quatuor milibus à mari semotam. Videtur postea lacus An- *Lacus Andoria.* durij semper aquarum planus, de quo Plinius loquitur *lib.* 3. *cap.* 106. deinde inuenitur fluuius Candelaris: inde ad *Manfredonia.* Manfredoniam octo milium est iter, quæ posita est super rupem, sinus maris montis Gargani: condita à Manfredo rege filio Federici secundi Imperatoris, anno 1300. vnde & Manfredonia dicta; nam prius portus de Capitanata vocabatur: condidit autem eam Manfredus, vrbe Siponto destructa: translataque est ad eam sedes Archiepiscopalis: tametsi Archiepiscopus Sipontinus nominatur. Est ciuitas nobilis, & populosa, & ad littus maris habet fortissimam arcem. Inde ad spatium vnius miliaris in rupe saxosa, *Sipontetica. Sipa.* quæ est ad radices montis Gargani, videntur ruinæ vrbis Siponti, quæ à Græcis Sipium appellatur, ob pisces Sepios, vndarum impulsu ad littus transmissos. Fuit etiam Sipa appellata, teste Strabone, & à Diomede condita: à Salapia 20. milibus distans. Hæc ciuitas à Sarracenis euersa, ciuibus interfectis, & ipsa direptioni tradita. Alij aiunt, continuis factionibus fatigatam, ac crebris terræ motibus agitatam, *Apeneste.* pessum iuisse. Deinde sequitur ad littus ciuitas Apeneste funditus euersa: postea est mons Garganus orbi notissimus: de quo etiam Poetæ loquuntur: Virg. 11. *Victor Gargani condebat Iapygis.* Lucanus *lib.* 5. Apulus, Adriacas exit Gar- *Mons Garganus.* ganus in vndas. Horatius 2. carminum: Querceta Gargani laborent. Est autem mons altissimus, ad quem non patet facilis ascensus: in quo plurimæ amœnæ syluæ inueniuntur: plurimis tamen in locis absque arboribus consistens. Ex latere, quo mare respicit, bracchium porrigit ad orientem *Mons Garganus.* quadraginta milium longitudine: quod quidam ex Apennino nascitur, ex cuius radicibus dorsum montis prodit, multum eminens, duobus milibus latum: longum vero viginti. Hoc montis dorso dimisso, incipit mons paulatim in *Circuitus montis.* altum se attollere; ita vt multum in sublime porrigatur, tum magnitudine, tum etiam latitudine: fertilis tamen & abundans. Capit deinde tantam maris latitudinem, vt ipsius *Lacus montis.* radices ducentorum milium circuitus spatium complectantur. Multis in locis decurrit in præceps, quibus scilicet mare intuetur: infra montem vero videntur aliquot lacus, lacus Varranus circum circa habens triginta milia, vbi ali- *Ciuitas Vesta Vryas ciuitas.* quot vici, siue castella inueniuntur, Caprinum, Cognatum, Ischitella, ciuitas Vestæ: & inde ad decem milia Vestice castrum, ciuitas Roda, siue Vreum vel Vryas: vnde à Plinio ciues eiusdem Hyrini vocantur. Ad hoc promontorium, est finis Ionici sinus, & incipit Adriaticus. In conspectu istorum locorum, est sancta Maria de Tremite, insulæ Diomedis: & vlterius ad littus maris, est ostium Fi- *Fiternum amnis.* terni, siue Fetoris amnis. In summitate montis, est ca- *Templum S. Archangeli.* strum sancti Angeli, à deuotissima illa spelunca Archangelo Michaeli consecrata, nomen habens. Hic inuenitur est templum sacrum sancti Archangeli Michaelis, anno Domini 586. octaua die Maij, Pontifice Romano Gelasio, & Imperatore Zenone, Archiepiscopo Sipontino Laurentio. Est autem locus non humanis, sed angelicis manibus præparatus: intus est saxum viuum, vnde incipit aditus à summitate, per maximam portam marmoream, à regni dominis erectam, ad meridiem positam. Inde patet descensus per 55. gradus septentrionẽ versus. Ex crebis autem fenestris hominum manibus fabrefactis gradus illi illustrati, descendentibus, atque ascendentibus commodum præbent accessum intro eundi, redeundique. In fine graduum omnium inuenitur cimiterium in plano, vbi plurimæ sunt sepulturæ, atque sacella. Per aliam portam deinde *Spelunca Angeli.* ex metallo fabricatam ingressus patet ad sacram speluncam, non quidem ante solis ortum. Hoc autem ostium occidentem respicit: ad dexteram videtur illa mirifica spelunca, sancti Archangeli domus, ad orientem porrecta, tota ex vno lapide viuo constructa, purum semper humorem distillante, horrida quidem, infima, & obscura. In medio est paruus chorus, quo ascenditur per quatuor grados: cum autem propius accesseris ad sacrum altare S. Archangeli, cogeris vel inuitus, sacrum illum locum venerari. Ibi videtur altare à sancto Angelo consecratum, alio altari manibus artificis hominis facto, vestitum: vbi quotidianæ Missæ pro maiori parte celebrantur: qui quidem locus non omnibus patet. Inde non multum longe, est fons diuini liquoris, semper scaturientis, qui pro medicina infirmitatibus accolarum circumiacentium, plurimum prodest. Ad *Fons diuini liquoris.* læuam sunt alia altaria sacella, in quibus celebratur. Pauimentum speluncæ est ex albo, & rubeo marmore depictum: super speluncam, est viridis & crebra sylua, multaque loca, quæ ad pœnitentiam, atque orationem inuitant, arbores magnæ ex viuis lapidibus prodeuntes. cum per multum spatium montis, nec vna quidem arbor videatur. Inuenitur etiam in media spelunca crux ex crystallo, ibi diuinitus inuenta, quando sanctus Michael suam sacram domum hominibus patefecit. In medio illius montis est planicies pulchra, in qua inuenitur castrum sancti *Castrum S. Ioannis.* Ioannis Ritondo fertilis satis. Et ad radices versus meri- *S. Viti.* diem prope planiciam inter sanctum Seuerum, & Manfredoniam, est castrum sancti Viti: in quo est magna serpentum abundantia. Ad latus montis, quod respicit ad meridiem, est Artignanum castrum: & versus occidentem, vnde incipit via ascendendi in montẽ, est sanctus Alicander, *S. Alicander.* vbi est palatium Federici secundi Imperatoris, ad Præcinoam castellum. Inde ad sex milia versus occidentem, est *Torremaggiore.* turris maior: & totidem est sanctus Seuerus, quatuor milibus distans à monte sancti Angeli. Est autem castrum opulentum, nobilitatis, ac populi plenum. Recitat Strabo *lib.* 6. in colle Drino duo templa idolis consecrata fuisse, in quibus responsa dæmonum dabantur. Sed de his hactenus. A sancto Angelo iter dirigendo per largam Apuliæ planiciam, in qua est non modica aquæ, atque arborum penuria, abundantia vero frumenti non parua: 18 milium itinere confecto, occurrit Foggia castrum, ferax fru- *Foggia.* menti. Inde ad sex milia Manfredoniam versus, videntur vestigia ciuitatis Arpe, quæ à Diomede condita fuit: à Virg. vocatur Argyripa lib. 11. *Vidimus ô ciues, Diomedem, Argiuaque castra. Atque iter emensi casus superauimus omnes, Contigimusque manum, qua condidit* *Arpe. Virgilius.*

Ilia

Apulia Giapygia. Silius. lia *lib.* *Ille vrbem Argyripam patriæ cognomine gentis victor Garganus condebat Iapygis agris.* Seruius ait Diomedem fuisse ex ciuitate Argofippio: deinde longitudine temporis, nomen corruptum, vt diceretur Argyripa, & postea Arpi. Silius lib. 8. Infaustum Phrygiis Diomedis nomine campum: Dumque Arpos tendunt instructi pectora Poeni. Exinde occidentem *Luceria seu Nuceria.* versus ad 12 milia, Luceria ciuitas inuenitur in paruo colle, qui planiciei imminet magnæ: à Ptolemæo Nuceria est nuncupata, mutata litera. In qua tempore Strabonis erectum erat templum Mineruæ, ornatum, atque splendidum. Quæ quidem ciuitas euersa est à Constantio 2. filio Constantini 3. Imperatoris Constantinopolitani, Pontifice Romano Vitelliano: fuit postea reædificata, sed non ad primum splendorem. Deinde tempore Federici 2. Imperatoris, iterum euersa, Sarracenis colendam tradidit, ideoque dicta est Luceria Sarracenorum sed à Carolo 2. expulsi sunt. Est ciuitas hodie mercatoribus multum accommodata, ad quam bis in anno mercatores conueniunt. Hinc Apenninum versus, in *Teanum.* ipso Apennino Teanum Apuliæ conspicitur; sic enim à Strabone vocatur. Huius meminit Liuius *lib.* 8. vbi ait, Teanenses conuenisse Lelium Plancum, & pacem apud eum iniisse. A Luceria deinde iter dirigendo septentrionem ver- *Ferunzola. Federici secundi mors.* sus, occurrit Farunzola castellum, quod aliqui Farentinum vocant; vbi mortem cum vita commutauit Federicus secundus magnus Ecclesiæ Romanæ persequutor. A Ferunzola 18. milibus confectis, videntur vestigia dirutæ vrbis. Circa latera Apennini, quæ orientem respiciunt, est Castel- *Mons coruinus.* luzium, Petramotta, Mons coruinus, Volturanum, Cicellana, Castelum Francum, Alberottum, Biccarinum. A Lu- *Troia ciuitas.* ceria ad octo milia, est Troia ciuitas multum diues, ac fertilis soli, ædificata à Bobagiano duce militiæ, Michaelis Imperatoris Constantinopolitani, Stephano Papa octauo. In *Tres Soles. Ordona. Bouinum. Asculum.* hac ciuitate visi fuêre tres soles in meridie anno 1532. In Apennino sequitur Orsara, ciuitas Bouini, Delicetum: & inde ad septem milia Asculum ciuitas, quæ ab antiquis Saterianum vocabatur: quæ ciuitas magnam ruinam passa est, à Roggiero filio Guiscardi. per planiciem vero ad maritimam oram eundo, prope illam quatuor milibus, est magnum templum sancti Leonardi, à Federico 2. Imperatore conditum. Inde ad 18. est Cidignola castellum, in hac quidem planicie, est abundantia frumenti, penuria vero aquæ, & arborum. Cæterum, quamuis terra Hydruntina *Giapygia Apulia.* vocata fuerit Giapygia; nihilominus hæc pars Apuliæ, quæ scribenda remanet, vsque ad montem Garganum, & amnem Fortorem Giapygia à Seruio appellatur: exponens illud Virgilianum: *Victor Gargani condebat Iapygis agris:* asserens illam partem Apuliæ, in qua est mons Garganus Giapygiam vocari. Est in ea campus Bassus, castellum in medio montibus erectum, citra iuga Apennini, à Bouiano 15. milibus distans: quandoquidem ex illo latere Apulia incipiat. Ex hoc castello post quatuor milia versus Luceriam, inuenitur campus de petra. Et post sex miliaria, Petra Catella, castellum in altissimo monte positum: & inde ad quinque milia, est Macbis, Celestina: & postea ciuitas de Biturata. Inde descensus patet ad planiciem, in qua itinere sex milium *Luceria.* absoluto, inuenitur Luceria: deinde Baranellum, Bussum, Ratinum, Roccetta, mons Sagianus, Petrella, Castellinum, Moronum, & Grosso issium, quæ quidem castella sunt prope amnem Fortorem. Inueniuntur autem in illis campis 16. milium, vsque ad maritimam oram antiquissimum castel- *Gerion.* lum Gerion, vbi Annibalem gradum fixisse commemorat Liuius *lib.* 22. Inde ad duo milia, est Casa Calenda castel- *Casa calenda.* lum, & post sex milia Larinum nouum castellum. Cæte- *Le Sina.* rùm, amnis Fortore in sinu Adriatico se exonerat prope lacum de le Sina, quæ quidem ciuitas condita fuit à piscatoribus Christianis, qui ex insula le Sina huc commearunt: quæ quidem Insula in Sclauonia à regione est istius vrbis: à mari quatuor milium interuallo seposita. Abest autem ab *Lacus.* hac ciuitate miliaris spatio lacus eodem nomine cum ciuitate nuncupatus: prope quem amnis Fortorius in mare decurrit, à Plinio *lib.* 3. *cap.* 10. vocatur lacus Pamanus, bonorum piscium, maxime anguillarum ferax. A le Sina quatuor *Capriola.* milibus in apice montis est castellum Serra Capriola, qua transeunt animalia, quæ ad partes Italiæ superiores accedunt: vbi in singula capita animalium impositum tributum soluitur. In alteri loco videntur aliqua castella, scilicet Iulianus, Colcorto, Macbis, & petra Catella. Deinde ascendendo ad læuam amnis, videtur circus maior: & vlterius itur ad amnem iam dictum, Apuliæ terminum.

De Gallia cisalpina.

De Taurino.

Gallia cisalpina fines. Gallia cisalpina, quæ & togata, & tonsa dicitur, Ptolemæo & Plinio authoribus, intra padum, Rubiconem, & Apenninum claudebatur; vbi hodie Flaminea, & Romandiola. Verum nostro æuo ad Alpes vsque protenditur: habet ab ortu Rubiconem fluuium, mare Adriaticum, & Istriam: ab occasu vero & septentrione, Alpes: à meridie Apenninum montem. Hæc autem diuiditur in Cispadanam, & Transpadanam. Sed prius de vrbib. Pedemontanis loquamur & inprimis de Taurino. Taurinum hodie, antea Augusta Taurinorũ, quod eius gentis caput esset appellata. Taurini Iulij Cæsaris bene- *Taurinum.* ficio, ciues Romani sunt effecti. Vrbs ipsa à Gothis excisa est: denuo instaurata minor fuit, quam prius esset; forma quadrata, ædificiis pulcherrimis ornata: leuissimo riuo me- *Duria.* dia alluitur, cui nomen Duria, quod à flumine eiusdem nominis, quod prope vrbem labitur, accepit: fossa, muro, & aliquot turribus, & arce pulcherrima munita. Vrbs est in plano sita, ab oriente Eridanum flumen, quem Padum vocant, habet, à quo non plus mille distat passus: ab occasu *Alpes Graiæ & summæ.* Alpes Graias: à septentrione Alpes, quas Cæsar summas vocat & flumen Durium, cuius proxime meminimus: à meridie vero planiciem, eamque fertilem, quæ patet passus quinque milia, inter Padum & Alpes. Supra Padum ingens pontis moles est, saxis extructa, turribus & propugnaculis munitissima. Inter vrbem & Padum iacent horti amœ- *Fertilitas & situs Taurini.* nissimi, & irrigui; vltra Padum colles vitiferi statim occurrunt, è quibus vina præstantissima omnis generis habentur: huius vrbis causa gesta sunt plurima bella & strages, inter Carolum quintum, & Franciscum regem Gallorum: præcipue, anno 1544. iuxta Carmaniolam, in quo conflictu 13. milia ceciderunt virorum de Caroli exercitu: reliqui vero aut capti, aut pecunia mulctati. Clarissimi in ea florent legum, & medicinæ doctores, ac aliarum artium, & scientiarum magistri: domicilium serenissimi ducis Sabaudiæ. *Ducatus.* Ducatus Taurini est magnus, tum populorum frequentia tum diuitiarum omnigeneris abundantia. Ad huius vrbis dominium spectant plura, & præclara oppida, Lancium, Belligerium, Pinnarolum, & similia multa. hanc ipse vrbem lustraui, rediens ex studio Louaniensi anno 1560. tempore Pii 4. Pontificis Romani. Quoniam autem mihi propositum est præcipuas ciuitates Italiæ describere, post *Genua.* Taurini descriptionem de Genua ciuitate Liguriæ aliquid dicam. Genua est Ligurum domina: vrbs celebris, clarissimaque in Ligustici maris littore à Saturni Regis filio Genuo condita, & cognominata: à Iano Italorum Rege post *Idolum Iani.* Troianam cladem ampliata: vbi Iani bifrontis idolum primo coli cœptum est, ideoque dicitur Ianua. Ab initio Romanis subdita fuit, vsque ad annum CHRISTI sexcentesimum: Tunc Rotaris Longobardorum Rex eam spolia- *Galli gubernant. Corsica sub Genuensibus.* uit: sed recuperatam postea, Carolus Magnus, eiusque filius Pipinus rex Italiæ, & successores Franci reges, per annos circiter centum, summa cum iustitia & humanitate gubernarunt. Cumque Sarraceni irruerent in Corsicam insulam, sibique eam vendicassent, Comes Ademarus præfectus Genuensium, cum Genuensibus classem expediens, eam eripuit de infidelium manibus, restituitque sub Genuensium potestate. Hæc ciuitas totius Ligustici li- *Genuenses contra Venetos.* nus emporium est: aucta diuitiis, portu, ædibusque superbissimis: Excellit naualis belli peritis supra modum, vt annos multos maris imperio potiretur. Post Carolum Magnum filiosque eius, plurimam ciuium sustinuit tyrannidem, ideoque peregrinos dominos recepit. Sane, agitata ciuilibus discordiis, imperij, quod habebat in ma- *Genuenses cremat decem.* ri, non paruam iacturam fecit. Anno Christi 1258. Genuenses pugnarunt contra Venetos, propter Tyrum & Ptolemaidem, vbi vtrique commercia exercebant; sed Genuenses freti auxilio Constantinopolitani Imperatoris Michaelis Paleologi, potiti sunt Gaza, ciuitate Venetorum, captoque duce Venetorum profecti sunt vsque ad fluuium & ciuitatem Tanaim, subiecerunt que sibi Caphã, quã 30. annis potiti sunt. Anno Christi 1337. instituerunt Genuenses ducem, iuxta formam ducis Venetorum, miserunt que eum in Cyprum, quam sibi subiecerunt: ceperuntque Regem & reginam, ductosque captiuos Genuam, paulo post imposito annuo tributo, dimiserunt: retinuerunt autem sibi Famagustam. Cæterum, cum primus Genuensium Dux infeliciter pugnasset contra Venetos, priuatus est Ducatu, & in carcerẽ coniectus, alius loco eius subiit, qui magnã fecit cladẽ in Venetos, sed in bello

De oppidis Lombardiæ. interiit. Mox alius dux subrogatus, profectusque ad Imperatorem Constantinopolitanum, ob præclaras in bellis à se res gestas, donatus fuit Insula Mitylene, quam Genuenses tennuarunt vsque ad annum Christi 1454. *Genuenses potiuntur Mitylene.* Deinde anno 1381. susceperunt pro defensore vrbis suæ Carolum sextum regem Franciæ, qui vicetenentem constituit. Deinde reiectis Gallis, Ducem Mediolanensium in defensorem acceperunt, vsque ad annum Christi 1435. Tunc defecto duce Philippo, proprium instituerunt ducem, cuius constitutio non omnibus probata fuit; nam quidam regi Gallo, quidam Duci Mediolanensium adhæserunt. Nostro æuo creant ducem non perpetuum, sed annuum. liberi sunt, sed parum inter se pacifici. Ciues exercent grandia commercia, sulcantque maria diuersa: vrbs eorum magna est, & diues atque pulchra, tum situ, tum palatiis, habetque commodum portum. *Situs Genuæ.* Regio in qua sita est vrbs est Liguria, *Liguria.* habetque agrum rudem & saxosum: fuit olim hæc terra syluis obducta, habens paucos colonos, Ligures in magnis laboribus degunt propter soli infœcunditatem. Alexandria iuxta fluuium Tanarum (qui ex Liguria venit, & haud procul à Papia, Pado miscetur) sita est. *Alexandria. Tanarus fluuius.* Locantur aliquot insignes ciuitates, præsertim Alba, Asta, & noua Alexandria. *Asta.* Cæterum, subuerso Mediolano per Fridericum primum, erant aliqui Ligures circa montem Apenninum, qui relictis prædiis suis, concesserunt ad villam quandam Roboreto nomine, vbi cœperunt extruere ciuitatem, quam Cæsaream in fauorem Cæsaris appellârunt. Pontifex vero Romanus nomine Alexander tertius, Christiano omnibus Imperatorem persequens, adiunctisque sibi Venetis, & Mediolanensibus, abisque populis, Imperatorem Italia pepulit. in cuius victoriæ memoriam, vrbs illa, vocata est ex eius Papæ Alexandri nomine Alexandria. *Mons Ferratus. Fertilitas.* Mons Ferratus, pars est Liguriæ cis Apenninum situs, ferolis & habitabilis, dierú ferè spatio ab Alpibus diuisus, per parantes interim campos colliboa magis quam iugis eleuatus, vbi colonus nihil inculrum, aut inaratum relinquit. Habet à dextera Tanarum, à sinistra vero Padum, faracamque admodum inter hæc duo flumina planiciem positam. Huius fines sunt hinc Padus, inde Apenninus, & Tanarus ipse à fonte suo ad ostia quibus fertur in Padum: & in superiori parte montes, qui sunt proximi Moncalieto vbi Pedemontium incipit. *Moncalierum. Pedemontium.* Ad Padi ripam sunt huiusmodi oppida Basignana, vbi poota Padus iunctus est, Valentia siue Valentium, Pomatum, Frassinetum, Casale, pons Sturiæ, Camiaum, Gabianum, Verrucola, sanctus Raphael, Grassinum, & Moncalerium. Post Basignana mone Castellus, & Panonum, deinde Bergolium, postea Alexandria, supra quam sunt oppida Fœlicianum, Marum, Asta ciuitas, Monticellum, sancta Victoria, & Pollentum, superius Ceua oppidum nobile, & sui Marchionatus oppida & castella, inter quorum medium Tanarus oritur. *Ceua.* Deinde per Tanari sinistram descendendo, obuiam venit Alba ciuitas, inde Roccha, Aquæ ciuitas. *Alba ciuitas. Aqua ciuitas.* Infra vero torrens Borbus ad Dexteram autem Damianum, Canachium, cui proximum est oppidum Carmagnola. *Carmagnola.* Post supradicta Padus: & in sinistro duorum cornuum, quæ sub ortu suo efficit, habent Vncinum in dextero & Criciciurn: inter quæ oppida, Padi ortus apparet, quem Plinius fontem Visundum appellat, dicitque eum mediis diebus æstiuis arescere. *Padi ortus.* Mons autem, à quo fons scatet, Vesulus à priscis authoribus est appellatus. *Vesulus mons.* In Italia transpadana, ad Padi ripam est Mintius fluuius, ex lacu Benaco originem habens. *Mintius fluuius.* Prope Padum Gouernum oppidum, apud quem locum Leo primus Papa Romanus, Attilæ obuiam venit. *Leo Papa obuiat Attilæ.* Mintium amnem ponte iungit Valantium oppidum. Supra ad lacum Emissorium est Piscaria magni portorij oppidum, arce & ponte magnifici operis erectum, vocaturque Gardæ lacus. *Lacus Gardæ.* Benacus habet oppida, & vicos, ad dexteram Lagisium, Gardamque, à quo huiusmodi lacus nomen accepit, Turbolum, *Benacus.* sub quo ingreditur Sarcha fluuius, qui è montibus Tridentinis oritur. *Sarcha fluuius.* Ad Sarchiæ dextram Archusdrenna, Medrusium, Vociaonum, superius in valle Pontionum, & ad fluuij Sarchiæ fontem sancta Maria. Ad Mintij sinistram Godium, Volta, & Capriana: ad lacus vero sinistram Riuoltella, Desentianum, Minerniom, & in sinu quem facit lacus, Solodium. Deinde in circuitu Madernum, Bargnanum, Lucionium, & Riua, nobilissimum illius regionis oppidum, sic dictum à riuo sanguinis; *Riua. Riuus sanguineus.* quem Rex Longobardorum Grimoaldus, ex cæde Francorum effudit qui in Italiam per Tridentum ingressi fuerant. Superius ad Sarchiæ sinistram Trennium, & Cardacionum. Est autem in lacus insula Sermianum. Vltra Mintium per Padi ripam est Burgus fortis. Paulo supra sunt ostia amnis Olli, qui quidem fluuius è lacu Sebuino effusus; breui supra Padum tractu, ad dexte- *Amnis Olli.*ram, Clesio augetur fluuio, prope cuius oppidum, Marcha *De oppidis Lombardiæ.* ria, & ad ipsa ostia Caluatum castellum est. Ad Clesij vero dexteram, Asola, monteclerus, cui amplissima adiacet planicies, & Lunatum oppidum ad eius vero fontem Gauardum, Buarnum, Angosenium, Edetum castellum. *Amnis Clesius. Lunatum.* Ad Clesii autem fontem Bargatium oppidum Ad Olli autem fluminis sinistram ponsvicus, Vrecinoni, Vrecineteres oppid. & supra ad Sebuinum est Isel oppidum. Ad lacus sinistram Sernagum, Pranorum, Loarium, Monticulum Gemmium, & Edolium. Inter Clesium & Ollium amnes, est Brixia egregia, & pulchra ciuitas, cuius incolæ plurimum valent ingenio, animo, & viribus quæ condita est à Gallis: modo sub Venetorum dominio manet, qui eam arce, vallo, armisque & militibus stipendiariis munitissimam habent. *Brixia ciuitas.* De ea scribit Liuius *lib.* 21. Romanis opem tulisse. Brixiam præterlabitur Mella fluuius, scatentibus vbique fontibus. *Mella fluuius.* Habet Mellam ad dextram, Monpianum, Concisum: ad sinistram vero, vbi crescere incipit, Chorıom: subinde villam: & Vncinam, vbi influit Broccua torrens, & ad Brocci ortú, Lodrium, & ad fontem Mormæ, Alueum Botatum, & Coium ad Padi alueum Dosiolum & post Vitellana oppidum, opibus & populo refertum. Inde milliaribus triginta, est Cremona vetus Romanorum colonia, simul cum Placentia deducta, vt dicit Liuius lib. 20. *Cremona.* à Strabone *lib.* 5. vocatur Cremona, similiter à Cornelio Tacito lib. 17. & 19. & à Plinio *lib.* 3. *cap.* 18. Supra ad dexteram est Macha Storma castellum: deinde ad ostia fluminis Abduæ, Intus ad dexteram, pauca supra Padum milieribus, Abduam influit Serius amnis: vbi imminet Abduæ Picciolum oppidum. *Abdua fluuius.* Ad Serij fluminis sinistram, est Crema oppidum nobile, à Fede Barbaro, post Cremonæ afflictionem, in eiusdem ciuitatis opprobrium atque damnum erectum. Supra huiusmodi oppidum, est Nebetium, & Vartorium: & ad fluuii fontem Bardionum. *Serius amnis. Crema.* Imminet ostiis Abduæ ad sinistram castrum nouum, cognomine Bueca Abduæ: interius autem secundum amnis decursum circiter quinquaginta miliaribus, Lauda ciuitas. & inde ad tria milliaria Lauda vetus dicta. supra Abduæ adiacet Cassianum oppidum: deinde mons Brigantius, regio quidem multis villis habitata, viris optimis, & castanearum feracissima. *Lauda ciuitas.* Vbi vero Abduæ mons astat. Brippum est oppidum & inter varios montes supra Abdua dextrorsum, illabitur Brembus amnis: cuius conuallibus mer montes adiacet sanctus Petrus, sanctus Peragrinus, sanctus Ioannes. Contra Brembi amnis ostia est, Vauarium castellum. *Brembus amnis.* Inter Serium & Brambum fluuios, qui in Abduá influunt, in editissimis môtibus est Bergomum, ciuitas à Gallis condita, mercibus atque mercatoribus abundans, cui adiacet Triulium, Mozanica, Rummegum, Martinengum, & Carauagiom: ad Padi autem dexteram Belgiosum, villa opulentissima. *Bergomum. Martinengum.* Supra Canturiam Comum ciuitas vetusta, lacui Lario contigua, quæ à Gallis erecta est. *Comum. Lacus Comi.* Ad lacus autem Larij, siue Comi sinistram Senobium, Arcinium campus, & alia huiusmodi: supra vero torrentem est Larium, Victoria, & inde castellum Clauenna. Ad dexteram Padi ripam, post Vmbronem, prima habentur Ticinij ostia. qui plane fluuius Verbanum, siue maiorem lacum exonerat. *Ticinus. Lacus maior.* Adiacet huic amni ad dexteram Papia, de qua in præsenti capite dicam.

De Papia, Medsolano, & aliis locis.

PApia, olim Ticinium, vulgo Pauia, ciuitas antiqua, quam veteres transpadanam, & Subalpinam, posteri autem Longobardiam vocauerunt. *Papia. Longobardia.* Alluuntur mœnia eius Ticino fluuio perspicuo, etiam cú pluuiosum est cœlum. In hac vrbe Longobardi, & alij post ipsos Italiæ reges olim habuerunt regiam suam sedem, antequam à Carolo Magno Imperatore domarentur. Multa passa est temporum successu ob factionem Guelforum & Gibellinorum Libera erat, sed Ioannes Galeatius Dux Mediolanensium, subiecit sibi: extruxitque in ea arcem, & iuxta eam parcum insignem, atque magnum venationis hortum: qui tam magnus est; vt circuitus eius comprahendat viginti milia Italica, vndique muro cinctus, & diuersis animaliú speciebus refertus. *Arcem.* Abundat ciuitas his quæ ad victum pertinent, colligitque vina plusquam egregia. In situ istius vrbis captus est rex Franciscus post strenuum conflictum à Cæsarianis anno domini 1525 in festo Matthiæ Apostoli. *Rex ... apud ... Cæsarianos.* Illustratur hæc ciuitas reliquiis sancti Augustini Episcopi, Doctoris ecclesiæ maximi, & sancti Bernardini Feltrensis, ordinis sancti Francisci de obseruátia Adiacent Ticino amni intus ad dexteram fossæ manufactæ, ab eodem fluuio ductæ.

Hæret

De Mediolano.

Hæret Abbiagrassum. superius est Vigiuenum: inde Cucciorum, postea Sextium, lacui propinquum. Ad maioris autem lacus dexteram Angleria primum est oppidum: intus vero ad dexteram huius lacus partem, Varesium oppidum, populi frequentia illustre. Interius est Nouaria ciuitas. Ad Sicidæ sinistram, priusquam Sarnus influat, torrens est, ciuitas Vercellensis, de qua Martialis 10. Æmiliæ gentes & Apollineas Vercellas. Ciuitas est episcopalis & antiqua.

Nouaria. Vercellæ.

Sed tempus est, vt aliquid dicamus de Mediolanensi ciuitate. Narrant antiqui scriptores, olim Tyrrhenos inhabitasse tractum illius terræ, qui Apennino mari Adriatico, & Alpibus terminatur, ad hos autem, ob loci vicinitatem Gallos commeasse, specie ac fœcunditate terræ allectos. Cum autem magnam quandam belli occasionem nacti essent aduersus Tyrrhenos, impetu facto, è proprijs sedibus eiecerunt: atque ite duce Brenno Mediolanum condiderunt. Strabo Mediolanum vicum istis pridem fuisse refert, quod vicatim omnes habitarent; sed tempestate sua eximiæ dignitatis ciuitatem: quippe quæ Insubrium metropolis esset. Fama vetus est ab apro lanato ex media parte, quem affosso solo inuenerunt, Mediolanum esse nuncupatum. Est circa hanc vrbem nobilis regio, tum cœli temperie, tum soli fertilitate, & affluenti rerum copia. vnde ciuitas suo abundans populo, & suis nitens viribus, semper gentis suæ dominium habuit. & quoties euersa, post excidium restituta, vbertate agri & propinquitate Alpium, ex quibus hominum copia affluit. Cæsares Romani mirum in modum hanc vrbem coluerunt: Traianus non solum eam vrbem frequentauit, sed & nobilissimum palatium ædificauit, Maximianus Herculeus, amplissimum templum Herculi excitauit, quod posteriores Diuo Laurentio martyri dicauerunt. In hac vrbe cultæ fuerunt liberales omnes disciplinæ; nam & Virgilius Mediolani literis operam dedit. Ingenti incremento res Mediolanensis tempore Gratiani Imperatoris aucta erat. nam quingentos & amplius annos, in multa & diuturna tranquillitate Mediolanenses vixerunt, vsque ad diui Ambrosij tempora. Cum illa tempestate pestifero Arij dogmate Italia infecta, laboraret, Mediolanum adeo peruasit, vt intra vrbem ipsam duo Episcopi æmulis repugnarent. Quieuit post modum ciuitas diui Ambrosij sustentata doctrina, & vitæ sanctitate vsque ad Gothos, qui Italiam misere vastantes, Mediolanum incendio, & direptioni tradiderunt. Postea sub Iustiniano Imperatore Mediolanenses à Gothis deficientes, rursus fuerant expugnati, interfecti & mœnia excisa. Durauit Gothorum imperium annis sesquicentum. Subsequuti paulo post Longobardi in eorum locum, vsurpauerunt Mediolanensis regionis ditionem. Mediolanensis regio olim dicta est Gallia togata, atque Insubria, donec subacta fuit à Longobardis: qui anno Domini 525. in interioribus Saxoniæ in magnum numerum multiplicati, primum occupauerūt Bauariam & Pannoniam anno 542. deinde anno Christi 568. in Italiam venerunt, Pannoniam Hunnis relinquentes. Ducenta itaque millia Longobardorum cum vxoribus, ac liberis, & omni supellectile Italiam petierunt, quam & subegerunt, & in potentatus diuiserunt. Ingressi itaque fori Iulij, siue Friuoli terminos, Alboinus rex Lombardorum præfecit illi prouinciæ Gisulphum nepotem suum, virum per omnia idoneum: deinde expugnauit Taruisium, Vincentiam, Veronam, Mediolanum, & alias multas vrbes: & spatio quatuor annorum totam Galliam togatam sibi subegerunt, quæ ab eis dicta est Lombardia. Regnauerunt autem Lombardi in Italia vsque ad tempora Caroli Magni, annis scilicet 204. qui potenti manu illos compescuit, idque anno Christi 776. Cepit quoque Desiderium regem ipsorum vltimum, & relegans eū Lugdunum, constituit super eos duces alienos, qui tam humaniter eos tractabant; vt iam ex sue gente rectores sibi non optarent. Post Carolum magnum surrexerunt quidam reguli in Italia, qui vocabantur Berengarij, qui Longobardorum regnum vsurparunt, quos compescuit Ottho Magnus: liberauitque Lombardiam de manibus Berengarij, eamque incorporauit Romano imperio: Berengarium vero duxit secum in Germaniam, vbi & mortuus est. Anno Christi 1162. Fridericus Barbarossa Imperator expugnauit Mediolanum: & postea subsidio Parmensium & Placentinorum rursus in triennio est extructum, & instauratum. Obsedit autem Imperator vrbem septem annis quousque illam expugnauit: factaque præda, mœnia ciuitatis solo adæquauit: vrbeque solo adæquata, aratrum per circuitum duci, & sel in perpetuam damnationem seminari iussit: missis in numerabilibus hominibus, mulieribus & pueris in Germaniam. Deinde vero anno 1170. conuenientes ciues Mediolanenses ciuitatem rursum reparauerunt: & cum omnibus ciuitatibus Lombardiæ, rursum Imperatori rebelles facti sunt. Anno Christi 1238. Fridericus secundus expugnat Mediolanum, multorum cæde facta, adductis secum in Apuliam optimatibus, & filio ducis Venetorum: ibique eos occidit. Anno Christi 1310. sub Imperatore Henrico septimo, erant Mediolani duæ factiones, quæ totam Italiam turbauerant, nempe Guelfi & Gibellini, qui anno Christi 1240. sub Imperatore Friderico exorti sunt: Guelfi erant à parte Romani Pontificis & Gibellini à parte Imperatoris. Vocauit enim Fridericus secundus, eos, qui sibi fauebant, Gibellinos, quod Germanice sonat, illis se fidere, haud secus ac domus fidit se duobus muris robustis: quos vero nouerat sibi aduersos, Guelfos, id est, lupos appellauit. Multum Mediolani præualueret huiusmodi factionis malum. vni adhærebant vicecomites, & alteri Turriani. duæ scilicet magnæ & nobiles in ipsa vrbe familiæ, ob quarum dissensionem, tota ciuitas versa est in seditionem. Præualentes vero vicecomites, retinuerunt multo tempore vrbis gubernaculum: subiecti postea ad ducalem dignitatem. Nam rex Venceslaus accepta pecunia, fecit vicecomitem ducem Mediolanensem: prius enim per totam Lombardiam erat præfectus sacri imperij: atque in hunc modum bona pars Italiæ subtracta est à Romano imperio. Ioannes Galeatius primus dux Mediolanensium anno Christi 1350. vicecomes Theobaldos genuit Matthæum: Matthæus vero genuit Galeatiū & Stephanum. Porro Galeatius habuit filium Actium, in quo iste linea terminata est. Iste Actius quodam tempore cum humi in castris deposita galea dormiuisset, ac deinde rursum galeam capiti imponeret: ingressus fuerat serpens in galeam, egressusque & delapsus per faciem principis, in nullo illum læsit: Atque hinc est quod principes Mediolanenses serpentem in suis insignijs habent. Porro, Stephanus filius Matthæi, frater Galeatij, genuit Galeatium. & Galeatius Ioannem Galeatium, primum Mediolani ducem, Venceslai Cæsaris beneficio. Ioannes vero Galeatius genuit Ioannem Mariam, Philippum Mariam, & filiam Valentiam nomine, quam vxorem duxit Ludouicus rex Franciæ. Philippus Maria reliquit filiam vnicam, Blancam nomine, quā duxit vxorem Franciscus Sfortia, qui ob fortia facta in militia, Sfortia dictus est. Mortuus est autem Philippus Maria. Franciscus autem Sfortia genuit Galeatium, Ludouicum, Philippum &c. & mortuus est post multa egregia facta anno 1464. cui in ducatu succedens Galeatius, occisusque est à subditis, quod pessime viueret: in eius locum substitutus est eius frater Lodouicus Sfortia, quē rex Maximilianus creauit ducem Mediolanensem. Habuit Galeatius filiam Blancam Mariam, quam duxit vxorem rex Maximilianus, tradito ducatu Mediolanensi Ludouico patruo puellæ. Itaque Francisco Sfortiæ primo successit in ducatu filius eius Galeatius, cuius filia Blanca Maria nupsit Maximiliano regi: filius Galeatij Ioannes Galeatius in locum patris successit, qui accepit vxorem Isabellam neptem Ferdinandi Neapolitani regis, ex eaque genuit Franciscum Sfortiam vltimum ducem Mediolanensem, ductum in Galliam, & Bonnam, quæ nupsit inuictissimo Sigismundo Polonorum Regi qui plane ex Bonna genuit serenissimam Annam vxorem serenissimi Stephani Batthori regis Polonorum pugnacissimi & inuictissimi. Ex quo patet serenissimam Annam Reginam Poloniæ ex vtroque parente serenissimam esse, et quam clarissimam. Sed eam magis commendant bona opera quæ exercet: quæque non omnibus Reginis, & Regibus communis sunt: ideoque cum suis coronis marcescunt, & diu consistere nequeunt.

Numen ciuitatis vnde. Imperatores Mediolanum coluerunt. Mediolanum [illegible]. Mediolani turbatio. S. Ambr. Gothorum imperium. Gallia togata. Longobardorum [illegible]. Lombardia. Annis 204. regnauerunt Lombardi. Berengarij. Barbarossa expugnat Mediolanum. Fridericus secundus expugnat Mediolanum. Guelfi & Gibellini. Vicecomites. Turriani. Ioannes Galeatius primus dux Mediolanensium. Genealogia ducum Mediolanensium. Franciscus Sfortia. Blanca Maria. Genealogia Sfortiana. Genealogia serenissimæ Annæ reginæ Poloniæ, ex parte materna.

De Mantua & Verona.

Mantua antiqua ciuitas, nobilis poetarum principe Virgilio Marone. Ciuitas ipsa est ampla, munita & aspectu iucunda, nobilibus frequens, palatijs insignis, felici satis solo prædita. Hæc haud procul à Benaco lacu sita est, ex quo Mincius influit, qui exundans Mantuam vsque labitur, ibique lacu facto, vrbem circuit. Inde etiam progrediens, breui cursu Padum influit. Agnouit hæc vrbs olim Imperatores, sed illi ex ea principatum facientes abalienarunt imperio, anno Christi 1250. tunc dixit in hac vrbe Sordellus. Deinde anno 1328. Præfuit Aloisios anno 1420. Successione hæreditaria adeptus est dominium Ludouicus: & is duxit vxorem filiam Marchionis Brandenburgensis, quæ sanguine iuncta erat Cæsari Sigismundo. Et quum idem Imperator vice quadam Italiam ingressus, diuerteret ad Ludouicum; creauit eum Marchionem. Nostro æuo familia Gonzaga dominium habet ciuitatis, qui à Carolo quinto Duces creati sunt, & nuncupati. Ad cumulum

Mantua situs. Familia Gonzaga.

De Mantua & Verona. mulum autem ducalis dignitatis accessit Mons ferratus nomine hæreditans. Nam Marchionis Montisferrati vnica filia nupsit duci Mantuano: & mortuo patre, dux Mantuanus illius quoque Marchionatum obtinuit, splendidum satis. Hodie est dux nobili ingenio, & bonorum ingeniorum magnus Mecœnas: vxorem habens filiam Ferdinandi Imperatoris. *Verona.* Verona ciuitas ampla, amœna, & iucunda, quam mediam secat Athesis fluuius, qui ex Tridentinis Alpibus oriens, auctus aquarum abundantia, Adriatico mari infunditur. *Amphitheatrum Veronense.* Veronæ ante theatri molem, fuit & Amphitheatrum, ab Octauio constructum, cuius exterior paries marmoreus in tres arcuum ordines mirandos diuisus, infimos, medios, & supremos altitudine incredibili extollitur: quorum vnusquisque septuaginta duos continet arcus. Inter supremos quosque, statuæ pulcherrimæ erectæ erant. Supra arcuum ordines, alius inerat ordo fenestrarum 72. amplissimarum, aulis ingentibus toti Amphitheatro circumductis deseruientium, vnde exterius, & interius patebat despectus: per portas decem & octo patet aditus in ipsius interiorem planiciem, cuius longitudo perticarum 39. id est, 234 pedum; habet enim pertica sex pedes: altitudo vero 22. perticarum, & dimidiæ ovalem constituens figuram. ab ipsius vero planicie pro sedibus, quadraginta duo insurgunt gradus. In gradibus ipsis hominum 23184. sessionem commodam habuerunt, cuique homini spatio pedis cum dimidio attributo, demptis portarum spatijs. Capacitas supremi gradus in circuitu particarum 183. reperitur: medij autem, vigesimi primi à superiori descendendo, perticarum 142. Theatrum ipsum iam dudum magna ex parte corruit præ nimia vetustate: pars quoque demolitione cecidit, rege Berengario mandante. Olim flumen extra vrbem, iuxta theatri murum currebat: quo deiecto, flumen deuectum est in ciuitatem. *Flumen.* Fuit autem Verona ter à Barbaris incursantibus combusta, à Germanis direpta, ter solo æquata: & à Galieno Imperatore instaurata. alij dicunt ab Antonio Vero. *Verona deuastatio.* Prima Veronæ deuastatio facta est à militibus Vespesiani, altera Galieni tempore: tertia vero Attilæ regis Hunnorum tempore, anno scilicet Christi 427. *Albuinus rex.* Præfuit olim Veronæ Albuinus rex, statuitque in ea sedem suam; quo interfecto, paruit Longobardorum regibus: deinde fuit sub regimine ecclesiæ. Tempore vero Othonis primi, fuit imperio cum multis alijs ciuitatibus subiecta: ac deinde tempore Friderici primi cum Mediolanensibus inito fœdere, libertatem est consecuta. Sed postea in tyrannidem migrauit, donec tandem ad popularem regimen redacta est ciuitas sub vmbra Romanæ ecclesiæ. *Scaligerorum dominium.* Tunc Scaliger quidam est prætor electus, cui anno 1377. successit frater: & postea Antonius Signorius, qui à Ioanne Galeatio vicecomite regno priuatus est: sicque finitum fuit dominium Scaligerorum ann. 1396. Porro, Galeatius vicecomes dominatus est Veronæ annis 18. quo defuncto, vnus ex Scaligeris rursus sibi vendicauit Veronam: quo sublato, Franciscus Carriensis sesquianno potitus est Veronæ regimine. *Veneti.* Veneti postea ann. 1405. vrbem occupauerunt, pacificeque in ea regnauerunt vsque ad annum Christi 1509. tunc fuit septem annis sub Maximiliano Imperatore, qui anno 1517. eam restituit Venetis, atque illi modo dominantur. Itaque ciuitas Veronensis est agri fertilitate diues; nobilissimo flumine ornata, præclarissimorum virorum doctrina illustris, nempe *Zenon primus Episcopus.* Zenone primo vrbis Episcopo, Ambrosianæ eloquentiæ imitatore, Catullo poeta nobilissimo, Plinio grauissimo scriptore. Supra Veronam est Tridentum, parua sed pulchra, & suauis ciuitas, *Tridentum.* in qua nostro æuo Sacrosanctum Concilium Tridentinum est celebratum sub Pio quinto summo Pontifice. Tridentum teste Iustino, à Gallis conditum est. Ad hanc vrbem augetur Athesis fluuius accessu amnis iuxta Pinasm oppidum in Alpibus oriundi. Dextrorsum ac sinistrorsum sunt multa oppida. *Vicentia.* Ex Verona iter est ad Vicentiam, quam Meduacus amnis mediam secat. Hæc vrbs à Gallis est ædificata: cuius ciues sua sponte Venetorum dominium acceperunt: fuerunt illis non paruo auxilio, vt alias sibi finitimas ciuitates subijcerent, scilicet Veronam, Patauium, Brixiam, Bergomum, Taruisium. Fundum vrbis optimũ; habet enim egregia vina, frumenti abundantiam, & corũ, quæ humano sunt vsui necessaria. Populus in ea multus: magna nobilium multitudo: sunt in ea egregij disciplinarum cultores, Medicorum copia (in quorum numero merito censeri debet Dominus Vincentius Gattus Ser. Annæ Reginæ Poloniæ medicus insignis) Legistarum, aliarumq; artium: eo quod populus valeat ingenio, viribus, & armis. *Taruisiũ.* In mediterraneis est vrbs Taruisiũ, vbi Totila quintus Ostrogothorum rex natus, educatusq; fuit, eius patre Veronam, atq; Taruisium possidente. Ab hac ciuitate vocata est Marchia Taruisina: solum habet vini optimi feracissimum, frumenti, hordei, leguminum, fructus ferens bonos. *De Aquileia.* Ciuitas est in plano posita, mœnibus fortissimis munita: præclaris ædibus & palatijs ornata: habet flumen intra ciuitatem perspicuum, & lucidum, cuius aquæ nunquam turbantur. Sunt in ea ciues suaues, pacisque cultores. Episcopalis ciuitas, viris doctis illustris: Forum Iulij, vulgo Friuoli. *Friuoli.* Circiter quinquaginta milliarijs Italicis longa, & lata totidem est ea regio, habet agrum amœnum & fertilem: oppidulis, ciuitatibus, & pagis refertum; comitibus & priuatis Dominis pro maiori parte subiectum; Venetis tamen parent. Huius autem regionis metropolis Vtinum est, præclarissima, *Vtinum metropolis.* & amplissima satis ciuitas, ad quam Præfectus à Venetis mittitur, qui locum tenens vulgo appellatur. *Aquileia.* Aquileia vrbs, Carnorum metropolis, hodie vero in Foro Iulio non longe à mari Adriatico posita, olim potentissima claruit. iam vix inuenias vestigia ciuitatis: nec tot habet domos, vt pagus appellari possit: Insigne nihil habet, præter antiquum & ruinosum templum, cuius Canonici propter cæli intemperiem, & adiacentes paludes, vix per trimestre tempus visitare possunt. Patriarchatus titulo insignita est, & paret patriarchæ cum plurimis alijs Fori Iulij oppidis: Florere autem cœpit hæc ciuitas, & in summum dignitatis fastigium exerescere eo tempore, quo primum Romani, populos sibi subdere tentarunt, qui circa Danubium habitabant. *Octauius August.* Octauius siquidem Cæsar Augustus maiorem bellorum partem per suos præfectos confecit, vt Suetonius narrat: Pannonica autem & Germanica per seipsum præsentem, vel non longe absentem. Nam & Rauennam, & Mediolanum ipse met adijt, & Aquileiam vsque progressus est, Iulia eum comitante, quæ Aquileiæ abortiuum fecit. *S. Marcus.* Sanctus Marcus Euangelista missus à S. Petro Apostolo Alexandriam verbi euangelici disseminandi gratia, Aquileiam venit: prædicatoque ibi Christi Euangelio, ad normam viuendi euangelicam eam vrbem perduxit, cui Euangelium propria manu exaratum scripsit, qui quidem euangelij codex modo Venetijs *Codex euangelij.* asseruatur. *Hermagoras.* Hermagoras quoque ad S. Marci euangelistæ sermones conuersus, Aquileiæ à principe Apostolorum Episcopus est institutus: qui sub Nerone cum Fortunato *Syrus.* Subdiacono martyrium subijt; ambo enim fuerunt securi percussi. Syrus Aquileiæ natus, & doctrina euangelica imbutus, missusq; Papiam, multa Papiensi populo Christianæ religionis beneficia contulit. *Chromatius.* Chromatius quoque ex Aquileia fuit, ad quem D. Hieronymus multas epistolas scripsit. *Vtinum.* Ad triginta millia passuum est ciuitas Vtinum: superius inter excelsum montem est ciuitas Ciuedalis, pulchra, & *Ciuedalis.* ciuibus multis ornata, Germaniam ab Italia dirimens: sunt & *Amnes.* circumquaq; plurima oppida, nempe mons Falcu, Tarrus *Tergestũ.* fluuius, Cisanus fluuius, Dogrium, Tergestum Romanorũ colonia, tertio & trigesimo miliario ab Aquileia disiectum, vt narrat Plinius. vltra vero Tergestum sexto miliario, est amnis Phormio, cui nunc est nomen Cisanus, qui olim erat Italiæ terminus: *Italiæ terminus.* labitur prope Tergestum, & Iustinopolim caput Istriæ: à Phormione siquidem amne incipit *Istria.* Istriæ regio. Porro, Istria est Italiæ regio, Illyrico contermina, centum viginti quinq; miliaria Italica circuitus eius complectitur: longitudo vero sexaginta. Ab amne Phormione, nunc Tisano, siue Cesano, ad Banaticum vsq; sinum *Origo Istrensis.* protenditur, vbi Arsia amnis decurrens Istriam ab Illyrico dirimit. Istriæ populi originem habent à Colchis ab Oeta rege missis ad Argonautas persequendos: qui postquam Istrum amnem ingressi sunt, & Argonautas non inuenissent, ausi non sunt ad Oetam regem reuerti. Iuxta Aquileiam igitur consedentes, Istri dicti sunt ex Istro amne. *Ister amnis.* Prima Istriæ vrbs est Iustinopolis, à Iustiniani prioris Imperatoris filio erecta, cui successit in imperium. Est in Istria Emonia ciuitas, quæ modo vocatur Noua ciuitas, ad quam sunt Ostia Nauporti fluminis: deinde Parentium ciuitas vetusta: deinde in arduo colle vrbs Polona, Romana colonia, ibi Fanaticum *Cimitas.* promontorium longo tractu contra Anconam in mare se prorumpit, sinumque Carnarium efficit. Sed tempus est, vt de ciuitate Venetiarum aliquid dicamus.

De Venetiis.

Venetorũ origo. Circa annum Christi 300. Veneti qui tunc in continenti circa Adriam habitabant, audientes aduenira Hunnos gentem fortissimam, & ferocem, in mare fugientes, consederunt in paruulis insulis, quæ non multum à se distabant: ibi victitantes, prout poterant, potissimum victum piscatura quæritantes. Paulo post cœperunt in insulis illis ædificia erigere: in ea potissimum, quæ vocabatur Rioalto, quod mare ibi profundius esset: *Rioalto.*

aut

De Venetijs. *Rivalto.* *Quando cœpta ædificata est.*

ait quod hæc Insola emineret super alias. hac igitur occasione moti Veneti, posuerunt primum vrbis fundamentum super insulam Rioalto, anno Christi 420. vel vt alij scribunt, anno 458. Postea, ex multarum ciuitatum excidio, quas vastauerat Attila Hunnorum rex, supra modum effloruit ea cœpit vrbs Venetiarum. Primi autem conditores fuerunt Patauini, cœpitque promnus vrbs crescere in ædificijs, dominio, potentia, opibus, numero hominum, & possessione terrarum, in mari atque continenti, vt etiam temporis successu sibi subegerit magnas insulas, ciuitates, & regna in remotis terris. In summa vrbe illa magnificentissima, pulcherrime & ditissima, facta est regina maris, habitaturque à maxima frequentia populi, ex toto fere orbe terrarum. Vectigal quod ex vino, sale, oleo, alijsque rebus magistratus recipit, ad duos milliones ascendit, hoc est, viciescentene millia ducatorum, præter tributa, census, & redditus, quos ex subiectis sibi ciuitatibus accipiunt. Habet in circuitu milliaria Italica octo, sita in æstuario marino. sunt per circuitum vrbis 25. insulæ, quæ fere omnes à ciuibus habitantur. Habet parochias 62. pontes publicos in ea, præter priuatos, sunt 400. Nauigia accommoda omnibus vsibus, plus minus sunt 8000. In naualj, quod vndique muro cingitur, assidue quadringenti occupantur homines, conficiendis triremibus, atque alijs maritimis parandis rebus. In Mureno insula eximia conficiuntur vitrea vase, quæ vulgo crystallina vocantur & per omnes regiones circumferuntur. Tuetur vrbem contra insanientis maris vortices, littus quoddam naturale ex mari eminens, quod in quinque locis transitum nauis & portum præbet: maxime apud duo castella, & apud Chiozam ciuitatem Episcopalem, distantem ab vrbe 25. miliaribus: diuitias, publicum ærarium, prouentus, vectigalia quis enarrare poterit? Anno Christi 810. corpus sancti Marci Euangelistæ attulerunt mercatores ab Alexandria Venetias, conditaque est pro honore eius Basilica magnificentissima. Anno Christi 1202. nacti sunt Veneti Cretam insulam, quæ antea fuerat Imperatoris Constantinopolitani. Anno 1400. Veneti occupauerunt Vicentiam, quæ fuerat de ditione vicecomitis Mediolanensis. Anno Christi 1473. acceperunt Veneti regnum Cypri: Iacobus enim rex Cypri duxit vxorem filiam cuiusdam patritij Veneti, qui vocabatur Marcus Comareus: cuius filiam post eius mortem Senatus sibi adoptauit, tandemque per eam regnum acquisiuit. Nam Iacobo rege mortuo, vxoreque prægnante relicta, Veneti ceu tutores, relictam Reginam ad se recipientes, regni administrationem vsurparunt. Verum non ante multos annos, Imperator Turcarum insulam illam occupauit, strage multorum facta: sicut postea dicetur in descriptione ipsius insulæ. Possident Veneti multas vrbes in Dalmatia, & Albania, multasque insulas; demptis illis, quas Turca violenter eripuit. Anno Christi septingentesimo, Veneti primum constituerunt Ducem: antea vero Respublica fuit administrata, & gubernata, per Tribunos & Centuriones. Electos autem in ducem, quamdiu viuit, præest reipublicæ: nec Senatus quicquam agit sine eo, sicut nec ipse aliquid agit absque Senatu. Habet in rebus gerendis legem præscriptam, & certum modum, cui se conformet, quamque præuaricari nefas est. Ornatus eius non differt ab ornatu regis; gestat enim vestimentum purpureum auro contextum: capiti vero imponit mitram regiam ex lino factam, quam circumdat pileus purpureus cinctus corolla aurea. Quum Senatum ingreditur, habet paratum solium regium: & omnes ciues, etiam Senatores, quando coram eo loquuntur, discoopertum capita sua, stantque coram principe. Omnia diplomata quæ à Senatu scribuntur & ad exteros mittuntur, scribuntur nomine ducis, eiusque obsignantur sigillo. Sicquando leges promulgantur, sub nomine Ducis publicantur. Monetæ quoque & aurei nummi cuduntur & signantur nomine, & imagine Ducis. In summa Dux in omnibus præsefert personam regis, excepto quod habenæ plena illi authoritate non laxentur. Numerantur duci ex communi fisco singulis annis 3500 aurei, quos in priuatum vsum non licet vertere; sed in apparatum regium: alias enim hæredes eius post mortem ducis cogerentur restituere, si quid in eos cessisset collocatum. Quum foras egreditur, tenetur possesin suis sumptibus, longum habere seruorum gregem; & quater in anno septuaginta ciuibus lautum exhibere conuiuium. In solennitate Ascensionis Christi, pro more prædecessorum ingreditur pulchram & ornatam nauem, vna cum Episcopo & ciuibus aliquot: ductaque naui in vastum mare, proijcit annulum aureum in mare, & verbis profitetur se hoc indicio sibi despondere mare in perpetuum dominium. Vt autem electus est nouus Dux, cuditur noua moneta cum nomine & imagine Ducis: gestaturque dux magna pompa per forum sancti Marci: ipse vero interim sina cessatione spargit nouam monetam inter vulgus, quousque venerit ad locum, vbi ducali pileo adornatur. Cæterum, quoad nominis ethymologiam spectat, dicunt nonnulli, loca Adriatico mari, ab Istria ad Padi ostia vicina Henetos habitasse, quorum regio hodie Venetia dicitur: & in intimo Adriatici maris recessu, Venetiæ vrbs. Aiunt quoque Venetos a Troianis esse progenitos, qui post Troianum excidium, cum magna hominum multitudine, duce Antennore Henetum venerunt, in intimum vtique Adriatici maris sinum: pulsisque Euganeis, qui inter Alpes & mare Adriaticum habitabant, eam regionem occuparunt. Cumque primum ex nauibus egrederentur, ciuitatem ædificantes, Troiam vocauerunt: gentem vero totam litmutato io v, Venetos appellauerunt.

Vectigal. *Situs ciuitatis.* *Propugnacula vrbis.* *Translatio Corporis S. Marci.* *Vicentia sit Venetorum.* *Veneti acceperunt Cyprum.* *Lex duci præscripta.* *Ducis ornatus.* *Ducis authoritas.* *Annulus in mare proijcitur.* *De Venetijs.* *De nomine Vrbis.* *Veneti Troiani.*

Patauium.

PAtauium, vulgo Padua, à vicinitate Padi sic dicta quasi Padauium: vel à petendo, quod Antennor telo auem petisse dicatur, eoque in loco vrbem condidisse, vnde primum Antennoridæ dicti sunt: cuius sepulchrum cum epitaphio ipse vidi: quodque non longe à nostro monasterio est locatum. Fuit autem Antennor iste Troianus, qui vna cum Ænea Italiam venit. Antennor vero Venetiam, seu ad regionem illam veniens, vrbem in ea condidit Antennoream primo dictam, postea Patauium, quasi Padauium, vt dixi. Fuit ista vrbs ante Christi natalem, Romanorum habitatio. non quod nostri Coloni in eam translati essent; sed quod Paduanis ius eligendi Senatum Romanum concessum esset. Attila Hunnorum rex primus eam destruxit. deinde à Narsete & Rauennatibus ædificatam, Longobardi incenderunt, & diruerunt. Carolus vero magnus & eius successores cursus eam instaurauerunt: sed tempore Friderici Barbarossæ multa mala passa est. Est in hac vrbe elegantissima domus Senatoria. Paruit olim Romano imperio: modo vero Venetorum Dominio: mœnijs, vallis, fossis, ercibus, & propugnaculis munitissima est in toto Dominio Venetorum: loca multa, eaque amplissima vacua habet; tum ad mœnia: tum passim per ciuitatem. Palatij cernuntur insignia, & vijs ferme regijs: Academia ornata, & quidem frequentissima. Colunt incolæ agrum fertilissimum & felicissimum, ex cuius prouentu non solum ciues, & aduenæ; verumetiam & aliquot millia hominum aluntur: fluuius hic Brenta vulgo dicitur. Est in vrbe elegantissima Basilica sanctæ Mariæ, in qua iacent reliquiæ illius egregij confessoris sancti Antonij Lusitani, ordinis sancti Francisci. conditus est in hac vrbe Titus Liuius historicus, cuius in hunc vsque diem ossa ibi seruentur. Is quarto imperij Tiberij Cæsaris anno excessit è vita. ætatis vero suæ 72. Ciuitas Ferrariensis cincta fuit mœnijs à quodam Hexarcho, ideoque inter antiquas Italiæ vrbes nõ computatur. Primum fuit sub Episcopo Rauennensi: deinde dominium peruenit ad nobilissimam familiam Estansem; primusque Dominus vocatus est Actius. Hunc subsecutus est Anno Christi 1255. Ecelinus: durauit huiusmodi familiæ legitime successio vsque ad annum 1394. tunc enim Nicolaus Estensis princeps, Leunellum reliquit principatus successorem: quo decedente, Borsius frater eius, & ipse Nicolai filius ex concubina ad principatum vocatus est: egregia forma iuuenis, & in armis cum laude versatus, dicendi & agendi peritus: qui cum Cæsarem Fridericum Romam petentem, & inde reuersum magnificentissime accepisset; super Mutinam & Rhegium ciuitates, ducatus honorem accepit: primusque omnium in Estensi familia dux appellatus est. Fauit hæc nobilissima familia semper viris doctis: multisque honoribus eos cumulauit: quin & principatus sui rationem habens, cum temporis successu, non parum auxit suæ ditionis dominium. Dux qui modo dominatur, est ditissimus auro & argento: vir prudens: in subditorum regimine, ditionisque suæ propagatione sapiẽs, & circumspectus. Adiacet ipsa vrbs Pado fluuio, nobilis, potens, & ampla. elegantissimis ædibus, & palatijs ornata; vias habens amplas, & regias: frequens est mercibus. paludibus circumdata: atque ideirco minus felix in frugibus & vitibus; amœna tamen est & populosa. Porro, Padus originem ducit ex niuosis Alpibus: exoneraturque in Adriaticum mare, susceptis tamen prius plurimis riuulis, & amnibus, qui vndique ex montibus accurrunt, Plinius scribit *lib. 3. cap. 16.* à gremio Vesuli montis celsissimum in fastigium erecti, finibus Ligurum & Gabinorum Visendo fonte profluens. cõ-

Patauiũ. Antennor. Sepulchrũ Antenoris. *Antennorea.* *Prima Patauij destructio.* *Domus Senatoria.* *Pulchritudo Ædium.* *Academia Patauina.* *Brenta.* *S. Antonius.* *Titus Liuius.* *Ferraria.* *Familia Estensis.* *Ducatus Ferrariensis.* *Situs vrbis.* *Padus.*

De Bononia & alijs Lõbardiæ vrbibus. deraque sese, & in særo Vibiensium agro iterum exoriri, nolloque amnium claritate inferiorem esse. Porro, Græci illum vocant Eridanum, pœna Phaetontis illustrem. Ad Canis ortum liquatis niuibus maxime crescit. Metrodorus refert, circa fontem Padi arborem sitam esse multum Piceã, *Eridanus.* quæ Gallice Pades vocatur, atque inde Padi nomen emanasse. Pomponius Mela: Padus, inquit, ab imis radicibus *Septemflua.* Vesuli montis exortus, paruis se primum fontibus colligit: mox alijs amnibus augetur & alitur, vt se per septem ostia effundat. Inde tam cito prosilit, vt discussis fluctibus, diu, qualem emisit vndam, seruet donec eum ex aduerso littora Istriæ, eodem impetu profluens Ister amnis excipiat. Dictus est autem Eridanus, ab Eridano solis filio, quem Phaetontem appellarunt, qui fulmine percussus, in idem flumen deiectus, extinctus est. *Timauus amnis.* Timauus amnis est Venetorum concordiæ atque Tergesto vicinus, de quo Virgil. 1. Æneid. *Regna Liburnorum. & fontem superare Timaui.* E montibus dilapsus, teste Posidoneo, decidit in profundum: deinde intra terram absorptus stadijs circiter 130. in mare decurrit. Alij dicunt ex amplissimo monte per nouem ostia dilapsum, fontem efficere, sicque vno alueo in mare prosilire in sinũ *Bononia.* Trigestinum. Bononia magna & pulchra ciuitas: Pipinus, & post eum Carolus magnus eam tradiderunt Romano Pontifici possidendam. Postea tamen sæpe à vicecomitibus Mediolanensibus occupata fuit, cum ditionem suam propagare satagerent. *Situs vrbis.* Sita est in plano, licet ex vno latere paululum excrescat, vbi templum est dictum S. Ioannes in mõte. Ab ea parte, qua Ferrariam itur, planiciem maximam habet: à reliquis vero partibus montibus cingitur, præsertim *Abundantia.* Hetruriam versus. Ciuitas est populosissima: abundantiam omnium rerum habens, quæ ad victum pertinent: fortes & feroces homines gignit: ciuilis & humana erga exteros: intestinis tamen bellis sæpius laborauit. Quadraginta deliguntur patricij, quorum magna est authoritas, siue fuit *Academia.* in administranda ciuitate: habet Academiam celeberrimam, vt studiorum mater appellari possit. *Rhegium.* Rhegium Lepidum ciuitas, à Lepido triumuiratus tempore ædificata: ci- *Parma ciuitas.* uitas pulchra, & solum habens fertile. Parma fluuius, ad cuius dexteram est Collorinium: intus via AEmilia Parma ciuitas, vetusta Romanorum Colonia, quam Liuius lib. 40. simul cum Pisauro, & Motina deductam Romanorum coloniam ostendit. Idem fluuius mediam secat. Fuit ciuibus ornata, vt dicit Macrobius in Saturnalibus. Martialis de Parmasie loquitur: Tondet & innumeros Gallica Parma *Casei.* greges; habet enim pascua multa, & optima, vnde caseo-ptimi, qui ad exteras vsque nationes inuehuntur. Solum vrbis vini & frumenti feracissimum: dominatur in ea illustrissimus Dux, nobilissimæ familiæ Farnesiæ: pulchra est ciuitas, & terræ fœcunditate plenissima. *Placentia ciuitas.* Trebeia fluuius, ad cuius ostium est Placentia ciuitas sub eiusdem Ducis ditione, pulchra & amœna, populosa valde & nobilium frequentia illustris. in ædibus, in palatijs, in agri fertilitate insignis: habet arcem fortissimam, mœnia, valla, fossas: denique rerum omnium copiam, quæ illustrem & munitam eam reddunt. Supra Placentiam locus est, clade Romanorum, quæ ab Annibale Pœno Sempronio Romano illata est, omnibus propa clarus. Sunt in hac parte Lombardiæ oppida multa *Oppida.* antiqua, Mirandola, Corregium, nobilis Corrigiorum familiæ patria, Carpum opulentissimum oppidum, nobilissimæ piorum familiæ domicilium. Completa itaque huius tractus terræ descriptione, ad Romandiulæ descriptionem *Romandiola.* accedamus. Romandiola interdum Flaminea, interdum autem AEmilia appellatur. Sene via Flaminea dicta est, *Flaminea.* quam Octauius Augustus, ab vrbe, vel potius à circo Flami- *Æmilia.* neo Ariminum vsque parari imperauerat. AEmilia sub Romandiola comprehenditur. Liuius *lib.* 38. scribit, Marcum AEmilium consulem Liguribus subactis, viam à Placentia productam, Flamineæ coniunxisse: ideoque AEmiliam fuisse appellatam. Fines ergo Flamineæ ab Isauro ad Vater- *Imola.* num fori Cornelij, nunc autem Imolæ amnem, AEmiliæ vero ad Trebeiam fluuium Placentiæ vrbis dicuntur extẽdi. Sunt ergo in Romandiola hæ potissimum vrbes, Imola, Fauentia, Cesena, Ariminum, & Isaurus. Ariminus vetus *Terminus Italiæ, & Cisalpinæ Galliæ.* ciuitas Colonia Romanorum, ante natalem Christi 182. annis condita in Flaminea posita, non longe à Rubicone fluuio, qui hodie Pisitella vocatur, Galliam cisalpinam ab Italia dirimens. Portu non infeliciter ornatur: non admodum magna; diues tamen satis: pascuis & caseo abundans: vinum habet generosum: solum vero segetibus non vsque adeo accommodum sicut ager Cesenæ, qui est frumenti, & *Rauenna.* vini feracissimus. Rauenna est in Romandiola, vetustissima ciuitas, quam Rex Theodoricus olim pulchris adornauit ædificijs: in ea quoque olim Hexarchi habuerunt sedem, *De Florẽtia.* qui scilicet in Italia locum tenebant Imperatoris Constan- *Hexarchi magistratus.* tinopolitani: incœpitque huiusmodi regiminis status sub Cæsare Iustino anno Domini 620. durauit annis 164. Fuit Hexarchus summus magistratus, quem Constantinopolitani Cæsares Italiæ ita dabant; vt illis sine prouocatione populi parerent. Obibat in Italia Hexarchus ea omnia, quæ regiæ vicis erant: per quæ tempora de imperio Longobardorum reges & Hexarchi dimicauere. *Ciuitates Hexarcho.* Habuit autem Hexarchus immediate sub se has ciuitates, Rauennam, Cesenam, Forum Liuij, Forum Cornelij, quæ hodie est Imola, Bononiam, Mutinam &c. quas quidem ciuitates tradidit postea Pipinus Romano Pontifici: quam quidem donationem consummauit Carolus magnus, & filius eius Ludouicus: *Rauenna situs & fertilitas.* sed temporis successu Rauenna fuit occupata à Venetis, quam recuperauit Iulius Papa: Est autem ciuitas posita ad mare Adriaticum. modo autem distat à mari, occupat palustres locos segetibus felicissimos, & vino non ita accommodos: frumenta suppeditat, Flaminiæ toti, & multis alijs regionibus. Pascua habet optima, idcirco abundat caseo, butyro, lacte, & carnibus: homines alit strenuos & cordatos, ac bello idoneos. *Forli.* Forum Liuij, vulgo Furli, ciuitas antiqua, propter bella quæ sustinuit, fecit sui iacturam non paruam, vt ipsius ruinæ docent.

De Florentia ciuitate Italiæ.

Florentia. FLorentia Hetruscorum metropolis, prisco nomine Confluentia, siue Fluentia dicebatur, quod ad Arni fluminis fluxum sita sit: ab eoque diuidatur: pontibus iungitur. collibus insuper vndique ferme ornata: circumcirca amplissima, pulchra & amplissima palatia, & ornatissima templa habet: elegantibus or- *Pulchritudo ciuitatis.* nata ædificijs: amplo dilatata spatio: habitatoribus impleta. Anno Christi 1420. ciuitates Hetruriæ ei paruerunt: nunc autem ipsa cum illis paret serenissimo Francisco Me- *Franciscus dux.* dices, magno Duci Tuscorum. Floruit anno Christi 1430. *Cosmas.* in hac vrbe Cosmas cognomine Medices: eminentia tum prudentia, tum authoritate. Is enim princeps vrbis habitus, ciuitati leges ex arbitrio dixit: inopes ciues complurimos ditauit: matrimonia constitutis ex argento suo dotibus multa coniunxit: villas magnificentissime ædificauit: in sacras ædes magna dona contulit: monasterium sancti Marci amplum & modum à fundamentis erexit. Parrochiæ suæ templum ex lapide Fæsulano erexit, admirandi vtique operis structuram. Palatium sibi amplum & ingens in insigni vrbis loco, ex quadratis lapidibus erexit. *Petrus.* Moritur anno 1464. reliquit filium nomine Petrum, qui & ipse potens fuit *Laurentius Medices.* in vrbe. Successit ei in administranda republica filius eius Laurentius Medices, vir magni nominis: & qui ob res bene gestas celebris fuit in tota Italia: quippe qui cum fratre suo Iuliano ditioni Florentinorum multos adiecit populos & loca. sed Iulianus interfectus fuit in templo. Laurentius vero breui vulnere sauciatus, ex manibus interficientium elapsus est; sed capti sunt omnes post commissum facinus, & mortis pœna affecti. Magnum inde secutum est bellum: sed Laurentij Medices prudentia sedatum. Mortuus est Laurentius anno Christi 1492. reliquit tres filios, nempe Petrũ, *Ioannes Cardinalis.* Iulianum, & Ioannem, qui & in Cardinalatus honorem sublectus est. Petrus vero suscepit Reipublicæ gubernan- *Petrus.* dæ authoritatem: sed non diu præfuit, ob causam regis Galliæ, cum quo Pisæ & aliqua alia loca fœdus inierunt: quod plurimum displicuit Florentinis. adeo, vt Petrum hostem reipublicæ denunciarent. Senatus itaque auctus aliquot *Senatus regit.* personis, per se voluit cuncta moderari. Et quoniam multi ex ignobili plebe in Senatum erant adoptati, nobiles vero neglecti; seminarium tumultuandi excitauit: defeceruntq; multa oppida ad suos pristinos dominos. Anno Christi 1502. Florentini elegerunt sibi ducem, qui talem haberet authoritatem, qualem habet Dux apud Venetos: sed ille sta- *Carolus V.* tus regiminis paucis annis durauit: nam quum Carolus quintus imperialem coronam Bononiæ acciperet, & familia Medices exularet ab vrbe Florentinorum, laborabat *Clemens Papa.* Papa Clemens, qui erat de eadem familia, vt fuit reduceretur ad vrbem. Florentinis vero id recusantibus, Cæsaris exercitus Florentiam cinxit, cominatusque eam spatio decem mensium. Florentini autem videntes nihil spei sibi su- *Alexander Medices.* peresse, dediderunt se Cæsari. Ingressus ergo Alexander Medices vrbem, qui Cæsaris naturalem filiam habuit vxorem, dominium occupauit, sed interfectus est: post cuius *Cosmus Medices.* interitum Cosmas Medices factus est Dux, vir magna prudentia,

De Florentia. dentia, & ingenti iustitia, qui ducatum Florentinum maxime ampliauit, multasque vrbes adiecit, exornauit vrbem magnis ædificiis: legesque optimas dedit: vt merito à summo Romano Pontifice Pio quinto insigni titulo donatus *Dux magnus.* sit, nempe, vt Dux magnus Tuscorum deinceps vocaretur. *Francisc.* Ei successit serenissimus Franciscus, qui non minori prudentia, & iustitie pollet in administrando, tuendoque ducatus sui regimine, cui item omnes libenter, ob multas & eximies eius parent virtutes. *Cardinalis.* Floret etiam eius frater Dominus Ferdinandus, sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalis, vir cordatus, & splendidus, multis tum animi, tum etiam *Petrus.* corporis dotibus ornatus. Illustrissimus quoque Petrus eorundem frater, in re militari strenuus, qui apud Regem Philippum, ob res præclare in bello gestas, magnam consequutus est laudem. *Florentia fertilitas.* Abundat ciuitas Florentie omnibus quæ ad victum pertinent: vina habet excellentissima, inter quæ Trebulanum, vulgo Trebiano primatum obtinet, quod & suauitate, & lenitate vino Cretico anteferri potest. Homines profert ingeniosissimos, & ad omnia idoneos: in literis *Florentinorum natura.* & in armis æque splendidos. Nunc mercatura excellunt, in extruendis ædificijs: in rebus nouis inueniendis plurimum valent. vestitu modestissimo vtuntur & graui: humanitate facile Hetruscos omnes antecellunt, quemadmodum & sermonis, & conuersationis elegantie: cælo fruuntur maxime temperato. vnde eorum natura cæteris est temperatior, & humanior. *Pisa.* Pisæ antiquissima Hetruriæ ciuitas, olim celeberrima & potentissima ciuitas, longe lateque domi- *Pisanorum potentia.* nium suum armis propagauit. Nam circa annum Christi 1020. Pisani bis terue Sardinia insule Sarracenos propulsarunt, in suamque ditionem receperunt. Anno autē Christi 1108. insulas Maioricā & Minoricā inuaserunt: interfectoq; Rege eorū, homine Mahumetano, Reginā, eiusque filium paruulum abduxerunt: & in fide Christi instructum, regem fecerunt in Maiorica. Hæc autem Pisanorum potantia perdurauit vsque ad Rudolphi Imperatoris tempora, qui eos humiliauit. *Pisani humiliantur.* Anno Domini 1369. vendidit Carolus Imperator hanc vrbem Petro Cambacorta 12. millibus aureorū. Deinde vendita est Ioanni Galeacio vicecomiti, qui eam vendidit Florentinis. Pisani vero expulerunt Florentinos: sed Florentini iterum occupauerunt. Nunc vero seruit eum dominus sue Florentia familiæ Medices. Ampla est ciuitas, & *Situs vrbis.* flumine diuisa. pontibus vero iuncta cernitur: mœnia altissima habet, æque marmoreis lapidibus extructa: egregiam *Academia.* habet Academiam: templum admirandum. Est & baptisterium ingens: cimiterium quoque amplum, mœnibus & *Cimiterium Pisanum.* porticibus clausum, cuius terra infra 24. horas corpus humanum consumere, & in seipsam conuertere potest. Habet agrum in tantum fertilem, vt alijs locis suppeditet frumenta: vina non admodum bona: reliquos fructus mediocriter bonos producit: pepones vero optimos. Mare vicinum habet, ideoque mercaturis exercendis est valde accommoda. Cælum non est admodum salubre præsertim exteris, & de nouo aduenientibus. *Luca. Dominia Lucensiū.* Luca Hetruriæ ciuitas pulcherrima, diues & libera, regi Philippo commendata: ditionem habet exiguam, eamque feracem: parum habet planiciei: quo fit, vt ciues mercaturam exerceant. Sericis insignis est: palatijs magnificis egregie extructa: mœnibus munitissima, *Magistratus.* populosissima. Summus magistratus vocatur Confaloniero, isque singulis duobus mensibus mutatur. Aliquot alij Senatores deliguntur, qui vocantur Domini: & mutantur in singulis sex mensibus: omnes habitant simul cum Confaloniero in palatio semper. Fuit aliquandiu sub Genuensibus: deinde sub Domino Ioanne rege Bohemiæ: postea vendita Florentinis, qui nouem mensibus ius dixerunt in ea. Interim venerunt Pisani, asserentes sibi deberi ciuitatem, ob ius quoddam, quod ab Henrico Imperatore obtinuissent, qui ob rebellionem ciuium eam Pisanis designauit. Non longe post venit Carolus rex Bohemiæ, filius regis Ioannis, eiusque dominium sibi vendicauit, posuitque sui loco Cardinalem, qui acceptis à ciuibus 25. millibus aureo- *Lucensium libertas.* rum, reddidit eam liberam, atque ita vsque in hodiernum diem in suæ manet libertatis dominio. *Sena. Academia.* Senæ, vulgo Siena, ciuitas est Hetruriæ pulcherrima, diues & amœna, & in amœnissimo loco sita: vniuersitate decorata: frequens Medicinæ studiosis propter situs amœnitatem, & commoditatem victus, humanitatemque ciuium erga exteros. Est ciui- *Fertilitas.* tas ampla, turribus, & propugnaculis bene munita: pabulum iumentis & pecoribus suppeditat abundantissime: frumenti, vini, & olei, ac fructuum omnis generis feracissima. Patet modo magno Duci Tuscorum serenissimo Francisco Medices: ante triginta annos durum & crudele bellum sustinuit, non sine multorum strage, & vrbis direptione, & in-

Pymandri Tomus Quintus.

commodo: quæ à Carolo quinto defecerat ad Gallos: fuit *De vrbibus Tusciæ.* enim tunc totius Italiæ magna lues & ruina. *Aretium.* Aretium ciuitas n[illegible] [illegible]lissima, & antiquissima à Græcis condita eo tempore, quo populus Israel à iudicibus regebatur. Producit homines ingeniosissimos, & ad omnem rem aptissimos: non minus enim armis, quam eruditione & arte pollent. *Situs vrbis.* In mediterranea, inquit Strabo *lib.* 5. maxime vero ad montana extat Aretium. Meminit huius ciuitatis Plinius libro 35. *cap.* 12. Retinet, inquit, hanc nobilitatem & Aretium in Italia. Et cap. 14. In Italia quoque latericius murus Aretij & Meua- *Meuania.* niæ est, Romæ non fiunt talia ædificia. *Cortona.* Cortona Pelasgorum opus in edito monte posita, cui adiacet Trasymenus la- *Lacus Perusia.* cus, valde piscosus, & aquis lucidis abundans. in quo loco 23. millia Romanorum interfecta sunt ab Annibale Pœno. Dicitur Trasymenus à Trasymeno puero, quem Agylla Nymphe rapuisse dicitur. *Clusium.* Ad sinistram lacus, Clusium antiqua ciuitas, in qua Porsena rex Hetruriæ sepultus est, vt dicit Plinius *lib.* 36. *cap.* 13. habet agrum frumenti feracissimum, vt alijs oppidis suppeditet alimenta. *Perusium.* Perusium antiqua, & pulchra ciuitas, nobili Academie ornata, populosa valde, & loci natura munita: solum vrbis abundat optimo vino, frumento, & oleo; fruitur benigno cælo, & pacifico ciuium conuictu: homines perita ad bellum, & ad studia idoneos. *Tuder.* TVDER, siue TVDERTVM antiquissima & pulchra ciuitas, à Veijs Hetruscis Tudernis [illegible]ta, anno post Troiæ excidium 66. ante vero vrbem Romam conditam 365. annis: ante autem annum salutis humanæ 1319. anno. Ciuitas est in edito monte posita, fruitur optimo cælo: Thybris fluuius prope ciuitatem eius agrum alluit. Diues est agri fertilitate, qui profert vina egregie: frumentorum copiam, omnisque generis fructus optimos, & quidem abundanter. Ciuitas est pulchra ciues habens ingeniosos, humanos, & pacis cultores: qui exteris magnam exhibent humanitatem. Tuder, inquit Strabo *lib.* 5. clara ciuitas. Diu hæc *Status ciuitatis.* ciuites suis legibus vixit: Romanis vero suam ditionem propagantibus, sua sponte, illis paruit, à quibus & ciuitate Romanorum donati sunt Tudertes, authore Lelio Sisone apud nonum Marcellum. *Gothi. Carolus magnus.* A Gothis, & Lombardis multa passa est, quibus per Carolum Magnum edomitis, & Italia pulsis, simul cum tota Vmbria, dono supra dicti Imperatoris, summo Pontifici Romano, vsque ad hæc tempora, sine aliqua prouocatione paruit. *In qua vrbe Annibal commentatus est Mercurium.* In hac quoque vrbe ipsa consistens circiter annos decem, Commentarios hosce in magnum Mercurium compilare studui, in nostro Monasterio prope ciuitatem, qui vocatur Mons sanctus. *Mons sanctus. Episcopus ciuitatis Angelus Cesius.* Episcopus tunc erat ciuitatis, Reuerendissimus Dominus Angelus Cesius: vir eruditus, & grauis: & in pascendo grege sibi cōmisso sagax & prouidus. *Oruetum.* Non longe abest à Tuderto, ciuitas Oruetana, deinde Viterbium, ciuitas pulchra, & proxima vrbi Romæ, in cuius agro sunt aquæ calidæ, quæ plurimum iuuant male habentes, atque aduersa valetudine laborantes. *Mons Soracte.* Antequam Romam venias, occurrit tibi mons Soracte, qui nunc mons sancti Syluestri appellatur, in quo plurimi eremitice viuunt. Sed de Italiæ descriptione satis.

DE INSVLIS BRITANNICIS.

POstquam locutus sum de Italia, & de eius partibus; de insulis Oceani maris aliquid loqui statuis & primum de Hybernia, *Hybernia.* in qua olim homines illius regionis plurimum intendabant iuri pontificio, erantque optimi Canonistæ. Porro, Hybernia insula in Oceano inter Angliam, atque Hispaniam posita, ab ortu habet Britanniam ipsam, vnius diei nauigatione propinquam; & Galliam ab austro: Hispaniam trium dierum na- *Hybernia situs.* uali cursu affinem ab occidente: Oceanum magnum à septentrione: nec multum distat à Scotia. Forma eius oblonga ad similitudinem oui, à meridie in septentrionem porrecta. *Hybernia vnde sit dicta.* Hybernia dicta ab Hybero flumine Hispaniæ, quod illius accolæ primum insulam habitassent. Eius longitudo septuaginta, latitudo vero 23. milliaria Germanica complectitur. *Hybernia magnitudo.* Est montuosior, & equarum abundantior quam Anglia: quippe quæ in editissimis montibus passim paludes & stagna habeat. Mira cæli temperies, fertilitas terræ insignis. *Hybernia venenosū animal nō patitur.* Nullum gignit venenosum animal: nec aliunde illatum nutrit: maleficum habet lupum & vulpem: reliqua omnia animalia mansueta, & corpore minora quam alibi. Hybernia omnis diuisa est in quatuor partes, quarum vna, quæ Austrum spectet, Momonia appellatur: altera Borealis Hultonia: tertia ad ortum solis Laginia: quarta ad occiden-

De vrbibus Tusciæ. tem Connacia. Momonism à Laginia Suerus fluman qui ad Vesfordism portum facit, quo ex Anglia breuior est traiectus, & à Connacia Senneus diuidit: cuius principalis occidentalis oræ ciuitas est Limiricum, quod Cioneo, omnium totius Hyberniæ fluminum maximo, elluitur. *Suerus flumen. Portus. Limiricu ciuitas.* Anno Christi 433. misit Cælestinus Papa sanctum Episcopum Patritium, qui filius erat sororis sancti Martini in Hyberniam, vt illi prædicaret Christum, atque in Catholica fide instrueret: qui quidem multa bona contulit accolis illius gentis: & ad Christi fidem perduxit. *S. Patritius.* Terra huius insulæ valde est pabulosa: nullum noxium animal gignit: non aranaam, non ranam: omnia noxia animalia solo puluere iniecta, necat. *Puluis Hyberniæ necat animalia noxia.* Apes in ea non reperiuntur, gens inculta, & crudelis, & bello non inepta summum honorem ponunt in armis, & bellicis rebus. Mare inter Hyberniam & Angliam fere semper sæuit, vt non liceat traijcere, nisi certis quibusdam diebus. Sont etiam inter Hyberniam & Scotiam multæ insulæ, quarũ maxima meridionalis Mana, quindecim leucis longe est. *Mana insula.* est lacus in Hybernia, in quo insule parua mediterranea, cuius incolæ cum in agonie sunt, non moriuntur ibidem, nisi in aliud littus traijciantur. Purgatorium sancti Patricij, est antrum in quo horranda spectacula cõspiciuntur. *Purgatorium sancti Patritij.* Hæc ipse audiui in Angliæ, cum ibidem degerem anno 1558. dum viueret sancta illa Regina Maria, vxor Regis Philippi Catholicæ fidei sustentatoria.

De Regno Angliæ.

Britãnia. Britannia olim Albion, nunc Anglia ab Anglis Saxonum populis, qui eam occuparunt, appellata: grandi angulo Rheni ostis prospicit: deinde obliquata retro in septentrionem, & occidentem latera ebstrahit: alterum contra Galliam, alterum contra Germaniam. hominum in ea infinita multitudo: creberrime ædificia Gallicis fere consimilia. *Fertilitas Angliæ.* Loca sunt temperatiora quam in Gallia, remissiora frigore: terra optima frugibus atque arboribus, & alendis pecoribus apta atque iumentis, quorum est magnus numerus & præcipue ouium, quæ nulli sunt in ea lupi. *Lupo caret Anglia.* Habet aurum, argentum, ferrum, plumbum, stannum, & carbonem abunde. Hinc efferuntur pelles, & canes ad venandum aptissimi. Habet prægrandia flumina piscosa, alternis motib. bis quotidie, modo in pelagus, modo retro fluentia: habet fontes salinarũ: habet & fontes calidos: habet gemmas, margaritas & lapidẽ Gagatẽ plurimũ optimumq; hic lapis ignem in aqua alit, quẽ solo oleo licet extingui. *Lapis Gagates.* Anglia diuiditur in tres partes, nempe Angliam, Vualliam, & Scotiam. Subdiuiditur vero Vuallia, quæ & Cambria & populi Vualles, in Cornubiam, siue Cornuualliam, Noruualliam, Soutuuualliam, & Vuestuualliam. *Cornubiã. Northuuallenses.* Northuuallenses sunt, qui versus septentrionem habitant, dicti ab alijs Norgales: Soutuualles vero sunt, qui meridionalem insulæ partem inhabitant: & Vuestuualles, quorum habitatio est ad occidentem. *Anglorum & Scotorũ mores.* Anglorum subita ingenia, & in vltionem prona ferociaque. Scoti in bello fortes, inediæ, vigiliæ, algoris patientissimi, decenti forma, sed cultu negligentiori, inuidi natura, ac cæterorum mortalium contemptores. *Iulius Cæsar primus subiecit Anglos.* Cum Iulius Cæsar extrema Galliæ inciperet armis subijcere Romanis, conatus est & vicinam insulam Britanniam eisdem facere obedientem: potitus est insula, eamque aperuit, vt etiam extranei commercia facere inciperent. Ante huiusmodi Imperatorem, soli e suis parebat iudicibus. Anglia à Flandria distat, mari angusto dirimente hanc ab illa, quod prope Callesium putatur habere triginta millia passuum in latitudine: *Callesium.* spatio duarum horarum, si venti fuerint secundi traiectus fieri potest. Angliam separant à Scotia amnes Tueda, & Sulueius, quos ipse vidi anno 1558. Est deinde alius magnus in Anglia fluuius, Sabrina nomine, originem sumens in Vuallia, & post multas ambages apud Bristouerum ruens in mare. *Flumina.* Sunt etiam & alia duo insignia flumina in Anglia, vnum vocatur Vmbria, cursumque suum dirigit versus Eboracum, & recipiuntur ab ipso Trenta & Dubus: alterum appellatur Tamasis, ad cuius ripam collocatur regia Angliæ, nempe Londinum, insigne emporium, & mercatus in eadem vrbe, possuntque maiores naues per Tamesin illuc deduci. *Londinũ. Tamesis fluuius.* Tribus millibus passuum à Londino versus orientem, etiam iuxta fluuium Temesin, est Greuenich, regum Angliæ commune receptaculum, cui annexum erat Monasterium sancti Francisci, in quo ipsa inhabitauit circiter annum vnum, tempore Reginæ Mariæ Catholicæ fidei propugnatricis. *Maria regina Angliæ.* Illuc naues ascendunt Londinum vsque.

In Temesi fluuio, tria vel quatuor millia cygnorum domesticorum inueniuntur. *Monasterium S. Francisci. Cygnorum multitudo.* Alia insignis ciuitas Eboracum. Tertia insignis ciuitas Noruik. Duæ Academiæ Oxonij vna, & altera Cantabrigæ. Duo Archiepiscopatus, Eboracensis, & Cantuariensis. *De Angliæ Regibus.* Anno Christi 156. fuit primus Christianus rex in Anglia Lucius; post eum regnauit Carentius, Coel, Octauius, Codanus, cuius temporibus Cornubia habuit ducem. *Reges Angliæ.* Post eum regnauerunt Constantius, Vortigernus, cuius tempore Saxones in Angliam venerunt, fuerunque ab anno Christi 467. duo reges in Anglia: *Saxones. Duo reges in Anglia.* post Vortigernum regnauit Aurelius, Vther, Arturus, qui strenue pugnauit contra Saxones, Nortuuegos, Danos, Hybernos, Scotos, qui Britanniam sibi vendicare conabantur. Et cum anno Christi. 542. Lucius dux Rom. in Britanniam cum magno exercitu venisset; deletus est eius exercitus ab Arturo Angliæ rege. *Arturus rex insignis.* Post Arturum multi principes regnauerunt in Anglia, nempe Constantius, Aurelius, Carentius, Etalbertus, cuius residentia fuit Cantuariæ. Post Etelbertum, regnauit Egbertus, Lotarius, Edricus, Vadredus, qui vixit circa annum Christi 710. Deinde anno 800. Egbertus Vvestsaxo supra modum ampliauit Saxonicum regnum in Anglia idque tempore Caroli Magni. Post eum regnauit Alfredus, qui Oxonij instituit studium generale. successit ei filius Eduardus, & hic Danos ex Anglia abegit. Post Eduardum multi reges successiue regnauerunt, vsque ad regem Cootonem, cuius regia fuit Londinum: & hic ad obedientiam coegit totam Angliam, Scotiam, Daniam & Noruegiã anno scilicet Christi 1000. creauitque filium suum Regem Nortuuegiæ, & alium filium Daniæ: *Canto insignis rex.* In Anglia autem regnauit Eduardus tertius, & eo mortuo sine hærede, factus est VVilhelmus Normaodus, dolis Ruparti filius, qui erat de sanguine eius; rex in Anglia: Mortuo VVilhelmo anno Christi 1085. regnauit filius eius VVilhelmus: & post hunc Henricus huius nominis primus, frater eius: hic duxit vxorem filiam regis Scotiæ. *Henricus primus.* eorum temporibus vixit D. Anselmus Episcopus Cantuariensis. *D. Anselmus.* Paruit huic Henrico ad tempus Scotia, & Vvallia: Post hunc regnauit Henricus secundus, qui adiecit regno suo Hyberniam, Orcades insulas, Normandiam, Aquitaniam, atque Vasconiam. Ipse interfecit sanctum Thomam Episcopum Cantuariensem: *S. Thomas Cantuariensis.* Successit ei in regno Ricardus filius eius, qui anno 1181. cũ Philippo rege Franciæ profectus est in terram sanctam; in reditu vero captus est à ducibus Austriæ, magnaque pecunia mulctatus est. Reuersus in regnum, ex tristitia moritur. Regnauit post eum frater eius, cui Ludouicus rex Franciæ grauissime intulit bella; vt ille rebus suis diffisus, cum Pandulfo Rom. Pontificis Legato pacem composuerit: pulsos Episcopos in patriam reuocauerit: Angliamque & Hyberniam sedi Apostolicæ fecerit in æternum vectigales: & magnum auri pondus, scilicet 70. auri marcas, in annos singulos pendere pollicitus est. *Vectigal ecclesiæ.* Anno 1208. Regnauit in Anglia filius Iohannis Henricus tertius, cui successit filius eius Eduardus quartus. Hic domuit Scotos, interfecitque 70. millia: ipse vero in suo exercitu amisit 7. millia. Successit ei in regno filius eius Eduardus quintus, & huic successit Eduardus sextus: qui anno Christi 1308 vicit Philippum regem Galliæ in ipso mari, haud procul à Flandria, interfectis triginta millibus Gallorum, post hæc pugnarunt iterum prope oppidum Cales: capitur Rex Galliæ, impositoque annuo tributo, dimissus est liber. *Rex Galliæ vincitur, & capitur. Eduardus sextus egregius.* Eduardo successit primum Ricardus tyrannus: deinde Henricus quartus: & huic successit Henricus quintus, qui multum pugnauit contra Normãdos, obtentaque Rothomago, diripuit eam, iuuante illum Carolo rege Franciæ, cuius filiam duxerat in vxorem, anno Christi 1424. Mortuo autem Lutetiæ rege Henrico, post eum regnauit rex Henricus sextus, qui amisit Normandiam, quam pater eius acquisiuerat. Quin & æmuli eius regem crearunt Eduardum ducis Eboracensis hæredem anno 1459. quem totus populus secutus est, & Henricum regno fugarunt. Qui postea rursum vocatus ab Anglis & ab Eduardo captus, incarceratus est: conspirantibus autem Anglis contra Eduardum, liberatum Henricum ex carcere, regno restituunt. *Henricus pellitur è regno, & moritur in carcere.* Eduardus accepto subsidio à Carolo Burgundo, cuius sororem habebat in vxorem, Angliam petit: & commisso prælio Henricum iterum capit: & coniectum in carcerem, ibi mori permisit. Mortuo Eduardo, regnauit Ricardus frater eius, qui iussit filios fratris occidi, quibus debebatur ius regnandi: quod videntes Angli, vocant Henricum septimum fratrem Henrici sexti ex matre in exilio agentem, & occiderunt in bello Ricardum. Duxit autem iste Henricus Eduardi regis primogenitam in vxorem: factusque est rex anno 1474. cui successit in regno

Henri-

De Regibus Scotiæ.

Henricus octauus. Catherina.

Henricus octauus, qui duxit in vxorem, Catherinam filiam Ferdinandi regis Hispaniæ, ex qua genuit Mariam reginam Angliæ, vxorem Philippi regis Catholici. Sed de regibus Angliæ satis.

De Regno Scotiæ.

Scotia vnde dicta.

Referunt historiæ, Scotiam & Angliam vno nomine appellatam fuisse Britanniam, & Albionem, indiscretamque remansisse insulam, vsque ad aduentum pictorum, & Scotorum irruentium in regionem, qui conati sunt ipsos Britannos expellere: sed illi auxilio Saxonum à Britannis repulsi, occupauerunt posteriorem insulæ partem, nempe septentrionalem regionem, quæ & ab ipsis Scotia dicta est. Sunt qui Scotos sic appellatos putant à Græca voce, quæ obscuritatem significat: quod olim consueuerint pingere corpora sua obscuro colore, figurareque horrendis picturis, quo hostibus maiorem incuterent terrorem. Terra in Scotia pro magna parte, est sulphurea, & viscosa: ideoque ignis pabulum; magna enim ibi est defectus lignorum: frumentum crescit ita, vt incolis sufficiat: pascua in vtroque regno sunt optima, propterea lana optima. Abundant syluæ feris, maxime ceruis, damis, syluestribus capris, & apris: nec vsquam locorum tot inueniuntur cuniculi, vt in Anglia. Scotia est piscosior, & ceruibus pecorinis abundantior quam Anglia, eo quod habeat passim portus tutos, & aditus maximis aquis peruios: item lacus, paludes, fluuios; fontes piscibus plenissimos. Est multis in locis montuosa: & in summo montium æquata agri planities pecori pabulum vbertim suppeditans. Iuxta ciuitatem Aberdonem multa inueniuntur nemora, putanturque esse Calidonia sylua, cuius meminit Ptolemæus: incipitque duobus miliaribus ab Endiburgo regia Scotiæ. Est autem Endiburgus in prouincia Laudoniæ, sita ad Austrum miliario Italico à brachio maris, in quod influit amnis Fortha, ab occidente veniens: habet autem ciuitas ipsa duos montes ad orientem. Ager vndique fertilissimus est: amœna prata, syluulæ, lacus, riuuli, arces plures quam centum in circuitu vrbis, intra vnum miliare germanicum. Ad septentrionem, interuallo, vt dixi, miliarij Italici, est brachium maris, iuxta quod situm est oppidum Letha: in cuius medio constructa est porticus, in qua simul videre licet centum magnas oneratas naues. Habet brachium maris ibi ad Aquilonem in latitudine septem miliaria. Est & ex altero latere aquilonari oppidum, & noua porticus extructa. Porro, Endiburgus sita est in monte, habetque in longitudine miliare Italicum, in latitudine dimidium. Dies longissimus in Scotia, horarum 18. & æstate lucidæ sunt noctes. Vltra Scotiam versus septentrionem sunt Orchades insulæ, quæ omnes nostro æuo inhabitantur. circa annum Domini 1100. regnauit in Scotia Edgarus, cui anno 1107. successit frater Alexander: vir pius, & iustitiæ amator: quo sine liberis defuncto, successit tertius frater Dauid: hic bis pugnauit contra Stephanum Anglorum regem propter limites regni. Eo mortuo successit Macolmus filius Henrici, qui fuerat filius Dauid. Guilhelmus successit fratri anno 1165. qui captus ab Anglis, quatuor arces pro sua liberatione dedit: semper inter hæc duo regna odia & atrocia bella fuere. Mortuo Guilhelmo anno 1219. Alexander filius eius, pacis amator successit patri, qui cadens de equo, fractis ceruicibus, expirauit: nullo relicto hærede. Post eum ordinatus est administrator regni Guilhelmus Vallaceus, qui desertus est à suis, qui sibi hanc gloriam inuidebant. Electo autem alio administratore Iohanne Cumyngo, Eduardus ingressus Scotiam, totam sibi subegit: voluitque in regno Scotiæ ius habere: idque requisiuit à Ioanne Baleolo, qui de antiquiora sorore Eduardi descenderat. Irritati Scoti Northumbriam populentur: vicos omnes ædesque flammis consumunt: senes & pueros, ac mulieres trucidant. Anno 1322. Eduardus rex centum millia pugnatorum in vnum coegit, atque in Scotiam misit: Scotis autem à facie eius cum rebus suis fugientibus, rex penuria victualium laborans, coactus est redire. Anno 1326. Eduardus rex Angliæ. & Isabella mater eius, mittunt oratores in Scotiam, & offerunt filio Roberti regis sororem Eduardi, & renunciant simul iurisdictioni suæ super regnum Scotiæ. Consentiens autem Robertus Bruseus, accepit Dauidi filio suo quinquenni Iohannam sororem Eduardi: Triennio post bene concordiam, moritur: Propter impuberem autem regem, Thomas Ranulphus regno præponitur, sed moritur. Dauide autem rege res Scotiæ moderante, Eduardus vxoris frater Calasium obsedit. Tunc rex Galliæ Philippus Valesius rogat Dauidem, vt Angliam hostiliter ingrediatur: ingreditur ille, sed ab Anglis capitur, & Scotia diripitur. Scoti Angliam ingressi, plurimos interfecerunt. Eduardus qui captiuum regem Scotiæ habebat, accepta clade à Scotis, Gallia relicta, & cum maximo exercitu Scotiam ingressus, passim omnes trucidat, comburit Endiburgum, & Laudoniam: deinde non sine magno damno in Angliam reuertitur. Rex vero Dauid, datis obsidibus, in Scotiam reuertitur: sed non inueniens quod volebat, in Angliam reuertitur, & obsides liberat. Anno 1356. Iohannes rex Galliæ captus est ab Eduardo Anglo: sicque apud ea ille rex Angliæ duos habebat captos reges. Regina Scotiæ soror Eduardi mortua est in Anglia, & Eduardus frater suus vir pugnacissimus mortuus est eodem anno; Dauid Rex Scotiæ mortuus in Endiburgo anno 1370. & electus est nepos eius Robertus Steuartus ad regnum, cuius posteri regnauerunt vsque ad nostra tempora. Nam post Robertum secundum, regnauit Robertus tertius: deinde Iacobus eius filius. Anno 1436 Iacobus primus rex Scotiæ dedit filiam suam Margaretam vxorem Gallo Ludouico vndecimo: anno 1447. Iacobus primus moritur: regnat Iacobus secundus, succedens patri in regno, moritur in bello. Anno salutis 1469. Iacobus tertius rex duxit vxorem Margaretam filiam Regis Noruegiæ: & in dotem accepit ius regis Noruegiæ in Orchadibus insulis: Iacobus vero quartus accepit vxorem Margaretam filiam Henrici septimi regis Angliæ, sororem regis Henrici octaui. Iacobus quartus Sororius regis Henrici octaui, fuit iustitia insigni, qui diu in pace & feliciter imperauit, nempe ad annum 1514. moritur in bello contra Anglos. Regnauit Iacobus quintus anno 1515. qui duxit in vxorem primogenitam regis Gallorum: qua mortua, duxit aliam Gallicam dominam, ex qua vna filia genita est. Sed de regibus Scotiæ satis dictum habeo.

Scotia situs & fertilitas.

Calidonia sylua. Endiburgus.

Letha oppidum.

Dies & noctes. Orchades insulæ.

Reges Scotiæ.

Rex Angliæ oppugnat Scotiam.

Pax firmatur.

De rege Scotiæ. Calesium.

Dauid rex Scotiæ.

Rex Galliæ capitur ab Anglo.

Robertus.

Iacobus.

Iacobus rex Scotiæ.

De Hispaniæ Regibus.

Hispania situs.

Hispania vndique mari alluitur: ea duntaxat parte excepta, qua Galliam contingit: ibi altissimis montibus, quos Pyrenæos vocant, à Gallia se iungitur. Diuisa fuit olim Hispania in tres prouincias, Bethycam scilicet, quæ hodie est Granata. Lusitaniam, quæ est Portugalia. & Tarraconem, quæ hodie continet Cataloniam, Castiliam, Nauarram, & Galliciam. Narrant Iosephus & Berosus, quod Tubal Noe nepos primus fuerit rex Bethycæ: quodque extruxerit in ea regione ciuitatem, quam à se denominauit Tubal. Diuus Hieronymus & Eusebius aiunt Tubalem quintogenitum Iapeti filij Noe extitisse, & Hispaniam condidisse, anno à diluuio centesimo quadragesimo tertio: qui erat annus duodecimus Saturni Babylonici Nymbrot: ante Troiam conditam annis septem & triginta supra sexcentos: & ante annum Christianæ salutis, annis quatuor & septuaginta, supra centum & duo millia. Et quia Tubal pecuariæ rei operam dedit; ideo terra illa Tharacoa, id est, pastorum congregatio est appellata. Successit patri Tubali Iberus filius eius, a diluuio anno ducentesimo nonagesimo nono. à condita vero Hispania, centesimo quinquagesimo sexto: vnde ab Ibero rege dictus est Iberus amnis, & Iberi qui illum circumincolunt cognominantur. Hic fluuius oritur sub Pyrenæi radicibus in Cantabris, & flexuose serpens sub Ferrariæ promontorio mergitur in Baleare pelagus. Post Iberum regnauit Iubalde, à quo mons Iubalde nomen accepit. cœpit autem regnare anno à diluuio 336. ab ortu vero Abrahæ 45. & à condita Hispania 193. ante vero conditam Dardaniam quadringentesimo nonagesimo quarto, & ante Christum natum octuagesimo supra mille nongentos. Regnauit Iubalda annos sexaginta quatuor. Post eum Brygus Hispanis imperat: à diluuio quadringentesimo anno, à condita vero Hispania ducentesimo sexagesimo septimo, ante Christi natiuitatem millesimo nongentesimo decimo septimo. Brygus apud Arameos sonat castellanum. & Brygola castellum. insigne enim sibi in vexillo castellum statuit: multaque in Hispania castella fundauit: regnauitque quinquaginta duobus annis. Tagus 5. rex à diluuio quinquagesimo secundo supra quingentos & à condita Hispania trecentesimo nono, ante conditam Troiam 378. ante annum Christianæ salutis 65. supra octingentos & mille. Ab hoc Tago fluuius nomen accepit, diues piscatu, & aureis arenis. Regnauit annis triginta. Bethus sextus rex cepit regnum Hispaniæ,

Tubal rex Bethycæ.

Iberus secundus Rex. Iberus fluuius.

Iubalda 3. rex.

Brygus 4. rex.

Tagus 5. rex. Tagus fluuius.

Bethus 6. rex.

De Regibus Hispaniæ.

à diluuio quadringentesimo, & octuagesimo secundo anno: à condita Hispania 339. ante vero Troiam conditam 348. & ante Christum natum trigesimo quinto supra octingentos & mille. Ab hoc Bethyca regio nomen mutuauit. *Bethyca.* Bethus significat felicitatis locum: eo quod regio illa sit saluberrimo aere. Regnauit hic Bethus anno 37. *Gerion 7. rex.* Gerion Afer teste Beroso, tyrannidem assumpsit à diluuio anno quarto decimo supra quingentos: & à condita Hispania 371. ante vero Troiam conditam 316. & ante Christi natiuitatem tertio supra octingentos & mille. Gerion aduenam sonat, quod ex Mauritania Hispaniam inuaserit, regnauit annis 33. *Trigemini 8. rex.* Porro Gerionis tres filij fuere, qui cœperunt regnare à diluuio anno quadragesimo nono supra quingentos: & à condita Hispania 406. ante autem conditam Troiam 281. ante humanam salutem millesimo 768. His regnantibus in Hispania, teste Beroso, & post eum Diodoro lib. primo 2. 5. & 6. Thyphæus Ægyptius peremit fratrem suum Osiridem, cognomento Iouem, iustum, iuste imperantem. *Hercules Lybius.* Libyus Hercules Osiridis filius, in vltionem paternæ cædis, bello facinorosis per totum orbem indicto, patruum suum Typhæum in Ægypto iugulauit: Busiridem in Phœnicia deleuit: Iunionem Typhæum in Phrygia enecauit. Milynum maris præfectum in Creta obtruncauit: Anthenm Libycis arenis strauit: & tres Geriones singulari prouocatos certamine in Hispania sustulit: *Geriones.* ereauitque regem Hispalum, contra Lestringones in Italiam profecturus. Regnauerunt Geriones in Hispania annis 42. *Hispalus 9. Rex.* Hispalus regnauit à diluuio nonagesimo anno supra quingentos: & ab Hispania condita 347. ante Troiam conditam 241. ante Christianam salutem 27. supra septingentos & mille. *Hispalis vrbs.* Ab hoc dicta est Hispalis vrbs, regnauit autem decem & septem annis. *Hispanus rex decimus.* Hispanus filius Hispali, quem dicunt fuisse filium Herculis, regnauit in Hispania à diluuio anno septimo supra sexcentos: & à condita Hispania anno quadringentesimo 24. & ante Troiam conditam 223. & ante humani generis salutem 1710. Ab hoc rege vocata est Hispania. Regnauit autem Hispanus 32. annis. *Hercules Libyus rex vndecimus.* Italia composita, Hercules Libyus rediit in Hispaniam: & post mortem nepotis sui iam senex rexit Hispaniam à diluuio anno 39. supra sexcentos: & ab Hispania condita 499. & ante Christianam salutem 1667. ossibus Herculis opulentum sepulchrum atque templum condidere Hispani apud Gades. Annotant scriptores huius rei, modico internallo distare Granatam à Mauritania, ibi enim ingreditur Oceanus per magnas angustias, quas *Fretum Herculis.* Fretum Herculis, & Strictum Sibyllæ vocant: dissidentque à se littora Mauritaniæ & Granatæ septingentis passibus: & eriguntur ibi duo montes in cælum, vnus in Mauritania, qui Abila vocatur: & alius in Hispania, cuius nomen est Calpe: & hi à quibusdam vocantur columnæ Herculis: *Columnæ Herculis.* putantque olim vnum fuisse montem seu saxum perpetuo iugo coniunctum, quod Hercules suo robore perfregerit, intromiseritque oceanum in ipsam terram. Alij autem dicunt insulam Cades fuisse Herculis columnas. *Templum Herculis.* Alij asserunt in Gadibus fuisse templum Herculis, in quo positæ fuere duæ Æneæ columnæ, altitudine octo cubitorum, vbi nautæ olim sua vota soluere, & sacrificia facere consueuerant, quum feliciter locum illum attigissent: fuit etiam locus ille secundum veterum opinionem finis mundi, nec ausi fuerunt longius naues ducere in mare citra periculum vitæ. Fuit etiam consuetudo apud egregios viros, vt columnas extruerent, in extremum locum peregrinationis suæ, sicut Alexander fecit in multis locis. Annibalem vota & sacrificia sua ad templum istud Gaditanum obtulisse tradunt scriptores. *Hesperus 12. rex.* Hesperus frater Atlantis Itali, quem secum duxit Hercules Libyus in Hispanias, relictus est ab Hercule successor regni: ideoque ab Hespero rege, Hispania Hesperia est appellata: cœpit autem regnare in Hispania à diluuio 658. à condita Hispania 516. ante Troiam conditam 171. ante vrbem Romam sexcentesimo tertio; ante humanatum Deum 1658. *Atlas Italus 13. rex.* Atlas Italus rexit Hispanos à diluuio 669. à condita Hispania 526. ante Troiam conditam 161. ante vrbem Romam 593. ante Christianam salutem 1648. *Tres Atlantes.* Tres fuerunt Atlantes, primus omnium Maurus: postremus omnium Græcus: horum medius socer Coriti Hetrusci Atlas Italus frater Hesperi. Is creato rege filio Sycoro, ipse in Siciliam, deinde in Italiam adnauigauit. *Sycorus 14. rex.* Regnauit Sycorus à diluuio 682. anno à condita Hispania 538. ante vrbem Romanam 580. ante Troiam 148. ante annos salutis 1615. *Sycorus fluuius.* ab hoc pars Hispaniæ Sycoria dicta est, vbi est fluuius Sycorus: Regnauit annis quadraginta quinque: *Deucalion.* vigesimo anno Sycori, ortus est Deucalion saluator Thessaliæ: *Moyses.* trigesimo septimo autem anno Sycori, natus est Moyses. *Sicanus* Sicanus patri successit à diluuio anno 726. à condita Hispania 583. ante Troiam centesimo quarto, ante vrbem Romam 536. ante autem Christianam salutem 1581. *15. rex.* Sicanus Italis, & Siculis nomen tribuit: Regnauit annis vno & triginta. *Siceleus 16. rex.* Siceleus regnare cœpit anno à diluuio 757. à condita Hispania 614. ante Troiam 73. ante vrbem Romam quingentesimo quinto: ante aduentum Messiæ 1560. ætatis Moysis 42. paulo post Iasium Tuscum fratrem Dardani qui Troiam condidit, & primum Atheniensium regem Cecropem. ab isto Siceleo & filio Itali Siculi dicti fuerunt. *Lusus 17. rex.* Lusus filius Siceleí regnauit in Hispania à diluuio octingentesimo primo anno: & à condita Hispania 658. & ante Troiam 29. & ante vrbem Romam 461. & ante humanam salutem 1516. ab hoc rege dicta est Lusitania. *Lusitania à Luso rege.* Dictus est autem Lusus, quod sacra ludis & salmagabat. Huius anno 18. Dardanus, qui à Turrena sede Cornito Samothraciam profugerat, Idææ Phrygiæ penetrauit ad vrbes, & Troiam condidit, quam a se primo Dardaniam nominauit. *Siculus 18. rex.* Siculus regnauit in Hispania à diluuio 832. anno à condita Hispania 689. à condita Troia secundo ante vrbem Romam 430. ante annū salutis 1485. Regnauit hic Siculus annis fere sexaginta. *Testa 19. rex.* Testa regnauit in Hispania à diluuio 893. anno & condita Hispania 750. & à condita Troia 64. ante conditam Romam 388. ante annum Christianæ salutis 1424. hoc eodem anno filius Dardani secundus rex Troiæ extitit. Hic Testa fuit oriundus à Libya Trimnide patria Mineruæ: condiditque in littore Testam vrbem, eam Teucram vocauere posteri: *Testa seu Teucra vrbs.* deinde Carthaginem nouam anno Testæ 47. *Romus 20. rex.* Regnauit Romus à diluuio 968. à condita Hispania 325. à condita Troia 138. ante vrbem Romam 294. & annum salutis 1343. Fuit alius Romus qui in Latio Romam oppidulum auxit, quod Roma Itali filia condiderat. quod oppidulum postea Latina iuuentus per interpretationem Valentiam dixit, Roma græca, latine Valentia: sicut & Romus Valens. *Valentia Romæ.* Ab isto Romo Valentia vrbs vetustissima condita. *Palatuus 21. rex.* Palatuus filius Romi regnauit in Hispania, à diluuio quidem vno supra mille annos, & à condita Hispania 958. & à Troia fundata 171. & ante vrbem Romam 252. & ante annum salutis 1316. hoc anno Ilus filius Trois, regnauit quartus rex Troiæ: Regnauit & hic Palatuus decem & octo annis. *Cacus 22. rex.* Antequam Hercules Græcus natus esset annis duobus & quadraginta, Cacus etiam adolescens Celtiber regnauit. ob cuius victoriam monti Caco nomen imposuit, *Cacus mons.* anno à diluuio millesimo 19. à condita Hispania 976. à Troia condita 188. ante vrbem Romam 244. & ante aduentum Christi 1298. Dictus fuit Vulcani filius, quod primus in Hispaniam ferrum, & arma intulerit: artemque militiæ maxima docuerit: regnauit annis triginta sex, & pulsus regno, in Italiam se contulit. Post eum regnauit secundo Palatuus paucis annis. *Erythrus 23. Rex.* Erythrus à colonis Erythreis cognomentum accepit, qui à mari rubro in Gades venientes, insulam Erythream incoluere: regnauit anno à diluuio M. LXI. à condita Hispania 1018. à condita Troia 231. ante vrbem 201. ante Christianam salutem 1271. perseuerauit autem vsque ad euersionem Troiæ, id est, annis 63. *Hercules interfecit Cacum. Laumed.* Anno huius 25. Hercules Græcus Cacum in Auentino monte Romæ insidiosa peremit: Et eodem anno in Asiam adnauigans Laumedontem quintum Troiæ regem dolo obtruncauit. Erat enim Alceus Hercules pyrata maximus, non iusti belli & ordinatæ militiæ dux, annum autem agens ætatis 25. Ilium euertit: *Priamus.* Priamus vero filius Laumedontis, anno sequente regnum exorsus, regnauit annis 44. quo anno cum Troia interiit. *Mellicola 24. Rex.* Mellicola ab excidio Troiano anno primo Hispaniæ imperauit, cuius proprium nomen fuit Gargoris, dictusque Mellicola, quod primus Hispanos mella colligere docuit. regnum autem exorsus est anno primo post Troianum excidium: à diluuio vero 1131. & à condita Hispaniæ 1086. & ante vrbem Romam 131. ante autem Christum natum 1288. regnauit autem annis 67. Deinde Hispania ad prouincias, & particularia dominia conuersa est, vsque ad Carthaginenses, & ad tempora Romanorum.

De aliis Regibus & ciuitatibus Hispaniæ.

Antequam Romanorum regnum ad summum perueniret fastigium, Hispaniæ dominium sub Carthaginensibus fuit, durauitque apud eos vsque ad alterum Africanum bellum: *Varia administratio.* tunc Romani expulsis Carthaginensibus, Hispaniæ dominium adepti sunt: diuiseruntque Hispaniā in Bethycā & Tarraconensem regionē, vndecim in ea iurisdictiones constituentes, mansitque hæc administratio vsque ad Attilā: tunc rursus alia administratione Hispania gubernata est. Nouissime sub Sarracenis discriminata

De Regibus Hispaniæ. *Quinque regna.* *Rex Philippus.*

minata est in quinque regna, scilicet Galliciam, Nauarram, Castiliam, Cataloniam, cui & Aragonia annexa est, & Portugalliam, & Granatam. Porro, in Gallicia non diu proprium & distinctum mansit regnum, sed amisso legitimo hærede, incorporata est Tarraconensi. nostro tempore vnus est rex omnium regnorum quæ habentur in Hispania, nempe serenissimus Philippus, filius Caroli quinti, rex Catholicus. Porro, in regno Granatæ est Hispalis, nunc Sibilia, Corduba, Calpe mons, & Herculis columnæ, Strictum terræ, Vama, Malaga: Galliciæ regni partis Hispaniæ Tarraconensis, Compostella, Asturicensis, finisterræ, Almoia, Flauiona, Fonsrabia, Easo ciuitas, vulgo S. Sebastianus. Castellæ regni ciuitates, Toletum, Salamanca, Valeria, nunc Cōchs, Complutum, Alcala da Enares, Longronyo, vallis Oletana, vulgo Valladolir. Arragoniæ regni, Cæsaraugusta modo Sarragossa, Burges. Nauarræ regni, Pompilona pro Pompelon Vyana, Cathaloniæ regni, Carthago noua, Tarragona, Gerona, pro Gerunda, Barsalona, pro Barcinon. Portugalliæ regni Lysibona, Lisbona, Portugalla, Portogallo, Acorbriga, Badaioz, Merida, Cabo de S. Vincentio, Braga Metropolis, sancta Maria de Guadalope.

Ciuitates Hispaniæ.

Sarraceni Hispaniā inuadunt.

Cæterum, Gothi in Hispania regnum obtinuerunt, sed paulo post conuersi ab Arriana hæresi ad Catholicam fidem per sanctum Leandrum Hispalensem Episcopum, anno scilicet Christi 600. Deinde circa annum salutis humanæ 720. Musa Sarracenarum rex traiecto mari, venit cum magno exercitu ex Africa in Hispaniam, interfectaque nobilitate Gotthorum, subegit Hispaniam, igne, ferro, & fame. Reliquiæ vero Christianorum, quæ superstites manserunt, creato nouo rege, plurima gesserunt cum eis bella, multosque interfecerunt, donec tandem Carolus Magnus vi & armis illorum sæuitiam compescuit. Nam anno 778. congressus cum eis in Vasconia, amisit de suo exercitu quadraginta millia Christianorum rediens autem in Galliam, instauratoque exercitu suo milite Germano & Gallo, rursus adortus est hostem infidelem, duosque reges in fugam conuertit; non tamen omnino extinxit: sed Christiani perpetuo cum illis pugnarunt, vsque ad annum Christi 1100.

Carolus Magnus [...] gat Sarracenos.

Rex Ramirus octoginta millia infidelium trucidauit.

Tunc rex Ramirus secundus huius nominis, trucidauit octoginta millia infidelium. Erat autem eo tempore ciuitas legionis, regia & residentia regis infidelium. Deinde anno 1216. cum Sarracenorum rex Hilminolinus vastaret, non solum Hispanias, sed etiam Auinionem, aliaque Christianorum loca, congregati in vnum quamuis Christianorum reges, nempe Castiliæ, Aragoniæ, Portugalliæ, Nauarræ, processerunt obuiam Tyranno, & obtenta victoria, recuperauerunt legionis regnum: & reliqua omnia infidelium loca, præter vnum regnum Granatæ, in quo sesa rex impius cum suis continuit. Deinde anno Christi 1147 cum Conradus Imperator, & alij Christianorum reges pro recuperanda terra sancta nauigio venirent in Hispaniam, visitarantque reliquias diui Iacobi, quæ Compostellæ in Gallicia habentur, expugnaueruntque Lisibonam ciuitatem, vbi sese continebant Sarraceni. Anno postea 1233. interfecit rex Catholicus Alfonsus ducenta millia Sarracenorum. anno autem 1480. Ferdinādus rex Hispaniæ, Aragoniæ, & Nauarræ, auus maternus Caroli quinti Imperatoris, oppugnauit regem Granatæ, Malem nomine, mari & terra sex integris annis: obtinuitque multas ciuitates, donec tandem anno Christi 1492. Sarracenorum siue Maurorum regnum deletum est: subactaque est tota Hispania fidei Catholicæ. Occupauerunt autem Mahumetani Granatam 800. annis, antequam inde expelli potuerint.

[...] ciuitas, & regnum.

Reges & Imperator profecti sunt in terram sanctam.

[...] fonsus, Ferdinandus.

Expulsio Sarracenorum & Iudæorū.

Eodem autem anno, quo victus est rex Sarracenorum, expulsi sunt Iudæi in magno numero, nempe centum & 24. millia. idque fuit anno a condito mundo secundum Iudæorum supputationem 5238. numerant enim Iudæi à principio mundi res gestas, sicut Christiani à Christo nato.

Regnum Nauarra.

Porro regnum Nauarræ, partim inter Vascones, partim vero inter Cantabros continetur: initium sumpsit circa annum Domini 961. à quodam comite Bigoræ. Hic è montibus Pyreneis in vicinam Nauarræ planiciem cum exercitu descendens, omnem eam regionem, à Sarracenis liberauit, pro quibus meritis, rex in eo loco primus est appellatus:

Regnum Castiliæ.

Similiter Pelagius patruus regis Roderici, profectus cum reliquis Christifidelium in Asturiam, terram montosam, atque in Galliciam, factus est rex eorum, obtentaque ciuitate legionis, regnauit in ea viginti annis. Hanc sedem posteri Castellam nouam vocauere, veteris differentia, quæ circa Cordubam & Hispalim fuerat. Sic enim Hispani regiam & munitum locum appellant, dictique sunt post hunc non Gotthorum, sed Hispaniæ siue Castellæ reges.

Castellana.

Regnū Lusitanæ.

Regnum quoque Portugalliæ cœpit circiter annū Christi 1110. Henricus enim Lotharingiæ comes è Gallia veniens, magnas aduersus Sarracenos res gessit. Quam ob causam Alphonsus sextus Castellæ rex per nomine, filiam Notham nomine Tyresiam ei locauit; Galliciæ partem, quæ in regno Lusitaniæ continetur, pro dote assignando. Ex eo postea matrimonio natus est Alphonsus, qui primus Lusitaniæ rex est appellatus. Primus item qui Vlixbonam à Sarracenis recepit, quorū quinque simul regibus vno prælio superans, quinque scutorum insigne, facti monumentum posteris reliquit.

De Regibus Hispaniæ. *Alfons. 6. Lusitaniæ primus rex.*

Inde alij regnauerunt, scilicet Sanctius, Alphonsus, Dionysius, Alphonsus, Petrus, Ferdinandus, Ioannes Eduardus 11. rex, Ferdinandus 12. Ioannes 13. Emanuel 14. Ioannes 15. cuius vxor Catherina soror Caroli quinti Imperatoris, Ludouicus infans, Isabella vxor Caroli quinti Imperatoris, alia quā duxit Carolus dux Sabaudiæ. Emanuel rex 14. habuit alteram vxorem Leonoram, quam postea Franciscus Gallorū Rex duxit vxorem.

Reges Lusitaniæ. *Isabella vxor Caroli V. Imperatoris.*

Nauarræ autem rex primus Enecus, Garsias filius eius, Sanctus cognomento Abarca, Garsias tremulentus, Sanctius maior, qui ducta vxore Eluira filia comitis Castellæ, factus est per eam rex Castellæ. Ferdinandus rex Castellæ, Garsia rex Nauarræ, Ramirus illegitimus, rex Aragoniæ, à quo descenderunt, Ramirus, Sanctius, Petrus, Ramirus, Vrraca, Iacobus, Petrus, Iacobus, Martinus. Sed de Regibus Hispaniæ satis.

De fertilitate totius Hispaniæ.

Hispania diuites.

Suppeditat Hispania in multis locis abūdanter, quibus homo opus habet: vtpote frumentum, vinū, fructus, oleum, pecora, linū, ferrum, metalla, mel, ceram, piscosas aquas: & his similia. foditur sal ex terra: non fatigatur terra tot ventis, vt Gallia: nec inficitur aer pestiferis paludibus & nebulis. Aurum, argētum, & ferrum, bonum & probatum, nullibi in tanta copia, vt in Hispania est inuentum; non enim effoditur solum aurum ex mineris, sed & flumina cum intumescunt ex pluuia, producunt auream arenam, præsertim Tagus fluuius. Inuēta sunt olim in Hispania fragmenta auri depurati, magnitudine dimidiæ libræ: sunt in ea diuersis in locis & calidi & frigidi fontes, ad diuersos morbos curandos efficaciam habentes.

Tagus fluuius.

Magna in ea copia pecorum tum syluestrium tum etiā domesticorum, præsertim equorum, quos propter eorum velocissimum cursum, putarunt nonnulli à vento conceptos. Noxijs animalibus non abundat, præter cuniculos, qui terram perfodiunt, & lædunt terræ nascentia.

Equi à vento concepti. *Flumina.*

Flumina quæ per Hispaniam voluuntur, sensim & sine impetu mouentur: ideoque suo cursu agros non deuastant. Sunt etiam multum piscosa, quia mare plurimos per ea mittit pisces in terram. Gallicia, ob mineras quas nutrit, plurimum commendatur; abundat enim plumbo, & alijs metallis: vnde interdum in hac regione aratrum particulas auri effodit. Porro, cum Gallia pluuiarum multitudine abundet, Hispania vti irriguis aquis vtatur, fossas enim à magnis fluminibus quam longissime trahit; hinc est, quod bonitate, & sapore vini, frumenti, & carnium, Gallia præstantior Hispania inuenitur.

In quo Hispania præstantior est Gallia.

Porro, quia Hispania non ita septentrionalibus ventis, & frigoribus angitur, sicut Gallia; propterea oleum, mel, ceram, crocum, coccum, saccharum, limones, cappares, dactylos, citrea mala, & punica, aliosque aromaticos fructus abundantius producit, mittereque dicitur in Galliam: potissimum autem aliquot millia centenariorum lanæ, & vina multorum generum in oras maritimas Galliæ Belgicæ, pruna passa, vuas passas, amygdala, castaneas, balenas salitas & cætera, quæ omnia ex Hispania nauibus in Italiam & Flandriam, singulis annis vehuntur.

Hispanorū natura.

Hispanorum natura calida, sicca, color obscurus: equos habent magnæ pernicitatis, quos leuis armaturæ equites tibijs contractis pulchre obequitant; hastiludia & militares actus sæpius exercēt. taciturni dissimulare nouerunt, seueritatem affectantes. multa aqua dilutum vinum bibunt. laborum, sitis, & famis in acie sunt tolerantissimi: & in strategematibus cautissimi, leui corpore, vt facile fugiant, & sequantur. frugalis vitæ, sicut & Itali. Veteres Hispani fuerunt semper bellicosi, malueruntque habere bellum quam otium. Cumque extraneus abesset hostis, ipsi domi excitauerunt seminarium discordiæ & belli. Anteposuerunt militeras equos & arma bellica, proprio sanguini.

Septem archiepiscopatus. *Episcopatus.*

Habet Hispania septem Archiepiscopatus, in Tarragonensi, in Cæsaraugusta, Toleto, Compostella, Brachara, vulgo Braga, Vlixbona, & Granata. sub illis autē sunt plurimi Episcopatus, Barcinon, Girona, Ilerda, Dertosa, Valencia, Malorica, Osma, Calagiera, Seguntum, Burgus, Palentia, Salamanca, Corduba, Legion, Carthago, Colimbria, Luca, Astorica, Almaria, Sibilia &c. habet quoque Hispania innumeras Abbatias, quatuor magistratus equitum

Dens. bilitate Hi? Nobiles &c.

quitum seu ordinum, insignes commendaturas, & alios ordines, ... tomoesmgeotes possident redditus. Est in Hispania principum virorum, Ducum, Marchionum, Comitum & Baronum ingens numerus. Duces numerantur in Hispania 25. quorum cuiusque annuus census redditus, quinquaginta ac sexaginta ducatorum millia conficit. Marchiones viginti, tantundem fere redditum percipientes. Comites sexaginta, quorum annuus redditus, à decem ad viginti millia est ducatorum, & aliquorum plus quam quinquaginta. *Equitum ordinum.* Alij autem Vicecomites, Barones, prouinciarum praefecti, Viceceges, Gubernatores, Mariscalli, Alcades, omnes principes viri, suos mihi incogniti. Sunt ordines equitum magni magistri, vt sancti Iacobi, Alcantarae, Calatrauae, Rhodiensium sancti Ioannis, Monicsae, equitum quos vocant de Christus, & alij cognomento Dauis: horum cuiusque redditus millie ducatorum est quinquaginta, & plus. *Toletana ecclesia* Toletana ecclesia ducenta millia ducatorum annuatim colligit, & solus Archiepiscopus octoginta millia. *Hermandad.* In Hispania iuridici conuentus sunt: in Castella, Granata, Gallicia, & Nauarra. Sunt & fidei inquisitores in Marranos, haereticos, & Serracenos, seuerissime omnia agentes. Item habent Hermandad, id est, ciuium fraternitatem iuratam, vt in ictu campanae ex vrbibus singulis multa millia hominum armatorum prodeant: & eum qui deliquerit per vniuersam prouinciam prosequantur, nuncijs, cursoribus ad alias omnes ciuitates praemissis, vt euadere nequeat. Deprehensum palo viuum alligatum, sagittis configunt. *Magnates.* Magnates in Hispaniae, princeps Asturiarum, dux de Arsona, Commestabilis Castellae, dux Fetensis, Regis cubicularios, Architalassus Castellae, & Granatae, vulgo Amiraldus, & dux de Medina. Item duces de Beiar, de Scalona, de Medina caeli, de Medina Sidoniae, de Areos, de Infantaygo, de Alua, de Natara, de Maqueda, de Albuquerque, de Cardonia. Commestabilia Aragoniae, de Segorue, de Gandia, de Villa formosa, de Luna, de Sauiora, Amiraldus Aragonensis Marchio, Marchiones de Oristan, de Gotiano, de Villena, de Astorga, de Tarifa, de Zenete, de Comares, de Gibraleon, de Molina, de Dema: suntalij innumeri. *Vniuersitates* Vniuersitate opulentia celebres in Hispania sunt, Salamantica, Complutum, Colimbria, Pinciensis, Seguntum, Ostia, Ilerda. *Viri docti.* Viri docti Hispani: Folgennus, Isidorus Archiepiscopus Hispalensis, Paulus Orosius, Paulus Burgensis, *Alfonsus Rex Astrologus.* Alphonsus rex Astrologus, qui edidit librum, scilicet historiam mundi, & librum de motibus caelorum & stellarum: Columella, Higinus, Sadulius poeta, *Quintilianus.* Quintilianus Rhetor ac philosophus, magni pretij à Galba Caesare Romam perductus, vbi scholam tenuit clarissimus habitus est. *Seneca.* Seneca orator, Stoicus philosophus Cordobensis, Neronis Imperatoris praeceptor, patruus Lucani poetae. Tenax fuit memoriae, vt duo millia nomina recitata eo quo fuerant dicta ordine, mox recitabat. Biennio ante martyrium Petri & Pauli à Nerone morte mulctatur: in tepentia aqua apertis venis, spiritum exhalauit. Pomponius Mela, Iustinus historicos, Raimundus Lullus, commentator Auerroes, Auicenna medicus & Philosophos, Albumazar, & alij multi. Dicam etiam aliquid de quibusdam ciuitatibus Hispaniae: *Carthagenia.* inprimis autem de Carthagenia, quae quondam nobilis fuit & potens, amoena & elegans ciuitas in Granata. Primum est extructe, & noua Carthago appellata est, à duce Asdrubale, quippe inte paerat ciuitatis Carthaginensis, in Africa positae, cum inciperet rursum augera & extendere dominium sua ciuitatis, quam Romani in primo bello fere extinxerant. Ista Carthagenie, teste Strabone, per singulos dies numerauit tributum Romanis duorum millium & quingentorum aureorum. *Numantia, Caesaraugusta, Saragossa.* Pallantia, Numantia, Caesaraugusta, quae vulgo Saregossa vocatur, sunt illustres in Castilia ciuitates. in Granata vero, vt dixi, Hispalis, seu Sibilia, & Corduba: in Portugallia Merida in Catalonia: Tarrago iuxta mare sita, est metropolis. *Iberia regio.* Iberia regio est, quam intercipiunt Iber fluuius & montes Pyrenei. Vlixboa metropolis in Portugallia, Grenata in Bethica, Pampalona in Nauarra, & Barsalona seu Baremon in Aragonia, Lyon in Castilia, Columbrice est finis terrae. Gades ciuitas est in insula Gadira, prope Granatam, extructa olim à Tyrijs, qui & Vticam aedificauerant in Africa. Seguntum, ciuitas olim elegens in Tarraconensi: eamque amicitiam quaereret Romanorum, aegre ferens id Anibal, expugnauit, & destruxit eam. Sed de Hispaniae ciuitatibus satis.

De Maiorica & Minorica.

De Maiorica & Minorica. *Minor insula.*

Nuncupatus haec duae insulae dictae sunt Gymnesiae & Balearcs: vna Balearis maior, & altera minor. & vtraque fertilis, & optima culta, postquam Romani eas domuerunt. Minor insule spectat ad orientem, nutriens plurima armenta, praecipue mulos, qui & magni sunt, & sonora voce. Referta est vtraque insula habitatoribus, qui scilicet triginta millia hominum excedunt, habitant in saxis concauit iuxta praecipites petras. In his insulis nullum nociuum inuenitur animal. proprium habent regnum, quod complectitur has duas insules, & tertiam, quae vulgo dicitur Eurssa, & est alijs minor. habetque vnam *Eurssa* duntaxat villam sitam super montem. Intromittitur certis temporibus mare in certam situs insulae: & praecluditur locus intromissus aquae, & equa sic in terra collecta, & inperturbata dimissa, in tantum congelatur salis aceruum, vt nedum Maiorica, & Minorica inde saliantur, verum & onustae naues in alias ductae, multis ciuitatibus salia sufficientiam suppeditent. *Copia salis.* In Maiorica, & Minorica, optimum crescit oleum, quod inde ad Valentiam, Flandriam, & Italiam aduehitur. *Oleum praestans. Fert itam insula &.* Fiunt quoque tam boni in eis caséi, vt alijs praestantiores sint, qui in Italia, & Hispania habentur. Abundant ceruis, cuniculis, craticque in eis nobile vinū, & crescit satis frumenti. Habet Maiorica insignem ciuitatem ad orientem, quae & ipse Maiorica appellatur, habetque portum optimum, & est metropolis harum insularum, decoraturque studio vniuersali. Et est alie ciuitas in hac insula, nomine Pollentia, respicitque meridiem, sicut Maiorica septentrionem. *Pollentia. M.* Est autem insula iuxta maris littora multum foecunda: in interioribus vero est montosa, & infoecunda. Incolae multa patiuntur à Sarracenis, qui quotidie ex Africa in eam traijciunt. Iacet haec insula è ragione ostiorum Iberi fluuij, patetque in eam ex Hispania iter nauigabile quatuor aut quinque horarum. Ad Argiaram vero *Argiera. Minorica.* Mauritaniae, spatium est duorum aut trium dierum. Minorica vero nullam habet insignem ciuitatem, sed plurimas villas, estque in littore maris, altis munita montibus, & condensis arboribus obducta.

DE GALLIA.

Gallia nomen accepit à duce Galate filio Herculis Aegyptij, qui se contulit in Galliam ante Troianum excidium condiditque in Celtica ciuitatem *Galliae nom. Galatae* nomine Alexiam: & genuit ibi Galaten, cui adulto pater tradidit regnum. Is cum regni fines extendisset, multaque praeclare gestisset, ab eo populi dicti sunt Galatae, ipsaque regio Galatia. Romani vero extracta syllaba, ex Galatia fecerunt Galliam. Alij putant, à Graeca voce Gala, quae significat lac, hoc nomen profectum fuisse. Galli enim candidiores sunt Hispanis. Diuiditur autem Gallia in duas partes: in Cisalpinam scilicet, quae vltra Alpes in Lombardia *Duplex Gallia* locum hebet, Italiaque finibus concluditur. & in Transalpinem, quae citra montes occidentem respicit. Porro, Gallia Cisalpina vocata est Gallia togata, siue tonsa, quod pilos *Gallia togata* raderet. Transalpina vero Gallia comata, quod pillos nutriret. *Gallia comata.* Caeterum, Gallia Transalpina, siue comata diuisa est in tres regiones nempe Belgicam, Celticam, & Aquitaniam. In Celtica olim regnauit Lugdus, à quo Lugdunum, & *Celtica. Lugduni.* Lugdonensis Gallie nomen accepit: sicut & à Celta rege Celtica denominata est, & Graeci olim populos Galliae cōmuniter Celtas nominarunt. Ita à ciuitate Narbonensi, dicta est Gallia Narbonensis: & Braceata à Braccis vestium *Narbonensis.* genera, quam hodie vocant Langendockeo. Haec nomina temporis antiquitate in alia migrerunt: nam Gallia Celtica demigrauit in Galliam Lugdunensem, & Narbonensem: & hodie sunt Delphinatus, Sabaudia, Langendocken, & Burgundia. *... Sabaudia Burgundia.* Aquitania adhuc retinet antiquum vocabulum, extenditurque ad fluuium Ligerim. At Belgica à Belgio rege, qui in ea regnauit, ad Rhenum vsque secundum veterum descriptionem, propagata est; includit enim Al- *Belgica.* satiam, Lotharingiam, Vastum regnum, vulgo VVesterich, Brabantiam, Flandriam, Geldriam, Normendiam, Britanniam, & Franciam, quae est per circuitum Lutetiae. Siquidem flumen Rhenum olim Germaniam à Gallia determinauit, atqui hodie Alsatia, Vastum regnum, Brabantia, Hulandie, Geldria, & aliae prouinciae, quae Teutonice loquuntur, non Franciae, sed Germaniae adscribuntur. Franciae nomen deriuatum est à Franco Hectoris filio, seu nepote, qui post destructam Troiam, vt *Franciae nomen* qui-

De Galliæ. Francus. Francorum.

quidam volunt, fuit Dux Francoꝝum in Germania. Francones autem occidentales, ex ea natione migrarunt, quæ trans Rhenum nunc quoque Franconia est. Hi enim anno salutis circiter 420. exagitati à vicinis, simul & mutandi melioris soli gratia, in proximam Galliam Belgicam cum eorum rege Clodio traiecere: locaque Metensium primo, ac Tullensium tenuere. vbi Ætio Duce Imperatoris, deinde Gotthis & Aquitanis, postremo Normandis ac Longobardis superatis; tota Gallia potiti sunt; atque ita populi Franci dicti sunt. Porro, Burgundia in proprium erecta est regnum.

Burgundi vnde Vandali.

Siquidem congregati Vandali consederunt ad Rhenum, constructisque Burgis, id est, castellis, appellati sunt ab eis Burgundi. Et cum illis non satis esset loci pro sui multitudine ad manendum; traiecerunt Rhenum cum trecentis millibus hominum, quibus adiuncti sunt multi Sueui, & Alani. Sedem itaque figentes apud Eduos, Lingones, & Vesuntios, prouinciam illam in regnum Burgondicum sublimarunt, quod postea in ducatum, & comitatum redactum est.

Regnum Burgundicum.

Burgundos autem Vandalos extitisse, Plinius apertissime docet: Quidam, inquit, Germanorum vocantur Vendali, quibus ennumerantur Burgundi. Subiecta vero fuit olim regi Borgundiæ tota Sobaudia, Delphinatus, comitatus Valentiæ, & quicquid citra Rhenum. Cæterum, multiplicatis filijs regum Franciæ, distractum est regnum in multa regna: hæc autem diuisio contigit anno salutis 514. durauitque vsque ad annum 618.

Tria regna.

vnum autem appellabatur Austrasia. alterum Neustria: tertium regnum Suessonis. Sedebat & Aurelianis rex proprius. Durauerunt autem Austrasia & Neustria longiori tempore quam reliqua regna.

Austrasia.

Porro, Austrasia extendebatur vsque ad Rhenum, habuitque Rex ille regiam suam Metis. interdum vero Aquisgrani: alij dicunt Coloniæ. Et reuera, Austrasia complectebatur Lotharingiam, Brabantiam, & totam terram quam circumscribunt Mosa & Rhenus, à Colonia vsque ad Alsatiam. Vocabatur autem hoc regnum Australia ab Austraso rege.

Neustria.

Neustria complectebatur omnes regiones quæ inter Mosam & Ligerim sunt, fuitque Lutetia eius regni metropolis. Eo autem tempore, quo Austrasiæ regnum à reliquis Galliæ regnis separatum fuit, rerum potitus est in Gallia Dagobertus rex bonus, qui primus possedit Austrasiam: ac deinde huic regno adiecit Burgondiam: & demum fere totius Franciæ factus est Dominus.

Dagobertus rex bonus. Arelatense regnum.

In hac autem Galliæ diuisione regnum Arelatense exordium sumpsit, quod sub se habuit Subaudiam, Heluetiam, Delphinatum, Dominium ducum Zæringensium, atque comitum Habspurg. Cæterum, anno à Christo nato 449. oppressis Anglis à Saxonibus, qui Angliam occupauerant, coacti sunt discedere à patrijs sedibus, atque alias quærere habitationes. Traiecto autem mari obtinuerunt terram illam, quæ è regione Angliæ in Gallia sita est, vocaueruntque eam Britanniam,

Britannia minor.

fueruntque toti Galliæ graues, ac regibus rebelles: ægre autem sub iugum reducti sunt à populis qui ex Suecia, Dania, & Noruegia venerunt quique dicti sunt Nordmanni.

Nordmanni.

Sub Lothario enim Imperatore egressi, occupauerunt Britannicum mare: & ingressi Ligeris fluuij ostia, repentina irruptione loca adiacentia cædibus, ac rapinis depopulati sunt; Lutetiam ingenti præda spoliauerunt; Andegauum diripiunt. Turonensem vrbem spoliant: Leodium, Traiectum, Coloniam, Bonnam, & alias ciuitates deuastarunt: Treuerim grauiter afflixerunt. Hæc acciderunt anno salutis 880. quando Carolus Grassus præfuit Franciæ, qui coactus est inire cum eis fœdus, & dare locum ad manendum, qui hodie vocatur Nordmandia, ab ipsis Nordmannis.

Genealogia regum Franciæ.

Porro, primus rex Francorū Francus, deinde Clogius, Herimerus, Marcomirus, Clodomirus, Anthenor, Ratherus, Richimerus, Odemarus, Marcomirus, Clodomirus, Faraberus, Sunno, Childericus, Bartherus, Clodius, VValtberus, Dagobertus, Clodius frater eius, Clodomirus, Richimirus, Theodomirus, Clodius, Marcomirus. Post hunc Marcomirū sequuntur principes,

Principes.

Dagobertus, Genebaldus, Sunno, Diocles, Merouæus, Leontius, Heribertus, Priam, Sigibertus, Ausebertus, Anligises, Sanctus Arnolphus, Antisigisses. Iste princeps duxit vxorem Beggam, filiam ducis Brabantiæ, & factus est sacri Imperij Marsalcus. Filius eius Pipinus Carolus Martellus. Pipinus post Childericum cum esset rex Franciæ, obijt anno 769.

Carolus Magnus.

Carolus Magnus Rex Franciæ & Imperator 814. Ludouicus Pius, rex & Imperator, mortuus 840. Carolus Caluus, rex & Imperator, mortuus 878. Carolus Balbus, rex & Imperator, mortuus 880. Ludouicus, Carolus, Carolus cognominatus simplex, obijt 926. Ludouicus 955. Lotharius 986. Ludouicus 987. Eudo comes Andegauensis, Raul de Burgundia, hi duo postremi non fuerunt de linea Caroli magni.

De stirpe Hugonis Capeti.

Deficiente autem linea Caroli magni, Comites Parisienses ad se traxerunt regnum. Cum Ludouicus enim 34. mature moreretur, erat adhuc superstes patris sui Lotharij frater Carolus nomine, dux Lotharingiæ, qui legitimus erat in regno Franciæ successor: at Capetus, regnandi auidus, conuertit se ad insidias; cepitque Carolum, & in carcerem coniecit, sibique vendicauit regnum. Porro, Robertus comes Andegauensis & Parisiensis, genuit Robertum ducem Aquitaniæ. Roberto successit Hugo comes Parisiensis, atque reliquit successorem Hugonem Capetum regem Franciæ,

Capetus & eius Genealogia.

qui mortuus est anno 996. Filius eius Robertus obijt anno 1030. huius vero filius Henricus obijt 1060. Sequitur illum Philippus rex: mortuus anno 1109. cui successit filius eius Ludouicus Grossus, qui mortuus est anno 1137. Hunc subsequutus est filius eius Ludouicus iunior, qui obijt anno 1179 filius vero eius Philippus Augustus, mortuus est anno 1223. in cuius locum successit Ludouicus 8. filius eius: obijt anno 1226. atque reliquit filios Ludouicum sanctum, & Carolum, qui anno 1268 factus est rex Neapolitanus.

S. Ludouicus Rex Franciæ.

Successit Lodouico sancto filius eius Philippus tertius, qui mortuus est anno 1286. cui successit Carolus, deinde Philippus pulcher rex, Philippus Valesius, Ioannes, Philippus longus, Lodouicus Huttinus, Carolus pulcher, Ioannes, Carolus albus, Carolus sextus, Carolus septimus, Ludouicus 11. Carolus octauus, qui rapuit dominam de Britannie, Ludouicus 12. Franciscus Angolemensis, Henricus rex.

De fluminibus Galliæ.

Flumina.

Francia, siue Gallia vndique alluitur fluuijs, iisque pro magna parte nauigabilib. quales sunt Rhodanus, Ligeris, Mosella, Mosa, Sequena. Isti & alij minores, partim prodeunt ex Alpibus: partim vero ex Pyreneis montibus, qui Hispaniam dirimunt à Gallia: & partim ex monte Cemmeno, qui ad Lugdunum fere pertingit. Quidam autem in mare Anglicum labuntur: quidam vero in mare Mediterraneum: atque ita merces facile ab vno mari in aliud transferri possunt.

Rhodanus.

Rhodanus fluuius Galliæ omnium maximus ac rapidissimus, ex Alpibus per fines Allobrogum versus occidentem, in lacum Lemannum fluit, mollesque in superiori Valesia facit cataractas plerumque ob præcipitium in petrosis locis in spumam resolutus, magno stridore & fragore ex Alpibus descendit, & alluit totam Valesiam. Geneuæ vero rursum lacum egrediens institutum cursum seruat vsque Lugdunum; inde conuersus in Austrum, tribus ostijs in mare Gallicum desinit.

Liger fluuius.

Liger fluuius inter Pictones & Namnetas excurrit: ex Aruernorum finibus oritur: Heduosque à Biturigibus diuidit: & non procul à Pictonibus in mare influit Oceanum, siue Britannicum.

Garumna fluuius.

Garumna fluuius ex Pyreneo monte dilapsus, cum hiberno imbre, aut solutis niuibus intumuit, diu vadosus, & vix nauigabilis fertur. At vbi obuijs oceani exæstuantis accessibus adauctus est, iisdemque retro remeantibus, suas illiusque aquas agit, aliquantum plenior, & quanto magis procedit; eo latior euadit deinde magni freti similis effectus, nec maiora tantum nauigia tolerat; verumetiam more pelagi sæuientis exurgens, iactat nauigantes, atrociter vtique, si alio ventus, alio vnda præcipitet. Oritur octingentesimo à Narbone stadio in montibus Pyreneis, Celtas ab Aquitanis diuidens.

Vanum fluuius.

Vanum fluuius circa Narbonæ fines, æstiuo tempore perexiguus, hyeme vero valde intumescit, & extenditur.

Matrona fluuius.

Matrona fluuius Celtas à Belgis disterminat in finibus Lingonum: & prope Tulensem agrū, non longe à fonte Mosæ fluminis oritur. Catalanum ciuitatem episcopalem in Campania Francia interfluens, per Francorum regnum pergens, parum supra Parisiensem vrbem, Sequanæ fluuio infunditur.

Sequana fluu.

Sequana fluuius, post receptas aquas Matronæ, Celtas à Belgis diuidit: oriturque prope fines Heduensis, ac Lingonensis diœcesum in ducatu Burgundiæ: per Trecensem autem agrum, & Parisiensem ciuitatem dilapsus. Rothomagum ciuitatem præterfluens in mare Oceanum influit, retinens adhuc nominis vetustatem.

Scaldis fluuius.

Scalde fluuius inter Belgā Mosam influens in extrema parte Arduennæ syluæ, Tornacēsem vrbē intersecat.

Mosa.

Mosa oritur ex monte Vosego, qui est in finibus Lingonū in Francorū regno, non longe ab ortu Matronæ, & Araris, & parte quadā circa Nouomagiū, sicque à Celtis oriens, in Belgas dilabitur.

Mosella fluuius.

Mosella similiter circa fines Lingonū originē habens in Celtis, Metensem, ac Treuerensem vrbem præterfluit & Confluentiam Germaniæ interfecat. Quoniam vero de Treueri aliisque Galliæ ciuitatib. mentionē fecimus,

Treueris.

posthac

De fluminibus Galliæ & ciuitatibus. *Trebeta.*

posthec de ipsis latius loquamur. Treueris omnibus Galliæ ciuitatibus sua antiquitate præstat: nam Trebeta à sua nouerca Semiramide exclusus à regno Babyloniæ, cum illa regni habenas sibi vsurperet, traiectoque mari per multas ambages, & itinerum labores, tandem ad Rhenum peruenit, atque per illum & Mosellam fluuium; ad amœnam quandam vallem venit, vbi cœpit extruere ciuitatem, quã ex suo nomine Treberim appellauit. Id autem duobus fere millibus annorum, ante Christum incarnatum contigisse, ex historijs aperte colligitur. Æneas Syluius scribit, hanc vrbem Roma antiquiorem esse, annis mille & trecentis. *Palatium.* Monstratur in ea palatium miri operis, quod ad instar Babylonici muri ex cocto lapide factũ, tantæ firmitatis est; vt nulla arte frangi queat. *S. Maternus. Treuirorum Apostolus.* D. Maternus S. Petri Apost. discipulus, primã fidei fundamenta iecit in hac ciuitate. Quater expugnata est hæc opulentissima, & antiquissima ciuitas. *Metis.* Metis antiquissime ciuitas, q̃ Mediomatricum vocant ciuitatẽ; populi enim Mediomatrices eam regionẽ incoluerunt: sic dicti, quod metropolis eorum medium teneret locum inter has tres ciuitates, Tullum, Virdunum, & Treuerim. Habet autem Metis Treuerim ad septentrionem, Tullum ad meridiem, & Virdunum ad occasum. Dicunt alij Metim sic appellatam, à Metio Romano, qui hanc vrbem à Iulio expugnatam, ampliauit & muris cinxit. Habet terram fœcundam, agros & vineas supra modum fertiles, qui alluuntur à præterfluentibus amnibus Mosella & Selne. Vtuntur incolæ vtraque lingua Gallica & Germanica. *Rhemi.* Rhemi populi proximi sunt Celtis Suessonibus, quibuscum eodem iure, ac legibus viuunt. Ciuitas est metropolis, cuius omnes suffraganei sunt in Belgica, in qua rex Francorum vngitur, & consecratur. *Tornacenses.* Neruij, hodie Tornacenses, Attrebatibus, Ambianis, & similibus populis finitimi hos Scalde, & Sabis flumine irrigant. Itaque Tornacum est ciuitas Episcopalis in prouincia Remensi, in limitibus Francorum regni sita. *Atrebates.* Atrebates, quorum meminit Cæsar in lib. 2. belli Gallici, in littore meridionali constituti sunt. *Arduenna sylua.* Arduenna sylua, cuius meminit Strabo libro 4. in Belgis totius Galliæ maxima, et quatringens, à Rheno fluuio per fines Treuerorum vsque ad Tornacenses millibus passuum amplius quingentis, in longitudine patet. *Suesson.* Suesson ciuitas Episcopalis, vbi Diuus Medardus sub Clotario rege Episcopus fuit: habuerunt olim reges Franciæ in hac vrbe curiam suam. *Ambiane.* Ambianensium ciuitas in Picardia sita, sic appellata est ab Imperatore Gratiano, eo quod aquis ambiatur, extructaque est ab Antonio Pio, & filio eius Aurelio. *Lutetia Parysiorũ.* Lutetia Parisiorum ciuitas celeberrima, à Iulio Cæsare condita, vocataque Iulia, Musæo florentissime, & populo numerosissima.

Versus.

Exoritur tandem locus altera regia Phœbi
Parrhisius, Cyrrea viris, Chrysæa metallis,
Græca libris, Inda studiis, Romana poetis,
Attica Philosophis, mundi rosa, balsamus orbis
Sidone creata, sed macesis & sua potu
Diues agris fecunda rectis, mansueta colonis
Messe ferax, inoperta rubis, nemorosa racemis,
Plena feris, fortis Domino pia regibus, aura
Dulcis, amœna situ, bona quaelibet, omne venustum,
Omne bonum si sola bonis fortuna faueret.

Lutetiæ inter multa oppida sibi seruientia regina nominatur. insula, quam facit Sequana, primus vrbis situs: insulæ aliæ lusibus aptæ: pontes habet habitabiles instar platearum. *Arx.* Arx regia magnificenter ad Sequanam constructa. Aula decens cultu, magnis operosa columnis: lucide marmorea turribus astra petit. *Spatium.* Si spatium videas, vrbem non esse sed orbem, congestas mundi dixeris esse domos. Tanta est populi multitudo, vt præ turba vix sit homini via peruia. In hanc ciuitatem omnia fluunt, omniaque congregantur, omniaque venalia. *Studium.* Est in Lutetia insigne studiũ, quod fundauit Carolus magnus, solicitatus ad hoc opus insigne per Claudium, Alcuinum, Ioannem, & Rubanum, qui fuerant discipuli venerabilis Bedæ doctoris, veneruntque ex Scotia in Franciam. *Duodecim pares.* Instituit etiam Carolus Magnus duodecim principes, quos Peres appellauit, eo quod pari dignitate astare debeant Regi, nullique subiecti iudicio, nisi parlamenti. Erant autem illi duodecim Pares ex cunctis nobilibus regni, quorum sex sunt ex collegio sacerdotum, vtpore *Episcopi sex.* Episcopus Remensis, Laudunensis, Lingonensis, qui etiam Duces appellantur, Bellouacensis, Nouiomensis, Catalaunensis, qui Comites vocentur. Et sex Principes seculares, dux Burgundiæ, dux Normandiæ, dux Aquitaniæ, comes Flandriæ, comes Tolosanus, & comes Campaniæ: sed nostro tempore quidã principes sunt aboliti, vtpote dux Burgundiæ, & comes Flandriæ. *De vrbe Parisiensi.* Habet autem parlamentum aliquot assessores, præsertim quando Pares Franciæ sunt præsentes. *Parlamentum Parisiense.* Porro, parlamentum Parisiense sunt iudices, diuisi in quatuor concilia & curias, quas cameras vocant. In prima sedent quatuor præsides, & triginta consiliarij, qui audiunt causas & lites, constituunt terminos, & faciunt dilationes, minores vero causas ipsi iudicant. In secunda sedent decem & octo consiliarij, sicut & in tertia: & in vtraque sunt quatuor præsidentes: & ex his, partim sunt laici & partim doctores: quorum officium est, causas diligenter examinare: & quicquid illi decernunt, hoc vnus ex quatuor præsidentibus primę cameræ denunciet partibus litigantibus, prima die ab illis determinata. *Arestum.* Quam quidem sententiam vocant Arestum, id est, firmam, à qua non licet appellare. Qui autem hic reus iudicatus fuerit, cogitur dare iudicibus sexaginta libras Turonenses. Quod si quis putet iniuriam sibi factam, huic licet causam suam rursus iudicio proponere examinandam; sed prius deposita duplicata summa iam dictæ pecuniæ. In quarta camera sunt consiliarij, quos vocant magistros palatij: ad quos pertinet illorum causas audire, qui ad regis obsequiũ deputantur, qui *Magistri palatii.* speciali priuilegio donati sunt. Sedent in hac camera solum sex iudices, liceris ab eorum sententia prouocare ad parlamentum. In decidendis causis, cum magna difficultas offertur, hæc omnium curiarum consiliarijs congregatis, discutitur: quod etiam obseruatur in his quæ Rex de Republica statuit: huius enim Senatus decreto omnia eduntur. *Sequani & Hedui.* Hedui & Sequani fuerunt olim populi habitantes in Burgundia, in regione, vbi modo ciuitas est Diuionis: nec multum abfuerunt ab his populis Lingones, apud quos olim *Alesia ciuitas.* fuit inexpugnabilis illa ciuitas, quam Iulius Cæsar non sine magno sudore terræ æquauit. Apud Lingones ciuitas est Episcopalis in prouincia Lugdunensi: *Lexouiensis ciuitas.* Lexouij populi inter Celtas, alio nomine Lexobij, ciuitas Lexouiensis, quæ est Episcopalis in prouincia Rothomagensi, in ducatu Normanniæ. *Senones.* Senones finitimi Belgis, Parisijs, ac Carnutibus, quorum ciuitas est metropolis in regno Francorum sita, nomen antiquum retinens. *Borbonij dux.* Auernæ populi sunt finitimi Heduis, Biturigibus, ac Borbonensibus, nec longe à Lemouicibus, ducatum habent: cuius titulus duci Borboni inseruit. Præmonstratum iuxta oppidum Laudanum, haud procul à Picardia est locus, qui vocatur Præmonstratum, *Præmonstratenses.* vbi Anno Christi 1120. ordo Præmonstratensium fuit inchoatus, sub celebri viro Norberto. *Aurelia ciuitas.* Aurelia, anno Christi 276. hæc vrbs constructa est, & denominata ab Aureliano, positaque ad ripam Ligeris amnis. Attila rex Hunnorum, *Attila.* statuit eam, deuictis & excisis Remensibus, obsidere tanquam opulentissimam. Et cum illuc castra mouisset, traiecto Sequana fluuio. tanta vi oppugnationẽ adoritur, vt nihil magis euincere videretur. *Cenomani.* Hanc Cœnomanorum vetustam vrbem volunt fuisse non minus opibus, quam munitione populoque præstantem. Quam vsque eorum Attila arctissima circumuenit obsidione, & admotis machinis grauiter oppugnarit; parum tamen profecit: nam oppidani neque deditione, neque muneribus, neque conditione aliqua hostilem sæuitiam sedare posse sperebant, Vna salus victis, nullam sperare salutem.

De alijs vrbibus Galliæ.

Pictauia. Pictauorum vrbs est antiquissima, insignis, & metropolis totius comitatus Pictauorum, siue Pictonum. *Studium.* Floret in ea famosa Vniuersitas, maxime studium iuris ciuilis, obtinetq; secundum locum post studium Parisiense. *Clanus fluu.* Vrbem circumdat Clanus fluuius, qui in Viennam labitur. Extant in illa monumenta, & reliquiæ quædem miræ antiquitatis: vt vetus quoddam Theatrum: & quidem ductus aquæ iuxta vrbem. *Hilarius.* Floruit in ea D. Hilarius episcopus, doctrina, & sanctitate illustris. *Biturix.* Biturix Galliæ Aquitanicę vrbs, omnium Biturigum metropolis, tantæq; amplitudinis, vt reliquas totius Galliæ vrbes, paucis exceptis, facile sua superet magnitudine. Sita est in solo palustri, fereq; omnibus ex partibus flumine & palude circumdata. Sunt qui putant ipsam à duabus turribus sic dictam, quasi Bisturris. *Bisturris.* Siquidem olim duas habuisse turres, memoriæ proditum, à duobus fratribus, qui in ea regnabant, erectas: quarum vna extat adhuc, miri artificij opus. Populi ipsi Bituriges, Cubi dicti sunt, olim liberi: sed nunc inseruiunt regi Galliarum. Ager extra ciuitatem est valde frugifer, atque omnium fere rerum locuples, vt nihil in eo desiderari possit. *Mercatura.* Frequentiam ciuitatis commendat mercatura omnium rerum, & nundinationes, quæ ibi exercentur. *Academia.* In ea est Academia, in omni disciplinarum genere ornatissi-

natissima. Theologiæ, Philosophiæ, Medicinę, aliarumque
artium & scientiarum. Tolosa vrbs antiquissima, vbi no-
bile templũ gaza referium antiqua fuerat, quam si quis at-
tigisset, exitu infelici plectiebatur: sicut in ducib. Romanis
Aurum certo experimento comprobatum est. Inde exortũ est pro-
Tolosanũ. uerbiũ: Ne tangas aurũ Tolosanũ. Hæc ciuitas Gotthorum
sedes diu fuit: deinde à regib. Galliæ pulsi, intra Hispaniam
se continuerunt. Hanc siquidẽ vrbem Theodoricus rex &
Thorismundus filius, in sedem sibi elegerunt, tanquam ad
imperii amplificationem, & conseruationẽ locũ aptissimũ.
Tectosagium vrbs quondam fuit, quos in expeditione so-
cietatem aduersus Delphos venisse historici memorãt: ho-
die est frequentia hominum & ciuilitate insignis, in qua S.
Narbona Ludouicus episcopus fuit. Narbona antiquissima ciuitas,
in qua tempore Strabonis amplissimum fuit emporium: &
Narbonen- à qua tractus illius regionis, dictus fuit Narbonẽsis Gallia,
sis Gallia. cuius pars est Langendocken. In ea terra solũ modico labo-
re cultum, plurimos afferre fructus consueuit. Ibi tanta est
copia ficorum, vt bona pars Europæ, hinc ficus & vuas cõ-
pressas petat rosmarinus mirifice crescit. maiores castaneę
quam alibi locorum. poma citrina, mala punica, mala gra-
nata, vberius ibi quam alibi crescunt. Plantantur ibi no-
bilissimæ vites, quæ & generosissimum proferunt vinum.
Braccata. Porro, Gallia Narbonensis à laxitate vestium, olim Brac-
Situs. cata dicta est, amne Varo, & Alpium iugis, ab Italia disere-
ta est: ab ortu monte Pyrenæo terminatur: ab occasu latus
septentrionale Gebenna, siue Gemenus, & Iura montes
claudunt: à meridie mari interno alluitur. Populi in ea in-
Vocunții. signes Tectosages, Vocuncii, quorum regio, teste Strabone
lib. 4. ad Allobrogas, seu Sabaudianos vsque protenditur:
Delphina- profundas in montanis valles habent. Delphinatus, vrbs
tus. Vienna Galliæ, quæ erat metropolis in Gallia, quæ erat
Vienna. prouincia Romanorum, nunc Delphinatus, extra Celtas &
Belgas, & Aquitanos, quam fluuius Rhodanus præterfluit,
Aquitania ad eius citeriores ripas posita. Aquitaniæ situs, ab ortu Li-
situs. gerim habet: ab occasu mare Aquitanicum à septentrione
pariter Ligerim, & Lugdunensem Galliam à meridie iuga
Sanctones. Pyrenei montis. Populi in ca celebres Sanctones, qui non
Pictones. longe, vt Cæsar dicit lib. 1. de bello gallico à Thulusatium
Bituriges. finib. absunt. Sanctonum vrbs Mediolanum in loco areno-
so posita, ager nullarum frugum, nisi milii ferax. Ad Ocea-
num spectant Sanctones, & Pictones, siue Pictauienses. Sũt
quoque in Aquitania Biturigea: sunt etiam alii populi plu-
rimi, quorum quidã oceano vicini sunt alii vero ad Tho-
losanos extenduntur. Aquitani dicti sunt, qui ad septen-
trionalem Pyrenes partem, & Gemenum montem habi-
Celtæ. tant: siquidem Aquitanos & Celtas Pyreneo monti adia-
centes, Gemenus mons disterminat: Aquitanorum vero
termini vsque ad Oceanum protenduntur: & intra Garũ-
nam fluuium continentur. Celtæ autem ad alteram perti-
nent plagam, ad Massiliæ vtiq; atque Narbonensium mare,
Belgæ. rupes Alpium aliqua ex parte attingunt: Belgæ vero Ocea-
Situs Cel- no confines sunt, vsque ad ostia Rheni. Gallia Celtica ab or-
tagalliæ. tu Sequanam fluuium habet ab occasu Ligerim: & supra
ostium Ligeris Oceanum: à septentrione Oceano Britan-
nico clauditur: à meridie monti Cæmeno, & Galliæ Nar-
Liger flu- bonensi occurrit. Liger autem fluuius, vt dixi, nõ longe ab
uius. Hebduorum finibus, in Celtis oriens, eos à Biturigibus di-
uidit, in Carnutes lapsus, multisque obliquis giris Aquita-
niam alluens, in Oceanum Britannicum influit. Celtarum
Hedui Cel- populi Hedui, omnium clarissimi, finitimi Aruernis, Bitu-
tarum po- rigibus, Sequanis, Sebusianis, priscom latinum nomen in-
puli. ter Borgundos retinentes citra Arim fluuium, qui nũc Sa-
gona appellatur, aliquos terminos non habent. In ducatu
Burgundiæ, & Francorum regno positi sunt: quorum ciui-
Agustudu- tas Episcopalis Agustudunum, sita est in prouincia Lugdu-
num. nensi. Habet autem Gallia Celtica Senonensem, Bituricen-
Senones. sem, & Lugdunensem ciuitates Metropolicas: in eaq; sunt
Ducatus ducatus Bituricensis, Burgundiæ, Borbonii, Auernia, Au-
plurimi. delinensis, Valesii, & Normaniæ. & quoad citra Sequanam
se extendit, comitatus etiam Burgundiæ Niuernensis, An-
tisiodorensis, montis Belicardi Ferretensis, Corolotensis,
Matisconensis, Blesensis, Belauacensis, de Iouigni principa-
tus aaurræ siccæ, & par comitatus Campaniæ, & multa huius-
Sequani. modi. Sequani, Burgundiæ comitatum incolunt, quos à
Gallia prouincia Romanorum Rhodanus fluuius diuidit:
Finitimi sunt Heluetiis, Heduis, Lingonibus, ac Rheno
prope fines comitatus nunc Feretensis, de his quæ in Bur-
gundiæ ducatu sunt, nihil possidentes, eo quod omnia illa
speciali nomine Heduis, & Lingonib. sint ascripta. North-
Northmã- manni, id est septentrionales viri: Normania regio vltra
ni. Sequanã fluuium, à Carolo Magno victa, fidem Christianã
Norman- suscepit. Britannia citerior, in occasu Angliæ Britãniæ ma-
dia.

iori, è regione sita est multos habet populos, & ciuitates, *De Mas-*
quæ ad Oceanum spectant. Est Ducatus Britãniæ satis no- *silia.*
tus. Turones Carnutibus, & Andegauensib. finitimi sunt, *Britannia*
proximi Oceano. Turonia ciuitas est Metropolis, cuius o- *minor.*
mnes suffraganei sunt in Celtica: & ex maiori parte in Bri- *Turones.*
tanniæ citerioris ducatu nomen retinentes, in regno Frã-
corum sita: quã Andegauensem vrbem, sanctus Ludouicus *Andegaui.*
Francorũ rex à Britanniæ ducatu detraxit. Ciuitas est Tu-
ronib. ac Biturigib. proxima. Carnutes populi sunt Ande- *Carnutes.*
gauensibus, & Turonensib. finitimi, atq; Oceano proximi. *Parisii.*
Parisii populi Senonensi prouinciæ attribuuntur, Bellouа-
cis, & Agendico oppido proximi, & Mellodun o oppido fi-
nitimi.

De Maßilia, Lugduno, Arelate, Auinione & aliis.

Massilia nobilis prouincię ciuitas, initium sumpsit *Massilia.*
tẽpore Tarquinii Romani regis, quingentis scili-
cet ante Christũ natum annis, Phocensib. prima
vrbis iacientib. fundamenta. Scribunt nonnulli,
à Medis Phocensibus expulsis, Romã venisse, inde ad ostia
Rhodani, ibiq; inuenientes litus solidũ saxeumq;, & iuxta
illud, agrum fertilem, condiderunt vrbem Massiliensem.
Regio illa, in proferendo vino, & oleo accommodatior est,
quã in proferendo frumento: asperũ enim habet solũ. Huic *Portus.*
vrbi portus subiacet. saxum scilicet In theatri formam, ad *Situs vr-*
austrum spectans Vrbs vniuersa pulcherrimis circumcin- *bis.*
cta muris, magnitudine eximia: Cæsar lib. 2. de bello ciuili:
Massilia, inquit ex tribus oppidi partibus, mari abluitur:
reliqua quarta est, quæ aditum habet: huius quoque spatii
pars est, quæ ad arcem spectat. Loci natura est valde muni-
ta, longã & difficilem habens oppugnationem. Incolæ mari
magis quã telluri fidentes, nauigationem pro eorum inge-
nio delegerunt. Postmodum virib. præpotentes, quosdam
vicinorum campos occuparunt: eisdem virib. vrbes non-
nullas condiderunt. Amnis Rhodani cursus, non parũ cõ- *Rhodanus.*
moditatis incolis affert. Est & Taurentium, Olbia, & Anti- *Nicea.*
polis, & Nicea, siue Nicia ad Salyum gentem pertinens, &
ad Lygurea Alpium incolas, iis assunt naualia & armamen-
taria. Nicea siue Nicia non procul est à Varo flumine, à Mas-
siliensib condita. Alpes his regionib. proximæ, à Cornelio *Alpes ma-*
Tacito, & veterib. maritimæ vocantur, quod in prouincia *ritima.*
Hebredunensi. locisque Lygustico mari finitimis consistãt:
qua ex Italia iter est ad Narbonensem prouinciã. Alpes autẽ
dictæ sunt à candore niuium, quib. semper albæ apparent:
vocãtur Pœninæ Alpes, eo quod Annibal Pœn' primus fre- *Pœnina*
gerit, & per eas in Italiã peruenerit: sunt & aliæ Alpes, quæ *Alpes.*
aliis nominib. appellantur. Auion vrbs, ad Rhodanum sita *Auion se-*
miras haber vetustates, fuitque ante aliquot annos habi- *des Rom.*
tatio Romanorum pontificum. nã Ioannes 21. Roman. Põ- *Pontificu.*
tifex, curiã suã illuc ex Roma transtulit, mansitque ibi Cu-
ria circiter 60 annos. Regina Iohãna Neapolitana debebat
Pontifici Romano ratione regni sui magnã vim pecuniæ,
pro cuius solutione dedit Pontifici Romano hanc vrbem
perpetuo possidendã. Id autem contigit sub Clemente sex-
to, anno salutis 1340. Cæterum, inter Alpes, & Rhodanum,
vlteriores fluuii partes, Volcæ, quos auricomiscos appel- *Volcæ.*
lant, magnum incolunt spatium: quorum portus, & nauiũ *Narbo.*
receptaculum, Narbo dicitur: Populi sunt prouinciales A- *Prouincia-*
uenitici nunc autẽ Auionenses, Episcopalis ciuitas in pro- *les.*
uincia Arelatensi. Arelatensis ciuitas non multum abest ab *Arelatum.*
eo loco, vbi Rhodanus recipitur à mari, atque ab ea vrbe
totum regnum Arelatense nomen recepit. Sita est autem *Fertilitas.*
hæc ciuitas in prouincia ad occidentem, crescitque in solo
eius plurimũ frumenti. vnde incolæ diuites reddũtur. Ad-
nauigãt enim Genuenses ex Italia atq; Hispania ab occasu,
& aduehunt frumentum. Erectus est ibi olim Archiepisco- *Archie-*
patus, & celebrata tria Concilia: primum tempore Constã- *pisco. Tria*
tini Imperatoris, & Syluestri Papæ: alterum quoque sub *Concilia.*
eodem Papa anno 326. tertium vero, anno 461. Hæret vrbs
ista ad collẽ, clauditur ab occidente Rhodano: ad orientẽ *Insula*
vero habet paludem magnã, & ad Austrũ campũ fertilem. *Rhodani.*
Efficit enim ibi Rhodanus insulã quam Camargues vocãt,
quæ quatuor fere miliarib. germanicis patet in longum, &
latũ, ferax frumenti, & vini, & pascua plurima habens. Ha-
bebat hæc vrbs latissimum regnum, quod protendebatur
vsque ad Heluetios: sed Imperator Ottho primus, rege *Ottho pri-*
pulso propter alapam, quam dederat Episcopo in Ecclesia, *mus.*
incorporauit perpetuo regnum Arelatense Romano Im-
perio. Ab hoc loco vsque ad Narbonem sexaginta tria mi- *Tarasco.*
liaria sunt, & hinc Nemausum 88. è Nemauso per Vrgeum, *Aqua cali-*
atque Tarasconensem ad calidas aquas, quas sextias nomi- *da.*

De Arelate & Lugduno. nant prope Massiliam, miliaria tria & quinquaginta: Lugdunum vrbs ad Rhodani ripas posita, & Viennæ finitima, de qua Seneca in epistola ad Lucillum refert, eam fatali igne suo tempora aaustam. Strabo lib. 4. Lugdunum in colle conditum, vbi Arar amnis, qui nũc Sagona dicitur Rhodano immiscitur. Conditum fuit à Lelio Munatio Planco, *Lugdunũ.* dum Galliæ comatæ præesset. Idem Strabo dicit Lugdunũ suo tempore fuisse alteram omnium Galliæ vrbium nobi- *Situs ciuitatis.* lissimam & populosissimam, Narbone excepta. Quam ego ipse vidi anno sexagesimo, tẽpore Pij quarti, magnũ mœniorum ambitum, colles duos, & vineta complectentem. Vidi magnum concursum externarum gentiũ, quæ in haa vrba sedes collocarũt: omne enim genus mercium, in quácunque orbis partem ex hac vrbe commodissime transferri potest, propter amnium cursum, & loci opportunitatẽ, nempe quod fere posita sit in medio Europæ. Hanc tantam *Loci opportunitas.* loci opportunitatem animaduertentes Romani, cæteris reb. vrbem studiose ornarunt: nam in ea vrbe argenteum & aureum numisma signare consueuerunt. Tributa & vectigalia eo ex omni Gallia comportabantur, quorum fuit tantus prouentus; vt vna Gallia stabilimentum Imperij *Lugdunũ sedes Romanis principib.* existimaretur: vnde Lugdunum tanquam sedes Romanis principib. constituta erat, ad quam persrequenter inhabitandi gratia se conferebant & quam magnificis ædificiis & structuris amplissimis exornarunt. Cum autem Lugdunũ tantis rerum incrementis auctum & cõfirmatum esset, incendio late peruastante totum arsit; vnius enim noctis incendium, totam strauit vrbem. tãta fuit incendij celeritas. Plutarchus sic scribit. Ibi nunc Lugdunum est, inquit, celeberrima Galliæ vrbs, quá longis postea temporibus à Plã- *Munatius.* co Munatio conditam accepimus. Fuit iste Plancus Munatius nobilis orator, Marci Tullij auditor. Floruerũt in hac vrbe Antistites eruditione, & sanctitate insignes, Irenæus, Eucherius, Faustus quoq; Lugdunensis poeta clarus & quã *Sabaudi.* plurimi huiusmodi. Allobroges qui hodie sunt Sabaudi, ducatũ constituunt. Populi sic dicti sunt à rege quodá, cu- *Allobrox. Vienna.* ius nomen fuit Allobrox, quorum metropolis fuit Vienna ad Rhodanum sita, quæ hodie quoque metropolis est Delphinatus. Allobroges, id est Sabaudi ad Geneuam vsque & Pedemontem extenduntur. Dicunt nonnulli nomen illud accepisse Sabaudios à Sabatiis populis, inter Alpes cõmo- *Comitatus.* rantibus. Sabaudia comitatus erat, vnus ea quatuor comitum Romani imperij sed per Imperatorem in Cõcilio Cõ- *Genealogia ducum Sabaudia.* stantiensi creatus est dux Sabaudiæ. Ordo autẽ siue genealogia ducũ Sabaudiæ ita ponitur, Aimon comes, Amedæus dux primus, Ludouicus, cuius vxor Anna Cypria, Ludouicus cuius vxor Carlotta consobrina eius, filia regis Cypri, Ianus Amedæus cuius vxor Violanta filia Caroli regis Frãciæ, Carolus primus, Ioannes Carolus, dictus Amadæus, Philibertus primus, Philippus cuius vxor Margarita Barbonia, Philibertus secundus, gener Cæsaris Maximiliani, Carolus secundus, qui in Hispania mortuus est, Philibertus, Philippus comes Gebenensis, Ludouica mater Francisci regis Galliæ, Philiberta vxor Iuliani Medices. Nostro æuo tres duces, pater illius, qui sanctum Quintum in Gallia expugnauit, Nepos, modo adolescens dominatur, Catho- *Geneua.* licæ fidei defensor. Geneua vrbs Sabaudiæ habet amœnum situm, & agrum fertilem atque vineta vberrima, ab imo surgens & protensa ad collem, vbi Rhodanus ea magno la- *Lacus Lemanus.* cu qui Lemanus nominatur. egreditur. Hæc vrbs fuit restaurata per Aurelianum Imperatorem: iacet fere in me- *Visontium.* dio regionis Sabaudiæ. Visontium nunc Bisontium & vulgo Bisantium, Besanson metropolis Burgundiæ. In eius agro est locus Salinensis dictus, vbi sunt duo fontes: alter aquæ dulcis, alter ex quo sal conficitur.

Gallia fertilitas. Dicamus posthac de Galliæ fertilitate. Nullus fuit, inquit Strabo, angulus in Gallia incultus, præter lacus & nemora quæ culturam non admittunt. Potissimum tamen *Terra de Ocha, & Prouenza.* prouincia, Langedoc, & aliæ regiones Maditerraneo mari propinquæ, miræ sunt fertilitatis, vt etiam ibi cupressi & rosmarini passim per campos crescant, mala punica, granata, citrones, nullibi frequentiora, quã in aa prouincia. Nobile quoq; in partib. illis crescit vinũ, imo per totã Galliã, *Aquitania.* quę tot irrigatur & fœcundatur amnib. Aquitania nobilissimũ habet fundũ, aptũ ad ferendũ in copia vinum, vites, frumentũ, oleũ, frugiferas arbores fontes, flumina aquarũ, prata, pascua, pecora, nemora, & similia, quib. opus ha- *Parisius. Normandia.* bet hominis vita. Ager Parisiensis fertilissimus. Normãdia præter Metropolitanam, & alias sex præcipuas ciuitates, habet nonaginta quatuor minora oppida, vicos quoq; & *Rothomagus.* castella sine numero. Habet sex Galliæ Rothomagi in Metropolitana Normandiæ ciuitate Senatũ doctissimũ, prudentissimosque viros, qui toti prouinciæ ius dicũt. Sunt in ea vrbe potẽtes mercatores: habet hæc regio copiam pisciũ *Epilogus Galliæ.* & pecorũ atq; frumenti: sed & pomiferarũ arborũ tãta est in ea multitudo, vt ea pomis porũ faciãt: & pro magna parte, in alias terras transmittuntur. Itaque, regiones particu- *Omnes regiones Galliæ.* lares in Gallia nostro æuo sunt istæ: Aquitania, Gasconia, Britannia, Turonia, Normandia, Picardia, Francia, Limosis, Auernia, Burgundia, Lotharingia, Prouincia Delphinatus, Ducatus Barensis, Ducatus Bercy, Ducatus Borboniæ, Campania, Langedock, Ducatus Sabaudiæ &c. Hæ regiones omnes vtuntur lingua Gallica, præter Britanniã Sabaudia, & Lotharingia rudiores sunt. Sũt autẽ memoratæ regiones sub corona Franciæ præter Sabaudiã, Lotharin- *Burgundia regnum.* giã, & partẽ Burgundiæ quæ Romanũ agnoscunt imperiũ. Etenim sub Cõrado Imperatore, qui successit Henrico sancto, regnũ Burgundiæ, quod centũ & triginta annis Francis paruarat, subiectũ est Rom. imperio, & redactũ in prouinciã: tametsi bona pars Francis adhæreat. Ante memoratum tẽpus habuit regnũ Burgundiæ sub se Sabaudiã vltra Rhodanũ, & quicquid est citra Rhodanũ, vt est Delphinatus, & comitatus Valentiæ, qui in hodiernũ vsque diã feuda sunt *Delphinatus.* imperii. Delphinatus hodie est principatus, qui consensu regis debetur primogenito suo, aut principi sibi in regno successuro. Est enim hic principatus proximior gradus ad regale fastigiũ siquidẽ mortuo rege Delphinus in locũ eius succedit. Hic Delphinatus an. 1349. à Delphino Imberto vẽditus est regi Galliæ, consentiente Carolo quarto Imperatore. Ante tẽpus illud Francorũ reges nihil iuris in Delphi- *Burgundia diuisa.* natus habuerũt regimine. Cætarũ, Burgundia diuisa est in duas partes: altera Cãpaniã contingit, & ad Gallos spectat: *Lotharingia.* altera vero Bisantiũ vsq; pertingit, Romanũ imperium, & domũ Austriæ adhuc agnoscit. Lotharingia prius Austrasia *Carolomagni progenies.* dicta, sortita est hoc nomen à Lothario nepote Caroli Magni, incorporataq; Romano imperio sub Otthone primo. A Carolo enim Magno, vsque in quintam generationẽ posteri eius simul gubernauerunt Franciam & Germaniam. Extincta autẽ in quinta generatione tota posteritate, saltẽ in sexu virili Caroli Magni, Galli propriũ sibi elegerunt regẽ, Germania relicto imperio quod prius & Gallis & Ger- *Otho Imperator.* manis commune fuit. In illa autẽ imperij successione Otho dux Saxoniæ, factus est Romanorũ Imperator, qui Lotharingiã & Burgondiã reduxit ad imperiũ. Itaque, Lotharingia à Lothario nomen accepit. Britannia vero à Britan- *Nominum ethymologia.* nis seu Anglis: Normandia autem à Normandis, id est populis Aquilonaribus. Aquitania ab obliquis aquis Ligeris, Francia à Francis populis, Picardia à Picardis populis: Turonia ab vrbe Turone: prouincia in qua Massilia est, à Romania hanc appellationem accepit: Flãdria à Flandra muliere, vxore Luderici primi gubernatoris ann. 782. Gua- *Vasconia.* sconia, siue Vasconia secernitur per Garumnam, siue Girũdam fluuium ab Aquitania, appellataque fuit tempore Caroli Magni regnum de Vasconia.

DE GERMANIA.

Vocabulũ Germanorum. GErmanorum vocabulũ, Tuisconũ, & Teutonorum, profectũ esse quidã dicunt à Tuiscon, & Mãnu eius filio: qui Germanicæ gentis authores, & *Germanorum conditores.* conditores eatitarunt. Mannus siquidẽ vnde superior Germania, quæ nunc Alemania dicitur, tres filios habuit: Ingæuonẽ, à quo Ingæuones, Hermionẽ, à quo Hermiones, & Istreuonẽ, à quo Istæuones Danubii accolæ orti sunt. Tũ autẽ Germanorum cœpit appellatio, cum Tungri Rhenum transgressi, Gallos expulerunt: & commilitones nunc Tungros sa inuicẽ inuocarent, nunc Germanos. Alii volunt Germaniã dictã esse à Teutonico vocabulo, gar ein *Berosus de origine Germanorum.* man, quasi victria multarũ gentiũ. Berosus sic scribit: Sexto anno Semiramidis Reginæ Assyriorũ, iuxta Rhenũ Mannus Tuisconis filius Germanorum regnũ obtinuit. Vocata est autẽ Alemania à quodã lacu Lemano dicto: vel ab Her- *Alemania vnde vocatur.* cule Alemano, qui imperium habuit super Germanos, authore Baroso. Porro, in Germania prima gentiũ est Sneuia, deinda Franconia, Turingia, Voytlandia, spectat & meri- *Germania gentes* diem Vindelecia: Deinde Morauia, cui iungitur Pannonia: huic Mysia prouincia, ad pontũ vsque cũ Danubio decurrit In medio Bohemia, quæ Cercinia sylua tanquã natiuo muro vndiq; cingitur. Versus Aquilonẽ habitant Misnenses, Saxones: ab iia Rhenũ versus Vuestphalia, Hassia, Hartzia, Phrisia, Holandia, vltraque Sarmatas porrigitur: quã quidẽ Sarmatiã habitant Prussi, Liuoni, Russi, Masouii, *Sarmatia habitatores.* Lituani, Poloni, VValachi, Trãsyluani. Cæterũ, Germania à Gallia Rheno fluuio diuiditur: à Rethis & Pannonibus, secundũ vetustos Danubio: ab occasu solis, Scaldem fluuiũ habet, qui Antuerpiam præterlabitur: à meridia Alpes: ab *Germania termini.* ortu Istulã, Vandalũ fluuiũ, cætera Oceanus ambit. Porro,

De situ Germaniæ. ea pars, quæ Alpibus, & Danubio est vicinior, superioris:
quæ autē Oceano obuertitur, inferioris nomen habet. Sūt
qui magnā eā vocant, quæ intra Rhenū, Danubiū & Istulā
Germania superior, & inferior. est. Rhenus autem fluuius ex Adula monte, qui Rhetos, ab
Heluetiis disiungit, profluens, mox à fontib. duos lacus ef-
Rhenus. ficit, Venetū, hodie lacū Cellæ, & Acrooiū, quē Rheti acco-
lunt: post ripis longe lateque recedentibus, multa insignia
præterfluit oppida. Cataractas, instar Nili habet duas: alte-
Rheni cataracta. rā non procul à Schafhusia: alterā ad Lauffenburgū: vnde
ex alto atrox, & feruens defluit: tandē trib. ostiis, in Ocea-
nū Germanicū exit: è quib. primū Helinū vocatur, alterū
Leca, postremū Fleuū, Germanis insula: totū hunc tractū,
Rheni ostia qui est intra Rheni ostia Battaui tenent. Danubius quoque
Danubius. à iugo Adnobæ montis effunditur, quasi Adnubiū, qui est
pars Alpiū: vicus ad quē fonte non admodū magno oritur,
Danubii ostia septem. Tuneschingen dicitur: omniū fluuiorū, qui in internū ma-
re exeunt, post Nilū, maximus. Labitur per innumeras fere
gentes. & sexaginta amnib. receptis, septē ostiis in Pontum
Euxinū euoluitur. Danubius ripas gelu iūgit, duratusque,
magna plaustra, & innumeros fere homines trāsportat. In
mediis calorib. alueo sese quotannis effert, copiosaque vi
Rhodani origo. aquarū, propinqua sibi loca, Nili modo irrigat. Ab origine
Rheni, vsq; ad fontē Rhodani, est distātia itineris triū ho-
rarū, si rectū iter per apices & profundas montiū valles cō-
tinuari posset: ibi n. tanta est montiū sublimitas, vt illi nū-
quā destituantur glacie & niue. Inter Rheni & Rhodani fō-
Ticini origo. tes, est mons Gothardi, vnde prorūpit Ticinus, qui ad me-
ridiē, per Italiā flectitur. Tertius fluuius Germaniæ Necca-
Neccarus fluuius 3. Germaniæ fluminu. rus, qui & Nicrus, cuius ortus distat itinere triū seu quatu-
or horarū a fontib. Danubii: augmentū autē recipit, quoad
Rhenū labitur multis amnibus, qui ex Nigra sylua vndiq;
Mænus fluuius. deriuātur. Quartus fluuius nauigabilis Germaniæ est Mæ-
nus seu Mogonus, qui Rheno miscetur è regione Mogūtiæ:
sumit autē originē à Bāberga. Quintus fluuius Germaniæ,
Amasus fluuius. est Amasus, qui Frisiā perambulat, separatq; VVestphalos à
Saxonibus. Sextus fluuius est Visurgis, qui ex Hassonia de-
Visurgis fluuius. scendens, per Brunopolitanū ducatū, mare petit. Septimus
Albis fluuius. est Albis fluuius, cuius fontes inueniuntur in Bohemia, ab-
luensque Misnā, & Saxoniā, exoneratur tandē in mare se-
Sueuus fluuius. ptētrionale. Octauus est Sueuus fluuius. Nonus est Viadrus
fluuius. Decimus Vistula, seu Istula. In citeriori vero Ger-
Viadrus fluuius. mania est Mosella. Præter hos autem fluuios nauigabiles,
sunt adhuc alij innumeri minores amnes, Germaniam ir-
rigantes: de quibus non est modo scribendum.

Germaniæ inferioris ciuitates.

Louaniū. LOuanium ciuitas vniuersali studio, aerisque salu-
britate, vineis, nemoribus, pascuisque, & agri v-
Annibal Louanii studuit. bertate florēs. In qua quidē vrbe studiorum cau-
sa, circiter sex annos diuersatus sum, cū præesset
Bruxella. regioni Carolus quintus, insignis Imperator Bruxella aula
Caroli quinti, venationibus, montibus & fontibus, nec nō
Antuerpia egregiis viris nobilis. Antuerpia, emporium per Europam,
reliquasque mundi partes, merciū varietate, & portuū cō-
Biscum ducis. moditate, percelebre. Biscūducis ciuitas armis strenuisq;
viris munita, diuerso mechanico exercitio instructa, pa-
Mechlinia scuis deniq; vberrimis ornata. Mechlinia, loci amœnitate,
Lira. platearū amplitudine, atq; ciuiū humanitate illustris. Lira
Gandauū patria Caroli V. boum nundinis, situsque fortitudine præclara. Ciuitates
Flandriæ, Gandauū, patria Caroli V. Imperatoris inuictis-
simi, in vigilia sancti Matthiæ an. 1500. nati. Tornacū, Ca-
Tornacum Caletum. letū portus aptissimus. Bruge emporium præclarū, ædifi-
Bruge. ciis pollens. Longitudo Flandriæ à Scaldi fluuio accipitur,
Flandria descriptio. qui versus Antuerpiā flectitur, vsque ad nouā fossam, quæ
est apud sanctū Odomarū, potestq; pedibus cursoris spatio
trium dierum confici: latitudo vero mensuratur itinere v-
nius diei, a Lysa fluuio versus mare. Hannonia & Artesia,
præsertim Attrebates in ea annumerantur, ratione linguæ
Flādriæ Gallicæ. Flādris frumentū ministrāt Attrebatēses,
Ambianū. Ambianēses, Cameracēses. Ambianū in Picardiæ ducatu,
Lucenburgum. vbi caput Ioannis baptistæ esse dicitur. Lucenburgū habet
egregium senatum, nemora multa, aerem salubrē, populū
Lemburgensis ducatus. fidelē: cuius præcipuum studium est in pecorib. alendis. Lē-
burgensis ducatus, non procul ab Aquisgrano situs est: fuit
aliquādo comitatus: quādo ꝓpinqui comites Hānoniēses,
Namurcēses, Louaniēses, qui postea dicti sūt duces Brabāti-
Lemburgum. ni, Holādenses, Leceburgēses, & reliqui circumiacētes, suas
possidebant ditiones. Nomen habet a sua metropoli Lem-
burgo, quod non multum distat ab Aquisgrano atq; Leo-
Aquisgranum. dio. Aquisgranū celebre oppidum, à thermis & Caroli Ma-
gni inhabitatione, qui frequentes in eo habitationes ha-
buit. Quidam Romanus, nomine Granus, Neronis frater
veniens ad eum locum inuenit aquas calidas, imo feruen-

tes in loco plano, cœpitque ibi condere ciuitatē, imposuit- *De Germania superiori.*
que illi nomen ab aquis à se inuentis. Tungri populi, à qui-
bus Tungrorum ciuitas nata est, fuerunt primi Germani,
qui relicta patria, Rhenum transierunt, atq; alias sibi man-
siones quæsierunt. Nec inuenitur in Brabātia vetustior ci- *Tungri.*
uitas Tungrorum oppido. Iuliacensis ducatus, habet Bōna,
Iuliacum, Leodium ciuitatē Episcopalem, Aquisgranum. *Leodium.*
Geldria, Cleuia, isti sunt ducatus, Holandiæ vero comita- *Hol-naux.*
tus. Fuit autē Holandia antiquitus obducta magna sylua,
ea præsertim parte, quæ est inter duos Rheni riuos. Est autē
Holandia Germaniæ prouincia: ad septentrionem alluitur *Holandia ciuitates.*
mari. & quod reliquum est, Rheni fluminis brachia inter-
cipiunt, insulamque efficiunt est in pascuis vberrimis sita,
plurib. stagnis, ac maris interfusa finib. Ab oriente Frisos
habet: à meridie VVestphalos. Nutrit hæc regio pecora
multa patiturq; maris inundationes quā plurimas. Habet *Amsterdamum*
ciuitates florentissimas, inter quas Amsterdamum primas
tenet vrbs propter mercimonia, quæ ibi exercentur, plu- *Traiectum.*
rimum celebris: alluitur atque circumluitur, instar Vene- *Annibal accepit ordinem Sacerdotii Traiecti 1550.*
tiarum aquis marinis. Roterodamum alia Holandiæ ciui-
tas. Drodacum Rheno cingitur, Delfin, Harlem, Almariam.
Traiectum ciuitas Episcopalis, in qua omnes sacros ordi-
nes accepi, Ganda & similia multa.

Germania superioris ciuitates.

QVoniam Germania secundum longum ab orien-
te in occidentem vsq; ad Rhenum, & aliquot mi-
liaribus vltra protenditur, Rheni autē origo est
in Heluetia: ab ea ergo initium facere decreui in
descriptione Germaniæ superioris. Porro, quam Romani
olim Heluetiam vocarunt, hodie moderni Suiciam, & cō- *Heluetia situs.*
fœderatorum terram appellant. Incipit autem à summis
Alpibus, desinensq; ab ortu, ad Rhenum excurrit in septē-
trionem vsq; Lausenberg & inde reflectitur in occidentem
secundum tractum Iuræ montis, vsque ad lacum Geneuen-
sem, quousque rursus pertingat ad Alpes. Cæterum, gens *Gens Heluetiorum.*
Heluetiorum hoc tempore Germaniæ tribuitur, quod ser-
mone, cultu, & viuendi ritu à Germanis non distat: quam-
uis antiquitus inter Belgas habebatur: tunc enim tempo-
ris superioris Galliæ locum obtinuit. Rhenus ab ortu, vt
scribit Cæsar, agrum Heluetiacum a Germanis diuidit, ab
occasu Iura monte, qui est inter Sequanos & Heluetios, *Iura mont.*
terminatur: à meridie Rhodano, & lacu Lemano, cuius ac-
colæ Alemanii, & totus ille tractus Alemania nuncupatur: *Alemanii.*
à septentrione Augusta Rauricorum, quæ nunc Basilea est,
finitur. Huiusmodi gens à dominatu regio libera: quippe
quæ per Democratiam rempublicam, regat. Patitur hæc
regio salis inopiam, & frumentum plerumque auguste, vel
propter solis, & cæli inclementiam: vel quod pro multitu-
dine hominum modicis terræ finib. circumscribatur. Vr- *Heluetia vrbes.*
bes Berna gētis caput. Schaffhusium, Lauffenburgum, Vu-
tudurum, Solodurum, Tigurum, Vri, Lucerna, Sāctusgal- *Lucerna ciuitas.*
lus. Flumina, Rhenus, Arula, Turus. Iulius Cæsar domuit
Heluetios gentem bellicosissimam. Lucerna ciuitas Helue-
tiorum, sic dicta à magna & peruetusta turri, quæ stat iuxta
pontem in exitu lacus: ex qua olim nocturni ignes ostensi
nauigantibus præluxerunt. Est autem ciuitas satis amœna, *Suitensiū.*
dignitate & opibus illustris, emporium habens commune
Suitensium, vbi deponuntur merces, quæ ex Germania in
Longobardiā, & Liguriam transmittuntur per lacum ma-
gnum, ad cuius finem Lucerna est sita: & spatio quinq; mi-
liariorum, in Vraniam deferuntur: atque inde dorsa equo-
rum per montes, & valles Alpium Mediolanum vsque trās-
portantur. Tiguria vetustissima vrbs in amœno loco sita, *Tiguria.*
ad exitum lacus magni, qui hic desinit, excluditque amnē,
qui diuidit vrbē in duas ciuitates. Solum habet valde fœ-
cundum: in vrbe est frumenti amplissimum forum, quod
vndique aduectum, & distractum, per lacum Tygurensem
ducitur ad loca Heluetiorum. Solodurum ciuitas vetustis- *Solodurum*
sima sita iuxta amnem Arolam. Friburgum ædificatum
est à Bertholdo: cuius ciuitatis situs partim impositus est *Friburgum.*
montis præcipitiis, petris suffulto, partim iacet in valle ac-
cliuis montibus clausa, circumfluitque montem in imo
per definentem ciuitatem amnis quidam mediocris ma- *Berna.*
gnitudinis. Berna ciuitas sita est, velut in Peninsula, quam
facit Arola fluuius, qui tam magnus est, vt nauigari possit.
Adiacens solum, omnium rerum est ferax, præterquam vi-
ni. Badensis ciuitas est sita in loco amœno, habetque aquas *Badensis ciuitas.*
salubres, & arcem munitissimam iuxta præterfluentem
amnem: ciuitas elegans, & opulenta in medio confœdera-
torum sita: in qua Heluetii omnia sua celebrant comitia.
Imminent ciuitati ab vna parte montes. ab alia vero allui-
tur magno flumine nauigabili.

De situ Germaniæ. Rheti.

De Rhetis.

Rheti Tuscorum proles, à Gallis pulsi duce Rheto, inter Rhenum, Lycum, & Danubium, Alpinum iugis consederunt: hinc Insubribus, inde Aquileiæ propinquis. Veteres Rhetiæ limites à Rheno ad Lycum, vbi Rhetia superior vocabatur, & vltra Lycum ad Oceanum, vbi Rhetia inferior, procurrunt: & à Danubio vltra Alpes, Veronam, & Comum vsque, & Rhetorum nomine adhuc censentur. Rhetiæ maximã partem Sueui hodie occupant: mons in ea præaltus Rhetico Heluetios spectans.

Grysones. Tridentini.

Lepontii qui & Grysones, Engedini, Choriensses, Athesini, quorum caput Oenipons, Tridentini, Hegouij, quibus è regione, ad alteram Rheni ripam Turgauia obiacet, Algiaui, Vindelici, Vlmenses, Comitatus Burgouēsis, & is tractus, cui nomen est Risa, Vndeleciæ insertus, vna cū Comitatu Betingensi.

Valesiani qui & Seduni.

Valesiani, qui & Seduni habent grãdem, & longissimam vallem, vndique clausam ingentibus altissimisque montibus, & præacutis petris, qui pro magna parte, altitudine fere vnius miliaris Germanici eleuantur in cælum: multique eorum perpetuis temporibus, aut glacie irresolubili, aut niue glaciali obducuntur: in imo vero iuxta radices montium, terra est optima, omnium rerum ferax.

Valesia Situs.

Extenditur longitudo eius ab occidente in orientē, itinere 4. dierum latitudo vero eius est valde angusta, nisi quod prope Octodurum, & Sedunum, paulo spatiosior sit. Siquidem illic multa prædia agrorum, & pratorum sunt: montes autem adeo præcipites, accliues, & penduli, vt cōscendi nequeant. Ibi Alpes in modum faucium vtrinque concurrunt, relicto angusto spatio, per quod Rhodanus euoluitur: & pons lapideus vna testudine vtramq; fluuii ripã complectens, transmittit ingressuros in Valesiam: nec potest quisquã ingredi regionem ipsam, nisi per hunc pontem, qui iungitur arci. & quando præfectus claudit portam pontis, est tota Valesia clausa: quum hyemis tempore nulli pateat introitus, quam per hunc pontem.

Sedunum.

Metropolis Valesiæ est Sedunum, cuius incolæ duas linguas habent. Germanicam scilicet & Gallicam. Habent totam vallem è loco sancti Mauricii vsque ad furcam montem pro vna ciuitate, quæ ad læuã, & ad dexteram, vicam urorum, altissimis montibus clauditur.

Sedunorum ager.

Est autem ager Sedunorum, per circuitum ciuitatis, fertilissimus, & abundans vino, frumento, croco, caseo, pomis, pecore, piscibus, aliisque vitæ necessariis. In præcipitiis vero montium, venatio copiosa ibicum, capricorniorum, murium Alpinorum, nobilissimarum auium, puta Phasianorū, gallorum syluestrium, parnisarum, perdicum, vulturum, fulicarum. Annibal primus transcendit huiusmodi glacies, & canescentes vias.

Constantia vrbs. Cistantia situs.

Constantia vrbs Germaniæ, non quidē magna, sed tamen pulchra, & amœna, in eo sita est loco, vbi Rhenus rursus ex lapide Podamico emergens, in Alueum redit. Lacus omniū amœnissimus est, multaque castella, & vicos vndequaque per ripas habet, aqua ostida, fundo perspicuo: pisces fert varios, & multiplices, sed non admodum copiosos. Sex miliaribus Germanicis, in longitudine patet. latitudine vero tribus. Rhenus duos facit lacus. Venetum & Acronium, inter quos Constantia sita est.

Basilea.

Basilea ciuitas ampla clarissimaq; in loco regio extructa tempore Imperatoris Gratiani, & Valentiniani. qui simul imperio præfuerunt. Itinere vnius diei supra Basileam iuxta Rhenum è regione Vualdshut, incipit Iura mons altus, multisque ingentibus subnixus saxis.

Iura mōs. Colmaria.

Colmaria imperialis, & elegans ciuitas, optimo loco sita. Ista est vna ex vetustioribus ciuitatibus, quæ in tractu Rheni à parte Galliarum inueniuntur.

Selestadium. Argentina.

Selestadium ciuitas, muro cincta est sicut Colmaria. Argentina eminētissima est vrbs, abundat omnibus bonis, excellitque in opibus cunctas Rheni ciuitates: habet miram copiam vini & frumenti, vtpote quæ sita sit in optimo loco felicissima habet hortalicia. Habet præter Rhenum, & alios multos occurrentes amnes.

Vyssenbergum. Landoia.

Ciuitas Imperialis Vissenburgensis, haud procul a Rheno sita. Ciuitas Landoia sita versus mōtes, duobus miliarib. distat à Rheno, ferax est vini, frumēti, & pabuli iumētorum: munita est fortaliciis, muris, turribus, propugnaculis, cincta fossis profundis. Iuuatur fluuiolo, qui partim per ciuitatem, & vicos eius, partim iuxta eam labitur.

Spira. Vangiones. Vormacia.

Spira, cuius olim incolæ Nemetes sunt appellati. Vangiones olim populi, hodie sunt Vormacenses, estque ciuitas vetustissima, sita ad Rhenum in loco amœno, habet in orbem fundum nobilem, qui & generosum producit vinum, atque frumenti copiam. Sunt ei circumcirca plus minus ducenta oppida, fuitque Vormacia metropolis eorum magni nominis, tam apud Romanos, quam apud Francorum reges: atque successores eorum Germanorum Cæsares, qui & multa ibi celebrauerūt comitia, cōsilia, nuptias, aliosq; solennes habuerunt cōuentus.

De situ Germaniæ.

Paruit hæc ciuitas ante Iuliū Cæsarē, Treuerensibus, quib. tributū pendebant: deinde subditi fuerunt Romanis, vsq. ad Attilam regē Hunnorū, qui omnes vrbes Rheni in littore Gallico sitas, destruxit: & in solitudinē redegit. Erat ibi Archiepiscopatus, quemodo est Moguntiæ.

Treueris & Metis.

Treueri sunt, qui hodie cis Rhenū, Archiepiscopū Treuirensem agnoscunt, quorū fines Rhenū attingunt: nã extenduntur vsq; ad cōfluentes. Treuirorū ciuitas, autore Cæsare, longe plurimum totius Galliæ equitatu valebat: magnasq; habebat peditū copias. Quin & propter Germaniæ vicinitatē, quotidianis exercita fuit bellis. Treuiris clarū domiciliū principū, in quo Cōstantinus palatiū extruxit. Moguntia sita est in loco amœno, vbi Mœnus fluuius ex Franconia descendēs, Rheno miscetur: habet agrū satis fœcundū ab vtraq; Rheni ripa.

Moguntia. Sedes Archiepiscopales.

Iulianus Cæsar fecit Moguntię pontem vltra Rhenū, in loco, vbi hodie sanctus Albanus quiescit. Inter sedes Archiepiscopales, apud Germanos, prima est Mogūtiæ, secūda Coloniæ, tertia Treueris, quarta Magdeburgi, quinta Salisburgi, sexta Bremę, & septima Rigæ in Liuonia. Moguntina sedes habet sub se Curiensem, Constantiensem, Argentinensem, Hildesheimensem, Bardebonensem, Halberstatensem, & Verdensem.

Ars Impressoria. Eysalia.

Apud Moguntinos inuenta est ars impressoria Eysalia terra multū montosa & aspera, verūtamen habet thermas ægrotis admodū salutares distantes sesquimiliario à Mosella amne. in eaq; cōficitur ferrū optimū, fabrisq. commodissimū: parantur quoq; fusiles fornaces, quæ in superiorē Germaniam delatæ, puta in Sueuiã, & Franconiam magni venduntur. Habet quoq; duos magnos lacus, qui valde profundi sunt, nec habent vllum riuū ingredientē.

Vlmensis Lacus. Situs Eysalia.

Vlmensem quoq; lacum aiunt nonnulli tantæ esse profunditatis; vt fundus illius nulla mēsura deprehēdi posit. In medio Eysaliæ ager est syluestris & squalidus, vnde vix aliud quippiã, quã auena elici possit: versus Rhenū tamen, & Mosellam, terra est fœcundior: circa oppidum Maien, quod de Treuerensi est ditione, mineræ argenteæ inueniuntur. Victus regionis præcipuus cōsistit in pecore, melle, & cera.

Confluentia.

Ciuitas Confluentia: confluōt hoc loco duo celeberrimi fluuii, Rhenus & Mosella. Ciuitas est antiqua, sicut & reliquæ omnes confluentes. Studuerunt enim veteres in huiusmodi Confluentiis condere ciuitates, & arces. quod ea loca tutiora sint, & munitiora: multasque ab amnib. cōmoditates haberent. Id videre licet in situ Basileæ, Argentorati, Moguntiæ, Bingii, Vlmæ est frumenti ferax, & vini.

Colonia Agrippina.

Colonia Agrippina ab Agrippa dicta, in ripa Rheni sita. hæc fuit Vbiorum caput, in qua Romani perpetuas stationes habuerunt: gesseruntque multa bella contra Germanos, præsertim autem contra Sueuos, qui eo tempore pro maiori parte habitabant in Saxonia iuxta Albim. Habet Archiepiscopatus Coloniensis sub se Episcopatum Monasteriensem, Traiectensem, Leodiensem, seu Tungrēsem, Mindensem, & Osnabrugensem.

De Sueuia, & eius præcipuis ciuitatibus.

Sueuia.

Sueuia dicta est à Soeuis populis, qui ex ea Scythiæ parte, quæ hodie Liuonia, & Prussia, aliisque Saxoniæ interioribus locis digressi, consederunt in ea parte, quę prius Alemania fuit nominata, duobus clarissimis fluminibus, Rheno & Danubio irrigata.

Sueuia fertilitas.

Terra est partim plana, partim montosa: ager regionis fertilis, cuius nulla pars inculta iacet, præter si quid, aut lacus, aut montes, aut syluæ occupant. Nemora in ea multa. frumentorum abundantia. pecorum magna vis: cōualles plurimæ perennibus riuis clarissimæ vndique amnes procurrunt, qui se vniuersi in Rhenum, & Danubium exonerant.

Sueuiæ situs.

Tota insuper regio salubritate gaudens, celebratissimis vrbibus, vicis, & castellis referta, arces excelsæ, natura & arte munitæ. Circa montes ferrum, argentum, & metalla procreat gēs populosa, fortis, audax, & bellicosa, procera corpore, flauo crine, venusta facie & decora, ingenio singulari prædita: præstantissima Germanorum à Plutarcho dicta. Præcedit antiquitate Bauaros, Saxones, & Francones.

Sueuia antiquitas. Danubius. Ister. Rhetia. Sueuia superior. Rhenus.

In hac regione oritur Danubius, seu Ister, celeberrimum Europæ totius flumen: diuiditq; Sueuiam in duas partes superior & quæ meridiem respicit, vocata fuit olim Rhetia, & Vindelicia: Rhetia inferior, & superior cōplectitur lacū Podamicū, Agloiã, Curiēses mōtes, vbi in summis Alpib', Rhenus originem sumit: voluitur per saxa, & montiū angustias, quousq; ingrediatur amœnissimū lacum Constantiensem. Fons Danubii, vt dixi, est haud procul à Furstenberg: in villa Don, vnde Danubius. Gleba vtriusq, ripæ est salebrosa, & horrida, quæ nullum acetosum profert vinū

vsque

De situ Germaniæ.

vsque ad Austriam, vbi iuxta decursum Danubii optimum crescit vinũ. Alia vero copiose crescunt iuxta hunc fluuiũ, vbi Sueuia terminatur ad Nigram syluã, terra est amara. Ministerio Danubii deducuntur ex Nigra sylua rates procerarũ arborũ, quæ ad construendas domos sunt necessariæ. Norlinga antiqua ciuitas, in medio fere Rhetiæ inferioris sita. Est huius regionis terra pinguis: diues pecorum & frugum plaustris tamen & vitibus carens. Abundat iumentis, pratis, pomis, anseribus & suibus. Iulius Cæsar *in 4. commentariorum libro scribit*, Sueuos gentẽ bellicosissimam, centũ pagos habere, ex quib. quotannis singula millia armatorũ bellandi causa è finibus educuntur: reliquos vero domesticã rẽ peragere: quos anno post in armis esse oportet: illos vero domi remanere. Sueui non solum frumento, sed lacte & pecore viuunt, multumque sunt in venatione: quæ res vires alit, & immani corpore homines efficit. Habuerunt Sueui reges suos temporibus Iulij Cæsaris, Augusti, Tiberij, Constantini.

Norlinga.
Sueuorum mores.
Sueuorum reges.

De Nigra sylua.

Nigra sylua.

Nigra sylua est caput Hercynæ syluæ: est autem Nigra sylua pinifera, & obscura, proceris frequens arboribus, habens altissimos montes. Habitatur vndiq; exceptis quibusdã vastissimis iugis montium: fructiferas arbores & domesticas, nisi in conuallibus ægre producit: sed pascua habet vberrima, multaq; pecora: vnde rusticos habet diuites. In vallibus fontes, & riui vberes circumiacentia loca irrigantes pisccsq. ferunt eximios. Ex ista sylua proceræ arbores, ceu rates colligũtur, & amnibus imponũtur & in Danubiũ, aut Rhenũ auehuntur. Sũt in hac sylua fontes, aquæ calidæ: hinc surgunt duo balnea famosa. Non desunt huic syluæ venæ argenti, & fontes salis: nonnulla habet oppida, vicos plurimos, & per gyrum sunt vrbes, arces, vici, & pagi decorantes. Incolæ cum magno labore exigũt à gleba frumentũ, eo quod terra sit valde saxosa, vt nonnunquã nouẽ iuga boũ, vix trahant aratrum vnum. Et quod mirũ videtur, cũ aliæ gentes ex agris saxa, & lapides eiiciant, veluti impedimenta frugum, hi vbertatis causa conseruant. Auena huius terræ optima est. Bona pars huius syluæ nostro æuo in habitationem humanã redacta est. Habent cultores optimas oues, venationes, pisces, aues, & varios arboreos fructus. Habent autẽ varios dominos; nam quidã subduntur principib. Austriæ: quidã vero Marchionibus Bandensibus: alii autẽ alios dominos habent. Inueniuntur in hac sylua habitatores, qui solis pecoribus viuũt, & collectione resinæ distillãtis. Regio VVirtenbergensis fuit olim magnus comitatus, fueruntin ea multa bella & seditiones. Est in ea Tubinga ciuitas, Stutguardia, Thermæ syluestres, Notenburgum iuxta Neccarũ. Vlma ciuitas Sueuię ad vnam Danubii ripã sita, vbi Hylerus & Blanus amnes Danubio miscentur: redditurq; Danubius inde nauigabilis. Habet hæc ciuitas agrum frumẽti feracissimũ, at vinũ ægre producit. Augusta, Rhetiæ primæ quæ Sueuia dicitur, ciuitas, Romani imperii diuitiis & opibus clarissima, in aprico loco sita, aerem habet saluberrimũ, agrũ fertilem, frumentosum, & planum. Sunt ei lata pascua, campi amœnissimi, viuiq; laticis fontes limpidissimi: prædia quoque & viuaria habet non ingrata, ædificia sumptuosissima, plateas amplas pariter & mũdissimas, nec non mœniis fortissimis, aggeribus, propugnaculis, & fossis inexpugnabilib. cingitur. Ciuitas Heidelbergensis, iuxta Neccarum sita, palatinatus metropolis, in qua nihil, quoad humanũ victum necessariũ est, desideratur: extra montes in planicie miram habet terra frumenti vbertatem. In montib. decoquitur generosum vinum, & simul in eisdem crescunt castaneæ: in pede montium pulcherrimi plantantur horti: & in planis agris copiosa prouenit seges tritici, siliginis, hordei &c. syluæ & montes referti sunt feris, potissimum ceruis, quin & incolæ plurimos in syluis nutriunt hircos, hœdos, capras, eo quod hæc animalia, potius syluestribus delectantur saltib. quam pratis. Præterea in Neccaro amne, qui mediũ alluit palatinatũ, innumeri per singulos annos capiũtur pisces magni & parui. Descẽdunt quoq; per hunc fluuiũ cõtinuæ lignorum rates ex Othonica sylua, quæ ex Neccaro in Rhenum deferuntur, atq; omnib. ciuitatib. Rheni a Spira vsq. Bingium ad portas vsq. deducũtur. Est autẽ Othonica sylua regio syluestris & montosa: cultura quoque difficilis, licet in quibusdã locis amœnas & fertiles habeat valles, in quib. satis frumenti colligi potest. Incolæ pro magna parte viuũt ex pecoribus, ac deinde ex quæstu lignorũ. Prouenit etiã in quibusdã feliciorib. locis eius vinum. Habet oppida multa, sed plures villas & vicos. Hæc dicitur esse pars Hercyniæ syluę, etiam si nullas,

Balnea.
Venæ argenti & fontis salis.
VVirtenbergensiũ.
Vlma.
Augustana ciuitas.
Ciuitas Heidelbergensis. Palatinatus.
Fertilitas Palatinatus.
Othonica sylua.
Situs Othonicæ syluæ.

aut paucas habeat piceas arbores, sed magis quercus, & fagos. Latitudo eius extenditur à Neccaro vsq; ad Mœnum: & longitudo à montana via, vsque ad Taberum fluuium, id est, vsque ad Franconiam.

De Bauaria.

Bauaria Germaniæ prouincia, à Bauarib. Hunnorum reliquiis, qui Noricis expulsis in ea terra cõsederunt. Noricum olim fuit, Austriam, Stiriam, Charintiam in se comprehendens, quod iidem fere homines eisdem moribus & lingua vtantur. Regio est nemorosa multum, & montosa: vnde sues glãdibus, syluestribusque pomis tantam copiam nutrit: vt veluti Vngaria boues, ita hæc sues cæteris regionib. large suppeditet. Extenditur hæc regio versus meridiem vsq. ad Alpes, & Athesim fluuium. Incoluerunt, inquit Strabo, Rheti & Norici summa Alpium cacumina, quæ in Italiam inclinantur: appellatique sunt Rheti Vennones, & Lepontii, qui & Grysones, vt paulo ante annotaui. Regio Bauariæ nostro æuo est cultissima, magnas & ambitiosas ciuitates habens, & oppida nobilissima: magna in ea copia frumenti, vinũ autem agreste. Ratisbona insignis & vetusta ciuitas Bauariæ, ad ripas Danubii sita, iacet in cõmodissimo loco, vbi quatuor cõcurrũt flumina: habet pontẽ lapideũ, opus insigne, arcuũ 24. qui ciuitatẽ cũ suburbio iũgit. Sũt & aliæ Bauarię vrbes, Patauia, Eystet, Lãdishuta, Ingolstadiũ, Monachus, quæ ciuitas est Ducalis, sedes serenissimi Gulhelmi Ducis clarissimi Bauariæ, viri apprime omnib. titulis, & laudibus cumulati: nam etsi regio illa inclyta Illustrissimos habuerit duces, clarissimos Reges, inuictissimosq; Imperatores, nulli tamẽ eorũ postponẽdus, imo præponẽdus est serenissimus Gulhelmus dux Christianissimus & prudentissimus. Nam diuino quodã oraculo hunc inuictissimũ principem Deus prouidit Ecclesię suę Catholicæ, deditque in murum ęneũ, & columnam ferream, ad conterendos scelestos, domandosque rerum nouatores, inuentoresque malorum. Plurimum sane commendanda venit huius serenissimi Principis fides, qui inter tot religionis Christianæ scissuras, velut scopulus in medio frementium vndarum, integer, scelerisque purus, immobilisque permãsit. Non enim multum est inter bonos, bene viuere; sed inter schismata recte sentire, recteq; viuere, Hoc opus, hic labor est: quia facilis descensus Auerni. Salue igitur Christianissime Princeps, Catholicorũ Ducum haud decus singulare, fidei Catholicæ defẽsor, Ecclesiæ nostræ columna immobilis, iustitiæ Christianæ splẽdor, peruersorum hominum flagellum, sectariorum frenum, Catholicorum præsidium, male viuentium pœna, doctorum, ac studiosorum, qui de fide Catholica benemeriti sunt, & bene merentur amplissimus fautor, & nobilissimus Mecœnas pauperum consolator, & subleuator, terror superborum, modestiæ norma, pudicitiæ titulus, bonorum morum disciplina: deniq; vt semel dicã, totius vitæ Christianæ exemplar singulare. Altera pars Bauarię, quę vltra Danubium Buhemicam excurrit syluam, Norynbergam habet metropolim, quæ habet castrum in edito colle, quod olim castrum Noricum fuit appellatum, & Emporiũ celeberrimum. Interluit vrbem amnis Pegnicius cum multis pontibus lapideis, duas vrbis partes coniungentib. Est autem in agro sterili & arenoso condita, ideoque industrioso opus habet populo, habet enim homines ingeniosissimos: subtilium operum magistros. negociatoresq; prudentissimos. Frãconia, siue Francia orientalis Germaniæ pars, & fere Meditullium, Sueuiam & Bauariam à meridie habet: ab ortu Bohemi accolunt: Hassi, & Thuringi à septentrione. Regio latis ac densissimis syluis, asperisque montib. clausa, difficulter adiri potest. Intus plana est innumeris oppidis, castris, & pagis exculta. Sylua quæ Hyrcinia dicitur editissimis iugis per circuitum, veluti natiuo muro ambit. Moganus, siue Mænus nauigabile flumen, Sala, & Tuberus, Neccarusque perlabuntur. Valles in quib. decurrunt amplæ sunt pariter, & profundæ, earumque vtraque latera vitib. consita, vinum producunt: quod ob sui præstantiam ad remotissimas gentes transportatur. Terra fertilis omnis est, hordeum, triticum, & omne frumentum, legumenque satum, multo cum fœnore reddit. Francones primum habitauerunt iuxta Rhenum, in regionibus, quæ hodie Geldria, & Hollandia appellãtur, citra vtraque Rhenum. Inter autem multos Duces, quos habuerunt, vnus dicitur appellatus Francus, à quo ipsi deinceps dicti sunt Frãci. Insidiantes autem Galliæ, ab eis nouissime denominata est Francia. Profert hæc regio omnis generis frumentum, variasque terræ radices vsui humano aptas. Est piscatio in ea non parua propter fluuiorum copiam, maior tamen venatio:

De situ Germaniæ.
Bauaria.
Noricum.
Bauariæ fertilitas.
Athesis fluuius.
Rheti.
Ratisbona.
Ratisbona vrbes.
Monachus.
Laus Gulhelmi duci Bauariæ.
Norynbergam.
Franconia.
Amnes.
Franconia vinum.
Francones vnde.
Francia.
Fertilitas Franconiæ.

De Austria.

natio: feræ in nemoribus à principibus fouentur. Incolæ regionis laboris sunt patientissimi: & in vineis colendis, tum viri, tũ etiam mulieres exercentur. Vinũ autem quod inde percipiunt, propter egestatem, vendunt: ipsi aquã bibunt: cerui siã contemnunt, nec facile ad se ferri permittũt. Francouib. nostro æuo dominantur Burggrauius Norynbergensis, Comes Palatinus Rheni, duo seculares: Ecclesiastici vero, Babenbergensis, Herbipolensis, & Moguntinensis. Ciuitas VVirceburgensis Francorum orientalium caput, & metropolis, in plano sita est. extra vndique circumiacentibus monticulis, & collibus vitiferis. amœnis hortis & pratis intermixtis ornata. fossis præterea, vallis, mœnibus, turribus, & propugnaculis bene munita. Intus autem populosa, & splendida. & amplissimis ædibus extructa, subterraneis fluuiis aeris clementiam conseruantib. Habet etiam plures puteos, viuis & dulcibus laticibus perpetuo scaturientes, ad quosuis vsus satis vtiles. Ad occasum Mœnus amnis proxime vrbem præterlabitur ad quæuis vitæ necessaria aduehenda, non modo incolis, sed externis etiam accommodatissimus. Vtramque ripam ingens iungit pons lapideus, fortibus nitens pilis. Suinfurdensis ciuitas sita est in ripa Mœni fluuii in loco fertilissimo, vbi vineæ plantantur: agri seruntur: fœnũ, & ligna vberrime proueniunt. Habet insigne forum frumentarium: vicinis oppidis, & vicis, sua ibidem distrahentibus, commodissimum. Hinc enim per fluuium frumentum ab emptorib. in alia loca, quo volunt, facile abducitur. Rotenburgum ad Tuberum fluuiũ, ciuitas Imperialis. valde elegans, & amœnus locus, cuius situs est in edito colle, habens ad occidentem profundam vallem, per quam descendit Tuberus fluuius. Est etiã fundus adiacentis agri satis fertilis, producitque copiam frumenti, vini, atque lignorum. Francofordia ciuitas in Francia orientali, aut potius in extremitate eius, ad Mœnũ fluuium sita. Aucta est hæc ciuitas supra modum in diuitiis, & splendore ob commune totius Germaniæ emporium. quo vndique ex multis orbis partibus bis in anno conueniunt mercatores: & omnis generis merces illuc deferunt: nempe in medio quadragesimæ ante Pascha, & in medio mensis Septẽbris. Diuiditur hæc ciuitas ab ipso Mœno fluuio in duas amœnas ciuitates: ac rursum lapideo, & elegãti põte sibi ipsi cohæret, vnoquoque Senatu, & Magistrat regitur.

Principes Franconiæ. VVirceburgum. Mœnus amnis. Suinfurdẽsis ciuitas. Rotenburgum. Francofordia. Francofordiæ emporium.

De Austria.

Austria. Pannonia superior. Austriæ fertilitas.

AVstria olim Pannonia superior dicta, habet ab oriente Vngariam: ab occidente Bauariã ad austrum montes Stiriæ. Latitudo eius trium, aut paulo minor dierum: longitudo vero duplo maior. Morauiam habet ab aquilone; nam eo vsq; hodie protenditur. Terra nobilis, aquis irrigua, vitib. consita, lignorum copiosa, agro fertili. piscib. abundans, vino exuberat; ita, vt circumiacentib. regionib. abunde potum suppeditet. Danubius eã mediã secat, alluiturq; multis aliis amnibus, quæ terrã fertilem reddunt. Postquam vero administratio Imperii ad principes peruenit, regio cultu ornata est: præsertim ab eo tempore, quo Rudolphus Habspurgẽsis rerum potiri cœpit. Tunc enim Austria legitimis hæredibus destituta, tradita fuit à Cæsare filio suo Alberto, qui & patri in imperio successit. Albertus autem filius Rudolphi dux Austriæ, post occisum Adolphum, iterum à principibus eligitur in regem Rom. atque Aquisgrani coronatur anno 1298. Ducatum Austriæ filio suo Rudolpho administrandum commisit: inde alii sequuti sunt duces, & Imperatores, Henricus, Fridericus, Ludouicus, Carolus Rex Bohemiæ, Guntherus, Venceslaus filius Caroli quarti, Sigismundus filius Caroli quarti, qui feliciter pugnauit contra Turcas iuxta Nicopolim vrbem, Albertus quintus huius nominis, Fridericus eius nominis tertius. Maximilianus filius Friderici tertii, & Leonoræ reginæ Portugaliensis. Cũ vero decimumoctauum ætatis annum attigisset, mittitur ex Vienna Austriæ in Flandriam, vt nuptias celebret cum sponsa, Caroli Burgundiæ filia: ex qua quidem tres filios genuit, Philippum, Franciscum, & Georgium filiam vero vnam Margarithã. Mortuo autem Maximiliano in Ianuario an. 1518. profluuio ventris; mox post eius mortem, excitatus est tumultus in Austria, durauitque biennio: quousq; Carolus nepos Maximiliani fuerit electus Rex Romanorum. Is fratri suo Ferdinando tradidit Austriam, Stiriam, Carinthiam, & Carniolam. Carolus huius nominis quintus, rex Hispaniæ, & Siciliæ, Archidux Austriæ, electus est ad imperium Romanum regendum, ann. 1519. die 28. Iulii. Anno 1526. in Ianuario celebrauit Hispali nuptias cum Isabella sorore regis Portugalliæ, ex qua genuit Philippũ, qui nostro æuo est Rex Catholicus, dominaturque non solum omnib. Hispaniæ regnis; verumetiam Indiis nouiter inuẽtis: vtinã in multos annos Dominus nobis illum cõseruet. Præterea genuit matrem moderni nostri Imperatoris, cuius memoria cum sanctorum benedictione haberi potest. Porro, Ferdinandus Archidux Austriæ coronatus est vna cum coniuge sua an. 1527. 24. die Februarii in Regem Bohemiæ: idque Pregæ metropoli regni. Eodem anno bellũ fuit inter Carolum & Clementem Papam. Anno 1530. venit Solymannus imperator Turcarum in Vngariam eũ maxima populi multitudine, subegitque eam pro maiori parte. Eodem anno coronatus est Carolus quintus à Pontifice Clemente in ciuitate Bononiensi: sequenti vero anno, Ferdinandus electus est in regem Rom. mense Ianuario. Eodem anno Leonore soror Caroli & Ferdinandi, mense Martio desponsata est Francisco Regi Gallorum. Anno 1535. expugnauit Carolus quintus in Barbaria ciuitatem Tunissam, atq; totum regnũ. Anno autem 1541. conatus est expugnare in Mauritania ciuitatem Argeriam. quod tamen assequi nõ potuit, aeris intemperie atq; maris tempestate prępeditus. Anno 1545. siue 46. bellum egit contra Ducem Saxoniæ, & Landgrauium, fidei Catholicæ cõseruandæ gratia. Iste fuit ille inuictissimus Imperator, Catholicæ fidei acerrimus defensor, honestatis custos, iustitiæ atque prudentiæ præclarum exemplar: cuius virtutes, & vires bellicas, cum felici & prospero euentu, nõ solum Barbari Africæ, Germani, Galli, Itali, Turcæ experti sunt; sed & ipsi quoq; Antipodes, quos victoria sua aperuit. Iste fuit ille prudẽtissim' atq; fortissimus Imperator, cuius faciẽ Solymanus Imperator Turcarũ, qui cũ ingẽti exercitu venerat, Viennã Austriæ expugnaturus, sustinere nõ valuit. Ferdinãdus Imperator, non minori prudentia, & arte bellica instructus quam Carolus quintus eius frater, multa præclare gessit felicib. armis ad propagandum Romanum Imperium, fidemq; Catholicam conseruandam. Ex Ferdinãdo natus est Maximilianus, qui patri succedens in imperium. strenue contra Turcas dimicauit. Eius filius Rudolphus, nostro æuo tenet fasces Imperii, Imperator insignis pietate, & religione: armis quoque non inferior: qui ad modum boni parentis Imperium Romanum administrat. Quem Deus optimus maximus ad multos annos felicem & incolumem conseruet, ad bonum totius reipublicæ Christianæ, Amen.

Austria regia. Genealogia Imperatorum Austriæ. Carolus V. Rex Philippus. De situ Germaniæ. Imperator noster. Ferdinandus Imperator. Solymannus. Carolus coronatur à Papa Clemente. Caroli V. laudes. Ferdinandus Imperator. Maximilianus Imperator. Rudolphus Imperator.

De oppidis, & castris, villis Austriæ.

EX vtraq; ripa Danubii adiacent multa oppida, castra, atq; villæ: infra Viennã vero plurima inueniuntur oppida, vsq; ad Presburgiũ ciuitatẽ, quæ coronæ Vngariæ subiicitur. Crescit autẽ ibi optimũ vinum. Viẽna, olim Flauiana, siue Iuliobona dicta, Austriæ nutissima ciuitas, Archiducatus metropolis, ante Christũ natũ adhuc culta ciuitas, & à Sarmaticis populis inhabitata. Residentia illustrissimorũ Principũ, & Archiducũ Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Croatiæ &c. studio litterarum admodũ nobilitata: eam vineta coronant, ędes ciuiũ magnificę. freqnens alienarũ nationũ ad hãc conuentus. quę pręterea tuẽdę hominis vitę sunt necessaria, magna copia: nobile mercatorum emporium. Duodecim in ea magistratus quotidie iura dãt, & leges dicũt: quatuor Ecclesiastici, quatuor vrbani, & quatuor extra vrbẽ. Stiria, olim Valeria dicta, eius latus septentrionale Austriã respicit: prouincia est montana, quamuis in orientẽ excurrens, nõ paruas habet planicies: ab ortu Pannonię inferiori occurrit: ab occasu Carinthię, & montib. Athesinis: à meridie Sauũ fluuiũ habet: nã Ciliæ comitatus, id temporis, Stiriæ adnumeratur. Hæc regio fodinis ferrariis fere omnib. totius Europæ regionib. præstat ferrum enim molle, & ad quiduis sequax, plumboq; vicinius, ad exteras mittit. Nullius pręterea rei, quę vsui esse homini potest, indiga: vini, frumẽti, pecoris, salis abundans. Drauus & Mura fluuii terrã irrigãt: Mura in Drauũ exoneratur, ille autẽ in Danubiũ. Vrbes præcipuę, Iudenburgum, in cuius montibus, qui prope sunt, nascitur spica Celtica, Ianaria herba, Chintelfelda, Leubna opulentior, vbi Murtius amnis Murę infunditur. In valle Halę sal candidissimus coquitur. Est insuper Græcium gẽtis caput, Marpurgum, Pettouia, Cilia ad Sauũ fluuiũ, Stirii agrestes populi. Carinthia mõtana regio, ab ortu & septẽtrione Stiriæ iungitur: ab occasu & meridie, Alpes & forũ Iulii cõtingit: cuius pars etiã Carniola est. In hoc tractu flumina oriũtur, Drauus ex Noricis violentior: Sauus ex Alpib. Carnicis placidior. Vrbes Carinthiæ Sanctouitus, Villacũ, VVolffsperga ad Lauatũ fluuiũ sita, Cladefurtiũ. Huius vrbis ciues furib. nõ parcunt: qui furti fuerit accusatus, vel leuẽ suspicionẽ habuerit, inauditus suspẽditur, nec purgandi sui tẽpus datur. Post eius diei, quo suppliciũ sumptu est, die ter-

Vienna. Viennæ situs, & nobilitas. Stiria. Stiria fodina. Stiriæ fertilitas. Vrbes. Carinthia. Flumina. Vrbes. Furum pœna.

De Istria. tio de mortuo indicatur quem si insontem fuisse cognouerint, splẽdi de sepeliunt: si iure necissum cõpererint, pendere sinunt. *Comitatus Tyrolensis.* Comitatus Tyrolensis vulgo Inspruck, est dites in argenti fodinis, quæ apud oppidũ Schuuaz inuẽtæ sunt; vt suis diuitiis superet potẽtes ducatus. Sunt autẽ metalla huius loci nobiliora aliorũ locorũ metallis, præsertim æs. Est regio montosa, sed amœnas & fertiles valles habet, in quibus multa sunt oppida, & castra. Inspruck nobilis sedes *Ferdinandus Archidux.* Archiducis Ferdinandi, viri vndequaq; serenissimi, atque Catholici. *Carnia. Sclaui.* Carnia, Carni Sclaui sunt, qui diuidũtur in duplicẽ Carnionalã siccã scilicet, quæ aquarum indiga est: & alterã irriguã, in qua Sauus fluuius ortũ habet. *Istria.* Istriã, si ab intimo eo sinu, vbi Tergestũ situ est, metiri incipias, vsque ad oppidũ sancti Viti 100 mil. pas. habet. latitudo eius 40. mil. pas. *Fertilitas Istriæ.* Tota hæc regio minime plana est, non habet tamẽ arduos montes, neq; infœcũdos, sed colles potius, qui sunt vitibus, & oleis, & aliis fructib. consiti: frumento quoque, pascuis, & pecoribus abundant. *Liburnia.* Liburnia est pars Istriæ, à Pannoniis seiungitur ex parte ortus, & aquilonis montiũ iugo. ex parte vero occidentis & austri, mari Adriatico terminatur. Etenim à Dalmatia decurrens regio, hinc mari, illinc montib. clauditur. Veteres coloni Illyrii & Liburni, non obscuri, sed celebres extiterunt hodie frequentissima gens Sclauinorum. *Istriæ ciuitates.* Vrbes, & oppida Istriæ quæ mari adiacẽt, sunt. Mulga, Iustinopolis, Insula, Piranum, Rubinum, Sanctus Vitus, & alia multa. Omnium autẽ celeberrima est *Iustinopolis.* Iustinopolis, caput Istriæ: ea est in scopulo posita, longe à continenti, cui longo ponte iungitur. Abundat ea ciuitas vino, oleo, & sale, non ita tamen frumento: vinũ habet admodũ generosum, aerẽ saluberrimũ. habet ingenia præclara ad litterarũ studia, & ad res magnas bene gerendas. Illyria ab Illyrio Polyphemi, & Galatheæ filio nomen habet, *Istriæ situs.* atq; sub extremis Alpiũ radicib longissima per totũ Adriatici maris littus effunditur: à solis ortu Mysia superiore terminatur. ab occasu Istri eã excipiunt: Alpes, & vtraq; Pannonia à septentrione: Adriaticũ mare à me[...]die. Illyrii ad occidentẽ æstiuum, *Croatia.* Croatia, olim Liburnia adhæret, inter Cuspã, & Sauum flumina, & Mœsiã superiorẽ sita. *Istriorum gens vnde.* Illyrico nomine censentur Dalmatæ, Liburni, Istri, & Carni. Hæc natio, vt fama est, à Colchis originem duxit, qui ab Æta rege ad persequendos argonautas raptores filiæ suæ, missi, primũ Istrũ, deinde Sauũ fluuiũ ingressi, vsq; ad Adriatici maris littus penetrauere: quos cũ non inuenirent, siue metu regis, siue tædio longi itineris, ibi cõsedere: Istriq; ex vocabulo amnis quẽ nauigarunt, sunt appellati. Vrbes in hoc tractu Scardona, Pola, Iustinopolis, Aquileia, Tergestum, *Aquileia.* Concordia, Foroiuliensium, & aliæ plurimæ. Flumina, *Timauus. Flumina.* Titius, Timauus, inter Concordiam, & Tergestum, Natisoqui attingit Aquileiam, Arsia. *Dalmatia.* Dalmatia à Lissa oppido sumit initium, & procurrit ad Scordonã vrbem vsq;. A septentrione Liburniam, & Mœsiæ superioris partem habet: à meridie sinũ Adriaticũ. Vrbes Dalmatiæ, Epidaurus, siue Ragusiũ, Scutaris, Scordona, Salona, Dama, Stridõ patria *Stridon patria S. Hieronymi.* sancti Hieronymi. Flumina, Dryllo, Drinus, Nar, mons Adrius, qui ita Illyriam, & Dalmatiam secat, sicut Apénninus Italiam.

De Hassia, siue Landgrauia.

Hassia. TEutoniæ inferiori regio illa adscribitur, quæ à Mœno versus septentrionẽ extenditur hęc enim Hassoniã, Thuringiã, Misiã cõplectitur. *Hassia situs.* Hassia autẽ habet Rhenũ sibi occiduũ: Thuringos ob ortu: Vuestphalos & mõtana quędã à septentrione: Franconiam vero à meridie. Producit regio colonis suis victum necessarium, nutrit pecora, ferax est frumẽti, nõ autẽ vini, nisi vbi *Hassiæ vrbes.* Rhenũ cõtingit, & iuxta ripã Loni fluuij. Vrbes sunt, Marpurga, Alsfelda, Cassula Lãdgrauij, scilicet ipsius sedes, Mõaregius, Butzbachiũ. *Flumina.* Flumina, Visurgis, Luppia, & quædam alia, Fidda, Lona, qui prope Lõsteyniũ in Rhenũ egreditur. *Chatti Thuringi.* Ab Hassia haud procul abest potẽtatus ille, qui Chatti vocantur. Populi Thuringi, alio nomine Sorabi, adeo cumulauerunt eorũ vires, vt propriũ constituerent regẽ, vsq; n. ad Mœnũ flumen in Franconiã, eorũ imperiũ propagatum est. sed an. 534. abolitũ est eorũ regnũ à regib. Francorũ, qui non modo Francĩã, siue Galliã in sua habuerunt potestate; verum & Thuringiã, & Franconiam. *Erfordia.* Erfordia metropolis Thuringorũ, magna, ac memorabilis vrbs, prouinciæ caput. *Misia.* Misia, seu Misna, caput Misnentiũ, vnde nomẽ regioni datũ est, & hãc Albis fluuius alluit: cuius Marchionatus terminatur ad regionẽ Thuringorũ. *Lipsia.* Lipsia ciuitas, in Misnia posita, mercib. augetur ter quotannis, ad quã quã plurimi mercatores cõfluunt: diuidit Sala fluuius Thuringos à Misenis, vtrorumq; regio omni ex parte dẽsis syluis, & crebris montibus munita: præterquã vbi altera alteri, & vtraque *De Hassia.* Saxoniæ iungitur. Thuringi habitant in opimis illis, & vberrimis cãpis, qui sylua Semana, & Meliboco mõte, ac Sala fluuio cinguntur. *Misenii.* Misenorum vero mõtes, metallorum, præcipue argenti, fertiles sunt. Colles ad Albim siti, vinum gignunt. planicies autẽ abundat frumento. *Montes habentes venas argenti.* Mõtes qui cingunt Bohemiã, vsq; ad Misniæ regionẽ, omniũ metallorũ, maxime vero argenti feraces. *Saxonia.* Saxonia à Saxonib. populis antiquũ nomẽ retinet: ab occasu Rheno terminatur: ad aquilonẽ Dacos, & mare Balteũ habet. Francones ad meri- *Saxoniæ situs.* diẽ: ad ortũ vero Prutenos. Siquidẽ per diœcesim Bremẽsem per VVestphaliã, vsq; ad Rhenũ pertingit: & à meridie ad Hassiã, & cõfinia Thuringiæ multæ nãq; terrę, & regiones redactæ sũt in linguã, & mores Saxonũ, nẽpe terra Brũsuicẽsis, Luneburgẽsis, Magdeburgensis, & Halberstadẽsis Gẽs Saxonica, sui generis atq; nobilitatis curã habẽs, ꝓpriũ, syncerumq; sanguinẽ seruauit: aliarũ gentiũ connubiis exclusis omnino. Proinde habitus, ac forma corporis, & magnitudo, comarũ color, idẽ pene in omnibus Ante Christũ natũ perpetua certamina cũ Danis gessit. *Saxonia fertilitas. Sal album.* Est ager Saxoniæ omnium, præterquã vini ferax: argenti atq; æris fossiones multas habet. Ad Goslariã, & plerisq; aliis locis, salẽ ex fõtium quorundã aquis albissimum coquunt, & vectigal ingẽs percipiunt. Hordeum & triticum serunt, quæ & esui, & *Metalla.* potui abunde suppeditant necessaria. Habet Saxonia varia & multa metalla, præsertim in mõte Meliboco, qui à Chattis extenditur ad Saxones. *Saxonia superior.* Nostro tẽpore duplex est Saxonia, superior & inferior. Superior habet Electurã: inferior vero est prope Luneburgum, & Lebenburgũ, iuxta Albim, cõplectiturque Holsatiã, Stormariã, & Dietbmarsiã. *Brunsuicum.* Brunsuicum totius Saxoniæ metropolis, & ciuitas permaxima, populosa, mœnia, vallis, turribusq; munita, magnificis domibus, amplissimis, & perpolitis plateis instructa. Hanc vrbẽ perlabitur Onacra amnis, duasq; in partes ciuitatem diuidit. totaq; vrbs in plano posita est. *Luneburgum* Luneburgũ ciuitas est munitissima cincta vallis & fossis, habetq; figurã quadratam: abundat maxima copia salis. *Magdeburgum.* Magdeburgum Saxoniæ vrbs, sita ad Albim fluuium fuitq; olim Imperatorũ sedes. Carolus magnus, expugnata Saxonia, in ea prouincia decẽ Episcopatus erexit. Primus autẽ Episcopatus à Carolo in Saxonia institutus, fuit Magdeburgensis. *VVittenbergum.* VVittenbergum domicilium ducum Saxonię superioris, apud quos Electuræ dignitas est. VVestphalia vera, & vetus Saxonia est, Rhenum sibi habet occiduum: Visurgum à solis ortu: Phrisios à septentrione. mõtana Hassię à meridie. Sicambri, Cherusci, & Bructeri olim hęc loca habitarunt. Carolus Francorũ rex cognomẽto Magnus, VVestphalos bello victos. ad Christi fidẽ, relicta idolatria, cõpulit. *Vuestphalia.* VVestphalia & vini & fru- *Vrbes.* mẽti inops, potus est ceruisia: vrbes sunt Padaburna ad Amisium amnẽ: Oseburga, Prema ad Visurgum. vrbs Mindensis ad Visurgum pariter: Flumisius ex Adnoba monte, VVestphaliam, & Frisiã percurrẽs, in Oceanum effunditur. Luppia in ipsa VVestphalia nascẽs, inter Menapios, in Rhenum influit. Vesera in monte Maleboco natus, in oceanum euoluitur. *Frisia.* Frisia ab ortu Visurgum, & Saxones habet. Rhenum vero à cardine occiduo: Traiectum à septentrione à meridie autẽ VVestphaliã. Gẽs ferox, firmo corpore, terra paludinosa, pabula habet laudatissima: in pecuariis omnia fere eorum possessio, magna lignorũ inopia: & ob id bitominosum cespitẽ vrunt, & fimum bubulum. *Frisia situs.* Adulterii nulla est apud eos venia. *Vrbes.* Vrbes, Dauentria, Norda, Suollis, Emeden, Gruningum. Flumina, Rhenus, Vidrus. *Frisii mari opprimuntur.* Anno domini 1530. tanta maris inundatio est suborta, quanta nõ est audita à dieb. antiquis, quę inuoluit omnẽ terram maritimam, vt multa millia hominum perierint, & iumenta sine numero: veniens n. repẽtina calamitas pauperes & diuites effecit eiusdem sortis & conditionis. *Brandenburgum.* Brandenburgum ciuitas, vnde tota regio denominationem habet, Vuandalorum primaria ciuitas, inter eas n. regiones, quas Vuandali *Vuandali.* habitarunt, fuerunt Brandeburgenses, Pomerani, Pruteni, Bohemi, & Poloni: fuit constructa à Brandone principe Francorum. *Francofordia* Francofordia vero iuxta Oderam sita, à Francis populis. Est huius vrbis iucundissimus situs, ab ortu interlabitur Viadrus fluuius, hodie Odera dictus piscium copia abundãs: *Odera fluuius.* ab occasu vero meridie, & borea, cingitur vinetis innumeris: collectaq; vina, per Viadrum in Pomeraniam, Dansiam, Borusiam, & vicinas partes distrahuntur. Desunt huic ciuitati metalla, & aromata: habet autẽ satis fœni & lignorum. fuit condita an. 1253. *Magnopolensis ducatus.* Magnopolensis ducatus, vulgo Meckelburg: fuit olim vna ditio cum comitatu Suuerinensi, Rostockensi, & Stargadẽsi: Est regio abundans frumento, ligno, piscatione, venatione, & iumẽtis. Est præterea bene munita ciuitatibus, oppidis, arcibus, & villis.

De regione Pomerania.

De regione Pomerania.

Pomerani Teutoni. *Situs Pomeraniæ.* *Codanum.* *Mare Balthium.*

POmerani, qui antea dicti sunt Hermiones, & Teutoni atque Pruteni quorum regio Prussia, nostro tempore vocatur, vltra Oderam in ortum, & septentrionem habitant, quamuis Pruteni vtranque Istulæ ripam accolant. Hi ab ortu Istulam fluuium habent: ab occasu Saxones: ab aquilone sinum Codanum, seu mare Balthium, à Balthia insula dictum: à meridie vsque ad Silesiam sese extendunt. Ager hinus frugibus, pecuris abũdans, vitibus tamen malignior. Est sane grauis, & pestilens ora Pomeranorum, & Prutenorum, quæ per littus extenditur sed ea portio quæ à mari introrsus recessit, salubris. Ripa maris Pomerani est vallo solidissimo munita, vt nulla eius inundatio terræ nocere queat. *Pomerania fertilitas.* Pomerania est aquis irrigua, stagnis abundant, nauibus peruia, diues agris, pascuis, pomis, lignis, riuis, montibus, venatione, pecore, frumento, piscibus, butyro, melle, cera & huiusmodi generis rebus. Est quoque optime culta ciuitatibus, oppidis, arcibus, & villis: nec vllus in ea est locus vacuus, aut incultus, nisi quem, aut lacus, aut montes occupant. Cibum multis aliis terris per circuitum positis, abunde suppeditat. *Vandalica lingua.* *Vrbes.* Ante Christi natiuitatem, Vandalica lingua vtebatur moribusque suis viuebat, quousque Romano imperio se subdidit. Ab eo enim tempore vna cum religione. Saxonicam linguam didicit, qua & modo vtitur. Vrbes Pomeraniæ in littore maris, præter paucas mediterraneas, sunt, Stetinum, *Emporium Vandalorum.* Neugardia, Stargardia, Colberg, Caminum, Caslinum, Grispuualdum, Sundrum &c. Vuollinum oppidum olim clarissimum Vandalorum emporium celebre, atque magnum in Europa. *Rugia insula.* Rugia insula septem miliaria habet in longitudine, estque terra fertilissima, & promptum horreũ Sundensibus. *Prussia.* *Borussia.* Prussia, latine Borussia, olim Hulmigera, sicut adhue quædam portio, iuxta Vistulam appellatur Culmigecia. Regio est frumenti ferax, aquis irrigua, colonis plena, pecoris in ea ingens vis, multa venatio, atque piscatio. *Prussia situs.* Habet Prussia ab oriente Lithuaniam, à meridie Poloniam: ab aquilone Liuouiam: & ab occasu Pomeraniam. *Vrbes.* Habet hodie magnum commercium cum habitantibus veterem Vandalici tractus regionem. *Gedanum.* Habet maritimas vrbes, montem regium, sed omnium locupletissimam ciuitatem Gedanensem: in qua insigne est mercatorum emporium. *S. Adalbertus.* *Apostolus Prutenorum* Intus ad mediterranea in ripa Vistulæ fluminis influens, vnde omnis negotiatio in Gedanum confluit. *Passio S. Adalberti.* Anno 1000. S. Adalbertus Pragensis Episcopus, veniens ad Ossam fluuium, traiiciensque illum, ingressusque regionẽ, cœpit Prutenis nomen Christi cum religione Christiana proponere: sed à Sacerdotibus idolorum perfossus est septies iuxta mare, & caput abscissum, suspendentes truncũ corpus in arbore. Hospes vero eius collectat corporis partes, in vnum congregans, fecit sepeliri. Audiens autem Boleslaus dux Poloniæ, occisum patrem optimum, à quo perductus fuerat ad fidem, missis muneribus, sacrum martyris corpus ab impiis hominibus mercatum, transtulit in suam ciuitatem Gneznam, curauitque honorifice sepeliri. *Prutenorũ conuersio.* Cum autem omnes in circuitu gentes, Christo crederent, & gentilitatis error Prussiam occuparet, primus eam inuasit a mari rex Daniæ, atque ita metu regis religionem Christianam perceperũt. *Ordo Crusiferorum.* Verum rege cum exercitu in Pomeraniam abeunte, iterum Pruteni pristinum gentilitatis errorem complexi sunt, donec per fratres Teutonicos ad plenam religionis Christianæ notitiam perducerentur. *Dania situs.* *Cimbri.* Ordo autem Teutonicorum initium sumpsit Ierosolymis, anno Christi 1190. in hospitali beatæ Mariæ virginis. Daniæ regnum comprehendit latissimam terram, olim Cimbrica Chersonesus est appellata: habet ab ortu sinum Codanũ: *Danorum Bella.* ab occasu mare Germanicum: à septentrione, Schondiam: à meridie Saxoniam. Incolæ eius regionis, ante & post natum Christum multa bella præclare gesserunt contra Germanos, & alias nationes: præsertim anno 50. ante natum Christum: magnus hinc populus vna cum mulieribus & pueris, egressus, venerunt in VVestphaliam: atque hinc digressi, & traiecto Rheno, pluribus aucti populis, venerunt tandem per Alpes in Italiam; vt alias sibi quærerent sedes. *Romani contra Danos.* Quod Romani videntes, summis viribus obstiterunt, magnamque stragem fecerunt. Siquidem Cimbri siue Dani amissis 80. millibus virorum, separati à Germanis, & Gallis, quos apud se habebant, fere omnes iuxta Athesim sunt à Romanis deleti. Teutonicorum vero agmen, apud prouinciã Narbonensem se recipiens apud aquas Sextias percussi occubuerunt. Aliquot annis post Christũ natũ, iterũ *Normanni.* Dani, qui Norrmanni vocabantur, terminos suos exeuntes, Galliæ littora infestantes, omnia igne, cædib. atque rapinis complebant. *De regno Sueciæ.* Cæterum, tota Dania pene insularis est, maris faucib. intercepta. Prima est orientalis, cuius potissima orientaliũ est Scania, in qua est Lundensis Archiepiscopatus, *Scania, id est, amœna.* quæ magnitudine sua, & opib. facile superat reliquas regni prouincias. *Fertilitas* Hæc dotata est cæli beneficio, telluris obsequio, portuũ, & emporiorũ commoditate, maritimis opibus, lacuũ & fluminũ piscatione, venatione nobiliũ ferarũ, auri, argenti, æris. & plũbi inexhaustis venis, oppidorum frequentia, ciuilib. institutis. *Iutia.* Occidua pars Daniæ est Iutia, *Chersonesus. Cimbrica.* quam Ptolemæus appellat Chersonesum Cimbricam, quæ quasi lingua procurrit inter duo maria longe in Boream, quomodo Italia in Austrũ. Hæ itaque duæ regiones Scania & Iutia, extremitates sunt regni Daniæ, & præcipua inter bra, quib. interceptæ sunt multæ insulæ: quarũ locupletissima *Silandia.* est Silandia, quæ nunc Selãdia, in qua multæ sunt ciuitates, & arces, atque regia ipsa. *Roscilida.* Ibi Roscilida olim potens & munita ciuitas Ecclesiis decorata, & regũ monumentis: nunc autẽ tenuis effecta propter eius insolentiam. *Daniæ origo.* Porro, Dan, in sua Dania regnũ tenuit. vnde & ipsa regio nomen accepit. Tẽpore Snionis regis ingens annonæ caritas incidit. quapropter coacto consilio, sententia lata est, vt qui viribus aliis præstarent, alienas sedes quærerent. collecta ergo magna manus hominũ, primũ conuenit in Scaniã, indeque egressa, nauigatio Gotlandiã applicuit, vbi Longobardorũ accepere vocabulũ: *Longobardi.* vocant enim Itali Longobardos, quasi longos barbaros. *Bardi.* Latini siquidẽ Bardos, homines tenui sensu, pingui minerua. quib. de sapientia parũ est, appellare consueuerunt. Etenim, sicut Gotthi Romanas prouincias diu afflixerunt, *Normanni.* & Normanni in Galliarũ littoribus, sedes eum nomine firmarunt & in Italiã egressi, regnũ Neapolitanũ, imo vtriusq. Siciliæ fundarunt; sic Dani, quorũ pars Scanii sunt, propriũ sibi decus vendicãt. *Longobardia regnũ.* Nã Longobardiæ regnũ in Italia fecerunt, & aliquot seculis tennerũt. *Gotthia.* Gotthia habet agrũ frugib. & melle optimum: terminatur à septẽtrione finib. Sueciæ: ab occasu montib. Norduuegiæ: à meridie, & ortu [illegible] Gotthano. *Gotthiæ fertilitas.* Pecorũ fœtu, ac pastu omnib. aquilonarib. regionibus antefertur. Opportunitas fluminũ & syluarũ cibique magna. Peregrinis mercib. omnis regio plena: quod vbique domesticis reb. abundet ad commutationẽ faciendã, nempe pellibus, metallis, cupro, & similib. Gotthi & Suecia multis retro seculis, sub vnius principis *Suecia.* imperio egerunt: sed Sueciæ nomẽ apud domesticos, apud extraneos vero Gotthiæ præualuit: hæc enim gens diu Italos, Gallos, atque Hispanos afflixit. Insigniores vrbes Gotthiæ sunt, Lodhusia portus & emporium. VValdburg vrbs insignis cum arce, Halmstat, Hellsinburg, vrbs arce insignis, *Ciuitates Gotthiæ.* L... ...kron, Malmogia portus, & emporiũ, Calmaria vrbs magna. portus & emporiũ, habetque arcẽ similẽ arci Mediolanensi. Varnẽ, vbi est sepultura veterũ regũ, Lincopia ciuitas Episcopalis, *Halladia ducatus.* Halladia ducatus, in l. undis metropolis, sed quæ in Scandia est. Smalandia ducatus. Trischia ducatus, Verendia ducatus, Blecchingia ducatus, Visbi ciuitas Gotthiæ, vbi emporium fuit antiquum, & celeberrimum, postea Danorum, & Moschorum piraticis excursionibus, afflictum & desertum. *Pelles nobilium ferarum.* Est tamen hodie fertilitate agri & arce in[signis]. Ex hac & aliis terris veniunt pelles nobilium ferarum, quarum æstimatio exæquatur auro & gemmis.

De regno Sueciæ.

Suecia. SVecia, seu Sueonia, florentissimum aquilonis regnũ, ab occasu habet Gotthos: à Borea Vuermilanos cum Scricfinnis: ab oriente Finlandiam, & *Sueciæ situs & fertilitas.* Russiam: & ab Austro Balthicum mare: Est autem hæc regio aquilonarium fertilissima: ager frugũ, & mellis ferax, diues argenti, æris, plumbi, ferri, & pecoris, locuples immenso prouentu piscium ex fluminibus, lacubus, & mari, venationibus quoque feracium, duplo excellens regnum Nordvvegiæ in magnitudine, in populo, metallis, & aliis prouentibus. Est tamen in multis locis aspera & montosa. *Altera ciuitas Venetiarum.* Est in ea ciuitas instar Venetiarum tota in aquis fundata Stockholmia, regia, & emporium, quam mare ingreditur duobus ramis tam largis aquis; vt naues oneraciæ extensis velis cum suis oneribus inuehantur. Est hæc regio peregrinis mercibus plena, eo quod domesticis rebus abundet, pellibus scilicet pretiosis, ac metallis, ad commutationem faciendam. *Hospitalitas.* A Nordvvegis & Danis, altissimorum montium iugis discernitur: omni probro grauius habent, alicui aduenæ hospitium denegare. Midelphatia ducatus australior. Angermania, post quã Helsingia ducatus. Gestritia ducatus, Fecingia ducatus, Vspalia ciuitas metropolitana, Coperdalia ducatus, Oplãdia ducatus. Totus tractus Oplandiæ habet fossiones argenti, cupri, & chalybis. Nicopia

vrbs

De regno Sueciæ. *Norduuegia.* vrbs insignis, cum munitissima arce Kollmol nemus disterminat Succiam à Gotthia: Norduuegia fuit regnū aliquandiu admodum florens, tenuitque imperiū per Daniā late per insulas maris, quamdiu domesticum imperiū per hæreditariā successionem administratum fuit. Postea sub interregno, consensu procerum statutum est, vt Reges per electionem susciperentur. Sed hoc parum eis profuit, imo sub potestatem Danorum redacti sunt. Habet enim Dania in sua potestate omnes nauigationes Norduuegiæ: Hæc *Pisces frigore indurati.* mittit in reliquam Europam pisces frigore induratos, & in fustera extentos; captura illorum laudatissima in Ianuario, quando superest frigus, vt indurentur, nam in mensib. clementioribus marcescunt. In occidentali Norduuegiæ *Balena.* littore, verno tempore balenæ dominantur, adeo quod ad centum perueniunt cubitos. Hæ tum gregatim conueniūt ad prolificandum: Et tunc temporis maxime periclitantur naues, vel quod in earum corpora inciduntur, vel in foueas submerguntur aquarum, quas ipsæ relinquunt. Rugiunt horrende: spiracula duo habent in summa fronte, quæ tecta sunt folliculo. respirantes, efflant vndas in modum densi nimbi. Spina dorsi continet amplexu vlnas tres: interna *Nidrosia.* dta singula vnam. Nidrosia metropolis huius regni, quondam insignis, nunc in vici formam redacta. sunt in regno Norduuegiæ multæ insulæ, castra, oppida, ciuitates, Vuarthus, præsidium impositum Laponibus, Macur oppidum, Reon castrum, Congelle emporium, Bobus castrum munitissimum super boreale latus, Hāmaria ciuitas Episcopalis. Separatur Norduuegia à Suecia excelsis, & asperrimis *Finlandia.* montib. perpetua niue obductis. Finlandia, eadem etiam Finnonia, vnde sinui Finnonici nomen est, pulchrior, & amœnior Suecia. Habuit olim titulum regni. tanta est eius amplitudo, nūc vero titulum habet Dinastiæ. Excellit hæc terra Sueciam in frumenti feracitate, atque bonitate quia *Vrbes.* plana & pro bona parte non tam montosa, vt Suecia loca eius insigniora sunt, Gusta castrum, Abo ciuitas, Rasburgum, Viburgum, Carelia ducatus. Viburgum tenet extremitatem Finlandiæ, versus Russos & Moscouitas, estque *Phinnones cum Moscouitis.* totius regni præsidium. Habent Phinnones perpetuam pugnārum Moscouitis in sinu Phinnonico, æstare quidem naualem, & hyeme glacialem. Quā vero populosa fuerit ista, & aliæ circumiacentes regiones, grauissimi authores testātur, qui scribūt hinc instar apum populos emigrasse. Islan*[Islandia ...] non est* dia insula, quæ per immēsum à cæteris secreta longe sita est in oceano, vixque à nauigantibus agnoscitur. In ea æstiuo solstitio, sole signum cancri transeunte, nox nulla. brumali *Nullus dies.* solstitio perinde nullus dies. Nomen habet à glacie, quæ illi ad Boream perpetuo adhæret, nam ibi incipit mare conge*Mare congelatum.* latum. Tam grandis est insula, vt populos multos contineat solo pecorum pastu, & captura piscium victitantes. Speeus habitant plerunque, aut montium latebras colunt in excauatis mansiunculis cōmuni tecto, victu, & stratu gaudent cum iumentis. In simplicitate vitam agunt, nihil amplius quærentes, quam quod natura concessit: nam & mōtes habent pro oppidis, & fontes pro deliciis. Insula multa sui parte est montosa, & inculta. Quā autē ex parte est plana, præstat plurimū pabulo tam læto, vt pecus depellatur à pastuia, ne ab aruina suffocetur. Sunt in hac insula montes elati in cælum, quorum vertices perpetua niue cādent: radices vero sempiterno æstuant igne. Primus qui occidentē *Hecla mōs ignitus. Mons sulphureus.* versus est, vocatur Hecla, alter Crucis, tertius Helga, id est, sanctus. Ab Hecla non longe absunt fodinæ sulphuris: vnicū vectigal insulæ; mercatores enim naues eo onustas euehūt. Mōs ipse eū furit, horribilia tonitrua insonat: proiicit ingentia saxa: sulphur euomit: cineribus egestis terrā tam longe circumcirca operit, vt ad vigesimū lapidem coli non possit. Glacies maris discreta, & in plurimas fracta particulas, octo mensibus circumfluitat insulā: & magna mulibus littori illisa, sua attritione ad petras, magnum edit sonum: Vtuntur incolæ piscibus induratis in farinā contritis loco *Pisces indurati loco panis. Laponia.* panis, qui apud eos nō crescit. Lapones extremi sunt Schōdiæ in septētrione populi: à meridie excipiuntur Gothnia: ab ortu, oceano Hyperboreo: ab occasu intimo sinu iuxta *Laponum conditiones.* arcē Vuardus. Lapones dicuntur, qui rebus gerendis inepti sunt. Gens inciuilis, suspiciosa, & ad omne externi hominis vestigiū, nauigiique conspectum fugax: exigua est illis cor*Ars sagittandi.* poris statura; artem sagittādi vel à puero edocti; matres n. pueris cibum non præbent, nisi scopum à se propositum feriant: veste vtuntur stricta, & toti aptata corpori. Hyeme vtuntur pellib. vrsorum artificiose laboratis, casque astringunt supra caput, solique oculi patent, corpore reliquo toti contecti sunt. Atq; ita Lapones industria & arte muniti, *[...] industria.* hyemes & aquilones omnemque iniuriam à cælo solerter *Amaxobii.* perferre student. Amaxobii vocantur, hoc est, vitam in tabernaculis, & in curribus agētes. panes duratos in farinam *De Moscouia.* edomant, atq; inde panē cōficiunt. venationib. plurimum *Venatio.* student, quia est magna copia ferarū apud eos, estq; nefas si mulier exeat tabernaculū ianua, qua vir eo die est ad venationē profectus. agrū non colunt. Terra nō fert serpentem, sed culices illic sunt grandes & infesti. vtuntur nauigiis viminib. cōpactis: faciunt vestes intextas auro & argēto. Pelles Armelinarū, Martarū, Zebellarū, mercib. nostrorū mercatorum permutant, sic tamē, vt omne mercatorū nostrorum colloquiū etq; conspectum defugiāt: & mutua rerum venalium collatione facta, relictis medio loco pellibus, syncera fide cum ignotis & absentibus cōmercia exercent; *Commercia.* habent n. linguā peculiarē asperā, & plerumq; ignotam vi*Lingua aspera.* cinis. Gens validissima est, & diu libera fuit, armaq; sustinuit Nordvvegiæ & Sueciæ, donec tandē sub tributo reda*Pelles pretiosa.* cta est pendit n. pretiosas ferarum pelles: equos nō habent, sed eorum loco ferā domāt, quā ipsi Reen vocant: Hæc fera *Reen fera.* est iustæ magnitudinis, pilo prope asini hirsuto: vngulas habet bifidas: & cornua ramosa instar cerui, sed tenuiora & lōgiora, lanugine quadā obducta, & ramis rarioribus assequitur 24. horarum spatio triginta miliaria germanica: signum vtiq; magnę pernicitatis, magnarumque virium. Statuas lapideas in montib. erectas prodiis habent. Quando Laponib. sol occidit post æquinoctium Autumnale, habent noctē vnā per tres fere menses, quo tēpore nō habent *Nox trium mensium.* lucē meridianā, nisi qualē crepusculum apud nos habet: & quādo sol ante æquinoctium Vernum redit ad Hemisphærium, diē illum solemniter colunt. Vltra Lapones in Aquilonem, Pygmæi repetiuntur quorum qui longissimi sunt, *Pygmæi.* pueri decē annorum apud nos mensurā nō excedunt. Grō*Groenlandia.* landia virens terra, ob pabuli copiam sic dicta. cuius pecoris quanta sit copia, hinc spectare licet, quod sub tempore quo ad eos nauigatur, componunt promercales ingentes *Butyri abundantia.* strues butyri & casei. vnde etiam coniectamus, terram non esse asperam montibus. Inter Nordvvegiam & terram incognitam, & Sueciam, quam ab ortu habet, protenditur. *Bothnia.* Est prætetea Bothnia, quæ in Nordbothniā & Ostrobothniam diuiditur: vrbs inibi præcipua Corsbalm.

DE MOSCHOVIA.

Moschouia intra Sarmatiæ limites clauditur: à Moscho amne Moschouiam vrbem interfluente, *Moschouia.* dicta. Ipsa regio latissimos fines habet; nācum ab *Sunt Moschouia.* occasu habeat mare Baltheum & Boristhenē fluuium, vltra Tanaim, & Raga fluuium. qui nunc Volga est, ter*Volga.* ram Permeskam, & Iuhuram, Vngarorum olim sedes, & *Cosacii.* Tartaros Kosanenses ab arce Kosao, quæ est ad Rha fluuium dictos, in ortum supra quingēta miliaria germanica ad Tartaros, Sauolēses, Nohaienses, Sabolēses. qui sūt Mo*Tartari duplices.* schouiæ, limes orientalis procedit. A septētrione terminatur oceano conglaciato: à meridie vastissimis campis, nec non & Lithuania, & Ruscia, & arce Smolensi. Est terra magna ex parte campestris, & pabuli ferax: verum æstate propter colliquatas niues, cāpi passim in paludes abeunt. Her*Hercinia sylua.* cynia sylua quæ à ripis Rheni per Germanos & Sarmatas ad Ripheos montes, & oceanum Scyticum, variis nominib. acceptis, vsq; excurrit Moschouiā mediā secat. Inde feruntur ad nos vestes penulæ, ad omnē aeris molestiā excludendā, idoneę: lingua vtūtur nō absimili Dalmatię: & Dalmatā loquentē clare intelligunt sunt homines statura proceri: ro*Lingua Moschouitarum.* bustis artubus. hirsuti: glaucis fere oculis: tenui victu: potu frequentius saturi, quē ex melle cōficiunt: in artib. domesticis tuendis dextri & fideles: in bello autē equestri & pedestri, non ita fortes sese hostib. exhibent: Est terra multis fluminibus ornata, Ocha, Volha, Dzuuina, Borysthene, *Flumina.* Dnieper: piscib. ob id variis & feris abundans: pecora parua habet, & communiter mutila. Moscua metropolis re*Moscua Metropolis.* gionis, lignea, vt aliæ ciuitates multas habet plateas, sed dispersas Mosca amnis ipsam intersecat. Arx in medio vrbis in plano sita, septemdecim turribus, & tribus propugnaculis pulchris & validis ornata, in quibus nobiles aulici morantur. Palatium in quo dux est, Italico more con*Dux & non Rex.* structum. Iouisum genti regium nomen: idcirco suum dominum, ducem, vt magis popularem appellant. Multos ducatus habet, ex quibus ingruente bello, plus quam ducēta millia hominum, duobus, aut tribus diebus contrahūtur: Arant ligneo aratro: segetes vero propter frigus foliis & arborum ramis tegunt: & in suis stubis & æstuariis exsiccant atq; triturāt. Tanais nominatissimus fluuius, fines *Tanais fluuius.* suos & originē in Moschouia habet, in ducatu Rezensi: cōsurgit de terra plana, sterili, limosa, paludosa, & nemorosa. Cū vero peruenerit ad oriētē ad metas Scytiæ, & Tartariæ, recurbatur ad meridiē peruenitq; ad paludes Mæotidas,

illas

De Liuonia. ...ssas ingreditur. *Volha fluuius.* Volha vero fluuius, aliquot miliaribus in septentrionem tendit: cui coniungitur *Ocha fluuius.* Ocha ex Moschouia profluens, in meridiem gyrans, auctus multis amnibus, in mari Euxino exooeratur. Terra Moschouiæ, neque vitem, neque oleum habet: campi tamē eius tritici, siliginis, milii, panicique, & omnis generis leguminum segetes ferunt. sed certissima messis in cera & melle consistit; *Apū abundantia.* regio enim tota fœcundissimis apibus plena est: quæ in ipsis arborū caueis, probatissima mella conficiunt. Hinc per syluas, & opacissimos saltus, frequentia apum examina, ramis arborum pēdentia videre licet, quæ nullo æris crepitu colligere sit necesse: Reperiuntur sæpe fauorum ingentes massæ arborib. conditæ, veteraq; mella deserta ab apibus: abundat hæc regio *Vrsi.* vrsis, qui & vbiq; mella & apes quærunt, non tantum vt ventrem saginent; verū vt & visui consulant: Ingentes sapidissimosque pisces, & ante alios *Sturiones.* sturiones, Volga fluuius præbet: pelles habent nobilissimas: vino aduectitio vti solent, sed in festis dieb. tantum. *Idololatra.* Quædam regiones Moschouitarum, colunt lunā, solem, stellas, bestias syluarum: Non arāt ibi. non seminant: non habent panes neque pecunias: feris syluarum, quæ apud eos abundant, vescuntur: & non nisi aquā bibunt: morantur in densis syluis, in tuguriis ex virgultis compositis: *Vestimenta.* vestimenta de lana non habent: pellibus variis teguntur. *Colmogara.* Proxima Moschouiæ est regio Colmogora, frugibus abundans, quā interluit *Diuidna fluuius.* Diuidna maximus fluuius septentrionalis, qui mundat campos, instar Nili, pinguiq; alluuie algori cæli resistit: *Frumentū oritur & adolescit.* frumentum terræ traditum, nullo aratri beneficio prouenit, sed admirabili celeritate naturæ festinantis, oritur simul, & adolescit, atque in aristas educitur. In Diuidnam influit Iuga amnis, in ipsoque confluentium angulo celebre est emporium nomine Vstinga, quod distat sesquicentum miliaribus à Moscha regia vrbe: quo transmittuntur pretiosæ pelles distrahendæ.

Liuonia. Liuonia à Prussis, Lithuanis, & Russis circumsessa, terra est palostris, nemorosa, arenosa, plana, absque montibus, irrigua fluuiis: & perinde satis piscosa: pro maiori parte inculta: *Fertilitas Liuoniæ.* fertilis tamen agris & pascuis abundans. Abundat etiam pecore & venatione; habet enim vrsos, alces, vulpes, lynces, maiuros, zabellos, hermelinos, varios pirolos, castores &c. *Lepores albi.* lepores in ea nati mutant hyeme & æstate colorem hyame n. sunt albi, & æstate grisei coloris: Russi quoque inferunt in Liuoniā pelles vrsorum albas; quas ea frigidissimis septentrionis partibus adducunt. Plures adhuc more gentiliū viuunt. vnus adorat solem, alius lunā: vnus *Idololatra.* elegantem arborem, alius lapidem, aut aliquid aliud simile. *Ciuitates.* Habet regio ista aliquas insignes ciuitates, quæ sunt Riga, Tarbata, Tart, & Reualia. Distat Riga à Riualia 50. à Tarbata 30. à Vilna Lithuaniæ 40. à Kunisbergo vero Prussiæ 60. germanicis miliaribus. *Riga.* Riga metropolitana ciuitas in fundo arenoso sita, iuxta nauigabilē fluuium qui vocatur *Duna fluuius.* Duna, venit ex Russia, duobus miliaribus infra Rigā mari miscetur. *Potus Liuonum.* potus Liuonum est ceruisia, medo, & optimum vinum, quod à Rheno per mare aduehitur. veniunt ad vrbem Rigensem, ex multis nationibus mercatores, nempe Moschouitæ, Turcæ, Hispani, Angli, Scoti, Germani, vt ibi cōmercia exerceant. Est Prussiæ atque Lithuaniæ contermina regiuncula, *Samogithia.* quæ Samogithia dicitur, syluis & fluminib. circumsepta 50. miliariū longitudine: cuius gentes proceræ & pulchræ staturæ, agrestes tamē, moribusque incultæ: *Ritus regionis.* Æs nullū habēt humiliter ędificant, ex limo culmoque tiguria, in carinarū aut galearū formā, in quorum culminib. fenestrā vnā faciunt tam patentem, vt toti ædificio lucē superne præbeat: focus perpetuo igne in singulis vnus, circa quē familia vniuersa sedens, non solum cibos coquit, sed vehemēs etiā frigus depellit: vaporaria seu stubas nullas habent: ad diuinationē & auguria gens inclinatur: *Ignis adoratur.* præcipuum ei numen ignis, quem sacrosanctum perpetuumq; esse putant, quod in edito colle, ad fluuiū Neuyasa, assidua lignorū impositione, per Sacerdotē aleretur. VVladislaus Poloniæ rex, qui eā gentē ad Christi fidem compulit, turrim, in qua consistebat ignis incendit, & ignē disiecit, & extinxit. Succidit deinde syluas, quas nō secus quā sanctas, & deorū suorum habitacula venerabantur: omniaq; quæ in syluis habebātur. *Lithuania.* Lithuania, Poloniæ connectitur, magna sui parte palustris, plurimumq; nemorosa, & ob eā rē difficilis aditu, aquis palustrib. cuncta obtinentibus: Hyeme *Lithuania diuitia.* cōmertia cū Lithuanis cōmodiora, paludib. & stagnis alta glacie concretis: rara in Lithuania oppida: villarum incolatus infrequēs: accolarum diuitiæ pecora, pellesque mul- *Zebellinæ. Harmelinæ pelles.* tigenum ferarum, vt Zebellinæ sunt, & Harmelinæ, quib. regio plena est, cerę ac mellis abundans. Caput regionis est Vilna ciuitas Episcopalis, in qua residet Illust. & Reuerendiss. Dux, & D.D. Georgius Radziuil, Cardinalis S. Romanæ Ecclesię, acerrimus & fidelissimus Catholicę fidei defensor: *De regno Bohemiæ.* duo fortissima castra habens. vnum in monte situ, alterum inferius in plano. Lithuani medone spisso, itē tenui, & vario modo cocto vtuntur quo etiam inebriantur: *Potus Lithuanus.* armenta habent omnis generis, & feras syluarum, saltus, deserta, & sylue sunt magnę, atq; in eis sunt magnæ & multę feræ, vrsi, boues syluestres, onagri, & equi syluestres, cerui, damę, dorcę, apri: sedent à meridie in medium noctis in conuiuiis. *Russia alba.* Russia superior & inferior, pars Polonici regni, ad orientem habet Moschum & est terra fertilissima: cereris & mellis feracissima; agro enim rude culto, & parum inuerso atq; exarato, frumentoq; superseminato, trib. an- *Russiæ fertilitas.* nis sponte frumentū germinat, ita tamen quod colligendo tempore messis segetem, quippiā granorum permittatur in terram decidere, ad surgendum ex eis frumentum, sine aliqua alia cultura: Gramen quoq; & pascua cito, & vberrime producit. *Apum copia.* Quare apum tāta est ibi copia, vt mella nedum in aluearijs, aut arboribus; verumetiam in rupiom & terræ cauernis reponant: optimus ibi medonis potus, & grandes cerarum orbes, qui in alias regiones deportantur: pisces ea cęli influentia succrescunt: sal in quodam loco siccis temporibus colligitur: versus Tanaim vero & Męotim, vbi est alba Russia, sub Moscho, terra calamo Aromatico & Reupontico abundat, pluribusque berbis & radicibus aliis humanæ vitæ accommodis. *Leopolis metropolis Russiæ.* In medio Russiæ est Leopolis ciuitas, bene munita, aeris salubritate, ciuium humanitate, fide, doctrina, atque prudentia. vt vere dici possit Leonis ciuitas, non ab eo, qui in memoriam adeptę victoriæ, contra habitatores illius terræ nomen ciuitati dedit; sed potius à Leone de tribu Iuda, qui ita Leonem rugientē ibi deuicit, vt nullum prorsus patiatur hæreticum. *Oratio pro Leopoli.* Salue igitur sancta ciuitas. benedicat te sancta trinitas. sancti qui sunt in te, orent Deum pro te, & me, Amen. Habet arcem in edito colle munitissimam, & inexpugnabilem: vallo & fortissimis mœnius circumcingitur. In septentrionē sunt tractus Chelmensis & Belzensis. Confluunt ad eam mercatores vndique, negotiandi gratia. habet prope ciuitatē montes & vinum, quamuis magna copia aduehatur vini ex Candia, Vngaria, Moldauia, VValachia. *Fertilitas Leopolis.* abundat optima ceruisia aduectitia bobus, omnium gregibus, pellibus mardorū & vulpium abundantia inibi piscium non parua, propter plurima stagna & lacus. *Podolia.* Huic annectitur Podolia terra frumenti feracissima, pecoris diues: accolæ tamen simplices, & rusticam vitam agentes.

DE REGNO BOHEMIÆ.

Bohemia. Bohemia, Germanię limitib. circumcingitur: hercynia vero sylua tanquam natiuo muro vndique clauditur: Albi fluuio media irrigatur, atq; quodam alio. *Praga.* Multauia nomine, ad cuius ripā Praga sita est, amplissima ciuitas, totius regni caput. *Flumina. Albis fluuius.* Omnia eius flumina, quæ Bohemiā irrigant, in Albim exonerātur. Oritur autē Albis fluuius in montib. qui Bohemiā à Morauia separant. deinde per abrupta montiū & cōcaua valliū decurrens, tandē in Oceanū suas aquas transmittit: pisce atq; armētis abundat cū volucre ferisq; hordei, & tritici ferax, olei sterilis: apud Litomeritiū colles cōsiti vitibus ac vineis vinū acerbū gignunt. *Situs Bohemiæ.* A solis ortu Marcomannos, siue Moltauos habet: ab occasu Bauariam & Francones: ab aquilone Saxones: à meridie Noricum & Pannoniam superiorē. *Conditores Bohemiæ. Czechus. Lechus.* Verum hanc nationē, quæ hodie Bohemiā colit, à Dalmatis originē habuisse, memoriæ proditū est. nā Czechus & Lechus fratres, ob rē domi turbatā, è finib. suis eiecti, perditorum hominum collecta multitudine, in Germaniā venerunt. *Praga situs.* Czechus ad Albim fluuium cōsedit: Lechus vero Poloniā occupauit. Gēs Bohemica ab initio agrestis & immanis erat: modo vtcunque mitior. Praga, vt dixi, caput est regni, sedes regum, in tres diuisa partes, quæ singulæ sua habēt nomina, scilicet Praga minor, vetus, ac noua. Minor sinistrum latus Multauiæ fluminis occupat, contiguitq; colli, in quo sita est regia, & sancti Viti augustum templum. Vetus Praga in plano iacet: vniuersa magnificis adornatur operibus: habet enim prætorium, forum, curiam, & Collegium Caroli Imperatoris. *Pons Pragæ.* Iungitur autem minori Pragæ lapideo ponte quatuor & viginti arcuum. Nouam ciuitatem separat à veteri fossa profunda, vtraque muro munita. Anno Christi 1086. apud Moguntiam in concilio Principum ab Imperatore Hērico, eius nominis quarto, VVratislaus rex declaratur: Moldauia, & Silesia prouinciis regno Bohemiæ additis. *Morauia. Marcomānia.* Morauia, Marcomannis olim habitata, ab ortu Vngariæ, & Oderæ occurrit: à limite occiduo Bohemiam: Silesiam à septentrione: à meridie Teium, & Austriam spectat. Regio est pisculenta, ob lacuum, & fluminum

De Regno Poloniæ. Vrbes.

minum multitudinem: vini, frumenti, & ad eam partem, quæ vergit in Austriam, etiã croci ferax. Vrbes, Olomutiũ metropolis, vrbs in plano sita ad ripam Marchiæ, cuius nostris temporib. Episcopus est Illustriss. & Reuerendiss. Princeps D. Stanislaus Pavlovvius ex nobili familia ortus &c. vir pietate insignis, & armis Catholicæ fidei contra aduersarios eiusdẽ, apprime munitus eruditione singulari: præcipuus studiosorum, maxime vero Theologorũ fautor, & mecœnas pauperum pater: præsul vigilantissimus: arrens gregem à mortib. luporum egregius Ecclesiarũ ædificator, & instaurator, pro quib. reficiendis & instaurandis, nec nõ & erigendis omnis quasi sua impẽdere studet. Hunc Deus Opt. Max. pro sua magna pietate & clementia erga genus humanum, Ecclesiæ suæ dedit in murũ æneum, & columnã ferream. Vtinam quam diutissime, & quam felicissime ad bonorum consolationem, & præmium, malorum vero repressionem, & pœnã. Bruna, Iglauia, Chremsirium, Znoyma, Teius, Marclus, Igia: sermo gentis mixtus est, Teutonicus, & Bohemicus.

Silesia. Silesiæ situs. Silesia dicta à Schleso amne, vel Schleso Rege Odera fluuius eam perlabitur. Latitudo eius itinere trium dierum cõficitur: dierum vero quatuor longitudo: extenditurq; ab Vngaria vsq; ad Brandenburgensem Marcham: habet regio duos præcipuos ducatus, vnum in Legnitz, cui magna pars regionis obtemperat: alterum in Schuueidnitz, qui paret regi Bohemiæ. Terra ipsa vallatur montibus, multisque inspergitur syluis: plurimis riuulis irrigatur, quos montes Bohemiæ emittunt, & ad Oderam destinare contendunt: ex quibus terra redditur fœcunda.

VVratislauia. VVratislauia caput Silesiæ, ciuitas amplissima, ad ripam Oderæ sita, quondam à Duce VVratislao constructa, & denominata, magnificis ædibus est instructa, & ornata.

DE REGNO POLONIÆ.

Polonia. Polonia frigida. Polonia fertilitas. POlonia insignis Europæ regio, terra frigida, & glacialis, ideoq; vino destituta natiuo, atq; oleo: qui tamen defectus compensatur magno prouẽtu frumenti, siliginis, hordei, pisorum, aliorumq; leguminum. Abundat quoq; pecoribus, carnibus, melle, lacte, butyro, cera, auibus, piscibus, & fructib. Habet tauros, & equos syluestres, onagros quoque, & omnis generis cornuta animalia. Ad mare Balthicum mittit, & vẽdit boues, magnam copiam siliginis, frumenti, hordei, aliorumq; seminũ, ceram, ligna quercina, & taxina, picem varii generis, plumbũ in suo genere optimum, & salis maximã copiã.

Salis copia. Est namq; in ea sal minerale, quod ex terra eruitur atq; exciditur, grandis molis, & põderis: habet quoq; sal per decoctionẽ collectũ, & factũ: lazuriũ ex montib. pretiosæ bonitatis, ferrũ in plerisque locis, & cuprum.

Cuprum. Argentum. Aurum. Sub excelsorum montium Sarmaticorũ iugis, exciditur cuprum ex lapidibus in magna quantitate, habens plurimũ argenti, quod secernitur, per separationẽ: aurũ in certis mõtibus, & fluuiis reperitur. Habet succinũ de genere electri: fodinas etiã sulphuris in aliquib. locis.

Pole, planum. Hæc regio vasta est, & plana, ideoq; Polonia vocata est; significat enim Sclauonica lingua, Pole, planũ: alio nomine Sarmatia dicta est. Hæc Silesiæ ad occidentem contermina est: Prutenis & Massouitis à septẽtrione: ab oriente Ruthenis: à meridie Vngaris,

Carpatus mons. Carpato mõte, quẽ Krapak vocant, interiacente.

Polonia duplex. Hæc in partes duas diuiditur: quarũ quę Saxonibus, Prutenisque vicina est, maior Polonia dicitur: altera Vngariæ ac Russiæ obiecta, minor vocatur. in qua est Cracouia sedes regni, cũ arce elegantissima, quam inclytus Rex Sigismundus ante aliquot annos magnificis structuris instaurauit, ex quo genita est serenissima regina Anna,

Serenissima regina Anna prosapia. quæ nupsit inuictissimo STEPHANO Bathorio, serenissimo Regi Poloniæ an. 1575. qui hodie an. 1586. 8 Octobris, regnũ Poloniæ magna cũ pace, & iustitia administrat. Vt autẽ serenissimæ Annæ Reginæ prosapiam huic nostro operi inserã; nõ nihil paulo altius est mihi petendũ. Iagiello dux Lithuaniæ, filius Olgierdi, nepos Gedemini ex vxore prima, Rex Poloniæ baptizatus, nominatur VVladislaus ann. 1386. 14. Februarij. Scholã Cracouiensem inchoatam à Cazimiro magno, perfecit ann. 1402. moritur admodũ senex, post multa egregia sua opera ann. 1434. pridie Calend. Iunij, cum regnasset in Polonia annis 48. Eius quatuor fuerũt vxores, Hedrogia filia minima natu Ludouici regis, Anna VVilhelmi Ciliæ Comitis filia, Elizabetha ex Pilecensium familia, Sconsa, filia Andreæ Ioannis Kiiouiensis ducis, ex matre sorore Vitoldi. Ex ea nati sunt, Elizabetha vxor Henrici, Stoplensium in Pomerania ducis. VVladislaus, Cazimirus, & alter Cazimirus Andreas, electus Bohemiæ rex, anno 1437. sed reiectus, iterũ præficitur Lithuaniæ, venit in Poloniam an. 1447. & Rex imposita corona declaratur: & cũ multa bella præclare gessisset, moritur an. 1491. 7. Iunij: sepultus Cracouiæ, cũ vixisset annos 64. regnasset autem annos 45. Liberi Cazimiri ex Elizabetha Austrię, Albertus, Alexander, Fridericus, Sigismundus, natus ann. 1467. Calend. Ianuarii. Ioannis autẽ Alberti fratris sui beneficio, ducatũ Glogouiensem & Opauiensem est cõsecutus.

Sigismundi electio. Deinde ann. 1500. post fratris mortem, anno 1508. electus est Rex Polonię, 8. Decembris, & coronatus est ann. 1507. 14. Ianuarii: qui post octuagesimũ primũ annũ ętatis, & mẽses tres, post plurima eius heroica, & immortalia opera moritur Calend. Aprilis. Duæ illi fuere vxores: altera Barbara, Stephani Comitis Scepusiani, Palatini Transyluanię filia: altera vero Bona Sforzia, Ioannis Galeacis ducis Mediolanẽsis, Isabellæ Aragoniæ, reginæ Neapolitanæ filia.

Regina Bona. Ex regina Bona genuit Sigismundum Augustum, anno 1520. qui coronatus post mortẽ patris an. 1530. bellum gessit cõtra Moschũ, moriturq; sine liberis anno 1572. 23. Iulii. Filiæ vero Sigismundi ex Bona regina, Isabella vxor Ioãnis regis Vngariæ, Sophia vxor Henrici iunioris ducis Brunsuicensis, Catherina vxor regis Sueciæ, Anna vxor inuictissimi Stephani Bathorii, serenissimi regis Poloniæ,

Rex Stephanus. Laus Stephani Regis. viri admirabili prudẽtia, acri ingenio, infracto animo, eruditione singulari, venustissimo sermone, sobrietatis, silentii, liberalitatis, atq; magnificentiæ regiæ studiosissimi: & quod his omnibus præstãtius est, fidei Catholicæ obseruantissimi. Ad cuius conspectum tacet ferox Turca: silent dolosi Tartari: Moschouitæ vero rebelles quiescunt: cæteræq; contermine nationes, tã sapientissimi, & inuictissimi regis prudentiã, fortitudinẽ, dexteritatẽ, experientiã in reb. bellicis, regnique administratione, admirãtur, & suspiciũt. Iste est ille serenissimus Rex, vir serenissimę Annę reginæ, ex præclara Iagellonis stirpe oriunda. Hæc est illa sancta regina Anna, in qua vere viget gratia Catholicæ fidei, & christianæ probitatis: hæc est illa mulier fortis, cuius pretiũ est de vltimis finib. Ista est illa laudatissima regina, mater pauperum: pupillorum & orphanorum subleuatrix: religiosorum asylũ: Afflictorum refugium: desolatorum consolatrix. In tribulationibus patiens: sine murmure: absque querimoniæ indicio: in orationibus assidua: in vigiliis, & sanctis sacrificiis indefessa: silentii obseruatrix: bonorum operum diligẽtissima æmulatrix. Hæc dico, non quia ipse audiui, sed quia ipse vidi, & certo experimento didici. Istę sunt duę coronæ, imo vna corona, qua ornatur nostris hisce temporibus augustum Polonię regnum.

Laus vtriusque. Istæ sunt duæ aureæ catenę, quib. cingitur & sustentatur Polonorum fortitudo. Isti sunt duo fontes, quibus irrigantur vniuersæ Polonicæ regiones. Istę sunt duę rosę, quę nũquam marcescunt, quarum suauissimus odor, nedum Polonos, Russos, Lithuanos, Prutenos, Liuonios, Transyluanos, verumetiam alia regna, prouincias, vrbesque quã longissime positas peruasit, & ad sui suauitatem allexit: vt à multis non temere dicatur: Curremus post odorem vnguentorum tuorum. Hoc saluberrimo odore, deuii à fide Catholica, ad gremium matris Ecclesiæ, libentissime redeunt virtutum exemplis magis, quã sanguine, & ferro permoti: hoc amentes, fiunt sapientes: stulti sapientiã recipiunt: mancipia dęmonum, fiunt serui Christi. Eia, nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrã: sitis exemplo fidei Catholicæ, & morum probitate his, quibus dominamini, scientes, & vestrum & illorum dominum esse in cęlis, apud quem non est personarum acceptio, aut vicissitudinis obumbratio.

De Cracouia.

Lechus. Czechus. PAulo ante annotaui, duos viros Lechum & Czechum, in terrã vastam, eamque incultam venisse, quæ postea Bohemia, & Polonia dictæ sunt: Czechum autem loci amœnitate delectatum, in Bohemia atque Morauia, sua fixisse tabernacula: Lechum vero cum suis in Silesiam, & Poloniam processisse. Addunt nonnulli, Rus Lechi Germanum terram occupasse, quæ ex ipsius nomine Russia nominatur:

Rus. Rutheni vero Polonos Lechitas appellant.

Gnezna Lechita. Prima autẽ arx Lechi fuit Gnezna, metropolis Poloniæ, in fundo plano sita, à cuius agri planicie, regio ipsa Polonia, quasi plana nominatur, quę ante Sarmatia dicebatur. Porro, habitans Gneznę Lechus gentem illã, nõ armis, sed pace sibi cõiunxit: agriculturã coluit, populis vrbes & loca assignauit. Defuncto autẽ Lecho, & stirpe eius extincta, nobiles apud Gneznam, pro administranda vnicuique iustitia, ac obeundis Reipublicæ officiis, elegerunt duodecim Palatinos,

Palatini. qui quidem modus deligendi vsque ad hęc tempora perseuerat. Post multos vero annos, vidẽtes Rẽpublicã male gubernari, elegerũt sibi vnũ rectorẽ solertem, & strenuum, Graccũ nomine, ad radices montium Sarmaticorum iuxta Istulam commorantem, à quo

ete-

De Regno Poloniæ.

Graccus. Arx Cracouiensis. Draco Cracouiæ.

erecta est in colle Væuel, supra fluuium Istulæ sico, eique ciuitatem adiecit, quam Cracouiam ex suo nomine appellauit. Eo tempore draco quidam in specu eiusdem montis latitans, homines vastabat, & pecora: sed prudenter huic periculo prouisum est, inter cibos eoim, qui bestiæ offerebantur, sulphur & cauma ignitum insitum est, cera piceque mixtum, quæ omnia bellua illa immanis absumens, extincta est. Fondata itaque ciuitate Cracouiensi, metropolis regni effecta est, sensimque incrementa accepit.

Rudys.

Fluuius Rudys circumgyrat eotam ciuitatem, agitatque rotas molares, atque ingreditur vrbem per fistulas, & spargitur in omnes plateas.

Cracouiæ laudes.

Habet ipsa ciuitas septem portas: elegantissimas ædes in circulo ciuitatis: elegantissimam, splẽdidissimamque arcem in edito loco celebrem Academiã, multis disciplinis instructam: frequentiam nobilium: religiosorum non paruum cœtum: duas Caoonicas, siue domus Canonicorum, Cathedralem scilicet, & sancti Floriani. Cathedralis vero præpotentibus & nobilibus Canonicis ornata. sedes est Episcopalis, in qua sepulchra Regum conseruantur, & Reges consecrantur. In hac autem vrbe magnus est omnium propemodum nationum accessus: mercatorum multitudo: militum copia: omnisque artis artifices quam plurimi: denique vt semel dicam, sola Cracouia est Polonia.

Sola Cracouia est Polonia.

Cazimiria.

Cæteræ autem ciuitates, & oppida, castella, & huiusmodi, quam maxime absunt à Cracouiæ ciuilitate, fertilitate, amœnitate, vrhanitate. Ab altera vero ripa Istulæ, est Cazimiria posita, à Rege Cazimiro nomen habens Istula alluitur, quę sub arce in duos riuos secta, oppidum in modum insulæ circumcingit. Sita est alia pars Cracouiæ ex latere Silesiæ, quæ vocatur Clepardia: in qua sita est Canonica sancti Floriani: Cazimiria autem Cracouiæ iungitur per pontem ligoeum.

Clepardia.

Plagæ regionis amœnæ: gens in vniuersum prudens, multaq; comitate in hospites. Terra ferax tritici pascuis idonea armenta late pascuntur: venatio multiplex: equus syluester. bos ferus. Plumbũ habet, & sal, quo nullum in regno vberius vectigal inuenitur.

Fertilitas.

Gracci posteritas.

Graccus moriens duos filios, & vnam filiam reliquit. Dicũt nonnulli natiuitatem Christi quadringentis prope annis Graccum præcessisse Porro, Graccus senior, regnare incepit post mortem patris, qui inuidiæ fraternę non euasit discrimen; ab eo enim interfectus est: ob cuius facinus, mœrore confectus homicida, breui cõsumptus est. Tunc Cracouienses Vandam sororem eorum, pro regina acceperũt, quam postea pro assecuta victoria contra Rittigerum, dicunt seipsam diis immolasse, & de ponte in Istulam se præcipitem dedisse, cuius corpus vno miliario à Cracouia fuit repertum; vnde & fluuius, in quem se iniecit, dictus est Vãdalus: & gens circa fluuium Vandalitæ.

Vanda regina.

Vandalus fluuius Istula fluuius.

Hic fluuius, qui alio nomine VVisla, & Istula appellatur, de alto in bassum labitur, originem habens à montibus Sarmaticis, in ducatu Teschinensi, per mediam Poloniam decurrit ad mare Balthicum, atque prope Gedanum, auctus multis fluminibus, in ipso mari exoneratur.

Poloniæ flumina.

Item, Chronus fluuius nauigabilis, qui hodie Niemen dicitur, oriturque ex palude oppidi Kopioluus. Rubon alius fluuius, qui originem habet ex Lithuania.

Odera fluuius.

Item Odera, quem Ptolemæus Viadrũ nominat, oritur in Polonia prope oppidum Odri.

VVarta.

Item VVarta fluuius, qui originem habet ab oppido Kromolovv. Item Tyras, qui Dniester vocatur, ex monte Sarmatico Biessked Russiæ prorumpit in terra Premisliensi, separatque Daciam, quam vocant Bessarabiam, & VValachiam, à terra Russiæ.

Buk.

Aliud flumen Buk, emergit ex palude prope Olesco.

Borysthenes.

Borysthenes, vulgo Dnieper, initium habet ex syluis, & paludibus Moschouiæ.

Premislaus.

Extincta autem Gracci familia, Polonia ciuilibus dissidiis laborantibus, administratio Regni Premislao Polono, homini solerti, & astoto, atque viribus strenuo, committitur: qui propter suam astutiam, & calliditatem, lingua vernacula, Lesko est appellatus quintus regni gubernator post Lechum.

Leszko.

Post eius mortem quidam adolescens, vocatus Lesko secũdus, creatus est in Regem, homo temperatus, iustus, mansuetus, fortis qui senio confectus obiit, relinquens filium, qui Lesko tertius est vocatus, regnauitque summa prudentia, relinquens post se vnũ filium legitimom, Pompilium nomine, cui regni Monarchiam designauit: ex pellicibus vero viginti filios, quibus distribuit regni prouincias.

Pompilius

Põpilius itaq; suscepto regno, transtulit sedem Gneznam: deinde inter lacum Krusvvica, sedem posuit regalem, in qua cõsumptus est à muribus: reliquit autem filium in ætate puerili, cui nomen erat Põpilius: patrui autẽ eius administrabant regnũ. Adultus autem factus, vxorẽ duxit: deinde ipse & vxor ipsius veneno patruos necauerunt: in vindictam autem tanti homicidij, quadã die conuiuia celebrante rege, de cadaverib. patruorũ mures egressi in magna multitudine, in conuiuantem tyrannũ filios, & vxorem, rabidis morsib. mures insiliunt.

Rex comeditur à muribus cum filiis & vxore.

Extruuntur ardentes foci, & in medio eorũ locatur Pompilius, coniux, & filij per flammas autẽ mures transeuntes, tyrannũ inuadunt. Inde in naues Pompilius ascendit cum suis in altitudine stagni. mures naues rodebãt, in tantum, vt aqua perforatis rimis ingressa, submersionẽ minaretur: nautæ pertimentes naufragiũ, in littus naues deduxerunt. Inde alia caterua murium occurrentes, iuncta prioribus, acrius infestabat.

Miraculũ murium.

His visis defensores omnes aufugerunt: Pompilius autẽ se recepit in turrim altiorem, quam mures rabido cursu ascendentes, vorauerunt regem, reginam, atque filios tyrannorũ, solis ossibus relictis.

Piast agricola Rex. Prima stirps Regum.

Post nefandi Põpilii horribilem interitum, quidam agricola Piast nomine, non alta, sed robusta statura, electus est in regem: hic fuit prima stirps Regũ Polonorũ, terminata in Cazimiro secũdo, & Ludouico. Eiusdẽ stirpis rami, sunt principes Silesiæ. Dux Piastus trãstulit regiam, ex illo lacu, in cuius turri perierat Pompilius, quã turrim ipse vidi in mense Iulio, anno 1585. Gneznam.

Semouitus Leszko.

Quo mortuo, Semouitus filius eius regnauit, plurimumq; regnum dilatauit: sublatusque immatura morte, vnicũ filiũ minorẽ nomine Lesko reliquit, tẽpore Arnulphi Rõ. Imperatoris, & Michaelis Imperatoris Græcorũ. Lesko adultus factus, imitabatur paternas virtutes, nempe prudentiã, liberalitatẽ, iustitiam.

Zemomislaus.

Eo defuncto, filiũ Zemomislaum reliquit, qui prudẽter regno præfuit: relinquens post se Miesko filiũ suum, qui fuit decimusquartus gubernator Poloniæ

Mieszko. Occisor VVenceslai.

mittit in Bohemiã pro filia ducis Boleslai sibi nubenda fuit autem Boleslaus occisor fratris sui Venceslai. Nõ abnuit Boleslaus dare filiam, dummodo ille abrogato gentili ritu, Christo nomẽ tradat. Consentit ille, & eodẽ die Gneznæ sacrum baptisma recepit: & cũ virgine Dabrovvka matrimoniũ contraxit: mandauit etiã edictũ, vt omnes in ciuitatibus, & villis, fractis idolis, sacrum baptisma reciperent. ipse vero Princeps erexit nouem Ecclesias Cathedrales in suo dominio: duas Metropoles, Gneznę & Cracouiæ, cæteras Suffraganias, nempe Posnaniensem, Plocensem, Culmensem, Caniencensem, Lubecẽsem.

Princeps Poloniæ fit Christianus, Anno 965.

Boleslaus.

Genuit autẽ filiũ Boleslaũ, qui anno 984. accepit Iudith filiam Geysæ regis Hungarorum, & nuptias Gneznæ celebrauit.

Russia accipit fidem Christi Ann. 990.

Ann. 990. VVlodimirus dux Russiæ ducta vxore, sorore Basilii, & Constantini Imperatorũ Constantinopolitanorũ, sacrũ suscepit baptisma: confregitq; idola, & templa eorũ: iussitq;, vt omnes Rutheni Christi fidẽ reciperent.

Ottho Imperator visitat limina S. Adalberti. Primus REX Poloniæ coronatus ab Imperatore.

Deinde anno 999 sancto Adalberto Episcopo occiso à Prutenis, & per Boleslaũ Gneznã reducto, Ottho III Imperator Rom. facto voto, visitauit limina diui Adalberti, qui magnifice exceptus est à Boleslao principe Poloniæ: eiusque eximiam liberalitatẽ, & vrbanitatẽ, atq; magnificentiã admiratus, Imperator in Ecclesia, conuocatis Pontificibus, iussit Boleslaum in regem Poloniæ vngi, & deductũ supra sedẽ maiestatis eũ coronauit: atq; à sua suorumq; successorum Imperatorũ obedientia, posterosque reges Poloniæ perpetuo absoluit. Facta est autem coronatio Boleslai anno 1001. hic Rex gessit magna & victoriosa bella, contra Bohemos. Russos, Brandenburgenses, Pomeranos, & Cassubios: coegitq; Pomeranos, & Cassubios ad obedientiã: ac deinde Prutenis bellum indixit, & ad soluenda tributa coegit. Mortuus est autẽ anno 1024. erectis quatuor ferreis colũnis in quatuor limitib. regni, in signum adeptæ victoriæ.

Mieszko.

Deinde electus est in regẽ eius filius Miesko, qui ventri, otio, somno atq; voluptati operã dedit: quã ob causam exterę nationes, quas eius pater subdiderat, à regni obedientia defecerunt.

Cazimirus.

Eo mortuo, filius eius Cazimirus, probus adolescẽs, literis imbutus, non est electus in regem; timebant enim Poloni, ne patris vestigia sequeretur: præsertim cũ adhuc haberet matrẽ superstitẽ, toti regno exosam, quam Poloni coegerunt regno excedere.

Regina de regno reiecta. Rex fit monachus.

Filius autẽ excedẽs cũ matre, Parisiis literis operã dedit, monachusque effectus est in Cluniaco, nõ absque matris consensu: peruenitq; ad Diaconatus gradũ. Interim omnes Duces contra Polonos surrexerũt: quapropter coacti sunt Poloni reducere Cazimirum in regnũ, prius obtenta Papali authoritate. Ingressus autẽ Cazimirus Poloniã, Bohemos repressit & ann. 1041. coronatus est Gneznæ, accepta in vxorẽ sorore ducis Russiæ. Coronato autem rege, regnum quieuit in pace.

Boleslaus. Sanctus Stanislaus Episcopus Cracouiensis. Polonia priuatur corona.

Mortuus est autem Cazimirus anno 1058. Boleslaus autem eius filius coronatus est in regem anno 1058. qui fuit homo libidini, & voluptati deditus: quem cum corriperet sanctus Stanislaus, & excõmunicaret, rex furiosus, Episcopũ sanctũ gladio in caput percussit, & interemit: quod audiens Papa, Poloniæ regno coronã ademit, omnesq; ab obediẽtia regis absoluit. Impius autẽ rex paulo post in amẽtiã versus, apud Hũgaros periit.

De regno Poloniæ. VVladislaus dux Poloniæ.

periit. Boleslao igitur ita miserrime extincto, VVladislaum eius fratrem Poloni in ducem elegerunt, anno 1082. hic dux accepit filiam ducis Bohemiæ in vxorē: iniusta decreta fratris sui rescidit: male ablata restituit: oppressos à potentibus defendit. Hic pugnauit contra Pomeranos & Prutenos, qui negabant tributum, & præfectos expellebant. Bohemos quoque & Morauos afflixit. tandem senio confectus, viuens

Polonia diuiditur. Boleslaus.

filio suo legitimo Boleslao meliorem partem Poloniæ assignauit; Zbigneo autē illegitimo filio, Masouiam, Poloniam maiorem, Pomeraniam, & Prussiam. Hæc fuit prima diuisio regni Poloniæ. Moritur anno 1102. Duobus itaque fratribus Poloniæ præsidentibus, illegitimus cōtra legitimum fratrem bellum mouit: illegitimo tamen superato, omnia eius recepit. Cumq; illegitimus Zbigneus ante fratrem supplex procumberet, obtinuit, vt dux Masouiæ remaneret:

Dux Masouiæ rebellis.

cum vero semper esset rebellis, à fratre occiditur. Moritur anno 1193. suis filiis primum Polonia diuisa. Quadraginta septem vicibus hic Dux bellicosissimus, publica acie, signisq; collatis pugnauit, & semper victor euasit excepta duntaxat vltima pugna, quam habuit in Russia. Conuenientes ergo

VVladislaus primæuus dux.

Poloni, elegerunt VVladislaum primæuum ducem, iuxta mortui ducis testamentum, cui cæteri subessent. sed cum bellum gereret contra fratres suos, ab eisdem pulsus est suo ducatu, & in Germaniam se recepit: & post ipsum vxor cum filiis ad Conradum regem Romanorum.

Boleslaus Crispus creatur Dux supremus in Polonia.

Boleslaus Crispus.

ANno 1146. Boleslaus Crispus, fratrum consensu, atque Prælatorum, & Baronum, Poloniæ Monarchiam sortitus est. Hic fuit benignissimus in fratres suos, & maxime liberalis in omnes, pugnauitq; contra Fridericum Imperatorem Barbarossæ filiosq; fratris sui expulsi promouit apud Imperatorem, vt Silesia dotarentur. Pacata igitur Polonia, tres fratres contra Prussiam

Prussia venit ad fidem anno 1164.

expeditionem fecerunt ea expeditione Prussia vniuersa, fidem Christi & baptisma suscepit. idola confregit. & tributa Poloniæ soluere iurauit. Mortuo autem Boleslao Crispo, legauit testamentum filio suo vnico Lesskoni, anno 1173. sed de consilio Procerum, & Prælatorum, electus est in Monar-

Mietslaus.

chiam Poloniæ Mietslaus. Sed cum intolerabilis esset eius tyrannis, substituerunt in locum eius iuniorem fratrem

Cazimirus.

Cazimirum, feceruntq; eum Monarcham. Exclusus autem Mietslaus senex à suo principatu, contulit se in Silesiam, vbi cum vxore, & tribus filiis, sub magna rerum penuria vitam egit. Mortuus est Cazimirus anno 1194. subito hausto poculo. Proceres, & primores regni conuenientes, elegerunt Less-

Lesko Albus.

konem natu maiorem ducis Cazimiri in Monarcham, qui Albus vocatus fuit à Cæsarie alba. at Conradus frater eius, factus est dux Masouiæ, qui tyrannidem exercuit in Christinum Plocensem, conseruatorem adolescentiæ suæ. Tunc

Tartari.

temporis Tartari vastauerunt Poloniam, Silesiam, Morauiam, Hungariam. Mortuus est autem Conradus dux Masouiæ, ann. 1247. nepotis sui Boleslai iniustus oppressor. Dux

Boleslaus.

Boleslaus decimus quartus, à rege Boleslao, vir insigni virtute, præfuit Poloniæ annis 37. non sine maximis bellis externis moritur anno 1274. sub istius administratione sal re-

Sal repertum. Henricus. Leszko Niger Boleslaus. Henricus dux Silesiæ. Premislaus Rex.

pertū est. Post Boleslaū, Henricus successit: & post eum Lessko Niger, qui è vita excessit anno 1281. cui successit Boleslaus Masouiæ dux, senatus assensu. sed modico tempore rerum potitus, Monarchia pulsus est. Huic successit Henricus dux Silesiæ. moritur anno 1291. sumpto veneno. Mortuo Henrico duce Cracouiensi, duo eius ducatus diuisi sunt inter duos duces: nam ditio Cracouiensis obuenit Premislao, & VVladislao principatus Sendomiriæ. Anno 1295. Premislaum secundum Poloni vnxerunt in regem, Gneznæ. sed interfectus est à Marchionibus Brandenburgensibus: vixit autem annis 38. & regnauit mensibus septem, & diebus vndecim. Deinde electus est VVladislaus Dux Cuiauiæ, Cazimiri filius: postea, quia male viuebat, proceres e-

Rex Bohemiæ. Rex Poloniæ. Diuisio Polonorum. Lokietek.

lectionem eius abrogauerunt, & VVenceslaum regem Bohemiæ, in regem Poloniæ suffecerūt, & Gneznæ inunctum, coronauerunt: moritur anno 1305. Tunc Lokietek paulatim ducatum Cracouiensem in obedientiam recepit. Interim Poloni bipartiti; nam Poloni maiores exacerbati, elegerunt sibi in principem Henricum ducem Glogouiensem, Conradi, ducis filium: reliqui vero Poloni Lokietek adhæserunt, qui expugnauit Henricum, & Poloniam in vnam Monarchiam reduxit. Et tunc cœpit cogitare de coronatione sua: misit ergo ad Papam in Auinionem pro coronatione: & impetrauit, vt anno 1320. in Ecclesia Cracouiensi corona-

De regno Poloniæ. Cracouia est ius coronandi Reges.

retur. Ab eo autem tempore Cracouiensis ecclesia habet ius coronandi Reges in magno Poloniæ regno: communiq; decreto sancitum est, vt in arce Cracouiensi corona, aliaq; regalia seruarentur. Habuit autem iste Rex filium Cazimirum nomine, cui Lithuanorum princeps dedit filiam in vxorem. sponsa veniens Cracouiam baptizata est, & Anna vo-

Anna Lithuaniensis.

cata est: sicq; pax composita est inter Polonos & Lithuanos. Deinde vertit se contra Marchionem Brandenburgensem, qui iniuste vendiderat Pomeraniam Cruciferis: & Premislaum primum regem occiderat, deuastaueratq; Poloniam. Depopulatus est igitur terram eius citra & vltra Oderam, vsque ad Francofordiam: & onustus multa præda, rediit in

Cruciferi occiduntur 40. millia.

Poloniam. Deinde anno 1331. pugnauit contra Cruciferos, & interfecit quadraginta millia illorum. Incœpit autem illa pugna ab ortu solis, vsque ad horam diei nonam. Mortuus vero est anno 1333. cum duodecim annis regnasset. Post

Cazimirus.

VVladislaum regem electus est Cazimirus filius eius in regem, regnauitq; annis quadraginta: hic inter reges Poloniæ, regnum magnificauit, templorum, castrorum, ciuitatum, & curiarum varia structura, sed in comessationes & Venerem intemperatus fuit. Post mortem Cazimiri, Ludouicus

Ludouicus rex Hungariæ & Poloniæ.

rex Hungariæ, nepos ex sorore Cazimiri eligitur in regem Poloniæ. coronaturque in Polonia anno 1370. præfuitq; regno annis duodecim: mortuus autem reliquit duas filias, nempe Mariam, quæ eo viuente desponsata fuit Sigismundo Marchioni Brandenburgensi, & Heduigim promissam VVilhelmo duci Austriæ. Mortuo Ludouico, coronata est

Heduigis Regina.

Heduigis in reginam. VVilhelmus dux Austriæ vana spe ducebatur regiæ dignitatis consequendæ apud Polonos: nā Iagiello Lithuaniæ dux, cum adhuc esset infidelis, anno 1385. misit fratres suos cum muneribus ad reginam, qui introducti ad conspectum reginæ, dixerunt: Si dominum nostrum

Iagiello. Lithuania recepit fidē Christi. anno 1386.

Iagiellonem dignaberis accipere; spōdet ille suscipere fidem Christi cum omnibus suis Lithuanis: omnes captiuos sublatos ex Polonia dimittere: & terras suas perpetuo regno Poloniæ vnire. Offert se terras Pomeraniæ, Culmensis, & quascunq; à regno Poloniæ alienatas, recuperare. Anno Domini 1386. Iagiello cum fratribus suis baptizatus est Craco-

VVladislaus.

uiæ, & VVladislaus appellatus: eademque etiam die nuptias celebrauerunt: terrasq; Lithuaniæ, Samogitiæ, & Russiæ regno Poloniæ perpetuo incorporauit: deinde in regem Poloniæ vnctus & coronatus est, anno Christi 1387. Rex autem

Iagiello coronatur anno 1387.

cum regina, & duce Mosauiæ, Lithuaniam pergunt: & populum illum ad Christi fidem induxit: extinxit sacrum eorum ignem: idolorum templa, & aras excidit syluas subuertit: interfecit serpentes quos adorauerunt: denique sublato paganismo, & instructos in fide Christi, sacro baptismate

Cathedralis ecclesia VVilna. Studium Cracouiæ.

perfundi curauit. Fundauit quoque in VVilna cathedralem ecclesiam. Iste rex piissimus Cracouiæ studium generale erexit. Mortua eius vxore in partu, accepit aliam hæredem regni Poloniæ, scilicet Annam VVilhelmi Comitis Ciliæ filiam. Anno 1416. tertiam accepit coniugem: deinde anno 1422. quartam accepit coniugem, nomine Sophiam, ex qua genuit VVladislaum & Cazimirum, qui paulo post moritur: deinde Cazimirum alterum. Mortuus est autem Iagiello senio confectus, anno 1437. Successit filius eius VVladi-

VVladislaus.

slaus: in felice omine ad Hungariæ regnum vocatus: coronatus in Alba regali deinde congregato exercitu anno 1443. Romaniam vsque Macedoniam pertransiit: instituitque graue Turcarum certamen, ex quo magnam laudem repor-

Rex Poloniæ feliciter pugnat contra Turcas. Rex non apparuit viuus neque mortuus.

tauit. Postea an. 1444. cum nouo exercitu à Segedino copias mouit ad vrbē Nicopolim, ad quem venit Palatinus Transalpinæ VValachiæ, monuitque ne cum Turca congrederetur, qui in magna veniebat multitudine: sed Rex forti animo vergens ad Varnam, ibi in pugna interiit, anno sui regni in Polonia 10. in Hungaria 4. Victus in acie non amplius apparuit viuus, neque mortuus. Occiso VVladislao, Cazimirus dux magnus Lithuaniæ frater eius postulatus est ad regem: & cum apud Lithuanos moram faceret, Boleslaus

Cazimirus.

Masouiæ princeps, electus est in regem. Hæc dum Cazimirus sciret, propere Poloniam venit. Postea anno 1445. idem Cazimirus in regni sociam asciuit Elizabetham filiam Alberti Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ regis ac ducis Austriæ Ladislai, Hungariæ, & Bohemiæ regis sororem, ex qua sustulit multos filios, & filias. Hic Cazimirus vniuer-

Cazimirus moritur.

sam Prussiam adeptus est, anno 1492. moritur ex profluuio ventris eodem anno, relictis sex filiis, & septem filiabus, perceptis omnibus sacramētis. Porro, ex filiis quatuor successiue fuerunt reges in Polonia. Cazimirus secundogenitus, in VVilna quiescit tumulatus: vltimus filius Fridericus Cardinalis, Archiepiscopus Gnesnensis, & Episcopus Cracouiensis. VVladislaus primogenitus Cazimiri, viuente patre designatus est rex Hungariæ, & Bohemiæ. Anno Christi

De regno Poloniæ.

Fridericus Cardinalis. Ioannes Albertus. Alexander Sigismundus.

1492. Poloni post Cazimirum defunctum elegerunt filium Ioannem Albertum, qui non diu, neque feliciter regno præfuit. Post eius mortem electus est Alexander dux Lithuaniæ, sed in profectione contra Tartaros mortuus est. Deinde Sigismundus minimus natu, anno 1506. factus est rex Poloniæ, gessitque magna prælia contra vicinas nationes, præsertim contre Moschouitas, ex quibus strauit anno 1514. triginta millia, mense Septembri. Iste Sigismundus, vt dixi, eũ prima vxore habuit vnam filiam, quam duxit Marchio Brandenburgensis: cum secunda vero vxore Bona, habuit vnicum filium Sigismundum Augustum, & filias quatuor.

Sigismundus Augustus. Stephanus rex vicit Moschouitas.

Post Sigismundum Augustum, modo regnat inclytus Stephanus Bathori, serenissimus rex Poloniæ: vir bellicosissimus: cum omnibus egregiis ducibus, & regibus conferendus. Is præterito bello Moschouitico, superbum & immanem illum ducem Moschouiæ humiliauit, domuit, & in tantum animi mœrorem induxit ob partam victoriam, & Liuoniam sibi direptam, vt ex nimia tristitia periret. Is serenissimus Stephanus, Stephano Palatino sub Ioanne rege Transyluaniæ, matre Anna Thelegdi, anno salutis 1533. die DD. Cosmę & Damiani natus, in pueritia bonarum literarũ studia, & venustatem sermonis est consecutus. Adolescentiam in aula Ferdinandi Imperatoris, eiusdemque Hungariæ regis, maturiorem vero ætatẽ in bellis Hungariæ ciuilibus, magna cum laude, & animi modestia, ac corporis robore, viribusque infractis exercuit: in quibus & candentes globos nouum incendiorum genus aliis omnibus incẽdiis præstantius primus inuenit, instituitque. A Ioanne Transyluaniæ principe ad Ferdinandum, ac Maximilianum Imperatores, iterumque ad Maximilianum Imperatorem Iulum Legatus missus: in secunda legatione, ob turbatas eo absente conditiones pacis, biennio detentus est: quod quidem tempus in probatissimorũ doctissimorumque virorum libris legendis transegit. Post mortem vero Ioannis principis Transyluaniæ, Regis Ioannis filii, prudenter eius vrbis receptis præsidiis, in qua princeps obierat, Transyluaniæ princeps ab omnibus salutatur. Bekesium, quem Ioannes princeps Transyluanię in successorem sibi delegaret, in locũ principis succedere cupientem, & in locum munitum & expugnatu difficilem, se recipientem, nouo quodam equo Truiano delusum, inde ad Maximilianum Imperatorem confugientem, eiusque præsidiis ex arcibus Hungariæ ditionis Cæsareæ munitum, bellum in Transyluanos instaurare tentantem, fugauit atque deturbauit. Interim, quia ad maiore natus erat, sicut exitus rei clarissime comprobauit, Rege Henrico Galliarum, qui tunc temporis Regni Poloniæ habenas regebat, & ob mortem Regis Galliæ, regnum Poloniæ deserẽte, pars plurima Polonorum, Sereniss. STEPHANVM in regnum vocauit, acclamauit, & elegit. Quod quidem non sine singulari prouidentia & beneficio Dei factum, nullus animi compos ambigere poterit; nam de illius inuictissima in fidẽ Catholicam enimi constantia hæc ferunt; quod cum totũ plane Hungariæ regnum cum Ioanne principe Transyluaniæ à fide sanctæ & indiuiduæ Trinitatis in sectam Arianorum defecisset, ipse solus cum suis in Ecclesiam confugerit, ibique sanctissimæ Trinitatis nomen vltro confessus fuerit, & gratiarum actiones retulerit. Et quia non erubuit S. Trinitatẽ confiteri coram hominibus sancta quoque Trinitas non erubuit eum tam magno regno præficere, ac virtutibus regalibus insignitum, multis victoriis auctum, & bellorum splendoribus ornatum, toto fere orbi spectatissimum reddere. Is mox Poloniam se conferens, sedatisque factionibus, ac cõpositis belli tumultibus, qui in principio noui regis exoriri solẽt, magna cũ dexteritate & prudentia totum regnum pacificauit, rebellibus & insolẽtibus castigatis, ac dignis pœnis affectis, Cracouiæ est coronatus, Anno Domini 1575. 1. Maii, præsens annus est vndecimus sui regni. Vtinam ad multos annos. Insurgente postea bello Moschouitico, domuit superbum Ducem, totamque Liuoniam Regno Poloniæ integram restituit, atque adiunxit. Cum autem feruẽtissimus suæ Maiestati animus esset ad S. Romanæ Ecclesiæ authoritatem dignitatemque, illum Dominum Andream Bathori, nepotem suum ætate floridum, probis moribus ornatum, zelo fidei Catholicæ plenum, ad Papam Gregorium, huius nominis tertiumdecimum destinauit: quem ab omni prorsus Italia, dignis honoribus cumulatum, & ab ipsa vrbe, ac Illustrissimis & Reuerendissimis Cardinalibus, denique à sanctissimo D. nostro Papa honorificentissime benignissimeque susceptum, Cardinalemque insignem creatum, Poloniam remisit. Sed iterũ sapientissimus Stephanus, ad Sixtum quintum, eundem redire disposuit. Atque ita Illustrissima domus Bathori, & splendore regio illustratur, & Cardinalatus honora, nec non virtute & magnificentia Illustrissimi Principis Transyluaniæ fratris germani, nostri serenissimi Regis decoretur.

Andreas Bathori Cardinalis.

De regno Poloniæ.

Cum sim in descriptione Poloniæ, non tacendum putaui aliquid inserere & describere de aliquibus Illustrissimis & clarissimis istius Regni Senatoribus nec non de aliis nobiliss. viris, quibus incumbit de rebus arduis, & ad bonum totius regni pertinentibus agere.

Archiepiscopus Gnesnen.

Inprimis obuiam venit Reuerendiss. & Illustr. Dominus, D. STANISLAVS KARNKOVVSKI, Archiepiscopus Gnesnensis, primus princeps regni Poloniæ: vir admodum humanus, tractabilis, omnibusque amabilis: Christianæ religionis non paruum præsidium: Theologorum ac studiosorum communis pater pietate in omnes celeberrimus: eruditione insignis: modestia, deuotione ac temperentia clarissimus. Denique omnium virtutum schola, & exemplar lucidissimum: cuius virtutis & prudentiæ in arduis negotiis regni disponendis magna extant argumenta.

Archiepiscopus Leopoliensis.

IOANNES SOLIKOVVSKI à Solkovv, Archiepiscopus Leopoliensis, ex nobili familia in Palatinatu Siradiensi ortundus: à primis annis in literis & piis moribus enutritus: in vtroque genere plurimum profecit. In officio pastorali sibi commisso, ita pie, modeste, & sancte se gerit, vt ab omnibus prupemodũ, velut alter sanctus Nicolaus Episcopus Smirnensis habeatur. Huius sancti antistitis vitæ probitate, & eruditione singulari permotus inuictissimus Stephanus, ad Sixtum V. Pontificem megnum, magnis honoribus cumulatum, legatum nobilissimum destinauit: apud quem non paruam laudem & honorem est consecutus. Est enim vir admodum humanus, facie ipsa aliquid insigne pietatis prę sendens. eloquio suauis: sermone venustus. verbis grauis: opere pius: consilio prudens: patientia mitis. lenitate modestus: peupertate diues: nobilitate temperatus: fide feruens: zelo Dei ignitus: denique omnium virsusum schola & magisterium.

Episcopus Cracouiensis.

Adest non silentio inuoluendus Illustriss. & Reuerendiss. Princeps ac Dominus, D. PETRVS MYSZKOVVSKI, Episcopus Cracouiensis, dux Seueriensis, &c. da quo verificari potest illud Poetæ Italiei: Che tanto vixe, & tanto seppe. Et reuere, vt dicit D. Hieronymus: In senibus decrescentibus viribus, sola sapientia crescit. Est enim noster Illustriss. & Reuerendiss. Antistes, sapientia clarus. multarum rerum experientia insignis: ingenio acutus: animo perspicax: parsimoniæ cibi & potus studiosus: in rebus arduis, & intellectu difficillimis, & inuentu obscurissimis plurimum valet consilio & authoritare, & industria, sicut multa eius exempla comprobarunt.

Episcopus VVladislauiensis.

Inserendus venit Reuerendiss. & Illustriss. Dominus, D. HIERONYMVS Comes à ROZDRAZOVV, Episcopus VVladislauiensis & Pomeraniæ, ex his parentibus ortus, qui in fidei Catholicæ defensione immobiles semper perstiterunt. A prima pueritia optime institutus, vt facile in hac parte cæteros omnes superaret: optimis moribus, ac Christiana vita semper ornatus. Quas ob insignes virtutes, morumque elegantiam Christianam quoque, pietatem, nec non & singularem doctrinam, Pius V. Pontifex maximus, Christianiss. quoque Rex Henricus, nec non & sereniss. Stephanus magnus Rex Poloniæ, eum in Episcopum VVledislauien. & Pomeraniæ euexerunt, & veluti lumen præclerum suo in candelabro collocarunt: vt omnes eum & suspicere valeant, & imitari queant. In quo loco splendet, vt sydus fulgidissimum. Vtinam quam diutissime.

Episcopus Posnaniensis.

Sequitur Reuerendiss. Dominus D. LVCAS KOSCIELECKI, Episcopus Posnaniensis. ex præclarissima & nobilissima familia oriundus. vir admodum prudens, ingeniosus, & in pauperes liberalis. Est autem ciuitas Posnaniensis pulcherrima, & nitidissima. pulcherrimis ædibus & palatiis instructa. habet Palatinatum, & Episcopalem insignem cathedrem, optimum Magistratum, plure Collegia, plurimosque religiosos, nec non & diuitias multas, & fertile solum: vnum patitur incommodum, quod interdum alluuione, seu abundantia aquarum, tota quasi obruitur & moritur in aquis, non sine magno incommodo, & iactura ciuitatis.

Episcopus Plocensis.

Ecce toti pene orbi cognitus apparet Reuerendiss. atque Illustriss. Dominus D. PETRVS DVNINVVOLSKI, Episcopus Plocensis, velut alter Aaron cum rationali & lapidibus pretiosis: vrbanus, ciuilis: vt non solum Polonum videas, sed Italum, sed Gallum, sed Hispanum: ita enim perfecte huiusmodi linguas callet, vt in vnaquaque istarum regionum natum & enutritum putes. Quod si illius instructissimam Bibliothecam inspexeris; dii boni, quid ibi non reperies? Signum profecto, non vnius, sed multarum scientiarum clarissimum; siquidem plus ætatis, vitæque suæ in legationibus regiis, apud Italos, Hispanos, Gallosque consumpsit,

consumpsit

De regno Poloniæ. sumpsit, quam apud Polonos. Vir est admodum prudens, sagax, magnæque experientiæ, liberalis, comes, atque suauis. suæ domui bene præpositus: vigilans in officio Episcopali: largas condens eleemosynas in sinu pauperum, splendidus non sine multis impensis in his, quæ ad ornamentum Ecclesiæ pertinent. Vtinam in multos annos semper in melius.

Episcopus Varmiensis. Non deest huic proposito Reuerendiss. D. MARTINVS CROMERVS Episcopus Varmien. cui laudes addidisse, decerpsisse est: cuius eloquentia, & sermonis venustas, in conscribendis historiis, velut flos latinitatis enituit: cuius vitæ sanctimonia cum insigni eruditione pariter coniuncta, optime perspecta Serenissimus Sigismundus Augustus, & inuictissimus Stephanus, Reges Poloniæ. & sanctissimus Papa Gregorius XIII. in Episcopum Varmiensem cum sufficerunt. Quod quidem officium, munusque Episcopale, pie, diligenter, & magna cum laude exequitur, etsi aduersa valetudine laboret. In senectute vero constitutus, à studiis & sanctis operibus atque eleemosynis minime vacat: suam doctrinam, & viuens, & moriens Ecclesiæ profuturam esse decreuit; non enim sibi soli, sed omnibus nobis laborauit.

Episcopus Premisliensis. Sequitur Reuerendiss. Dominus ALBERTVS BARANOVVSKI, Vicecancellarius & Episcopus Premisliensis: vir clarus, à primis annis optimis moribus imbutus. in literis bene versatus: in fidei Catholicæ defensione semper armatus; apud serenissimum Regem non paruam gratiam est adeptus, propter singularem suam modestiam, magnamque dexteritatem & prudentiam in negotiis regni pertractandis atque absoluendis: vnde Secretarius maior primum institutus: in cuius muneris functione cum prudenter se gessisset, Vicecancellarii munere donatus est: nec non & Episcopali dignitate euectus. Quibus in muneribus ita prudenter, ita modeste, ita benigne se gerit; vt Rex noster sapientissimus familiarissime eo vtatur, mirificeque diligat: omnibusque qui recte sapiunt, charus acceptusque sit. Est enim vir affabilis, comis, suauis, prudens & discretus: in rebus sibi commissis fidelis. in conficiendis velox: in laboribus subeundis promptus: in periculis cauendis dexter: in malis hominibus fugiendis cautus: & quod supra omnia eminet, bonus Catholicus, & religionis Christianæ integer zelator. Vtinam ad multos annos quam bellissime.

Episcopus Chelmensis. Sequitur Reuerendiss. D. ADAMVS PILCHOVVSKI, Episcopus Chelmen. de quo illud D. Pauli verificari potest: Bonum certamen certaui: cursum consummaui: fidem seruaui, hic enim prouectæ ætatis, & in senili ætate splendet magna experientia rerum: in rebus agendis dexteritate: in rebus aduersis patientia, temperantia morum, liberalitate, & clementia: ita vt dicere possit: De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.

Episcopus Culmensis. Nobilis inter alios nobis occurrit Illust. & Reuerend. Dominus D. PETRVS KOSTKA, Episcopus Culmensis, vere in culmine generosi & liberalis animi positus: cui si tanta facultatum copia suppeteret, sicut generosa animi amplitudo, maiora præstaret. qui cum Diuo Ambrosio dicit: Ecclesia aurum habet, non vt congreget, sed vt eroget: vt non immerito cum doctissimo, & eloquentissimo Paulino Episcopo Nolano, qui in seruum se vendidit, vt cuiusdam pauperrimæ viduæ filium redimeret, conferri possit. Adest præterea huic Reuerendiss. Domino linguæ suauitas, sermonis lepor, eloquentia varia, philosophiæ celebris notitia, ingenii perspicacia, iudicium maturum, sagax, & promptum, liberalitas singularis, affabilitas eximia, morum suauitas: vt cum videris hominem, & paululum eius mores perspexeris eius capiaris amore. Non petit ut in suo regiminis culmine sectarios, rerum nouatores, inuentoresque diffidentiæ.

Episcopus Camenecensis. Non deest nobis Reuerendiss. D. LAVRENTIVS GOSLICKI, Episcopus Camenecensis, & Abbas Claræ Tumbæ: vir admodum ingeniosus, prudens, sagax, circumspectus, ac perspicaci prudentia pollens: in obeundis sibi commissis muneribus regum mira dexteritate, arte, atque solertia, omnia diligenter est executus. Quam ob causam non paruam laudem apud exteros, ad quos legationa functus est, assecutus est. His ergo & similibus operibus permotus serenissimus Stephanus, in Episcopalem dignitatem eum euexit: cui Deus pro sua bonitate Spiritum sanctum communicare dignetur, vt suo officio pastorali recte fungi valeat.

Episcopus Vendensis. Lætissimus se offert huic spectaculo Reuerendiss. D. ANDREAS PATRICIVS NIDECKI, Episcopus Vendensis, qui instar grani sinapis, creuit in arborem magnam, ita, vt volucres cœli in ramis eius requiescerent: quod est summæ veræque virtutis. Sic enim tam magni precii magnique honoris virtus est, vt non nisi propriis laboribus parari possit. Is doctissimus vir ab ineunte ætate ita literarum studiis animum accommodauit, vt doctissimus euaserit, pariterque & eloquentissimus. Quamobrem non paruam laudem & honorem apud Regem Sigismundum Aug. ac serenissimam Reginam Annam est consecutus. Cum enim animaduerteret pientissima Regina tanti viri prudentiam singularem, doctrinarum eximiam eruditionem, linguarum cognitionem, rerum agendarum mirabilem solertiam, senectutem plenam sapientiæ, optimam aulicæ vitæ experientiam, probitatem viri, honestatem, religiositatemque, multis honoribus ac dignitatibus auctum, suæ aulæ regendæ præfecit, & à consiliis, & à secretis habere voluit. Scripsit de Ecclesia erudite & eleganter, vt legentem mirabiliter delectet & doceat. Huius præclari viri eruditione, & Catholicæ fidei zelo permoti, Papa Sixtus V. & serenissimus Stephanus rex Poloniæ, in Liuoniæ Episcopum cum euexerunt, & euectum confirmarunt, ac VVarsauiæ consecratus est magna cum solennitate, & omnium applausu, & gaudio. Vtinam quam felicissime & diutissime cum magno profectu sui gregis, ac omnium fidelium pace, & tranquillitate plenissima, animi quoque sui concordia felicissima.

Stanislaus Socolouius. Nunc vero in particulari non videtur mihi prætereundus Reuerendus D. STANISLAVS SOCOLOVIVS, Præpositus S. Floriani, necnon Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Cracouien. Is à primis annis Græcis Latinisque literis operam dedit: & in vtraque lingua celeber euasit. Deinde in Italiam profectus, ac omnia pene scientiarum genera consecutus, Bononiæ cum summa omnium admiratione & laude Theologiæ Doctor creatur. Inde Poloniam rediens, & à magno Stephano in Theologum & Concionatorem assumptus, sexennium apud sapientiss. Regem exegit: conciliauitque sibi ita animum Regium, omniumque Principum Poloniæ, & totius denique regni, suæ vitæ probitate, & eruditione singulari, vt velut doctrinæ præfulgidum sydus inter Polonos habeatur. Verum, cum ex continuis & immensis laboribus, concionibus, belli tumultibus, variisque itinerum incommodis, scriptionibus, perpetuis quoque studiis, grauissimum capitis dolorem incurrisset; coactus est Cracouiam redire gratia consulendæ sanitatis: vbi vsque hodie manet, & vtinam ad multos annos. In hoc præstantissimo viro nihil possumus desiderare, nisi robur capitis, & totius corporis optimam valetudinem. In ægra tamen valetudine, egregia opera edidit de censura orientali, de Ecclesia, aliosque insignes tractatus & conciones, quæ passim circumferuntur.

Hieronymus Pouodouius. Reuerendus etiam D. HIERONYMVS POVODOVIVS, Polonus maior nobilis, & Ecclesiæ S. Mariæ Cracouiæ Archipresbyter, non est omittendus: vir admodum pius & eruditus, atque egregius Ecclesiastes, totique Regno charus & acceptus, præsertim serenissimo Regi Stephano, à quo donatus est hoc munere Presbyteratus, ob eximiam viri laudem & eruditionem. Is vir Dei non segniter exercens munus sibi commissum, feruentissimis doctissimisque suis sermonibus, ac præclarissimis probatæ vitæ exemplis, plurimos incredulos, & à fide Catholica aberrantes, conuertit ad prudentiam iustorum: & in dies non cessat parare Domino plebem perfectam. Edidit multos libros tum in lingua latina, tum Polonica, elegantes, & eruditos, quibus mirifice nostram fidem illustrauit. Sæpius in causis decidendis, quæ ad bonum totius Regni spectant, accersitur: & in huiusmodi laboribus subeundis strenuum se semper præstitit, & inuictum. Est enim vir admodum bonus, purus, simplex, sine typo, sine fastu, absque dolo: diuitiarum contemptor: ambitionis expers: zelo fidei seruens, & vitæ probitate fulgens, velut sydus fulgidissimum, nostris hisce temporibus. Vtinam ad multos annos semper in melius.

Palatinus Cracouiensis. Hos sequuntur deinde seculares: Quorum ex numero primus est Illust. & Magnificus Comes à Teczyn Dominus D. ANDREAS TECZYNSKI, Palatinus Crac. ex antiquissima Teczyniorum Familia: vir magni consilii: magnæ authoritatis & experientiæ: Catholicæ fidei æmulator, & egregius propugnator. Regni, & Christianæ Reipubl. maximum præsidium & fulcimen: vir magnanimus, fortis, omnibus gratus, beneficus, & humanus. Vtinam ad multos annos.

Castellanus Sendomiriensis. Inter cæteros etiam eminet Comes Illust. & Magnificus D. STANISLAVS TARNOVVSKI à Tornovv Castellanus Sendomirien. vt genere, nobilitate, & antiquitate, ita magnificorum operum probatissimis exemplis, atque certis experimentis insignis: qui suos, sua, denique seipsum pro salute Reipub. sæpius libere obtulit: vir prudentissimus, patientissimus, pariter & humanissimus: Christianæ religio-

De regno Poloniæ. nis atque Catholicæ fidei singularis defensor, & propugnator. Vtinam in melius ad multos annos.

Marsalcus regni. In hoc eodem numero censendus est etiam Illustris & Magnificus Dominus D. ANDREAS OPALINSKI, Marsalcus regni: penes quem est vniuersi senatus ordo & aulæ Regiæ administratio vir infracto animo: forti pectore. qui resistere potest iniquitati, ac malos & rebelles comprimere: quique non respicit ad personam hominis, sed omnia iuste & legitime agit: administrat iustitiam vnicuique prout decet. cui Deus Opt. Max. pro sua pietate, & regni conseruatione firmam & diuturnam valetudinem præstare dignetur.

Magnus Cancellarius. Equidem dum mente complector Illust. & clariss. D. IOANNIS SAMOSCII, R.P. magni Cancellarii, inprimis prudentiam singularem, eximiam solertiam, ingenii acrimoniam non paruam, summam omnium prope scientiarum cognitionem, multarum rerum exactam experientiam, animi inuictam fortitudinem in periculis obeundis, in bellis conficiendis egregiam dexteritatem, in tumultuariis factionibus regni comprimendis admirabilem prouidentiam, ornatissimam sermonis venustatem; non possum nō mirari, quomodo in vno homine tot simul conspirauerint virtutes. Is prudentissimus dominus natus in arce auita familiæ Samosciæ Skokovvks in Palatinatu Belsensi Russiæ an. XLII. S. CIͻ.Iͻ. die 19. mensis Martii. Paternum genus ex antiquissimæ Coslorogorum gentis stirpe, quæ ex Siradien. & Lancicien. Palatinatu in Russiam translata fuerat: eius pater Castellanus Chelmen. extitit, militiæque prætoriæ præfectus: Maternum vero ex Herbortis nobili inprimis, ac clara apud Russos familia traxit. cum probæ adolescentiæ annos ageret, in Galliam missus ad Franciscum Delphinum, primi eius nominis Regis filium, relictaque aula literarum studiis vacare maluit, idque per quadriennium quam diligentissime cursuit. Inde ad Italos commigrauit conquirendæ sapientiæ gratia, apud quos non paruam laudem, & honoris splendorem est consecutus. Itaque suis confectis studiis, absolutisque negotiis, Poloniam reuersus, ob summam viri authoritatem & prudentiam regi Sigismundo Augusto charus, acceptusq; extitit. Archiuum regni multis sæculis intactum, à rege sibi creditum, singulari industria, & admirabili iudicio breui in ordinem redegit: multaque alia in secretariatu documenta dedit. paternasq; præfecturas post patris mortem cum summa regis Sigismundi Augusti beneuolentia & authoritate est adeptus. Post obitum vero dicti regis, in interregno, authoritate, atque dexteritate regno plurimum profuit. Inter legatos in Galliam ad Henricum regem missus est, à quo Knisinensi præfectura donatus est. Post discessum vero Henrici, non paruam gratiam init apud sereniss. Stephanum: in primo enim quasi regni aditu, Vicecancellarii munere accepto, eos, qui in electione diuersum senserunt, aditum ad gratiam Regis prudentissimi illis faciendo, ad concordiam & consensum reduxit. inde magnus Cancellarius factus. In bello vero Moschouitico inuictissimus Stephanus huius præclarissimi viri industria comperta, solerti quoq; prudentia in rebus bellicis rite disponendis, eum totius exercitus vniuersalem ducem constituit. Confecto itaq; bello Moschouitico, egregiam laudem, & ampla spolia ad Polonos referentes, Cracouiæ nobilissimos atque faustissimos inuictissimo Stephano, regi serenissimo triumphus exhibuit. Deinde Tartari Poloniam inuadentibus, terga vertere coegit. Quapropter rex sapientissimus, vt talem, tantumque virum arctissimo sanguinis vinculo sibi deuinceret, Griseldem fratris sui Christophori Transyluaniæ principis filiam in matrimoniū collocauit. Prius autem habuerat in vxorem sororem Illustrissimi ac Reuerendiss. Cardinalis, Episcopi Vilnen. ex nobilissima familia Radziuilorum. Regni deinde rebelles cōpescuit: & magna cum modestia & prudentia negotia regni disponit, ordinat, & tuetur. Religionis Catholicæ obseruantissimus, benignus, amabilis, liberalis: munificentissimus in omnes qui recte sentiunt de fide Catholica: qui debitum honorem, reuerentiam, fidem, amorem inuictissimo regi Stephano exhibent: qui pacem regni quærunt, & inter principes regni discordias non seminant: semper armatus contra omnes fortunæ impetus: serenissimo regi Stephano gratissimus & acceptissimus. Vtinam quam diutissime, ad totius regni statum felicissimum tuendum coseruandumq;.

Marsalcus M. D. Lithuaniæ. Adest non silentio tegendus Illustr. Dux in Olica & Nieswviesi Dominus NICOLAVS RADZIVILVS, magnus Marsalcus M. D. Lithuaniæ: Catholicæ fidei magnus propugnator. qui ob consequendam adipiscendamque omnium propemodum rerum experientiam; totam pene Europam perlustrauit, cum suis magnis incommodis, quæ iis hominibus solent accidere: vir admodum prudens: multarum rerum experientiam habens: & in regimine Ducatus Magni Lithuaniæ plurimum præstat; ita vt ius fidei Catholicæ per eius suorumque Germanorum egregiam atque circumspectam administrationem in optimo statu sit constitutum: quos Dominus Deus ad multos annos, ad totius reip. Christianæ emolumentum conseruere dignetur.

Thesaurarius Magnus. Non deest etiam nobis M. & Illust. D. IOANNES DVLSKI, magnus Thesaurarius Regni vir fidelis in rebus gerendis Regni, in negotiis arduis dexter & prudens, humanus, affabilis, & liberalis: & quod iis omnibus præstat. catholicæ fidei æmulator atque obseruator diligentissimus.

Non est etiam prætereundus Illustris & Magnificus D. NICOLAVS FIRLEI de Dambronica, Castellanus Biecen. & Referendarius S. R. M. qui non solum nobilitatis genere; sed etiam probitatis & humanitatis est illustris: vir clarus: omnibus notus & charus, ob insignes illius virtutes & animi dotes, quibus clare prætendit se ad maiora natum esse: cuius votis Deus faueat, prosperet atque confirmet.

Referendarius regni. Non vereor de Generoso & Magnifico D. IACYNTHO MLODZIEIOVVSKI, Vicethes. regni, aliqua loqui quæ nō obscuro, nec vario sermone; sed clarissima, & vna omnium voce de tam præclaro viro proferuntur: eius laus per totum regnum diffunditur, probatur, & commendatur. Profecto argumentum eximiæ huius viri probatissimæ laudis certissimum esse potest, quod Rex noster sapientissimus, & prudentissimus, beneficentissimus, & gratissimus, thesauros regni dispensandos ei commiserit. Quod quidem officium ita prudentissime exequitur, ita fidelissime administrat; vt cum magna pace totius regni, maximaque gratia serenissimi, res omnes agantur. *Vicethesaurarius regni.* Est enim vir prudentissimus & humanissimus: in thesauris regiis distribuendis expertissimus: cui non deest ingenii acumen, animi robur, perspecta rerum agendarum experientia: denique pietas mentis singularis, & optima voluntas ad benefaciendum: vtinam quam diutissime.

In rebus honoris, vitæ, & aliarum rerum grauium, regio nomine Marsalcus Magnus decreta foribus apertis pronunciat: in causis leuioribus partim pronunciat Referendarius spiritualis, partim Referendarius secularis. Iidem vicissim, auditas à se tanquam ab assessoribus regiis causas, neque certo exitu conclusas, publice Regiæ Maiest. exponunt.

Hos deinde Secretarii tam spirituales, quam seculares sequuntur: futuri deinde senatus veluti seminarium: ex his quippe aliis atque aliis decedentibus officia senatus dignitatesque supplentur.

Sunt deinde & alii quamplurimi, qui vel ob doctrinam, vel ingenium, vel ob alias animi virtutes, dotes, & fidem, Regi Stephano sunt chari. quorum ex numero est Generosus D. FRANCISCVS VESELINVS Hungarus, ex nobili antiqua familia originem habens: qui ab ineunte ætate, tum in aduersis, tum etiam in secundis rebus sacræ Maiest. Magni Stephani, regis Poloniæ inuictissimi, firmam semper animi fidem, & inuictum pectoris robur præstitit. ob cuius indolem, ad omnia quæ in humanis rebus amplissima sunt comparatam, eum & adamauit sereniss. rex Stephanus, & in Transyluania inter intimos suos cum ascripsit. *Franciscus Veselinus.* Quo in munere ita suam illi operam, fidem, diligētiam, officium probauit, vt cum potissimum eius opera singulari priuate & publice vteretur, doleretq; talem iuuenem errore fidei religionisque teneri pientissimus rex; non prius de charissimo sibi ministro laborare desiit, quoad eum ecclesiæ Catholicæ recuperauit. Is præclarus dominus genitus est ex quondam domino VVolfgango Veselino Hungaro, viro forti, & in arte militari strenuo qui in multis bellis contra patriam hostes, magna cum omnium laude sæpissime pugnauit, magnosq; in huiusmodi genere bellandi honores est consecutus. Ad huius autem egregii domini mentionem faciendam, partim quidem me incitauit eius laudum digna commendatio: partim vero nobilis Stephanus Bondonius Vngarus: vir acri & circumspecto ingenio. qui conquirendæ sapientiæ gratia, sub variis Academiis, & disciplinis hactenus militauit: nunc demum auidius cupiens de fonte Castali bibere, aurea Herculis cathena attractus, ad maximum totius orbis Gymnasium Lutetiam scilicet Parisiorum, gratia magni Stephani nostri regis & præsidio munitus, libentissime se contulit. *Stephanus Bondonius.* Porro in ornatissimo domino Francisco Veselino, illud potissimum commendandum censeo, quod velut columna immobilis, inter fluctus & tempestates religionis Catholicæ apud Hungaros semper inflexibilis permansit, & tutus, non clypeo, sed catholicæ fidei veritate

munitus

De regno Hungariæ. munitus. Quam ob rem apud omnes Catholicos, præsertim autem apud Magnum Stephanum regem nostrum serenissimum, magnam operum laudem, simul cum fide Catholica coniunctam sibi comparauit, vt non immerito inter præclaros viros, qui Regiæ Maiest. sunt à secretis, præcipuus habeatur. Est enim vir admodum humanus morum honestate conspicuus, omnibus amabilis, gratus, atq; acceptus: fidus in rebus sibi commissis: alacer in eisdem exequendis: prudens in controuersiis inter præclaros viros exortis componendis. Quapropter congratulor (vt debeo) tantæ suæ felicitati, & virtuti; vtinam in multos annos semper in melius. Perge igitur præclare domine, quo virtus tua te vocat, quod summæ cum laude cœpisti: teque natalibus tuis dignum præsta. Impone summam manum tuis immortalibus monimentis; certa cum maiorum tuorum laudibus, quibus tuamet virtute, plus lucis attulisti, quam acceperis. Vnum certamen reliquum esse tibi puta, vt teipsum præire contendas, & teipsum vincas: quod facturum ta spero gratia domini nostri Iesu Christi, Amen.

DE REGNO HVNGARIÆ.

Hungaria. Hungaria ab Hunnis, vel Hungaris populis ex Scythia profectis, qui eam incolunt, nomen sortita est. *Situs Hungariæ.* A Drauo ad meridiem sumit initium: à septentrione, Sarmatis, quos Polonos, & Getis, quos VValachos, dicimus terminatur: ab occasu Austriam habat, superioris quondam Pannoniæ caput: ab oriente Mysiam, quam *Danubius.* Rhetianam nunc appellant. Danubius omnium quos Europa habet fluuiorum maximus, mediam interfluit: atque in *Hungaria citerior.* citeriorem & vlteriorem scindit. Citerior ast ea, vbi olim Pannoniæ fuerunt. hæc ab vlteriore Hungaria Danubio, ab Austria, & Norico, radicibus Cœtii montis, à Sclauonia Drauo, à Bosna, & Rascia Sauo fluminibus terminatur. Huius citerioris Hungariæ caput est Buda regni sedes. *Buda regni sedes. Alba regalis, in qua reges coronantur.* Nobiliora in ea oppida, Alba regalis coronatione & sepultura regum insignis, Strigonium metropolitana, Quinqueecclesiensis, Episcopalis sedes, Sopronium, Iaurinum, & Sâbaria diui Martini patria. Lacus habet duos nobilissimos, Balaton & Fertou. Huic citeriori Hungariæ, vbi Drauum transieris, annexa Sclauonia est, pars olim Pannoniæ superioris, *Patria S. Martini. Croatia.* inter Sauum & Drauum posita. Sed vltra Sauum protenditur vsque ad flumen Hunnam, vbi Croatia incipit. Postquam Dalmatia sequitur, per oram Adriatici maris, quæ partim Veneto, partim Turcæ paret: minima eius pars est *Hungaria vlterior.* Regi Hungariæ subiecta. Loca mediterranea Boznenses tenent; & Rasciani, qui olim Mœsii superiores fuerunt. Hungaria vlterior montibus Carpathiis supra Posonium incipientibus, & longissimo flexu ad litus Euxini maris porrectis à Morauia, Silesia, Polonia, & à Russia distinguitur, vsque ad eum locum, vbi regio est, quam Maromarussiam vocant. Ibi enim alii montes & syluæ ab eo loco Seuerinum *Tibiscus fluuius.* versus tendentes, à Transyluania, & Valachia Transalpina separant. Hanc vlteriorem Hungariam Tibiscus fluuius piscosissimus, in montibus Maromarussi ortus, mediam in- *Ciuitates. Fodinæ auri & argenti.* terfluit. Hæc Hungaria oppida habet nobiliora: ad septentrionem Posonium, Tirnauiam, &c. Ad meridiem vero Colaciam, Bacchiam, Segedinum, &c. & vltra Tibiscum, Varadinum, Debræcinum, cum fodinis auri & argenti. *Hungariæ fertilitas & conditio.* Hæc regio nulli alteri regioni, hominum robore, pecorum fœcunditate, vbertate soli, metallorum copia, cœli benignitate, & pulchritudine situs, cedit: ferox hominum genus, vt statim aliquid Scythicum inesse intelligas: sitis, famis, & aliorum laborum plusquam modica patiens. Nobilitas apud eos, militari splendore definitur; rebus bellicis solum student. Hæc natio Turcas vincere consueuit: quæ nunc pro magna *Pannones Hunni.* parte Turcis subiecta est. Pannones ab initio eam terram tenuerunt, Pœones olim dicti, inde Hunni habuere gens Scythica. Mox Gothi & post eos Longobardi, nouissime Hungaria, ex Scythica egressi regione, quæ non longe à Tanais ortu eatat, & Iuhra hodie dicitur, Duci Moschouiæ tributaria. *Hunni venerunt in Europam anno 373. Hunnorum regnum propagatur.* Hunni autem in Europam venerunt anno salutis 3-3. & Valente imperante traiecerunt, ex centum & octo tribubus, decies centena & octo millia hominum, qui imperium propagare pergunt, & quicquid intra Tanaim, ac Tauricam Chersonesum fuit, in suam ditionem redegerunt: deinde ad Danubium vsque atque Germaniam, omnia cæde & terrore compleuarunt, aiectisque Gothis è sedibus suis traiecto Danubio, Pannoniam quoque sibi subdiderunt. Delectabat enim eos regio, quod feracitate soli, & cœli benignitate præstantissima esset. sed huiusmodi sedes in Pannonia non sine multo sanguine sibi compararunt: nam à Macrino Romanorū præfecto, iuxta Danubium centum

De regno Hungariæ. et vigintiquinque millia in primo conflictu cæsa sunt. In secundo autem 40. millia. sed interfecto Macrino, victoria po[illegible] sunt anno 401. Porro, ab ingressu Hunnorum in Hun- *Caduntur Hunni.* g[illegible]n anno 28. electus est in regem Attila vir fortis & pru[illegible]m, [imp]erandique cupidissimus. *Attila mos.* Erat enim acri & cir[illegible]ctto ingenio, breui & valido corpore, indefatigabili [...]gnitudine, animo crudeli, & elato, egregia for- *Attila titulus.* ma [...] aspectu, capite grandiusculo, oculis imminutis, r[...] barba, simo naso, canis fere crinibus, subnigro colore. In [...] coronatam ferebant aquilam. Attilæ inscriptio ha[b]erat: Attila metus vrbis, Deique flagellum. Suscepta igitur re[gni] dignitate, Budam veterem iuxta Danubium, sedem sibi elegit. fratrem varo suum Europæ Scythicæ præfecit. ipse autem cum inumera multitudine prouincias Romanorum adoritur: inprimis vtramque Mysiam, Thraciam, Macedoniam, & Illyricum graui bello sollicitat: atque in primo prælio superior euasit. Deinde Attilæ sunt plurimi confœderati. Vnde quingenta millia armatorum habuisse fertur. *Armatorum 500000. Attila crudelitas.* Ex Pannoniis mouet, Illyricum diripit, & incendit: inde Germaniam tanto furore aggreditur, vt vicos passim, & oppida concremaret: sacra & prophana dirueret, nec ætati, nec sexui vnquam parceret. Magnæ Germaniæ tantum pepercit, quia in sua militia habebat Sueuos, & Marcomannos. Superato Adulæ montis iugo in Heluetios grassatur: ac demum in Galliam Belgicam effunditur, turbatq; omnia. Constantiam, Basileam, Argentinam, acri obsidione vexat, & breui tempore potitur, non sine magna hominum cæde, spoliaque ampla reportat. In campis Catalaunicis ita contra AEtium Patricium Romanum, & Theodoricum regem pugnauit; vt riui sanguinis in torrentem redacti, cadauera traherent. *Riui sanguinis trahebant cadauera.* Cum autem Trecacenses peteret, Lupus vrbis Episcopus obuiauit Attilæ: Tune, inquit, es Hunnorum rex, flagellum Dei? Ego sum, inquit, Attila. Ad hæc Lupus Felix & faustum Domini Dei mei flagellum adueniat & patefactis mox portis, cum magno plausu regem *Lupus Episcopus obuiauit Attilæ.* admisit: Cuius Attila humanitate victus, per mediam vrbem exercitum tanta modestia duxit, vt ne pullum quidem gallinaceum læserit. Italiam autem ingressurus, exercitum per Illyricum, ad Adriaticum mare perduxit: subuertensq; obuias ciuitates, Tragurium, Scardonam, Salonam, tandem ad Aquileiam peruenit, quam trium annorum durissima obsidione fatigatam, ferro & igne consumpsit. *Aquileia obsidetur & expugnatur.* Euersa itaque Aquileia, Attila ad Padua castra mouit, quam expugnauit, & incendit: deinde Veronam diripuit. *Padua. Verona. Brixia. Pergamum. Mediolanum.* Eodem tempore depopulatus est Brixiam, Bergamum, similiter Mediolanum fraude circumuenit, & depopulatus est: Papiam quoque diripuit. Leo autem Pontifex Romanus Attilæ occurrit, monuitque, vt à cæde abstineret, ea terruitque ita; vt non multa verba facere posset: viderat enim duos senes, qui districtis ensibus astabant, mortem minitantes, nisi legato suo paruisset. *Leo Papa compescuit Attilam.* Atque ita Hunni regis edicto, sedato furore, cædibus, & incendiis abstinuerunt. Reuertitur Attila cum ditato exercitu in Pannoniam, & varia de partis victoriis edidit spectacula. Moritur profluuio sanguinis è naribus continuo suffocatus, noctu cum Baccho, & Veneri inserui- *Attilæ mors.* ret. Attilæ reliquiæ Pannonias incoluerunt. Rex eorum reliquit Theodoricum regni hæredem, qui paulo post Italiæ *Theodoricus.* regno potitur: cui successit nepos eius Athalaricus, cuius regni caput fuit Rauenna. *Athalaricus.* Contra eum mittitur à Iustiniano Belisarius, qui occupata Sicilia, Neapolim expugnat: atque inde Romam adoritur, & capit, Rauennamque expugnauit, & captum regem duxit in Constantinopolim, sicq; *Rauenna. Ostrogotthi.* Ostrogotthorum exitus fuit. Nam reliquiæ Attilæ diuisæ sunt Hunni enim habuerunt regem suum, similiter Ostrogotthi, qui excurrebant in Thessaliam, & Illyricum, & omnia diripiabant.

De Longobardis.

Longobardi Annoniam subiugant. Longe post Attilæ mortem, Longobardoru[m] rex intelligens nutare Gotthorum regnum, cu[m ma]gno exercitu, Pannoniam ingressus est, ann[o] [illegible]dicet salutis 530. & annos circiter 42. incoluerunt. *Narses.* Cum autem Narses nomine Græci Imperatoris, Italiæ præesset, tyrannice q; imperaret, Longobardi euocantur, ad huiusmodi tyrannum extrudendum. *Albuinus occupat Italiam.* His auditis Albuinus rex Longobardorum, coactis omnium Longobardorum familiis, acceptisq; secum è Saxonibus sociis cum liberis & vxoribus circiter 20000. ad emigrandum se præparauit. Pannoniam Hunnis, cui fœdere obstricti erant, & cum quibus habitauerant 42. annos, relinquens. Primum ergo occupat Venetorum regiones, & Foroiulianos: deinde Vicentiam Veronam, Mantuam, Brixiam, Bergamum. Et eum in Italia annos tres, & menses sex regnasset, coniugis insidiis inter-

De regno Hungariæ.

teremptus est. Interim autem dum Longobardi dominantur in Italia, Hunni qui manserant in Pannonia, euocant è reconditis, & asperis Scythiæ sedibus contribules suos, & cognatos, qui turmatim venerunt, liberos, vxores, pecora & vniuersas denique facultates secum adducentes, in septem exercitus diuisi, quorum quilibet 30. millibus hominum, & 857. constabat. primumque venerunt in Transyluaniam.

Hunnorũ secunda emigratio.

Hærentes autem aliquandiu in septem castris, ad explorandam Pannoniam mittunt, cognitaque terræ bonitate, eam occupant, interfectis Sarmatis, sedesque vltra citraque Danubium inuenere, ingeniumque intendunt ad muniendam Hungariam. Expugnatis autem, spoliatisque vicinis regionibus, expeditionem in eos Carolus Magnus mouens, octo annis eos infestauit, antequam domarentur. Hunnorũ nobilitas concidit, omnesque vires exhaustæ sunt. Franci vero ditati in Galliam redierunt. non tamẽ ex Pannonia eiici, extirparique Hunni potuerunt.

Septem castra.

Carolus Magnus contra Hũgaros.

Deinde Carolus Magnus rebellantes Saxones domat: & in Daciam, Pannoniam, & diuersas regiones dispersit. Post Carolum Magnum, Hungari sub Arnolpho Imperatore, Germanos adoriuntur, & vastant, nullum feritatis genus prætermittentes. Ex Germania in Galliam pergunt: & vbique crudelissima cæde debacchantur. Hac itaque expeditione bene ditati Hunni ad propria remearunt. Ad hunc autem modum afflicto Romano imperio, conuerterunt se ad imperium Constantinopolitanum. lacessunt Mysiam superiorem, Illyricum, Thraciam, Macedoniamque, incursionibus, & rapinis: denique vertunt arma in Bulgaros, ex Sclauorum genere ortos: diu cum principibus Græcorũ bella gesserunt, qui ad internecionẽ fere redacti, stato quotannis stipendio, mulctati sunt. Potiti vero Hungari hac victoria, mouent arma in Italiam: Itali vero magna pecunia se redemerunt ab eorum seruitute. Deinde Alemanos repetunt, atque solita crudelitate diripiunt: & sic victoria elati, per Gallias effunduntur: templa passim diruunt, & incendunt: Metensem, Treuerensem, & Aquisgranensem agrum infestant: omnia sacra, & prophana populantur. sed Otthonis primi conflictu eneruati, in quiete deinde manserunt.

Hungari post Caroli mortem affligunt imperium Romanum.

Hungari vexant imperium Constantinopolitanum.

Ottho Imperator domuit Hungaros.

Postea cum Geysa princeps in populo Hungarico emersis, acceptam Christi fidem in populo propagare, atque amplificare studuit: cui successit hæreditario iure diuus Stephanus, qui post patrem, Hungarorum rex creatus est, anno 997. qui vniuersos Hungaros ad fidem Christi recipiendam monuit, etiamsi contra eum bellum intestinum oriretur, quod tamen diuina gratia superauit. Sororem Henrici Imperatoris vxorem duxit, ex qua genuit Emericum virum sanctum.

Geysa princeps Christianus.

S. Stephanus rex Hungariæ. anno 997.

S. Emericus.

Porro, anno 1211. Tartari in Europa incogniti prodeuntes, cum quinquies centenis millibus, in Hungariam eruperunt, tribusque annis afflixerunt, non sine magna hominum cæde. omniumque vrbium, & oppidorum depopulatione: onusti autem præda, sua repetunt.

Tartarorũ numerus. 500000.

Cæterum, Petrus nepos ex sorore diui Stephani, regnauit post auunculum suum. sed quia perdite viuebat, pulsus est regno: & loco eius, Albam sororium diui regis, Hungari sufficiunt: sed tertio anno regni sui in bello interficitur, quod cum suo competitore gerebat. Postea Andreas consanguineus diui regis, fit rex, promulgauitque edictum per vniuersum Pannoniæ regnum: Quicunque Hungarus, aut Hungariæ incola, deposito pagano ritu, ad veram Christi fidem non redierit, ac sacram legem à diuo Stephano traditam non receperit, capitalis esto: Vicus, oppidum, ciuitas, demolita templa reficito; Petrus enim rediens ad regnũ omnia profanauit. Cumque Andreas senio grauaretur, declarauit filium suum Salomonem in regem, qui interfectus est à fratre suo Bela in bello.

Andreas. Andreæ edictum.

Bela rex 4.

Ipse autem Bela ad Albam contendit, & ibi regni coronam accepit: pacem, & otium in regno seruauit, ne qua fieret in commerciis fraus, aut dolus. Factiosos rusticos, qui pristinam perfidiam Scythicam renouare volebant obruit: carceribus tradidit: & multis malis affecit. Atque hæc fuit tertia Hungarorum defectio à fide catholica.

Hungarorum defectio tertia à fide.

Tertio anno regni moriens, Salomoni regnum reliquit. sed Geysa frater maior natu, omnium consensu, declaratur rex: & frater eius Ladislaus dux regni pronunciatur. Regnauit annos tres: & post eius mortem Ladislaus eius frater eligitur in regem, virum iustum, & perpetuæ castitatis obseruantissimum. Porro, Ladislaus gloriosa bella gessit contra finitimas nationes. moriens autem, Almum filium suum successorem regni designauit. sed primogenito Colomanno regnum resignans, ab eodem excæcatus est cum filio. Sed Colomanno miserrime extincto, Stephanus eius filius post patrem regnauit, qui moriens absque liberis, Belam filium Almi, quamuis cæcum regni successorem instituit. Hungari intellecta Belæ probitate, ac sapientia, non minus cæcum, quam oculatum amabant: passus est tamen Bela magnam seditionem ab adulterino filio Colomanni, quam sine sanguinis effusione compescere non potuit. Anno autem salutis 1141. regni autem 9. mortuus est ex hydropisi, quam ex commessationibus contraxerat.

Salomon. Geysa. Ladislaus. Almus rex.

Bela rex ac cæcus.

De regno Hungariæ.

Geysa.

Geysa adolescens præclaræ indolis successit patri in regno, qui mortuus est anno 1161. Stephanus filius grandior natu, potitus est regno. moritur anno 1173. non sine magna clade nobilium, qui interfecti sunt in bello, quod gesserat contra patruum suum, qui ipsum regno pepulerat. Post ipsius mortem eligitur Bela frater eius: vir maturus & integer, iustus, & seuerus: regnauitque octo annis & mortuus est anno 1181.

Stephanus.

Bela.

Ladislaus.

Ladislaus successit patri in regno: & cum vltra sex menses non regnasset, immatura morte decessit. Andreas successit nepoti suo, qui in militiam Ierosolymitanam profectus est; cuius filia Elizabeth sancta, Ludouico Landgrauio Thuringio coniugata, quæ quintum vix annum nata, mirabilis sanctimoniæ specimen exhibebat. Pater eius Andreas cum regnasset 34. annis, mortuus est anno salutis 1235.

Andreas militat Ierosolymis. S. Elizabeth.

Bela.

Tartari irruunt.

Bela primogenitus succedit patri, qui in Hungaros fuit nimis crudelis. Huius regis tempore, Tartari irruunt in Russiam, Poloniam, Hungariam, & omnia fere loca deuastant. Regem ipsum, & omnes Proceres in fugam verterunt, multisque interfectis, & tribus ciuitatibus desolatis; post tres tandem annos abierunt. Postquam autem regnauit Bela 36. annis, mortuus anno domini millesimo, ducentesimo, septuagesimo quinto. Stephanus successit, qui magna bella gessit contra Australes, & Bohemos, & Bulgaros. Mortuus est tertio regni sui anno. Cui successit Ladislaus, qui pugnauit cum Rudolpho Cæsare, & contra Othocarum regem Bohemiæ: qui cum circiter 14. annis regnasset miserabiliter occisus est anno 1299.

Stephanus.

Ladislaus.

Andreas.

Andreas filius Stephani fratris paterni, sed non materni sanctæ Elisabeth, succedit Ladislao. Nam rex Andreas, pater sanctæ Elisabeth, post interfectam vxorem suam, rediens ex terra sancta, aliam duxit vxorem, ex qua genuit Stephanum: Stephanus vero hunc Andream, ex vxore Veneta. Conspirantes autem quidam contra eum, elegerunt Carolum Martellum Caroli regis Siciliæ filium, qui hæreditario iure, regnum ad se pertinere asserebat. Viuente itaque Andrea regnum ingressus est, atque aliquot annos fuit apud Hungaros cum Carolo filio suo, antequam rerum potiri posset: quia authoritas Andreæ regis electi, facile conculcari non poterat. Postquam ergo regnauit vndecim annis, mortuus est anno 1301.

Conspirantes contra Andream, Carolus Martellus.

Deinde Carolum Caroli Martelli filium, Hungari elegerunt in regem, quem alii vocant Carolobertum. Is secundo regni sui anno bellum gessit contra quendam Matthæum, qui regis imperia aspernabatur: deinde contra VValachos. Deinde in Apuliam nauigauit: hac spe ductus vt à Roberto fratre, filium suum electum, in Italia relinqueret Pontificis authoritate coronatum. Hungariæ autem regnum Ludouico filio suo primogenito resignaret, atque addiceret. Robertus patruus gratulabundus occurrit, ac Carolum, & puerum Andream amplexatur: & regnum sibi delegauit.

Carolus filius Caroli Carolobertus.

Robertus adoptat Andream.

Ludouicus rex Hungariæ.

Ludouicus Adolescens acclamationibus populorũ, susceptus est in regem. Is accepit Margaritham Cazimiri regis Polonorũ filiam in vxorem: multaque bella gessit, eaque feliciter in Transyluania cõtra Tartaros, contra Bohemos, & in Dalmatia contra Venetos. Post Dalmaticum, Neapolitanum ingruebat bellum, ob interitum fratris Andreæ, qui serico laqueo suspensus est, cõsentiente vxore sua Iohanna, quæ postea nupsit alteri consobrino. Veniens autem Ludouicus rex Hungariæ, Neapolim expugnauit; Iohanna enim regina cũ suo viro adultero aufugerat in Galliam Narbonensem. Rite autẽ omnibus dispositis, pacatoque regno, redit in Hungariam. Secundo Neapolim redit, & rebelles compescit, pacatoque regno Hungariam repetit.

Andreas Rex Neapolitanus è laqueo suspenditur.

Rex Hungariæ vicit Neapolim.

Ludouicus rex Poloniæ.

Et cũ eo tempore Cazimirus rex Poloniæ, sine liberis moreretur, designauit hunc Ludouicum nepotem suum, successorem regni. Habuit vxorem Elisabetham, filiam Stephani Bossonensis. ex qua genuit duas filias, Mariam vxorem Sigismundi, & Heduigim. quæ post mortem patris sortita est regnum Poloniæ. & optimatum cõsensu, Iagelloni principi Lithuaniæ coniuncta est, vt paulo ante annotaui. Ludouicus vero rex, cum esset annorum 56. mortuus est, disposito regno in manus Mariæ filiæ, cui adoptauit maritum Sigismundum, filium Caroli Imperatoris. Obiit autem anno salutis 1382.

Ludouicus moritur.

Maria Ludouici filia, Sigismundo adhuc puero ex compacto ita nupsit; vt ad maturas vsque nuptias virum non duceret. Interim ob patris merita pro rege magis, quam pro regina habebatur: sed proceres æstimantes se contemni à regina, miserunt Episcopum Sagabrinensem in Apuliam ad regem Carolum Andreæ filium, inuitantes ad regnum. Venit Carolus, & in Alba regali à Strigoniensi Episcopo coronatus est. sed anno 1385. inter reginas occiditur. Sed Ioannes

Carolus Rex inter reginas occiditur.

de

De regno Hungariæ.

de Hornach, Croatiæ præfectus, vltus est Caroli interitum: ipse tamen comprehensus a Sigismundo rege, miserabiliter occiditur. Sigismundus itaque cum regina, congregauit cōcilium Budæ: in quo regina perfidiam procerum accusauit, qui se regno spoliare conati sunt. Tunc Sigismundus cognita causa, 32. securi percussit. sed borū procerum mors, multorum laborum, & discrimin um causa fuit. Ipse autem Sigismundus postea à suis captus, & carceri mancipatus est: & post mortem Mariæ vxoris suæ, regno pulsus est, anno 1401.

Sigismundus rex incarceratur.

Interim Ladislaus Apuliæ rex, à proceribus Hungariæ vocatus ad regnum, in Sclauonia coronatus est in regem: sed videns se deceptum, quia Hungari adhæserunt Sigismundo, quem expulerant, vendidit sua, quæ habebat in Sclauonia, & reuersus est Neapolim.

Ladislaus Apuliæ Rex.

Sigismundi mors.

Sigismundus autem infeliciter pugnauit cōtra Turcas, apud Nicopolim, propterea proceres Hungarorum, Ladislaum regem declarant. Moritur Sigismundus an. salutis 1437. ætatis vero suæ septuagesimo: regnorum autē, ac inprimis Hungariæ 51. Romanorum 27. Bohemiæ 17. & imperii Romani 5. sepelitur Hungariæ in ecclesia Varadiensi.

Albertus dux Austriæ.

Albertus moritur.

Albertus dux Austriæ, qui habebat in vxorem filiam Sigismundi, successit Sigismundo: vno, eodemq; tempore, rex, & Imperatur creatus. pugnauit cum Polonis, qui sibi Bohemiæ regnum præripere contendebant. pugnauit cum Turca, qui in Hungariam irruere parabat. sed morbo præuentus, moritur anno salutis 1439. corpus eius ad Albam regalem delatum, ibi Norici, Bohemi, Hungari mortuum regem deplorant. Mortuo rege, regina prægnanti vtero ab eo relicta, vocatis Hungariæ proceribus, eos paucis alloquuta, regni proceres de nouo rege consilium habuerunt. Erat tunc temporis Polonorum regis Cazimiri Germanus, Lithuaniæ dux VVladislaus, quem Hungari elegerunt in regem, missis Cracouiam nobilissimis legatis, interim regina peperit filium, cui nomē imposuit Ladislaus. Porro dux Lithuaniæ, accepta legatione, stipatus militibus Hungariam venit & à multis regni proceribus, in Buda ad regiam, velut Hungariæ rex, introductus est. Verū interim regina, & nonnulli principes se mutuo cohortantes, Albam regalem petunt ibiq; in festo Pentecostes, Ladislaum hæredem regni, qui nondum menses quatuor compleuerat, per manum Archiepiscopi Strigonensis inungi, & sacro diademate coronari, solenniter procurant.

Ladislaus puer coronatur.

His rebus confectis, regina cum suo filio ad Imperatorem Fridericum festina diuertit. Post discessum reginæ, VVladislaum Hungari coronant reliquiis sancti Stephani, coronæ loco, quam regina secum detulerat.

VVladislaus coronatur reliquiis S. Stephani.

Interim Amurates, Turcarum princeps, audita regni discordia, illud inuasit, sed à Polonorum viribus repressus est primo & secundo. sed dum tertio apud Varnam Christianorum, & Turcarū acies, congrediuntur, VVladislaus dum fortiter pugnat, equo deiectus, obtruncatus, occubuit.

VVladislaus obtruncatur.

Ioannes Hunniades gubernator Hungariæ.

Instante adhuc regis pueritia, Triumuiri creantur, qui omnia gubernent. Petunt Hungari à Friderico Imperatore Ladislaum hæredem non consentit Imperator. Hungari Ioannem Hunniadem, qui multis cladibus Turcas affecerat, gubernatorem sibi eligunt sed postea Ladislaus Viennam ductus, exceptusq; magnis honoribus fit conuentus Bohemorum, & Hungarorum · adest gubernator regni Ioann. Hunniades, multiq; Proceres, quibus rex inter primores locum eminentiorem dedit, vbi gubernator onus sui officii, quod iam octo annos gesserat, sponte deposuit: regnumq; Hungariæ regi Ladislao restituit· quem rex vicissim ComitemBristicensem creauit.

Ioan Hunniades Comes Bristicensis.

Comes Ciliæ obtruncatur.

Cæterum, quamuis Ladislaus rex appellaretur: alieno tamen arbitrio viuebat: nam tribus viris, scilicet Iuanni Hunniadi Pogiebratio, & Comiti Ciliæ regna sua commendauit: vnde ortæ sunt multæ discordiæ, clades, ac multorum interitus. Comes enim Ciliæ obtruncatus, periit. & filius Ioannis Hunniadis capite plectitur. Porro an. 1458. Ladislaus rex Magdalenam Caroli regis Franciæ filiam accepit in vxorem, & locus nuptiarum delectus Praga Bohemiæ: sed cū esset annorum 19. intra triginta sex horas moritur.

Ladislaus moritur.

Georgius Pogiebratius rex Bohemiæ.

Mathias Rex Hungariæ extra lineam.

Corona regni Hungariæ fuit apud Imperatorem 24. ann.

Post eius mortem, Georgius Pogiebratius, regis imperium in Bohemia retinuit. Hungariæ autē proceres apud Budam, Mathiam Coruinum, quem Ladislaus duxerat secū captiuum Viennam, 18. annos natum, eligunt in regem. Ductus autem fuit captiuus ex Vienna, & sexto sui regni anno, salutis vero 1464. coronatus est: Fridericus enim Imperator sacram coronam sancti Stephani, quam apud se habebat, libere restituit. Fuerat autem corona regis Hungariæ apud Fridericum Imperatorem 24. annis. Mathias bellum gessit contra Fridericum Imperatorem, multaque oppida, iuris eius, in suam redegit potestatem, in quibus & Vienna vrbs Austriæ fuit. Mortuo autem Georgio Pogiebratio rege Bohemiæ, Imperator Fridericus in eius locū designauit VVladislaum Cazimiri regis Poloniæ filium; cuius mater fuit filia regis Alberti, & soror regis Ladislai. Quod ægre ferens rex Mathias, bellum indixit: sed priusquam illud exequeretur, obiit, nulla superstite prole, anno 37. postquam regnare cœpit.

De regno Hungariæ.

Mathias moritur.

VVladislaus rex Hungariæ.

Ludouicus rex Hungariæ.

Mortuo Mathia, VVladislaus Cazimiri regis Poloniæ filius, quē Bohemi sibi regem creauerant, ab Hungaris quoque eligitur in regē: duxitq; in vxorem Comitissam ex Gallia, quæ ei genuit Ludouicum & Annam. Ludouicus successit patri in regno: & sub eo anno Domini 1514. suborta est in regno magna seditio propter nouum exactionis genus. Anno Domini 1526. Ludouicus Hungariæ Bohemiæq; rex, bonæ spei adolescens, inter Drauum, Istrumque flumina cum paucis, & incautus occurrens hosti, dolo magis, & perfidia suorum, quam virtute circumuentus, trucidatur.

Ludouicus trucidatur in bello.

Turca inuadit Hungariam.

Turca obsidet Viennam.

Quo extincto, Hungariam ipsam hostis celeri itinere percurrens, igni depopulatur, & præda ditatur. firma quæq; loca præsidiis munit infirma vero demolitur. Post hæc magnum oritur dissidium inter Ferdinandum ducem Austriæ, & Ioannem Czpusiensem Transyluaniæ præsidem, de regno. Ferdinandus asserebat id ex dotalibus pactis ad se pertinere: Ioannes vero Comes electionis iure sibi deberi: qui ad Turcam confugit, & apud ipsum patrocinium inuenit. Venit enim Ioanni suppetias laturus cum maximo belli apparatu, & Viennam obsedit: omniaq; per circuitum, cæde, igne, ferro, & flamma deuastauit. sed timens aspectum inuictissimi Imperatoris Caroli V. turpi fuga sibi consuluit. Recedens enim ex Vienna, quinta die in Budam peruenit, distantem triginta miliaribus Germanicis à Vienna plurimos amittens in celeri illa profectione. Sed hucusq, historiam texuisse, sufficiat; nam velle bella Turcarum contra Hungaros describere, alterius est operis.

De Dacia, Rascia, Seruia.

Dacia.

HViusmodi regio Dacia olim appellata est, fortassis à Danis, qui olim è terra sua egressi, hic sede fixisse dicuntur. Quin & Saxones olim à Carolo Magno huc missi, adhuc in media externa natione, patrium retinent sermonem. Diuiditur hæc regio in minores regiones, nempe in Transyluaniam, Seruiam, Bulgariam, & VValachiam. Est etiam in Dacia, Marmatia in Carpatis montibus collocata, vnde Tibiscus oritur: vbi sal marmoris instar effoditur: & tanta quidem copia, quanta pro multis regionibus sufficere possit.

Marmatia.

Carpathi montes.

Tibiscus.

Tissa.

Vistula fons.

Bulgari, qui & Tartari.

Tibiscus fluuius mediam Daciæ regionem abluit, in Danubium profluens, appellaturque hodie Tissa, è monte Carpatho profluens, vnde etiam Vistula emergit. Bolgari, putantur è Scythia olim egressi. ferox gens: homines sunt statura quadrata. lata facie, & obesa: oculis contortis & concauis: sola barba horridi, cætera rasi: corpore valido animo audaci. equis, aliisque animalibus quoquo modo interemptis, suauiter vescuntur, demptis porcis, à quibus abstinent inediæ omnique patientissimi. vno in loco non diu commorantur. iustitia apud illos nulla.

Valachia.

Flaccia.

Teutones.

VValachia, Getica olim dicebatur, hodie VValachia à Flaccis Quiritum gente. Roman. enim superatis Getis atq; deletis, Flacci eiusdē consilio, eo coloniam miserunt. vnde primum Flaccia, deinde corrupta voce VValachia dicta est. Astipulatur huic sententiæ, corruptus sermo Romanus, qui apud VValachos inuenitur. Daci postea eam terram tenuerunt: nunc Theutones, Ceculi, & VValachi tenent. Theutones fortes viri ex Saxonia illuc à Carolo Magno transmissi: à septem vrbibus quas habitant, patrio sermone vocantur Siebenburgenses. Agriculturæ, reiq; pecuariæ VValachi, vt plurimum student. Est VValachia lata regio, à Transyluanis incipiens, vsque in Euxinum protensa pelagus: plana ferme tota, & aquarum indigua, cuius meridiem Ister fluuius excipit. Fuit colonia Romanorum: pars eius Turcarum imperio, pars vero Hungariæ regno paret.

Valachiæ fines.

Transyluaniæ situs.

Transyluania appellatur septem castra, vt paulo ante annotaui: vndiq; magnis montibus, siue Alpibus, ceu ciuitas propugnaculis munita, circumcingitur & ex hoc, bello fere insuperabilis. Extra Alpes habitant VValachi, orientem, meridiem, & septentrionem versus. Ea pars VValachiæ, quæ est a septentrione, vocatur Moldauia; habet homines bellicosos, qui semper ad bella gerenda sint parati: Metropolis regionis vocatur Sossauia. Inter multas ciuitates, quas habet Transyluania, insigniores habentur, Hermenstat, Kronenstat, Schlespurg, Medvvisch, Bristricium, vulgo Næsen, Clasenburg, Milenbach, VVeissenburg, &c. Metropolis vero Cibinium, vulgo Hermenstat, quæ fere tantæ est magnitudinis, quantæ Vienna Austriæ, optime munita à paludibus & piscinis cingitur, ideoque per mille passus non patet ad eam accessus. Non procul hinc est Rubea turris, arx munitissima, sita in Alpibus iuxta decurrentem amnem, vbi angustus inter mōtes introitus patet in regionē, estq; ceu propugnacu-

Moldauia.

Sossauia.

Ciuitates Transyluaniæ.

Metropolis.

Rubea turris.

DeTransyluania.

lum totius terræ: vt ab illa parte nemo ingredi queat, si arcis præfectus repacula obiciat. *Arces* Est quoque & alia arx fortis infra oppidum Milebach, iuxta Bros oppidum: vbi quoque iuxta flumen inter conualles, & niuosas Alpes, iter est, quod ducit in Transyluaniam. *Pressouia* Post Cibinium est Pressouia, in cuius agro crescit plurimum frumenti: crescit & vinum, sed austerum: abundat pecoribus. *Iter angustum.* Patet hinc iter angustum per Alpes ad Tergouistum, idemque iter per arcem Turzsest, custoditur, ne hosti facilis sit accessus. Negociantur Græci vsque ad hanc ciuitatem, adferentes aromata, linum, tapetis, & similia, quæ vltra vsque ad Budam vehuntur. *Tergouistus.* Tergouistus, vulgo Teruis, Metropolis VValachorum, & sedes peculiaris principum inaccessibilis, non muro, non mœnibus cincta, sed fossa, vallo, & aggeribus, cum sudibus acutis exterius positis: sita inter paludes obductas lutosis syluis, & lacunis aquarum, ita quod hyeme tota circumfinitima regio, pene immeabilis sit. *Dacia.* Hæc est prouincia Daciæ, apud veteres Romanorum colonia. Ibi gens est barbara, crudelis, diuinationibus intenta. Distat autem hic locus duorum dierum itinere à Corona, siue Pressouia. *Langenau.* Inter Tergouistum & Coronam, est oppidum Langenavv, quod Christiani inhabitant, estque ibi depositio mercium, quæ à Tergouisto in Transyluaniam trãsportantur. *Hunniad.* Est etiam in hac regione Hunniad oppidum, loci natura munitissimum, vnde Ioannes Hunniades, pater Mathiæ regis Hungarorum alio nomine vocatus est Coruinus. *Coruinus Laus Coruini.* Hic Transyluaniæ prouinciam cum imperio, ob rem optime gestam impetrauit. Ipse VVladislao Polono confœderatus, multis stragibus Turcas affecit: nam vicies cum Turca prospere conflixit bis tantum pra militis inopia, cedere coactus est. *Transyluania fertilitas.* Habet Transyluania numerosum populum, potest ad bellum educere 100. millia armatorum, quia Ceculi loco tributi, à quo liberi sunt, nisi quando rex moritur, omnes proficiscuntur ad bellum. *Ceculi.* Iuxta oppidum Medvvisch, crescit vinum in magna copia. In oppido Salizburg, foditur sal è terra, sicut & in Ceculia apud Vicum Aderbel albissimum foditur sal, *Sal albissimum.* quod vehitur in Burgelandiam, vsque ad Coronam. Apud Clausenburgum foditur etiam sal. Nulla ciuitas in ea regione vetustior Albaiulia, vulgo VVeissenburg, est ibi sedes episcopalis. *Albaiulia sedes episco.* Iuxta oppidum Schutten, foditur aurum, sicut & in Altenburg: & inueniuntur nonnunquam particulæ auellanæ nucis. Itaque Transyluania feracissima est pecoris, vini, frumenti, auri, & argenti: amnes nonnulli aurea ramenta ferunt, aurique fragmenta. *Aurum in Transyluania.* quandoque sexquilibralia trahunt: montibus est vndique circumsepta in modum coronæ. Apud vicum Eysenberg, est minera ferri. In syluis iubati boues, & vrsi, ac syluestres equi: vtriusque eorum mira pernicitas. Flumina præcipua, Alutas, forte hodie Baralutus dicitur, & Morosius, vterque nauigabilis. *D. Stephanus.* Diuus Stephanus rex Hungariæ subiugauit imperio suo montosam Transyluaniæ terram, atque armis populum eius ad fidem Christi compulit. Ingressus autem cum exercitu in prouinciam illam, inuenit in curia ducis Giulæ, qui de suo genere erat, sed desciuerat a fide, magnum thesaurum auri & argenti, quem dux rapinis, & deprædationibus coaceruauerat: & ex illo construxit sumptuosissimam basilicam Albæ regalis. *Alba regalis unde cõstructa.* Iste sanctus & Christianissimus Rex tales leges tulit. Inprimis de sicariis, adulteris, & homicidis. Item de vi, latrociniis, & furtis, vt capitalẽ sententiam subirent. *D. Stephani leges.* Reges Hungariæ multo tempore Transyluaniam gubernauerunt, per prouincialem, siue præfectum: nostra autem tempestate regitur per serenissimum Stephanum Bathori, *Laus Stephani Bathori.* inuictissimum Poloniæ regem: progenitum ex præclara & catholica familia Bathoriana qua quidem præclarissimi fuerunt in bellicis rebus duces. nam anno 1526. quo Solymanus Hungariam validissimo exercitu est aggressus, tempore Ludouici eius nominis secundi, Hungariæ & Bohemiæ regis, Comes tunc Palatinus, Stephanus Bathori, superstes Stephani Bathori, qui sub Mathia rege magna cum laude rem Transyluanam administrauerat, ex fratre Andrea nepos fortissime cum Turca pugnauit: & sic fortiter pugnans oppetiit. *Mors Andrea Bathori.* Is Stephani VVayvvodæ pater fuit, integerrimi, sapientissimi, qui in Transyluania felicius pugnauit: ac vna cum Paulo Kinisio collega sexaginta hostium millia interfecisse dicitur. In hoc autem est cõmendatissima serenissimi Stephani Bathori familia, quod omnes ex ea progeniti, fidei Catholicæ fuerint obseruantissimi. *Bosna regnum.* In Pannonia superiori, siue citeriori continetur Bosnæ regnum. Quidam putant Bosnonenses à Bessis Bulgariæ populis emanasse qui cum viuerent in discordia cum Bulgaris, exclusi inferiori Mœsia, in superiori Mœsia sedem posuerunt, iuxta Sauum fluuium. Deinde temporis longitudine, vocabulum gentis confusum est, mutata e in o, vt a Bessis, Bossis, dictum est Bosna, vt Melita, Malta. *Tributaria regni Hungariæ.* Bosna fuit tributaria regni Hungariæ. Anno Christi 1415. Princeps Bosnæ deficit à Sigismundo rege Poloniæ, initque fœdus cum Turca. Quod videns Sigismundus, cupiensq; reducere Bosnam, misit magnum exercitum. sed Turca fortior Sigismundo, fugato eius exercitu, retinuit Bosnam. Sed non longe post, Hungari collecta forti manu, Bosnam recipiunt, in fugam conuersis, qui regionem obtinebant. sed Turca iterum Bosnam sibi subiugauit. *Iaizavvss.* Habet regio illa vrbem Iaizam in edito monte positam, quam duo amnes circumfluunt, præruptisque rupibus, & vadis obfirmant. Ad radices montis, & ad ambitum vrbis amnes illi confluunt, admixtique vna in Sauum feruntur. A tergo profusa est planicies. Bosnensis regni hæc olim erat caput, inexpugnabili arce, ac hostibus inaccessibilis. Milliarzka fluuius dirimit eam in duas partes. Habet & alias quasdam insignes ciuitates, Schvvonicam, VVarbosanien, & similes. Ab Istria, vt dixi, vsque ad Butuam, quod est oppidum in finibus Epiri, sunt 400. millia passuum: totum hunc tractum veteres appellarunt Illyricum, nostri Sclauoniam vocant. *Illyricum Sclauonia.* Diuiditur vero in Liburniam & Dalmatiam. *Liburnia.* Ab Arsia enim vsque ad Scardonam fluuium, Liburnia est. *Dalmatia.* inde vsque ad Epirum, Dalmatia. Vrbes, oppida, insulæ, fluuii, totius huius oræ Illyricæ, hi sunt: cis Fanaticum sinum, quem vulgari vocabulo Carnarium appellant, *Carnarü.* quod soleat sæuissimis tempestatibus, multas vorare naues, sunt duæ insulæ, Chersum atque Auserum deinde alia. *Cher sum insula Veggium.* Veggium, siue Vegha: mox alia Arba, & alia, cui nomen Pagus, vbi salinæ multæ. *Salina.* Succedunt & aliæ insulæ, sed non ita nobiles, donec Tragurium venias, marmore nobile: *Lesina.* mox Lesina, deinde Lista, deinde Corcyra, & alia insula illi proxima. *Meleda, seu Mitylene.* Meleda, in quam impegit nauis Pauli, alio nomine Melea, seu Mitylene. In continente vero, & iuxta littora hæ sunt vrbes. Senia, vulgo Segna, vnde erat traiectus in Italiam his, qui ex Pannonia ventitabant: mox Enona, modo Huns, vbi fluuius est Pausinus. Statim occurrit Iadera vrbs clara, olim bellicosa & potens, hodie Zara. *Zara.* Deinde Scardona fluuius, & ciuitas quæ Turcis paret: paulo post Sicum, hodie Sibenicum. *Diocletiani Imperatoris patria.* Mox Spalatrum Diocletiani Imperatoris patria huic proxima, sed longe à portu circiter 1500. pass. Salona Rom. colonia pulcherrima, à qua non multum abest Clissa, arx munitissima: & non longe hinc Stridon oppidum, diui Hieronymi patria. Istri dicunt se habere villam vetustissimam, cui nomen Stridon, atque ex ea natum volunt D. Hieronymum. *D Hieronymi patria.* tum Narona, modo Narenta fluuius. *Ragusium.* Deinde non longe Ragusium, siue Epidaurum ciuitas magna, ac libera: diues opum, & nauibus instructa: iusta & sapiens Respublica. cuius Archiepiscopus extitit ante aliquot annos Dominus Chrysostomus Calaber, meus patriota ordinis D. Benedicti: vir clarus, eruditus, & valde pius: *Chrysostomus. Archiepiscopus Ragusanus.* cuius pietatis fragrantia, & odor sanctitatis adhuc spirat in naribus illius Catholicæ ciuitatis. Cracouiæ ipse vidi D. Thomam Natalem, ex eadem ciuitate oriundum, *Thomas Natalis Ragusanus.* Medicinæ artis peritissimum, nec non Illustrissimi & Reuerendissimi Episcopi huius ciuitatis medicum: & propter insignem illius eruditionem, vitæque probitatem, Canonicum Cracouiensem: cuius eruditionis præstantia animaduersa, pro incredibili in homines doctos amore idem sapientissimus idem doctissimus Stephanus Rex, eundem in album nobilitatis Poloniæ retulit & inscripsit. Ab Epidauro 40. millia pass. castrum nouum. Mox Risanum, olim Rhizinium. *Catharũ.* In intimo vero sinu Ascriuium, modo Catharum ciuitas. Non longe à Catharo Olchinium, olim Colchinium, quia fuerat a Colchis conditum, nunc Dulchinium. Abundat hæc ora maritima omnium rerum copia, gentemque habet robustam, & bellicosam. Sed de his satis, nunc ad Græciæ descriptionem properandum mihi est.

DE GRÆCIA.

GRæcia Europæ regio, sæpe mutauit nomen suum, nam & Hellas dicta est, à quodam Græco, qui in ea olim dominabatur. *Græcia. Græcia fines.* sed nullum firmius nomen illi mansit, quam Græcia. Hæc itaq; ab Isthmi angustiis incipit & à septẽtrione in meridiem porrecta, qua sol oritur AEgeis, quà occidit Ioniis fluctibus opponitur. Thermopylæ mediam secant, vt Apenninus Italiam. Iuga montium à Leucade & mari, ad occidentem solem versa, ad alterum mare, quod ad ortum spectat, tendentia. *Oetha. Gallidromum* Extremos montes ad occasum, Oetham vocant, quorum quod altissimum est, Gallidromum appellant, per cuius vallem in Malliacum sinum iter est, nõla-

tius

De Græcia.
Via militaris.
Pylæ.
Thermopylæ.

tius sexaginta passibus. Hæc est vna via militaris, per quam si nemo prohibeat, traduci potest exercitus: cætera loca adeo ardua, & perplexa, vt nec expeditissimis quidem sint peruia: ideo Pylæ, quasi portæ dictæ. & à calidis aquis inibi nascentibus Thermopylæ. Iacent ad mare versa, Acarnania, AEtolia, Locris, Phocis, Boetia, Eubœa, pene terræ annexa. Attica, & Peloponnesus longius prædictis in mare excurrunt diuersa montium specie, & qua ad septentrionem obuersa iacet, includitur Epirus, Magnesia, Thessalia, Pthiote, & sinus Maliacus.

Epirus.
Peloponnesus.

Peloponnesus quasi quadam ceruice per Isthmum Atticæ iungitur, totius Græciæ arx quondam dicta: ipse enim locorum situs, imperium quoddam designat. Multis siquidem sinus insuot, & promontoria multa, ideoque platani folio comparantur, eo quod multi sinus eam laciniant, longitudine & latitudine fere æqualis. Isthmi angustias, quinque aut sex millia passuum latitudinis continere dicunt.

Morea.
Vrbes.
Laconia.
Lacedæmonia.
Spartia.
Lycurgus.

Hæc prouincia hodie Morea vocatur, continenturque in ea Messania, Laconia, Argos, & Archadia. Laconia in qua Lacedæmonia à Lacedæmone, à quo etiam clara & potens ciuitas ædificata est. Hæc quoque Sparta dicta est à Sparto Phoronæi filio. Lycurgus insignis philosophus ciuitatis statum optimis institutis & legibus excoluit: cum antea omnibus fere Græcis in moribus deteriores inuenirentur.

Lycurgi leges.

Viginti octo seniores instituit, qui duobus regibus assiderent, prouiderentque ne nimium Democratia inualesceret: & rursus, ne qui regnum tenerent tyrannicum quippiam molirentur: Sustulit omnem auri & argenti vsum, ferreumque nummum induxit: ac tum demum omnis furandi occasio est sublata. Omnes ad hoc artes vt inutiles vrbe eiecit: publica conuiuia instituit, vt diuites promiscue, & inopes vni adhiberentur conuiuio:

Lycurgus priuatur oculo.

Exarserunt ex ea re potentiorum iræ, impetuque in eum facto, alter est illi oculus baculo excussus: proinde cautum est, ne Spartiatæ cum baculo amplius ad conuiuium intrarent. Frequentabant id pueri veluti temperantiæ Gymnasium: Virgines cursu, palæstra, iaculo exercebantur: Lugendi tempus vndecim erat diebus finitum: ciuibus peregrinari non permisit, ne alienos mores vrbi importarent: Iuuenes non amplius vna veste toto anno vtebantur: nec aliquis splendidius altero epulabatur: Pueros puberes non in forum, sed in agrum deduci iussit, vt primos annos non in luxuria, sed in omni labore & opere agerent: Nihil eos summi causa substernere, & vitam sine pulmento degere: nec prius in vrbem redire, quam viri facti essent, statuit.

Matrimonia.
Honor senum.

Virgines sine dote nubere iussit, vt vxores non pecuniæ causa eligerentur: Maximum honorem non diuitum & potentum, sed senum esse voluit, Regibus potestatem bellorum, magistratibus iudicia, & annuas successiones, senatui custodiam legum, populoque sublegendi senatum, vel creandi quos vellet magistratus, potestatem commisit. Deinde, vt æternitatem suis legibus indicaret, iureiurando ciuitatem obligauit, nihil se eorum quæ sanxisset mutaturum, priusquam reuerteretur. Profectus autem Cretam, ibi mortuus est.

Achaia.

Achaia ampla Græciæ regio, vndique mari circumsepta, præterquam à septentrione: dicta sic ab Achæo Iouis filio. Est etiam alia Achaia extra Peloponesum, in qua sunt Thebę, Boetia, Megaris.

Thebæ.
Boetia.
Megaris.
Corinthus ciuitas.
Archadia.

Achaia vero intra Peloponesum peninsula est vndique mari cincta, præter exiguam partem à septentrione, Isthmo scilicet, vbi sita fuit Corinthus, vrbs olim ditissima, caput Achaiæ, condita à Sisypho anno ætatis Moysis octuagesimo. Euersa, & rursus restaurata à Corintho Orestis, seu Iouis filio. Vltimo à Romanis accensa, & sic diruta iacet. Archadia, Achaiæ pars mediterranea, in medio Peloponnesi sita, regio montosa, cuius incolæ plerique sunt pastores. Iupiter apud Archadiam in magno pretio habitus, ob præclarissimas eius virtutes, Iouis nomen adeptus est, cum prius Lysania vocaretur. Porro, cum esset nobilis genere, & ad Athenas se conferret, videretque Athenienses rudes: optimis legibus eos

Iupiter deus Atheniensis.

instituit, ideoque Attici Deum Iouem vocauere. Vnde templum suum habuit in Olympia Archadiæ ciuitate, quod fuit vetustate & cultu nobile. Ante templum lucus syluestribus consitus oleastris, ex quibus victores, connexis ramis coronabantur.

Templum Iouis in Archadia.
Olympias.
Lustrum.

Hinc dictus est Olympus Iupiter: & certamina quinquennia, ibi in honorem Iouis Olympia fuerunt appellata: confluebat ad istud templum quinto quoque anno ex tota Græcia ingens hominum multitudo, cum ob Iouis honorem, tum ob certamen, quo inter Græciæ agones, nullus erat nobilior. Ab his annis, Olympiades cœperunt numerari. Olympias spatium est quinque annorum, quod à Romanis lustrum dicitur. Hinc Græci per Olympiades supputare cœperunt.

Certaminum coronæ.
Prometheus ex si-

Certaminum coronæ erant: oleaster, laurus, apium, pinus. Prometheus in Archadia floruit, vir acutissimi ingenii, & spectatæ peritiæ, qui cum in altissimo Caucaso monte resideret, & Astrologiam didicisset, eam primus Assyrios docuit: Quin & ignem primus ex silice eduxit, vt Plinius testatur.

De Græcia.
Ignem eduxit.
Atlas.

Atlas quoque in Archadia floruit, vir multæ contemplationis, qui astrorum cursum inuenit, & primus de Astronomia inter Græcos disputauit. propterea eum cœlum portare finxerunt.

Messenia.

Tertia in Peloponneso regio, admodum fertilis, & multis amnibus irrigua Messenia appellatur, quam Spartani sibi subdiderunt. Modona, & olim Methone ciuitas est littoralis Peloponnesi: quam cum obsideret Philippus Rex Macedonum, oculum amisit icto sagittæ.

Lepanthus.
Argos.

Lepanthus ciuitas maritima, haud procul à Corintho sita. Argos regio & ciuitas sita in parte Peloponnesi, quæ respicit orientem, vnde Argi, & Argiui populi.

Epidaurus.
AEsculapii templum.

Epidaurus ciuitas sita est in recessu Saronici sinus, natura munita: montibus circumdata: nobilis templo AEsculapii. Ibi consuetudo fuit, vt nocte ægrotantes dormirent, atque hoc modo in somnis à numine curari dicebantur.

Troezena.

Troezena nobile oppidum, mari superstans Chersonese dicta quandoque Aphrodisia, & Sarona, & Posidonia, & Apollonia.

De Græcia exteriore extra Peloponnesum.

Regiones Græciæ exterioris.
Thessalia.

EXterior Græcia extra Peloponnesum sunt Attica, Thessalia, Achaia, Boetia, Phocis, AEtolia, Locris, Epirus. Thessalia campus est maximus ac curuus: vndique montibus cinctus: ab Oriente Ossam & Pelion habens montes: ab occasu Pindum. ab aquilone Olympum. & à meridie Othryn.

Olympus mons.
Achaia.
Hella.

Ex Pindo Peneus amnis oritur, vndis lucidis amœnus, viridanti riparum germine, canoro auium concentu. Achaia quæ & Hella, & a latinis Græcia à Græco rege appellata, à cuius filia vocata est Attis, incipit ab Isthmo Corinthio: & ad littora AEgæi maris porrecta, vsque in Macedoniam & Thessaliam, quam cum omni Boetia intra suum nomen includit, extenditur.

Boetia.
Megara patria Euclidis.
Thebe.
Delphicum templum Apollinis.
Attica.
Athenæ.

In Boetia est Megara, patria Euclidis geometrarum principis. Fuit Thebe Bacchi & Herculis patria, ab Alexandro Magno postea euersa. In Phocide parua regione mons est Helicon, in quo constructum fuit templum Apollinis. sub eo autem fuit Delphi oppidum. In Attica regione fuit Atheniensis ciuitas, vnde humanitas, doctrina, religio, iura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur. Hac ciuitate nihil habuit ipsa Græcia clarius atque nobilius. vtpote quæ fuit liberalium mater literarum: & philosophorum parens: ipso quoque situ spectabilis: quoddam totius Græciæ refugium: in quod vicinæ vrbes bellicis terroribus, aliisque calamitatibus afflictæ confugiebant. tutissimum adnauigantium receptaculum: totius mundi gymnasium.

Figmenta poetarum.

Strabo scribit Athenas petram fuisse in planicie sitam, in qua Mineruæ templum fuit: vbi & perpetuus ignis cum virginum cœtu fouebatur. Dicta est Cecropia à Cecrope rege: & Mopsapia à Mopso: postremo à Minerua Athenæ; Græci enim Mineruam vocant Athenam. Instaurante Cecrope Athenarum vrbem, subito aquam in quodam loco prorupisse dicitur. & alio loco reperta olea arbor: interrogatus Apollo Delphicus quid agendum foret, respondit, quod olea Mineruam, aqua vero Neptunum significaret, essetque in ciuium arbitrio, vt ex alterius duorum nomine ciuitas vocaretur. Congregatis omnibus vtriusque sexus, viri adhæserunt Neptuno, mulieres vero Mineruæ, quæ & obtinuerunt, vt ex Mineruæ nomine appellaretur.

Cecropis leges.

Tulit Cecrops tres leges in mulieres ad Neptuni placationem, quem illæ postposuerant suo suffragio Mineruæ: videlicet ne vlla vnquam mulier senatum ingrederetur: vt nulla earum proles maternum nomen accipiat: & ne quis eas Athenienses, sed Atticas dicat.

Atheniensium vrbes.
Ephesus.
Draco legifer.

Habuerunt Athenienses in Peloponneso 12. vrbes, totidemque in littore minoris Asiæ condiderunt: inter quas omnium pulcherrima fuit Ephesus, quam totius Asianæ Ioniæ regiam constituit Androchus. Draco primum Atheniensibus leges conscripsit, de quibus Demades dicere solebat, Draconem non atramento sed sanguine leges scripsisse. Omnibus fere legibus mortis pœnam præscripserat. Qui otii & desidiæ erant conuicti, capite plectebantur: qui olera fructusue in alieno prædio legissent, eodem puniebantur supplicio, quo & parricidæ.

Solonis leges.

Solon Salaminus abrogatis prioribus legibus, alias condidit: lege vetuit, ne parricidii affectatæque tyrannidis damnari magistratum caperent. Subsidia vlla filius patri non deberet, à quo non esset arte aliqua ad vsum vitæ institutus. Qui illegitimo essent thoro procreati, ne parentes alerent. Mœchum in adulterio deprehensum, im-

De Macedonia. — Contra ebrium. — Delphicum oraculum. — Mons Parnasus. — Pythii vates. — Apollo Delphicus.

pute necari voluit. Eorum liberos, qui in prælijs occubuissent, publice nutriendos, erudiendosque præcepit, similiter si oculos amisissent: cauit ne is fieret curator, ad quem post pupillorum obitum substantia spectaret. Et qui alteri vnum oculorum eruerit, eū ambos erui debere. Et quæ non posuisti, ne tollas, si quis secus facit, capitale esto. Principē, si ebrius deprehensus esset, morte puniendum. Sed heu illa florentissima ciuitas cecidit, paruique oppidi gestat imaginem. In Phocide duæ olim fuerunt celebres ciuitates, scilicet Elatea, & Delphica vrbs sita iuxta montem Parnasum in fundo saxoso. quam & mons asperrimus, aliaq; adiacentia saxa tenentur à quocunque hostili incursu. Templum autem Apollinis Delphici olim positum fuit in monte Parnasso in rupe vndique impendente, vbi & ciuitatem frequentia hominum fecit. In medio ferme montis planicies exigua est, atque in ea profundum terræ foramen, ex quo frigidus spiritus, in quodam velut vento in sublime expulsus, mentes vatum in vecordiam vertebat, impletosq; Sathana, responsa dare cogebat. Incubabant autem foramini virgines: & Pythii vates, alienatique à sensu, de interrogatis respondebant. Cæterum, Apollo Delphicus fuit medicinæ repertor, herbarumque primus cognitor, author carminis, præses vaticinij, habuitque sagittandi peritiam, & chordæ vocalis, vtpote cytharæ repertor: hanc ob causam post mortem à Poetis, sapientiæ Deus nominatus.

De Macedonia.

Albania. — Macedonia. — Velona.

Quæ nunc Albania dicitur, olim Macedoniæ portiō fuit ad occidentem versa. Dicunt nonnulli hoc genus hominum ex Albania quondam venisse, quæ vicina Colchidi in Asiatica Scythia memoratur. Velona in Albania non magna ciuitas, est in portu maris sita, qua breuissimus est in Italiam traiectus. Habuit initio Macedonia angustos terminos, sed virtute suorum regum & gentis industria, subactis finitimis, centum quinquagintā populis dominabatur. Protenditur autem inter duo maria, Ægæum & Adriaticum: & latus eius meridionale protegunt terga Thessaliæ atque Magnesiæ. Epirus quoq; Macedoniam attingit & Illyrica terra altera Meridiem, alterā Septentrionalem excipiens. In Adriatico littore Dyrrachium vetus ciuitas iacet, Epidaurus ante dicta. Nec procul infra terram Appollonia fuit, optimis instituta legibus, & Augusti Cæsaris studio memorabilis: ibi enim Græcas literas didicit. In altero littore Thessalonica est, potens quondam ciuitas, ad quam D. Paulus duas epistolas misit. Fuit autem hæc ciuitas olim situ eximia, aggeribus, fossis, mœnibusque egregie munita. Tradita fuit Venetis. Venetis autem Amurates Turca eripuit. Hæc est illa Macedonia, quæ peperit Alexandrum magnum orbis domitorem: hodie maior est Adrianopoli, minor vero Constantinopoli.

Macedonia magnum dominium. — Apollonia. — Studium Augusti Cæsaris. — Thessalonica.

Tessalia.

Inter Macedoniam, Epirum, & Atticam, Thessaliæ regio comprehenditur, campus maximus, ac curuus, & vndique montibus cinctus. Habet ab oriente Ossam, & Pelion: ab occasu Pindum, à quo Peneus amnis ab aquilone Olympū: & à meridie Othryn. Strabo scribit dictam fuisse priscis seculis Pyrrheam à Pyrrha Deucalionis vxore. Ibi Deucalionis tempore ingens imbrium illuuies maiorem partem populorum Thessaliæ absumpsit, paucis, qui ad montium cacumina sese receperunt, conseruatis. Inter quos Deucalion Parnasum petierat, ratibusque ad se confugientes, per summa Parnasi iuga benigne fouebat. ideoque dictus est genus humanum reparasse. In Thessalia sunt 24. montes, olim quidem continui, sed per terræmotum disrupti: qui fabulose per Herculem secti feruntur: finxeruntque poetæ gigantes congessisse vndiq; in hunc modum montes, & saxa, quibus voluerunt Iouem exturbare à cœlo. Epirus, olim Molossa dicta fuit: regio est Græciæ, in qua olim Pyrrhus regnauit: ab ortu Achaiam habens: ab occidente mare Adriaticum: & à septentrione Macedoniam. Hodie autem cum maxima Macedoniæ parte, Albania dicitur. Quondam vrbibus, populisq; fuit frequentissima. sed à Rom. subacta, cum sæpius deficeret, in solitudinem pene redacta est. Apud Epirum fuit illa memorabilis pugna, in qua Cæsar Augustus nauali prælio Antonium superauit: simul & Ægypti reginam Cleopatram. Thracia, quæ hodie Romania, à Thrace Martis filio, siue ab asperitate sic dicta; Thraci enim asperum dicitur, regio est sterilis: nisi vbi mari vicinior est; frigida enim est, & eorum quæ seruntur, maligne admodum patiens. In ea quondam vrbes celebriores fuere, Apollophania, Enos, Nicopolis, Byzantium, quæ postea à Constantino Constantinopolis dicta est: & in maius aucta gloriosissimi imperij sedes, & orientis totius caput delecta, Perynthos, Lysimachia, Callipolis: Amnes vero Hebrus, Nestos, Strymon. Montes, Hemus, Rhodope, & Orbelus. Homines habet feros, asperos, numerosos: adeo, vt si, ad vnius imperium regerentur, inexpugnabiles forent. Thraces omnes homines antecedunt, cæruleis oculis ac truci visu, terrifico vocis sono, annosa ætate. Ædificia modice ab humo eleuata habent. populus eligit in Regem spectatum moribus, & inueterata clementia etiam annis grauem: & cui liberi non sunt. Quadraginta rectores accipit, ne in causis capitum solus iudicet. Quod si ipse etiam peccati alicuius arguatur, morte mulctatur. Mare, quod iuxta Thraciam, Europam separat ab Asia, supra Constantinopolim, versus septentrionem, appellatur Pontus Euxinus, quasi bonum hospitium quod tamen per contrarium dicitur, cum sinu suo marino vastissimo loca asperrima, & aliena à bono hospitio. Iuxta Constantinopolim contrahitur mare in magnas angustias, quæ sunt veluti ostium Ponti, per quod Pontus ipse influit in Propontidem: ipsæque angustiæ vocantur Bosphorus, à bouis meabili transitu; est enim latus quingentorum passuum, siue quatuor stadiorum, quæ faciunt dimidium miliare Italicum, vbi Darius pater Xerxis copias transuexit. Est & Cimmerius Bosphorus, per quem palus Mæotica in pontum defluit. sic dictus à Cimmereis populis, qui partem eius frigidissimam incolunt. Cæterum, longitudo harum angustiarum extenditur versus Propontidem, quatuor miliaribus germanicis: ibique mare rursus in latum diffunditur stadiis quingentis: & in longitudinem protenditur stadiis mille & quingentis: vocaturque eo loco Propontis. Deinde iterum in arctum coit & stringitur, vt ex Europa traiectus non sit, nisi septem stadiorum. vocaturque ibi Euripus, siue Hellespontos, separans mare Ægæum à Propontide, intermedia fauce. In eius contrariis littoribus duo antiquissima extant oppida, Sestus in Cheroneso Thraciæ, & Abydus in Asia, quæ potentissimus Xerxes olim ponte coniunxit: & traduxit septies centena millia hominum pedites & equites. Hellespontus vocatur lingua Italica Stretto di Callipoli: & duo castra è regione posita vocantur castra in angustijs maris. Taurica Chersonesus complectitur 17. miliaria Germanica, habetque ciuitates, Eupatoriam, Ethedosiam, Solar, & duo castra. Ciuitatem Solat appellant Tartari Chrion: peninsula vero Precop. Habitatores eius sæpe excursiones faciunt in Russiam, Lithuaniam, & Poloniam.

Deucalionis diluuium. — In Thessalia 24. montes. — Gigantum habitatio. — Epirus. — Pyrrhus. — Albania. — Actiaca pugna. — Thraciæ vrbes. — Byzantium. — De Græcia. — Thracum mores. — Rex qualis. — Thracia mare. — Pontus Euxinus. — Bosphorus. — Palus Mæotica. — Propontis. — Euripus. — Hellespontus. — Xerxis exercitus. — Taurica Chersonesus. — Tartari.

De Insulis Græciæ.

Candia. — Situs Candiæ. — Cureta. — Vrbes. — Minois regia. — Ida mons. — Radamanthus. — Fertilitas Candiæ. — Labyrinthus. — Nigropontus. — Aristotelis vita.

Candia siue Creta, insula in mediterraneo mari, centum vrbium fama clara. in longitudine habet ducenta & septuaginta millia passuum: in latitudine vero quinquaginta millia. Circuitus eius quingenta octuaginta octo millia passuum complectitur. Dicta est primum Cureta ab habitatoribus Curetis & per syncopam Creta atque Candia, metropolis hodie appellatur Candia. Insignes in ea vrbes antiquæ sunt Cortyna, Cidon, Gnosus, Minoia regia, vbi Minos nouem annis regnauit, & Ida mons, omnium quæ in ea sunt celeberrimus, qui & celsissimo assurgit vertice. Tota insula plena est montibus & vallibus, habetque multas syluas: & maxime cupressi, per insulam intensum spirant odorem. Optimi vini feracissima Maluatici à Malua monte sic dicti. Radamanthus Iouis ex Europa filius, incultum illud hominum genus, ad mansuetius vitæ genus perduxit: sequutus inde Minos, adhuc magis in iustitia floruit. Lacedæmones, & aliæ vetustissimæ Græciæ ciuitates, teste Platone, ex Creta leges, & instituta sibi acceperunt. Fundus terræ feracissimus est frumenti, & pascuosus. profert etiam saccharum. Prope Cortynam ciuitatem Labyrinthus fuit, cuius dicunt adhuc extare vestigia, opus maxime spectabile fuit. Eubœa, siue Nigropontus, insula in Ægæo mari, Bœotiæ admodum vicina, à qua Euripo angusto maris porto separatur, vt etiam insula continenti ponte iungatur. Duo amnes sunt in Nigroponto, Cereum, & Neleum, diuersorum naturarum: nam si animalia ex vno bibant, albescit pilus eorum: alterius autem aqua pota, pellem nigram efficit. Habuit insula quondam duas insignes ciuitates, Chalcidem, & Eretriam: & in Chalcide Aristoteles philosophorum princeps mortuus est. Is Nicomachum medicinæ artis professorem patrem habuit: prima ætate in Macedonia enutritus. sed cum adoleuisset transtulit se Athenas, vbi Platonem 20. annis audiuit. Vocatus à Philippo rege in Macedoniam decem fere annis Alexandrum instituit: Alexandro vero in Asiam profecto, redijt Athenas, docuitque cum

in Græcia.

magna gloria. Accusatus quod non rectè de diis sentiret, metuens periculum, abiit in Chalcidem, ibique reliquum vitę transegit. Vixit sexaginta tribus annis, fuit paruus, gibbosus, & male formatus, balbutiensque: sed diues, vt qui præceptor & Secretarius Alexandri esset.

Cyclades insulæ.

Cyclades insulæ sic dictæ, quod circa Delum earum clarissimam in cyclum seu orbem sitæ sint. Numerantur autem in mari AEgæo quinquaginta tres, quarum nomina antiqua sunt, Samus, Samothracia, Imbrus, Pathmos, Anaphe, Tenedos, Cia, Chius, Tenus, Thasus. In Amatho foditur metallum: in Anticera crescit elleborus: & in Chia mastix.

Parhmos.

Delos patria Apollinis & Dianæ.

Delos inter omnes principatũ tenet, vbi Apollo & Diana dicuntur nati. vnde insula in tanta religione fuit; vt cum classis mille nauium Delum appulisset, quicquam violare, aut attingere nõ auderet. Continet hæc insula in circuitu suo quinque millia passuum. Fuit in ea olim singulare emporium seruorũ emptitiorum, præsertim, postquam Romani deleuerunt Carthaginem & Corinthum.

Parium lapis.

In Paro insula gignitur marmor candidissimum. Naxos, quæ & Strongile, & Dionysias, olim Bacho sacra.

Naxos Bacho sacra.

Homeri sepulchrũ.

Scythus insula clara Homeri sepulchro. Nisyrus insula vinum ferens laudatissimum. Biarus in mari Cretaeo, asperitate situs, & cœli inclementia insanis. Sunt in ea mures, qui letbalem inferunt morsum, ita, vt ferrum vsque rodant: arborẽ si attigerint, aridam reddant. Therasia, Carphatus, Samos, seu Samothracia in mari AEgæo, vnde Sibylla Samia, àtque Pythagoras philosophus.

Samos patria Sibyllæ & Pythagoræ.

Pythagoras musicæ plurimum doctus, Geometriam omnem perfecit: atq; pondera, & mensuras inueniens, Græcis primum contulit in numeris exercitatissimus, & in syderali scientia absolute doctus. Eius institutum fuit, ne quis scholam eius inerans, de philosophia ante quinquennium disputaret.

Lemnos.

Sub Samothracia in AEgæo mari innatat Lemnos insula: ab occasu Athon montem spectans. ab austro, sed longo tractu, Cretæ opposita est. Est autem maior Samo, habetque vrbem maritimam Myriam, & Ephestiam mediterraneam, vbi colebatur Vulcanus Deus ignis. quem cum Iuno peperisset, vt est in fabulis, eumque turpem conspexisset, è cœlo in eam insulam deiecit. Alii dicunt, quod cũ Vulcanus Iunoni matri contra Iouem opem ferret, præcipitatus est.

In Lemno colebatur Vulcanus deus.

Cea insula.

Cea finitima est insula Eubœæ, vbi vestes bombycinæ ad fœminarum luxum olim texebantur.

Constantinopolis.

Dicam aliquid de Constantinopoli antequam ad insulas maris Adriatici perueniam: Inclyta vrbs Byzantium, ante Ligos dicta, a Lacedæmoniis Pausania duce condita est, in angustissimo Europæ, Asiæque Euripo. Pausanias hanc vrbem reparans, septem annis possedit, ordinauitque caput Thraciæ, & appellauit Byzantium. Post eum aliquando fuit sub Atheniensibus aliquando sub Lacedæmoniis. sed iterum collapsa vsque ad tempora Constantini magni Imperatoris: qui, vt refert Diuus Hieronymus, omnes denudauit ciuitates, vt nouam Romam adornaret: cumq; Imperator vellet hanc nouam vrbem, nouam Romam appellare, & regionem ipsam Romaniam; præualuit vulgus, quod à conditore Constantinopolis vocaretur.

Constantinopolis magna.

Pera.

Pera è regione Byzantii, ab altera ripa sinus maris sita: vrbs ipsa triangularis est, habetq; duo latera ad mare, & vnum ad continentem: habet hæc vrbs, in hunc vsq; diem vetusta ædificia, qualia sunt, templum sanctæ Sophiæ, palatium Constantini ad occasum vrbis iuxta mœnia situm: & aliud palatium rotundum eius Imperatoris apud templum sanctæ Sophiæ ad sinistram positũ, sed pro magna parte dirutum: Columna Serpentina ex vno saxo facta.

Palatium Constantini.

Capta à Turcis.

Hæc vrbs inclyta subuersa est crudeliter à Mahumeto Turcarum Imperatore anno Christi 1453. quinto Calendas Iunias. Inde Callipolim, & Chersonasum primo, deinde totam pene Thraciam, atque Græciam occupauit. Quantum deinde malorũ Christiani experti sunt in expugnatione Belgradi, Rhodi, & Budæ; nemo est qui ignoret. Anno salutis 1509. magno terræmotu in ea vrbe tredecim millia hominum perierunt.

Imperatores Constantinopolitani.

Imperatores Constantinopolitani, Constantinus magnus, Constantius filius Constantini magni, Iouianus Constantini magni ex fratre nepos, Valentinianus, cuius collega frater eius, Valens Gratianus filius Valentiniani, Theodosius iunior filius Archadii, Martianus, per Pulchriam sororem Theodosii factus est Imperator: Leo, Zeno, Anastasius, Iustinus, Iustinianus, cuius imperii anno nono cœpit Gotthicũ bellum: confusas leges in epitomen redegit. in quinquaginta digestorum libros singula contraxit. Hic princeps templum magnificentissimum sanctæ Sophiæ admirando ædificio extruxit. Iustinus minor nepos ex filia Iustiniani, Tiberius ascitus à Iustino ad imperium, vir iustus, sapiens, strenuus, Mauricius Cappadox genere Tiberii, primum humilis notarius, Phocas præfectus Scythiæ, postquam Mauricium interfecit, à scelerato exercitu electus est Imperator, Heraclius, post interfectum Phocam adeptus est imperium, Constans filii Constantini iunioris, Constantius Constantini filius, Iustinianus minor, Philippicus, Anastasius, Theodosius tertius, Leo patria Isaurus, Constantinus eius nominis quintus, Leo quartus: Mortuo Leone, Irene Augusta imperium suscepit: Michael, Leo, Michael, Theophilus, Michal, Basilius, Leo, Alexander frater Leonis, Constantinus Leonis filius, Romanus, Nicephorus, Ioannezimisces, Basilius: Constantinus, Romanus, Michael, Michael, Michael, Isahacius, Constantinus, Eudoxia, Michael, Nicephorus, Alexius, Caloioannes, Manuel, Andronicus, Isahacius, Alexius, Alexius: Balduinus Comes Flandriæ eligitur Imperator, Henricus Flandrensis, Petrus Antisidoriensis, Robertus filius Petri, Balduinus secundus, Michael Paleologus, Andronicus filius Michaelis, Andronicus iunior, Ioannes, Caloioannes, Manuel, Ioannes filius Manuelis, Constantinos septimus, Manuelis filius, fratre Ioanne sine liberis mortuo: De quibus copiosius scripsi in genealogia, seu soccessione summorum Pontificum.

Iustinianus.

Phocas.

De Sardinia & Corsica.

Heraclius.

Irene.

Eudoxia.

Balduin.

De Sardinia.

Sardinia.

Sardinia circumdatur ab oriente Tyrrheno pelago: à meridie Africo ab occasu Sardoo & à septentrione mari, quod ipsam, & Corsicam, interluit. Plinius libr. 3. naturalis historiæ: Sardinia, inquit, ab oriente patet 188. millia passuum ab occidente 170. à meridie 74. & à septentrione 122. in circuitu 560. mi. pass. Abest ab Africa secundum eundem 200. millia passuum.

Sardiniæ situs.

Porro, ea Sardiniæ pars, quæ Corsicam spectat, montosior est, sed qui montes amœni sunt, & humanis necessitatibus vtiles: opposita vero pars, quæ Africam spectat, planior est. tritici abundantissima: amœnior quoque, sed altera amœnior est. abundat tota insula frugibus, pecore, & armento habetque equos multos robore, agilitate, & pulchritudine præstantes. abundat in hac regione adeo triticum; vt à mercatoribus multæ quotannis naues tritico oneratæ, abducantur in Hispaniam & Italiam. vini optimi magna passim per insulam colligitur copia, albi & nigri: venationem babet maximam: multique rustici ex sola venatione viuunt. præsertim qui in montibus habitant. Abundat Sardinia apris, ceruis, damis, & alio quodam animali, quod mussonem vocant: quodq; alibi in tota Europa non inuenitur.

Sardinia fertilitas.

Lupus non est in Sardinia.

Nullum gignit Sardinia lupum, aut aliud eiusmodi nocens animal: In Sardinia non est serpens, neq; vllũ venenum, sed pestilens aer: Habet præterea regio flumina multa, & amœna, sed non profunda. habet pisculentissima stagna: sunt quoq; balnea multa salubrium & calidorum fontium inter castrũ montis regalis, & oppidum S. Gauini argenti fodinæ in ea regione ditissimæ sunt, maxime apud ciuitatem Ecclesiarum. Salinas vero habet magnas in multis locis meliores sunt prope Calarim.

Flumina.

Balnea.

Argenti fodinæ.

Salinæ

Athenienses, expulsis Afris, eam insulam occupauerunt, & condiderunt Calarim ciuitatem: Aliquot annis post, Romani contra Carthaginenses pugnarunt: & tandem eam sibi subiugauerũt. sed rursus Sardinia ab Afris occupata est, quousq; Pisani & Ligures Italiæ populi, suasu Romani pontificum, expulsis Afris, insula potiti sunt. deinde Iacobus Aragonum rex eam obtinuit. Hodie paret Catholico Regi Philippo serenissimo Hispaniarum regi, 1556.

Calaris.

Calaris Sardiniæ primaria ciuitas, in quatuor partes diuiditur: media, quæ fortissimo septa est muro, propria vocatur Calaris: ea vero, quæ in orientem spectat, appellatur Villa noua. pars autem, quæ meridiem respicit, vocatur la Marina & quæ ad occidentem vergit, Stampax nominatur.

Sardorum mores.

Sardi sunt corpore robusti, agrestes: laboribus assueti, præter paucos luxui dediti: literarum studio parum funt [illegible] venationi autem deditissimi sunt multi pecuarii [illegible], agresti eiho, & aqua contenti: Qui in opp[illegible] villis habitant, pacifice inter se viuunt: aduenas amant, & humaniter tractant. sunt Sardi optimi equites. sunt ob solis ardorem subfusci coloris. Si quando Piratæ Sardiniam diuertunt, mox à Sardis in fugam vertuntur.

Optimi equites.

De Corsica.

Corsica.

Corsica insula, Græce Cyrnum, distat à Sardinia per vnum miliare germanicum, spacium quinque millia passuum. In interioribus insulæ partibus sunt altissimi, asperi, & saxosi montes, instar Alpium, ideoque habet homines agrestes, feroces, qui ipso aspectu referunt animi ferocitatem. Crescit optimum & nobilissimum vinũ in ea insulæ parte quæ respicit Liguriam. Referta est

Vinum generosum.

Fertilitas.

De Sicilia. *Fertilitas.*

ta est auibus & bobus, resina & melle. Ea autem pars quæ respicit Hetruriam Italiæ, est mediocriter plana: habet sibi fœcundum solum, & producit nobiles & dulces fructus. In reliquis vero locis aditu est difficilis, ob montium asperitatem: olim habuit 33. ciuitates. hodie non nisi vnam paruam, quæ vocatur Bastia, in qua residet insulæ gubernator: in ea parte terra est populosior, vocaturque Campoloro, campus de auro, propterea, quod ibi generosum crescat vinum, castaneæ, & aliquantulum tritici. In ea extremitate Corsicæ, quæ respicit Sardiniam, est arx fortissima: natura munita: Bonifacio dicta, vbi optimus est portus, habentque ibi Genuenses præsidia militum. Distat Capraria à Corsica 30. miliaribus Italicis, in qua habitant pauci homines agrestes; qui colunt vinum, quod ibi valde generosum crescit, præsertim rubrum: Habitant autem incolæ propter piratas in sublimi castro, inter saxa locato. Distat ab Italia, miliaribus Italicis sexaginta. Ilua insula, italice Elba, non multum distat ab Italia. estque satis fertilis: sunt in ea ferri & chalybis fodinæ est triplo maior Capraria. Sunt & aliæ insulæ in mari Ligustico, Gorgona, Planasia, Oglasia, & aliæ quas omitto.

Bastia ciuitas. *Bonifacii castrum.* *Capraria.* *Elba.* *Fodinæ ferri.*

De Sicilia.

Sicilia. *Trinacria.* *Pelorus.*

Sicilia nomen habet à Neptuni filio, nam antea Trinacria vocabatur, & Triquetra à tribus eius promontoriis: quorum vnum Pelorus, ad Italiam, & aquilonem vergens contra Scyllam, decem miliaribus a Messana distat. Est in eo promontorio turris, quæ procul venientibus vadum transeundi ostendit. Scylla scopulus in continenti, vbi oppidum Scylium e regione, cuius memorata turris vltra Fretum abest tribus miliaribus Italicis tanta enim ibi est latitudo freti, vt etiam bos tranare queat. Charybdis vorticosum mare, nuncupatum à singulis Calofarus, quasi Calofaros; ibi enim faces noctu accenduntur nautis portum petentibus. Scribunt veteres inter Siciliam & Italiam nullam fuisse discretionem: & eo loco terram Oenotriam appellatam fuisse, sed ingenti terræmotu scissam fuisse. Ibi mare est impetuosum, & excurrentium vndarum concussionibus, magnus editur sonus, instar horribilis latratus, vt etiam a longe audiatur. aliud est promontorium, vocatur Pachynus, ab aeris crassitudine, nunc vero Caput passorum: habetque duo cornua, vnum ad ortum, & alterum ad austrum spectat. tertium est Lilybeum. Africæ & Lybiæ oppositum: centum miliaribus à Carthagine ad orientem remotum: hinc sereno cœlo videri potest Africa. Iuxta promontorium istud mirabiles inueniuntur lapidicinæ, ex cuius saxis olim muri Carthaginenses fuerunt facti. Discernitur insula in tres valles, & desinit quæque vallis in vnum promontorium. Vna, quæ Pelorum habet nemorum plena. altera quæ extenditur ad Nothum frumentariis tum campis, tum nemoribus læta, pecorumque fœcunda, Pachynum continens. Tertia Mazaræ, frugiferarum arborum prope impatiens. messibus armentisque abundans: Lilybeum sibi vendicat promontorium. Ambitus insulæ 616. miliaribus Italicis definitur. Ceres apud Siculos in pretio fuit: agrorum enim cultum excogitauit. boues domuit: & aratro terram sulcis proscidit, & semina tradidit. & sic panem conficere docuit. Panormus ciuitas antiquissima, sita in loco amœno & fertilissimo: ad septentrionem spectat, pelagoque alluitur Tyrrheno. muris septa per quam aliis secundum mare arx est, quam Castrum ad mare nominant: tres antiquæ ciuitatis portæ, & veteres muri multis cum turribus lapide quadrato constructi: ibi inueniuntur lapides literis inscripti, [illegible] Noe tempore fuisse, probari potest Templ[illegible], vbi Siciliæ Reges sepulti iacent. Prope eum ad[illegible]m celebre hospitale. Altera parte est locus, vbi veteri consuetudine aureas coronas reges accipere consueuerunt. nam & Rogerius, & vterque Gulielmus Tancredus, Henricus Imperator, Fridericus filius, Manfredus, & Petrus Aragonensis, ibi regio diademate donati sunt. Dulcium arundinum, quarum ex recocto succo fit saccharum, fertiles in Panormitano agro fiunt messes. A Panormo haud longe est fundus, cui Cifala nomen: vbi aquæ sunt calidæ, ægrotis admodum salubres. Syracusa antiqua ciuitas, olim triplici septa muro, quæ cum Carthagine æquis viribus aliquando certabat: ex ea Dionysius tyrannus centum viginti peditum, equitumque 12. millium exercitum, ac naues quadringentas eduxit. Erat enim tum manu, tum loci natura munitissima. Portus adhuc habet duos, qui cum diuersos inter se aditus habeat, in exitu sunt coniuncti, quorum coniunctione insula ipsa disiungitur. In faucibus portuum arx erat tyrannorum, Hieronisque regis domus, qua prætores postea vti solebant, thesauro plena: & armorum copia ita munita; vt hominum septuaginta millia illis armarentur. In insula huius vrbis est fons, cui nomen Arethusa: tunc incredibili magnitudine plenus piscium, qui fluctu totus opertus fuisset; nisi munitione, ac mole lapidum à mari fuisset disiunctus. Regnauit in hac vrbe Dionysius 38. annis: vigesimum autem quintum annum agebat ætatis, cum regnare cœpisset. Cum autem ob sæuitiam omnibus inuisus redderetur; absque omni regio apparatu, in Italiam tacitus profugit: deinde Corinthum in exilium proficiscitur, vbi totis diebus in lupanaribus residebat. Nouissime ludimagistrum se professus, pueros in Triuio docebat. Agri Syracusani, omnium quæ ad victum humanum pertinent generum, longe sunt feracissimi. tritici enim omnisque leguminum generis, lætissimas ferunt segetes. Ibi quoque armentorum copia & pecudum: aucupii etiam maxima commoditas. Syracusani olim regali potestate, & magistratu totius insulæ Siciliæ potiti sunt. nam Gelo Syracusanorum rex, Carthaginensibus bello iam profligatis, vniuersæ Siciliæ dominium obtenuit. At vbi Romanorum prouincia Sicilia facta est, Syracusis erat prætoria domus, in qua homines Romani manebant, qui ius dicere consueuerant. Catana vrbs est in planicie, habens montem Aetna ad septentrionem: in eo loco vbi hodie diuæ Agathæ est templum. Fuerunt olim celebres thermæ, marmoreis columnis. Ager vrbis est totus fertilis, præsertim vini optimi feracissimus: pecora quoque optimis pascuis, quæ ibi sunt, in tantum saginantur; vt in ipsa pinguedine suffocarentur: nisi interdum sanguine circa aures elicito, leuarentur. Agrigentum peruetusta ciuitas, atque opulenta, quam olim Carthaginenses euerterunt. Phalaris Cretensis ob seditiones domo profugus in Siciliam commigrauit, atque Agrigenti principatum obtinuit: vir prudens, & in militia clarus. literis, ac liberalitate insignis. Messana ciuitas vetusta Charybdis freto, portuque natura ipsa facto discreta. ab occasu collibus munita: tritici messibus, quia montibus clauditur & Pelago caret: nemoribus abundat. sed tota prope eius messis in mororum foliis consistit. Probatissima enim a Messanensis lana serica, in multas Europæ partes mittitur. Mons Aetna, suis miris incendiis, materia plenus sulphurea, humidis generatur nutrimentis. Thucydides ab eo tempore quo Græci Siciliam tenuerunt, tres Aetnæ ignis inundationes commemorat. Orosius refert, M. Aemilio, Lucioque Oreste Consulibus, horrendis cum sonis flammas eundem eructasse montem. Anno 2. post martyrium S. Agathæ, qui fuit ducentesimus quinquagesimus quartus post Christum, mirabiliter arsit. Anno 1329. factis quatuor profundissimis hiatibus, magnum prorupit ignis flumen. Ignis ille nullo frigore temperatur, neque frigus per illius calorem dissoluitur. Supremum fastigium montis est planum, comprehenditque per circuitum circiter viginti stadia, tria prope miliaria Italica. Anno 1537. incredibilis magnitudinis ignea massa de incenso sulphure facta, ex ipsius Aetnæ nouis factis crateribus, cum maximo fragore prolapsa, non quidem velociter, sed passim ruebat. colles, nemora, saxa, rupes, pagosque combussit. Est autem hæc insula in inferioribus suis partibus tota cauernosa, atque plena sulphure, alumine, igne, & aqua, aliisque similibus, quæ ignem fouent: ignis autem esse nequit sine respiraculo, sed vbique sese exerit. sicut & in Sicilia multæ inueniuntur calidissimæ thermæ. Ingressus præterea aer in cauernas, excitat flammam, quæ exitum petens, fumum & ignem euomit, multisque in locis suos quærit caminos, per quos respiret. Interdum quoque in visceribus terræ tanta est ignis violentia; vt cum flamma lapides adustos & arenam expellat, calore incluso omnia latera cauernarum concutiente, & commouente. Non longe a Sicilia est parua quædam insula, quæ hodie Vulcana appellatur, dedicata à gentilibus Vulcano: & hæc habet collem fastigiatum, vnde noctu ignis, interdiu autem fumus exalat: in quo flamma per ventum excitatur, sedatoque vento, flamma extinguitur. Est autem tota insula Vulcana aspera, petrosa & ignibus scatens. Flante vento à meridie, consurgit circum insulam caliginosa nebula: si vero Aquilo spiret, erumpit ex camino eius flamma ignis, auditurque magnus fragor, sonitusque crepitantis ignis. Lipari insula non procul à Vulcana sita, abundat fructibus, alumine, & salubribus thermis. vocataque fuit aliquando Eolia: habetque ciuitatem vnam, quam Liparum vocant. habet optima pascua, & copiam aluminis. Non multum abest ab ea Ethalia, quæ mineras habet, vnde ferrum excoquitur. Inter Siciliam & littus Africæ, sita est insula Malta, quam Ptolemæus Melitam nominat, inhabitaturque nostro æuo à Rhodianis militibus, qui per Turcam pulsi sunt Rhodo insula. Sunt & aliæ insulæ circa Siciliam, scilicet Aenaria, quæ

Scylla. *Scyglium.* *Charybdis.* *Calofarum.* *Pachynus.* *Lilybeum.* *Tres valles in insula.* *Ceres in Sicilia.* *Panormus tempore Noe.* *Panormi reges coronabantur.* *Sacchari plantatio.* *Syracusa Regia ciuitas.* *Dionysii exercitus.* *Hieronis domus.*

De Sicilia. *Arethusa fons.* *Dionysii fama.* *Fertilitas Syracusa.* *Syracusanorum potentia.* *Catana Vrbs.* *D. Agathæ templum.* *Agrigentum.* *Messana.* *Lana Serica.* *Mons Aetna.* *Ignis flumen.* *Causa incendii.* *Vulcana insula.* *Lipari.* *Ethalia.* *Malta.*

hodie

De Sicilia.

hodie Iscle appellatur: nec multum abest à Caieta. Item Cosyra, Ægusa, Strongile, Didyma, Ericusa, &c. Syracusani

Iscla.

Siciliæ administratio.

ab initio in Sicilia imperium tenuerunt, vsque ad Marcum Claudium Marcellum tertio consulem, qui post Carthaginense bellum, Syracusas profectus, triennio vrbē oppugnauit, atque Siciliam in prouinciæ formam redegit, Romanisque subegit: vnde Romani non parum commoditatis acceperunt. Durauit autem ista administratio vsque ad Caroli Magni tempora. Tunc partito inter vtrunque imperium orbe, Sicilia omnis cum Calabria & Apulia, Constantinopolitano cessit imperio, cui sine controuersia paruit, vsque ad Nicephorum Imperatorem, quo tempore Sarraceni Apuliā, Luceriam, & alia nonnulla loca occuparunt anno 914 vnde

Saraceni occupant Apuliam.

sæpe postea factis excursionibus, Calabriam, Neapolim, & alia loca penetrarunt: sed post annum fere centesimum expulsi sunt per Tancredum Normandum, virum in armorum gloria illustrem.

Tancredus.

Is Ierosolymam petens cum aliquod millibus Normandorum, Siciliam, Apuliam, & Calabriam cepit. Atque postea moriens imperium posteris suis dimisit,

Comites Siciliæ.

qui Comites Siciliæ dicti, 43. annorum spatio magna cum felicitate creuerunt. Successit autem Tancredo filius Robertus qui Apuliam per se, & Siciliam per Rogerium fratrē rexit, atque constitutus est per Romanum Pontificem dux Feudatarius. Ipse Neapolim primus possedit, longaque obsidione superauit.

Robertus Neapolim cepit.

Post Robertum ducem, Siciliæ dominabatur Rogerius, quo mortuo successit Guilelmus, sed dum proficisceretur Cōstantinopoli, nuptias facturus cū filia Imperatoris Constantini, Rogerius fratris sui filius, capta absentia occasione, regnum inuadit.

Rogerius.

Guilelmus spe nuptiarum frustratus, regnoque simul eiectus, nimia animi tristitia confectus, apud principem Salernitanum, obiit. Rogerius varie in regno iactatus est, moriens Parnormi, reliquit filium suum

Guilelmus Bonus.

Guilelmum successorem, qui regnauit annos duodecim, mortuusque reliquit Guilelmum filium suum hæredem, cognomento Bonū, qui mortuus est postquam regnauit 25. annis, nullumque reliquit filium. Tunc electus est quidam ex-

Fridericus

geoare Roberti, nomine Tancredus. sed Henricus Friderici Imperatoris filius accepit Constantiam in vxorem, Rogerij regis filiam, persequensque Tancredum bello, Neapoli obsessum interfecit, & regnum vtrunque Friderico filio, ex Cōstantia sublato, reliquit, Res tandem deducta est ad Manfredum Friderici filium: is à Carolo fratre regis Francorum, duce Andegauensiū priuatus est regno; qui quotannis quadraginta milia numorum aureorum Pontifici Romano

Carolus.

Petrus Aragonensis.

pendebat. Porro, Carolus postquam interfecit Manfredum & Cooradinum Friderici Imperatoris nepotem, vindicauit sibi citra vltraque Pharom, Siciliæ regnum. sed Petrus Aragonensis, iure hæreditario Constantiæ vxoris suæ, quæ Manfredi regis filia fuerat, regnum Siciliæ inuasit, anno 1281. Carolus hoc tumultu extinctus est Neapoli, superstite Carolo eius filio, qui pugna naualicum Petro rege apud Siciliā congrediens, superatus & captus est. Moritur paulo post ex vulnere Petrus, relictis duob. filiis, Iacobo & Friderico.

Fridericus

Fridericus ex Hispania cum classe veniens in Siciliam, vaxatam à Roberto Caroli filio, non solum Siciliam, sed & Calabriæ partem assecutus est: donec tandem pace facta, & Carolo liberato, cōditiones factæ sunt, quod Carolus duos filios obsides daret, & Fridericus Siciliam dum viueret, haberet. His actis, Carolus paucis post de vita decessit, relictis ex Maria filia regis Hungariæ, filiis quatuordecim, è quibus notiores fuerunt, Carolobertus, qui postea rex Pannoniæ fuit, & pater Andreæ, qui successit in regno Apuliæ Roberto patruo, & interfectus à Ioanna fuit. Diuus Ludouicus Archiepisco-

S. Ludouicus episcopus Tholosanus.

pus Tholosanus, Robertus dux Calabriæ, qui in regno patri successit. Philippus princeps Tarentinus, pater Ludouici coniugis secundi Ioannæ reginæ. Habuit quoque duas filias, quarum vnam Blancam dedit Iacobo Aragoni, & Leono-

Dux Calabriæ Iacobus rex.

ram Friderico Iacobi regis fratri: Iacobus rex tradito regno Siciliæ fratri Friderico, secessit ipse in Aragoniam. Mortuo autem Martino Aragonum rege vltimo sine prole, orta est de regni iure contentio, inter Ioannem & Ferdinandum patruum, quod vterque se propriorem Martino stemmate materno diceret: sed Ferdinandus vno gradu proprior, frater Henrici regis Castellæ, vtrunque regnum Aragoniæ, & Siciliæ obtinuit.

Ferdinandus rex.

Alfonsus.

Alfonsus à Ioanna regina Neapolitana adoptatus, multis bellis Siciliam obtinuit, & regno Neapolitano adiecit. Ei successit Ferdinandus, quem ex pellica sustulit: is morbo periit anno 1494. & succedit Alfonsus iunior filius eius: sed vix anno regnauit fugiensque à Carolo Gallorum rege in Siciliam, filio Ferdinando permisit regnum. at nec filius Gallum regem expectauit: Rex itaque Gallus potitus Neapoli octo ferme mensibus, reuocatus est in Galliam; &

Ferdinandus.

Ferdinando rursum regnum oblatum est à subditis: sed post biennium sine liberis mortuus est: pater quoque suo mortuus est in Sicilia: patruus vero Ferdinandi Fridericus, vtrique regno est suffectus. Ipse quoque post sextum annum sui regni, exercitu Ludouici regis Gallorum, in Ænariam insulē pulsus, regis misericordiæ in Galliam profectus, se permisit. Interim Ludouicus Gallus, & Ferdinandus Hispaniæ rex, regnum expugnarunt. Cumque in rebus regni diuidendis, magna inter eos oriretur discordia, ventum est ad pugnam, superatisque Gallis. Hispani interim dominantur.

Genealogia Regum Neapolitanorum.

CÆterum de hac Regum genealogia sic quidam locuti sunt; Excluso, inquiunt, Friderico a regno, partiti sunt duo reges regnum Neapolitanū, sic quod

Reges Neapolitani.

Campania & Calabria cederent Ferdinando Hispano: Neapolis vero cum suis ciuitatibus esset Galli. Cumque præfecti vtriusque partis inter se magna laborarent discordia, ventum est anno 1501. ad magnam cædem, in qua tria millia Gallorum ceciderunt, defeceruntque principales ciuitates, Neapolis, Capua, & aliæ à Gallis ad Hispanos: nec amplius cessauit iurgium inter Gallos & Hispanos.

Sub diuersis familiis.

Numerant nonnulli annos, quibus sub diuersis familiis fuit regnū. Normanni ipsum possederunt annis 335. deinde Sueui annis 76 Galli post Sueuos annis 178. Aragonenses vsque ad hæc tempora. Regnum Neapolitanum à Normannis habet initium. Tancredus, vt dictum est, anno domini 1008. Apuliam, & Siciliam sibi subiugauit, quando Apulia erat Comitatus, similiter & Sicilia: successu tamen temporis facta sunt duo regna: licet circa annum CHRISTI 1050. vnum fuerint regnum.

Neapolis antea regni initium.

Primus rex.

Rex primus fuit Rogerius, filius Roberti Normandi, nepos autem Tancredi. Transactis deinde aliquot annis, diuisum est regnum istud in duo regna: vnum, nempe Siciliæ regnum possederunt Aragoni; Galli vero regnum illud quod est extra Farum, A ve rusta autem ciuitate Neapoli, vocatum est regnum Neapolitanum.

Diuiditur regnum.

Robertus.

Anno millesimo, & quadragesimo, Robertus Normannus in defunctorum fratrū succedens locum, Apuliam sibi vendicauit. à Pontifice Romano Nicolao Calabriæ Apuliæque Dux declaratur. Mortuo Roberto anno 1077. Rogerius filius eius principatum obtinuit in Neapoli, & in Sicilia: & à Pontifice Romano Anacleto, rex declaratur.

Rogerius.

Moritur anno salutis 1052. eique in eius locum subiit Guilelmus eius filius: & vtriusque Siciliæ rex declaratur.

Guilelmus.

Mortuus est Panormi, anno 1166. in cuius locum successit Guilelmus secundus filius eius: moritur Panormi sine liberis.

Guilelmus.

Tancredus.

Henricus.

Eligitur Tancredus eius patruus, Rogerij ex pellice filius. Henricus Friderici Aenobarbi filius, accepta in vxorem Constantia Guilelmi secundi sorore, qui recepit primo Siciliam, deinde Neapolim, inueniumque etiam iuxta Neapolim Tancredum, interficit exercitus eius. Rex vero Henricus, genuit ex Constantia filium Fridericum nomine, hæredem horum regnorum.

Fridericus

Potitus autem Fridericus regno triginta annis, strangulatus est in lecto à filio suo Manfredo, quem genuerat ex ancilla, feceratque ducem Tarentinum.

Manfredi impietas.

Conradus.

Conradus filius Friderici imperij suscepit habenas licet in eius absentia Manfredus occupare regnū illuderat. Conradus reuersus ex Alemania, erat enim Sueuus, sicut & eius maiores, primum Siciliam occupauit: deinde obsessam Neapolim fame domuit. murosque eius, & nōnullas priuatas & publicas ædes a solo æquauit, sicque potitus omni Sicilia. Altero post eius aduentum in Italiam anno moritur. Instituit Conradus hæredem Henrici fratris sui filium Conredinum, eius quem Fridericus in carcerem coniectū necauit. Quo audito Mãfredus, regnum occupauit, simulans Conredinum mortuum esse: cum vero multa insolenter ageret, Vrbanus quartus Romanus Pontifex, vocauit ex Gallia Carolum fratrem Lodouici regis Galliæ, Comitem Andegauensium prouinciæ Narbonensis, eique vtriusque Siciliæ ius concessit.

Conradinus.

Carolus.

Veniens Carolus, regnique fines ingressus, cōmisso bello apud Beneuentum, Manfredum in acie interfecit. Porro titulus regni Ierosolymitani annexus est titulo regni Siciliæ, propter vxorem Friderici secundi Imperatoris, quæ filia fuit regni Ierosolymitani, attulitque marito suo, loco dotis titulum & ius, quod pater habebat ad memoratum regnum. Atque hinc est, quod omnes reges Siciliæ reges Ierosolymitani appellantur.

Titulus regni Ierusalem.

Cæterum, occupato regno Neapolitano à Carolo, Conradinus à Neapolitanis vocatur ad regnum; veniens autem captus est à Carolo, & Neapoli securi percutitur, anno 1268 Deinde anno 1281. Siculi deficientes à Gallis ad Petrū Aragonū regē, qui in vxorem habuit filiā Manfredi, vno eodemque die omnes Gal-

Siculi interficiunt Gallos.

Petrus Aragonius.

De Regibus Neapolitanis. los perimerunt. Veniens ergo Patrus, conflixit cum Carolo Caroli regis filio, viuumque in suam recepit potestatem: & mox in Aragoniam deduxit, quatuorque annis in carcere detinuit: hoc autem contigit anno 1297. *Carolus.* Interim Carolus pater eius ex Gallia Neapolim redit: vrbem trepidam confirmat: ipse cum copiis in Apuliam se confert; vt contractis vndiq; nauibus, in Siciliam traiiceret: sed subito morbo correptus interiit. sicque Aragonus mansit rex Siciliæ. Composito vero tandem dissidio, Carolus è vinculis liber dimittitur, deditque duos filios obsides, Carolum & Ludouicum: *Sanctus Ludouicus obses.* ipse vero remansit Neapoli: & Aragonus regnum Siciliæ sibi reseruauit. Post Carolum, regnum suscepit filius eius Robertus, Calabriæ dux, cuius sororem duxit vxorem Iacobus Aragonus rex Siciliæ. *Robertus.* Carolus audita Iacobi Aragoni morte, adortus est Siciliæ regnum: sed aduersam pugnam sentiens Neapolim redit. Interim Fridericus Aragonus, successor Iacobi regis, ducta classe in Calabriam, breui eam regionem in suam redegit potestatem. Defuncto autem rege Roberto anno 1343. superstites fuerunt duæ, ex defuncto iam Carolo filio eius neptes, ex quibus Iohanna maior natu, quæ nupserat Andreæ Hungaro, successit in regno, virumque Andream suspendio sustulit, & Ludouico Tarantino principi, filio Philippi fratris Roberti regis, iterum nupsit. *Andreas Hungarus. Regina strangulat maritum.* Audito autem Ludouici regis Hungariæ, Andreæ fratris aduentu Ludouicus & Ioanna Narbonam fugarunt. Et cum ita rursum tentarent repetere regnum, superueniens Carolus Andreæ Hungari filius, *Carolus Hungarus.* potitur regno vniuerso, captamque reginam nouercam suam, strangulandam carnifici dedit. *Regina strangulatur.* Carolus deinde vocatus ad regnum Hũgariæ: trucidatus est in quodam conuentu, superstitibus Ladislao & Ioanna, quos impuberes apud vxorem Margaritham Neapoli reliquerat. *Ladislaus.* Ladislaus accepit regnum, sed non diu vixit, Neapoli occubuit, hærede relicta Ioanna sorore. Nupsit duci Geldriæ: sed eo mortuo, & certior facta de morte Caroli regis fratris sui, Neapolim redit: secundo nupsit Iacobo Marchiæ comiti, quibusdam conditionibus, vt, scilicet Tarenti princeps diceretur: regni vero administratio libera Iohannæ remaneret. *Iohanna regina.* Sed regni Principes id indigne ferentes, suaserunt Iacobo, vt regium nomen acciperet, vnde Neapolim veniens, exceptus est vt rex, potitusque castello nouo. Sed Iohãna breui curauit, vt Iacobus maritus cõiiceretur in carcerem, ex quo liberatus fugit in Galliam, ibique obiit apud oppidum Bisuntium. Post hunc Ludouicus Andegauensis declaratus est rex Siciliæ. Sed cum paulo post reginæ Iohannæ bellum indiceretur, timens, Alfonsum regem Aragonum in filium adoptauit, *Alfonsus Aragonus.* qui videns in muliere inconstantiam, circumsedit eam in arce Campania, quæ Neapoli sic appellatur: sed à Sfortia fusus, in fugam est versus. Tunc Iohanna Ludouicum Andegauensem, abdicato Alfonso, in filium adoptauit. *Ludouicus Andegauensis.* At Alfonsus id sentiens, multa expendebat contra Martinum Pontificem, quem inimicum sentiebat: & interea mortua est Iohanna regina inconstantiæ. *Renatus.* Post eius mortem, Renatus defuncti paulo ante Ludouici frater, regnum obtinuit. sed ab Alfonso victus, regnum Alfonsus adeptus est anno 1442. mense Iunio: moritur sine liberis ex iusto matrimonio, anno 1458. cum regnasset Neapoli annis 16. relinquens Ferdinandum, *Ferdinandus.* quem ex pellice susceperat ducem Calabriæ, qui patri successit in regno. Verum Ioannes Lotharingiæ dux, Renati filius vocatus ad regnum, venit, occupauitque Apuliam. *Ferdinandus pugnat contra Iohannem.* Ferdinandus audiens hostem ingressum regnum, processit illi obuiam, magnoque animorum ardore vtrinque est pugnatum; donec Aragonensibus in fugam versis adeo, vt ægre Ferdinandus in fugam Neapolim se reciperet. Deinde reparato exercitu, commissoque bello, Ferdinãndus victor remansit. *Ferdinandi liberi.* Habuit autem Ferdinandus liberos, Alfonsum, Fridericum, Ioannem, & Franciscum. Ioannes effectus est Cardinalis, Alfonsus vero genuit Ferdinandum, & Isabellam. Alfonsus præfectus rei bellicæ, infeliciter pugnauit, & anno 1487. multa tyrannice egit: ideoque quidam ex regno Neapolitano, elapsi, *Alfonsus.* Ludouicus Sfortia quoque gubernator Mediolanensium, Carolum Francorum regem multis largitionibus in Italiam, vocauerunt; vt regnum Neapolitanum ex Andegauensium successione sibi debitum, repeteret. In ipso autem belli apparatu, Ferdinandus obiit, anno 1494. & Alfonsus filius eius dux Calabriæ, rex Neapolitanus est salutatus. Carolus vero rex Galliæ cum magno exercitu ingressus est Italiam, Romamque peruenit. Vbi autem Alfonsus Carolum aduentasse Romam cognouit, memor scelerum suorum, vltro se regia potestate abdicauit, Ferdinandumque filium pro se regnare iussit. Ipse cum traiecisset in Siciliam, non ita multo post obiit, cum vix vnicum regnasset annum. Ferdinandus autem à Carolo Francorum rege duobus mensibus exactus *Asia minor* vsque Neapolim nullum habuit impedimentum: moratus autem Neapoli mensibus fere quatuor: *Ferdinandus.* deficiente paulatim exercitu, timere cœpit, præsertim cum Ludouicus dux Mediolani, & Veneti contra eum conspirassent, in Galliam rediit, & biennio post morbo extinctus est. *Carolus Francorũ Rex.* Interea Neapolis à Caroli fide desciuerat: & rediunti Ferdinando portas aperuit, qui mortuus est, cum duo de viginti regnasset mẽsibus. Tunc Neapolitani Fridericum Ferdinandi patruum in regnum admiserunt, *Fridericus* qui quinquennio regno dominatus est, sed postea expulsus est à Ludouico rege Francorũ, qui successit Carolo fratri suo in regnum. Ludouicus igitur potenter regnum subegit. Fridericus autem sua sponte secessit in Galliam ad Regem. *Ludouicus rex Francorum.* Prius autem quam Fridericus expelleretur, Ludouicus Gallus iniit fœdus cum Ferdinando Hispaniæ rege, vt regnum Neapolitanum ex æquo diuiderent: sed orto inter se iurgio ob cuiusdam oppidi causam, initum est bellum, fugatisque Gallis, victoria apud Hispanos remãsit, atque vsque ad hæc tempora regno dominantur. Sed vtinã ipsi reges Neapolitano regno in propria persona præsiderent: melius profecto res ageretur cum pauperrimis reguculis.

DE ASIA, ALTERA parte Orbis.

ASIA altera tripartitæ terræ pars, ab Asia Oceani & Thethyos filia sic dicta. A meridie per oriẽtem vsq; ad septentrionem protenditur: *Asiæ situs.* ab occidente habens Nilum & Tanaim cũ Euxino ponto, & partem mediterranei maris: tribus autem aliis partibus iungitur Oceano, qui ab oriente Eous, à meridie Indicus, à septentrione Scythicus nominatur. *Mare Eoũ. Indicum. Scythicum.* Taurus mons mediam quodammodo continentem diuidit: ab oriente in occidentem excurrens, partem ad aquilonem, partem ad meridiem relinquit. *Limites Asiæ.* Asia est cœlo temperata, solo fertilis, idcoque omnium animalium genere plenissima. Multas & spatiosas habet solitudines, maria, arenas, asperos montes, & loca quæ habitari non possunt, ideoque non est ita populosa sicut Europa. Præcipuæ olim Asiæ regiones fuerunt, Babylonia, Persia, Syria, Schythia, Asia minor, India: *Regiones Asiæ.* sed de Asia minori prius loquamur. Prima portio Asiæ minoris est totus ille tractus, qui ab Amano monte & sinu Issico intra Tauri iuga ad confinia Cariæ vsque porrigitur, cuius partes Cilicia, Isauria, Pamphylia, Lycia. Altera pars quam totius continentis nomine Asiam minorem appellant, *Regiones Asiæ minoris.* quam à septentrione Bithynia, & ea linea quæ à Rhindaci fluminis ostio ad montẽ Dindymum ducitur, finiunt: ab Austro Pamphylia, Lycia, & mari Rhodo; ab ortu Galatia, & Lycaonia: ab occidente toto Aegæi maris excursu, quod eo loci Icarii & Myrtoi nomen partiar habet. huius membra, Caria, Ionia, Aeolis, Troas, Lydia, vtraq; Phrygia, vtraq; Mysia: tertiũ Chersonesi mẽbrũ ab ostio Rhindaci secundũ expositã lineã incipit: ad Trapezunta vrbẽ & Euphratem in ortũ tendit: in meridiem vero vltra Antitaurum ad Amanum & Tauri iuga immittitur: partes sunt Pontus siue Bithynia, Paphlagonia, Cappadocia, Lycaonia, Gallatia, Armenia minor, Pisidia: sed prius à Bithynia exordiar. *Bithynia.* Bithyniæ & Ponti termini sunt à limite occiduo, Bosphorus Thracius, & Propontidis pars: à septẽtrione pontus Euxinus: ab ortu Paphlagonia & Galatia: ab austro ea linea quæ ab ostio Rhindaci fluuii ad mõtẽ Dindymũ protenditur, siue Asia, quæ propriæ minor dicitur. *Pontus.* A Bithyno rege Bithynia dicta fuit: *Nicea.* hæc etiam authore Eusebio, Pontus est dicta. habuit olim multas insignes ciuitates, nempe Nicæam, Chalcedonem, Heracleam, Libyssam, vbi Annibal sepultus fuit, *Annibalis sepulchrũ.* Prussam, quam hodie Bursam vocant, Nicomadiam, Apamiã &c. Nicea metropolis Bithyniæ, & quasi mater aliarum ciuitatum ob sui magnificentiam & fertilitatem, in campo sita, in singulis lateribus portæ singulæ, Hic iubente Constantino magno celebratũ est Conciliũ Nicenum, trecentorum & decem & octõ episcoporum; & condemnata est hæresis Ariana, anno domini 1372. *Concilium Nicenum.* Paphlagonia ab oriente habet Halym fluuium, qui ortus ex Armeno monte in Pontum effunditur: *Paphlagonia* à cardine occiduo habet Parthenium amnem. Vrbes clarissimæ sunt, Tios, Cromna, vbi olim Heneti populi: *Heneti populi.* Amysus quam Athenienses, cum mari imperarent, condiderunt. Amastris, Cythorus. Synopa, & cætera. Galatia, quam Galli & Græci mixti incolunt, *Galatia.* composito vocabulo Gallogræciam vocant. à septentrione habet Paphlagoniam: à solis ortu Cappadociam: à limite meridiano Pamphyliam & Pisidiam: ab occasu Bithyniam, Mysiam, Phrygiam. Vrbes, Ancyra, *Vrbes.*

Asia minor.

Ancyra, Gordium, Laodicia, Tauium: à duo Paulu edncti fuerunt tidem CHRISTI. Porrigitur ex Cappadocia in Galatiam Argæus mons, qui perpetuis pruinis riget. Porro, Gallorum ter centena milia è sua regione egressa, pertransierunt Italiam, Pannoniam vtranque, Illyricum, Croaciam, Græciam, aliasque multas regiones. Cumque in Macedoniam venirent, habuerunt Antiochum Sotarū obuiū, qui cōtra Gallos suburdinauit quindecim, seu sexdecim elephantas, quos cum equi Gallorū sentirent, subito horrore sunt concussi, & retro acti sessores deiecerunt, atque ita confusa est acies Gallorum. Athenas inde venerunt, & interfecto Atheniensium rege, desolatisque Thermopolis, etiam deorum templis non pepercerunt: sed dum Apollinis ædem apud Delphos spoliare cœpissent, partim terræ motu obruti, partim grandine & frigore dissipati, reliqui ab accolis vulnerati sunt.

Argæus mons. Equi resfugiunt elephantes.

Brenus autem rex illorum in prælio vulneratus, cum dolorem ferre non posset, pugione vitam finiuit. Eo mortuo superfuerunt reliquiæ adhuc Gallorum quindecim millia peditum, & tria milia equitum: qui cum à rege Bithyniæ vna cum Græcis vocati venissent in eius auxilium, partem regni tenuerunt, & ab vtrisque populis Gallogræci sunt dicti; postea sub Augusto subiecti fuerunt Romano imperio.

Brenus rex Gallorum.

Contingit ab vna parte Galatiam Pisidia, regio non admodum magna, quæ habet Antiochiam ciuitatem celebrem, cuius fit mentio in Actis Apostolorum. Antiochiæ Paulus Euangelium gentibus annunciauit. Sunt etiam Oronda, Apollonia, Neopolis &c. Lycaonia habet Iconium, Derbam, Lystram. In Lystra natus est Thimotæus discipulus S. Pauli. & in eodem, S. Paulus fuit lapidatus. Iconium est metropolis Lycaoniæ.

Act 14. Pisidia. Antiochia. Lycaonia. Iconium. Derba. Lystra.

Cappadociam Paphlagonia, & Gallogræcia ab occasu terminant: ab ortu Armenia minor, Scordiscus mons, Colchis, ac diuersarum linguarum gentes, Tibareni, Mosyni, Buseri, Macrocephali: à septentrione pontus Euxinus. Nomen habet à Cappadoce fluuio, quem Thermodonta appellant: prius fuit dicta Leucosyria. Persæ dum rerum potirentur in Satrapias duas eam diuiserunt: Macedones eiectis Persis, in duo regna; nam quicquid eius adiaceret Tauro monti, Cappadociam proprie vocabant: reliquam vero quod Ponto appropinquaret, Cappadociam magnam: Romani in prouinciam redegerunt. Pro magna parte arenosa est & saxosa, ideoque non fertilis, quin & magna lignorum penuria in ea est.

Cappadocia.

Metropolis in ea Cæsaria, dicta à Claudio Tyberio Cæsare. Est & alia Cæsarea in Palestina, quæ antea dicebatur Turris Stratonis. Iulianus apostata crudeliter hanc vrbem est insectatus, quod fideliter Christo adhærerat. S. Basilius fuit Episcopus huius vrbis. Alia ciuitas in Cappadocia Cucusum, in qua exulauit D. Chrysostomus. Alia ciuitas Eupatoria, postea Amalia, & tandem à Pompeio Magnopolis dicta, patria Strabonis geographi. Nazianzum, in quo D. Gregorius Nazianzenus doctissimus in scripturis, præceptor diui Hieronymi episcopus fuit.

Cæsaria. Basilius. Chrysostomus. Strabo. Nazianzenus.

Armenia minor, ab ortu Euphrati & Armeniæ maiori conterminatur, à septentrione ad Orbalissenam præfecturam vsque progreditur. Tauri iugum quod à Cicilia in aquilonē abducitur, & mons Scordiscus, à limite occiduo eam claudunt: à meridie Cilicia, Amanus mons, & Syria Comagena. Habet Armenia minor Leontopolim, Theodosiam, aliam scilicet ab ea, quæ est in Taurica Chersonesi, Sebastiam, Comanam, Nicopolim, vbi Pompeius Romanus victoriam obtinuit contra Mithridatem Ponti regem, & Tigranem regem maioris Armeniæ.

Armenia minor. Vrbes Armeniæ. Pompeii victoria.

Amazones, vxores Scytharum, quæ remanserunt post maritorum interitum: nam Scythæ olim domo pulsi, cum vxoribus in Cappadociæ ora considentes, & spoliare finitimos consueti, per insidias trucidati sunt. Vxores quæ maritos secutæ fuerant, videntes orbitatem suam, & suorum, arma sumserunt, finesque suos defendentes, mox bella intulerunt finitimis. Auxerunt rempublicam sine viris: & ne feliciores aliæ aliis viderentur, viros qui domi remanserant, interficiunt. Pace postea armis quæsita, ne gens interiret, cōcubitum finitimorum ineunt, & si qui mares nascebantur, interficiebantur. Virgines non ocio, neque lanificio, sed armis & venationibus exercebātur inustis dextris māmis, ne sagittarum iactus impediretur. Itaque maiora parte Europæ subacta, Asiæ quoq; nonnullas ciuitates occupauere. Ephesum & Smyrnam in Asia minori condiderunt: in Cappadocia vero Themiscyriam præcipuam vrbem inhabitauere.

Amazones. Ephesus. Smyrna.

Cilicia, ab ea parte qua solem orientem intuetur, Amano monte finitur: à septentrione Tauri verticibus, Armenia minore, & Lycaonia: ab occasu Pamphylia: à meridie mari Issico: vndique fere asperis & altis montibus cingitur. Habet quoque per asperos illos montes angustos exitus, quos portas Ciliciæ vocant, per quas olim Alexander Magnus eum in orientem penetrare contenderat, non sine magno periculo exercitum traduxit.

Cilicia. Porta Cilicia.

Asia minor. Alexander magnus.

Vbi montibus caret, fœcundissima est, omniumque rerum ferax. Metropolis prouinciæ est Tharsus, quam hodie vocant Terassam, eamque interseca Cydnus amnis, ex Tauro monte originem trahens. Vere tumet, cum niues soluuntur: reliqua anni parte tenuis & placidus: aqua eius si pedes in ea macerantur, podagram sanat. Fuit patria diuo Apostolo Paulo. Tharsenses philosophiæ adeo dediti erant, vt Athenienses, & Alexandrinos superarent. Sardanapalus rex Assyriorum hanc vrbem condidit, & Anchialam.

Tarsus patria diui Pauli.

Alia vrbs Ciliciæ Corycus, à qua Corycius specus, antrum Nympharum. Crescit in agro huius ciuitatis optimus crocus. Selinuntia alia Ciliciæ ciuitas, sed quæ post mortuum in ea Traianum, dicta fuit Traianopolis. Item vrbs Satalia sita in ora Ciliciæ, vnde nunc sinus nobilissimus nomen habet: olim Issicus dictus, ab Isso ciuitate, quam hodie Iaiassam vocant, vbi Alexander Macedo vicit potentissimum regem Persarum Darium, ideoque Nicopolis ab eo dicta est.

Antrum Nympharum. Traianus. Issicus sinus. Alexandri conflictus cum Dario.

Darius scripsit Alexandro: Rex regum Darius, consanguineus deorum Alexandro famulo meo, iubeo & mando tibi, vt reuertaris ad parentes tuos, cubes in gremio matris tuæ, & doceare virile officium, ad quam tibi misi habenam Scythicam, pilam & loculum cum aureis: pila conuenit ætati tuæ, aureos misi, quibus necessaria emas &c. His lectis literis, Alexander Dario rursum scribit: Pro auspicio habeo quæ misisti: habenam accepi, qua vtar in eos, qui tibi subditi sunt: pila vero, tui & totius orbis imperium promittit: aurum autem opum tuarum dominium testatur. Lectis his litteris Darius, scripsit ad Satrapas: Alexandrum adolescentem, insipientem, puerilibus verberibus cædite: & purpura indutum nobis reddite.

Alexander respondet Dario.

Pamphylia tota monte Tauro septa, regio enim tota est montana, procumbisque in mare, abundat optimis pascuis, quia montes vbique extrudunt amnes, terram irrigantes. Attingit hæc terra à meridie mare mediterraneum; vnde & ibi mare Pamphylium dicitur: ab ortu Melam fluuium habet: à parte aquilonari Gallogræciam & Cappadociam: ab occasu Lyciam. Insigniores ciuitates, Perga, Aspendus, Phaselis in monte sita. A Perga dicta fuit Diana Pergæa, propter templum quod in ea vrbe habuit. In Aspendo Veneri suas sacrificauerunt.

Pamphylia. Vrbes. Diana Pergæa.

Lycia regio inter Pamphyliam & Cariam propa tota Tauro monte premitur, eius iugis bona parte clausa. Præcipuæ vrbes Patera D. Nicolai patria, Pinara, Xanthus, quod etiam fluuij nomen est in eadē regione, Myra, Olympus mons Chimera in ea est, nocturnis ignibus flagrans, vt Aetna in Sicilia. In cuius cacumine leones habitant: in medio vero propter bona pascua, capræ: & in radicibus serpentes. vnde poetæ finxerunt mōstrum esse, quod flammas euomat, caput & pectus habeat leonis, caprinum ventrem, & caudam draconis.

Lycia. Vrbes. Diui Nicolai patria. Mons chimera.

Caria magnam Tauri montis partem concludit: ab ortu Lyciam habet: à meridie mare Rhodium: & ab occidente pariter: à septentrione Phrygiam, & Lydiam. Caria olim Doris fuit, quam antiquitus Pelasgi habuerunt. Vrbes Cariæ, Halicarnassus, in qua ciuitate Artemisia regina sepulchrum viro suo Mausuleo adeo magnificum construxit; vt ex septem spectaculis mundi esse censeatur, attollebatur enim in altum 25. cubitis, cingebatur columnis 36. & ab eo pretiosa sepulchra Mausolea dici cœperunt. Colossæ, epistola Pauli celebriores.

Caria. Doris. Vnum ex septem spectaculis mundi. Colossæ.

Ionia ab ortu Lydiam habet, quæ & Mœonia est: ab occasu mare Aegæum: à septentrione Aeolim, à meridie Cariam. Miletum vrbs Ioniæ clarissima, Thaletis patria, physiologiæ & Mathematicæ author: Anaximander Taletis discipulus, Anaximenes, Hecatæus, Timotheus musicus in ea ciuitate geniti. Posidium promontorium, & oppidum Branchidarum oraculum appellatum. Prienæ Biantis patria: Magnesia ad Menandrum: Clazomene Anaxagoræ patria.

Ionia. Miletum patria Thaletis.

In Ionia sita est celeberrima Ephesiorum vrbs, quam 32. anno regni Dauid, conditam fuisse ab Androco filio Codri Atheniensium regis, memoriæ proditum est. Amazones quoque construerunt in ea ad honorem Dianæ nobilissimum templum, vnum inter septem miracula orbis ducentis & viginti annis à tota Asia factum fuit in solo palustri, ne terræmotum sentiret: In eo centum viginti septem columnæ fuerunt, & à singulis regibus factæ, sexaginta pedum altitudine, inter quas triginta sex cælatæ fuerunt miro artificio: vniuersi tēpli longitudo erat 425. pedum, latitudo 220. Operi præfuit Ctesiphon architectus: fuitque templum in tanta veneratione, vt qui ad illud confugissent, magnis immunitatibus donarentur: Illuc quoque ex omnibus ciuitatibus & nationibus tanta, & tot munera & dona conferebantur; vt nullum

Ephesiorū vrbs. Vnū ex septem mirabilibus. Templum Dianæ.

Asia minor. D. Paulus. D. Ioannes. in diuinis templum cum eo conscripsisset: in hoc templo D. Paulus tribus annis prædicauit, conuertitque maiorem vrbis partem ad Christi fidem: postea venit in hanc vrbem sanctus Ioannes euangelista, & in ea mortuus est. Cæterum quidam Gnthns Eroastus, vt sibi perpetuam sui facinoris pararet memoriam, templum illud incendio concremauit.

De Lydia, Phrygia, Mysia, & Troia.

Lydia. Fertilitas. Sardis. Crœsi thesaurus. Lydia, siue Mæonia, ab austro perfunditur Meandro fluuio: à septentrione est Mysia: ab ortu Phrygia maior: ab occasu Ionia & Aeolis. Regio est fertilissima, profert vinum optimum, mel crocum, & alia multa, irrigaturque flexuosis Meandri recursibus. Metropolis eius & regia sedes fuit olim Sardis, cui præsedit Crœsos Rex ditissimus: Hic Crœsus thesaurum suum aliquando Soloni ostendens, an quisquam felicior esset interrogauit: Solon respondit: neminem ante obitum beatum esse vocandum: cumque à Cyro rege Persarum, cui Crœsus sæpius rebellauerat, igni adiudicatus esset, & in rogo cremandus sederat, recordatus *Verba Solonis.* verborum Solonis, alta voce clamauit: ô Solon Solon: Interrogante Cyro quid sibi vellet, respondit Crœsus, Solon vir sapientissimus, olim me monuit, neminem esse in hac vita felicem, quod iam experior. Tum Cyrus fortunæ varietatem perpendens, eum non solum dimisit; sed etiam inter *Philadelphia. Thiatyra.* proceres & consiliaros recepit: Est etiam in hac regione Philadelphia, quæ multa mala per terræmotum perpessa est. Item Thiatyra, Sipylus, Tantalis, quas deleuit terræmo*Terra motus deleuit vrbes.* tus. Scribit Plinius lib. 2. historiarum, sub Tyberio Cæsare vna nocte 12. ciuitates terræ motu concidisse. Mysia duplex, *Mysia. Pergamus. Phrygia.* superior & inferior, maior & minor, in qua multæ celebres fuerunt ciuitates, nempe Scepsis, Adramitium, Apollonia, Traianopolis, Pergamus, Troadem quidam Mysiæ annumerant. Phrygia duplex, maior & minor: *Ida mons. Sybilla Phrygia. Tantalus rex.* maior ab aquilone contermina est Galatiæ, à meridie Pisidiæ, minor vero ad Hellespontum tendit: Vrbes Ancone, Synnada, Celonæ, quæ postea Apamea dicta, inclinat enim minor Phrygia ad Propontidem. In minori Phrygia est Ida & Imolus montes, atque Pactolus fluuius aureas venas habens: ex ea fuit Sibylla nona, quæ mira de iudicio Dei extremo est vaticinata, tempore iudicum Israelitarum: Fuit in Phrygia rex Tantalus vir auarissimus, quem fingunt poetæ ad conuiuium inuitasse alios Deos: Et cum eorum Deitatem experiri vellet, filium Pelopem eis comedendum apposuit, mentitus alias esse carnes. Qui co*Troiana ciuitas.* gnoscentes facinus, non solum abstinuere; verum collectis in vnum membris, puerum ad vitam reuocarunt: Quapropter Iupiter in infernum Tantalum trusit, hoc supplicio damnatū, vt inter aquas cum sit, sitiat: & inter redolentia po*Troia reges.* ma esuriat. In minori Phrygia sita fuit olim ciuitas Ilium quam vulgo à regione ipsa Troiam vocant. Hæc vrbs post diluuium 828. annis condita est, ante vero Christi incarnationem 1200. regnaruntque in ea sex reges Dardanus, Erictonius, Troes, Ilus, Laumedō, Priamus, sub quo vrbs fuit sub*Priami filii.* uersa à Græcis, cum enim vice quadam Priamus rex Troiæ absens esset, irruentes Græci in regnum eius, euerterunt Ilium, abieruntque cum magna præda, secum abducentes Hesionem regis sororem. Rex autem instaurauit vrbem, & ex sua vxore Hecuba quinque filios genuit, Hectorem, Paridem, qui & Alexander, Deiphobum, Helenum & Troilum, atque tres filias, Andromacham, Cassandram, & Polyxenam. Misit autem Antenorem principem affinem suum in Græ*Citherea insula. Helena Menelai regis vxor.* ciam, qui repeteret Hesionem: cum autem Græci id facere recusarent, & legatum contumeliis affectum, ablegassent, Priamus capto cum suis consilio, paratis nauibus, collectoque milite, in Græciam misit, Paride duce: Classis autem appulsa est Cythereæ insulæ, vbi erat templum Veneris vetustum, toti Græciæ venerandum: Tunc autem temporis erat festum Veneris, confluebatque magna populi multitudo. Helena autem Menelai regis Spartæ vxor, cuius regnum non longe distabat ab insula, audito Troianorum aduentu, desiderabat eos videre; atque huius rei gratia sub specie votorum soluendorum, ad insulam venit. Et cū *Castor & Pollux.* prima lnce ingressa esset Phanum regia pompa: Parisquoque ingressus est templum apparatu regio: Et vt mutuo se conspexissent, incensi sunt alterutrum: Paris occasionem non negligens, suis iam imperat, vt noctu nauam abducant, rapta antea Helena, & spoliato templo: quod audiens Priamus gauisus est, sperans pro Helena sibi Hesionem restituendam fore. At Castor & Pollux audientes sororem suam Helenam abductam, conscensa naui, illico sequuntur, sed orta tempestate haud procul perierunt à Lesbio littora: *Asia minor. Mille & ducentæ naues.* Menelaus vero rex audiens raptam vxorem, ex fratris Agamemnonis consilio solicitat omnes reges & principes Græcorum ad vindicandam iniuriam. Parant ergo mille & ducentis nauibus, magnis copiis, recta tenduntcontra Troianum regnum, reges scilicet Mycænorum, Spartanorum, Boætiæ, Phocidis, Vlysses rex Ithacæ insulæ, Achylles rex Thessaliæ, &c. misere unque ex Tenedo insule legatum, qui Helenam repeteret, & satisfactionem pro spoliatu Phano. Negat Priamus, nisi restituant Hesionem: Irritati Græci *Polydorus.* Troianos adoriuntur: depopulantur omnia, propinquas ciuitates, & Lesbum insulam: capiunt quoque Polydorum Priami filium recens natum, quem Priamus miserat in *Polydori mors.* Thraciam, ad Hecubæ vxoris suæ fratrem Thraciæ re*Hector. Menelaus vulneratur.* gem, vt si Troia caperetur, saltem ille paruulus relictus genus instauraret & vrbem. Obtulerunt ergo Græci hunc filium pro Helena: sed recusante Priamo id facere, Græci in conspectu Troianorum, puerum lapidibus obruunt. Hector interim sæpe educit exercitum ex vrbe, fiuntque multa prælia & cædes. Menelaus à Paride sagitta per fœmur transfigitur: & Achilles vulneratur ab eodem: non destitit illum *Palamedes.* persequi, donec eum interfecit, & Troianos in fugam vertisset. Paulo post Achilles visa Polyxena filia Priami, promittit ei depositionem armorum: Succedit in locum eius Palemedes dux, sed à Troianis occiditur, Troilo Hectoris fratrie partes strenue obeunte, & sauciante Menelaum, Diomedem, & Agamemnonem, multosque interficiente: videntes autem Græci suam iacturam, cogunt Achillem descendere in aciem. Is cum insequeretur Troilum, videretque equum eius cadentem, accurrens transfodit eum: Cum autem essent induciæ inter vtrunque exercitum, Hecuba *Achillis mors.* promittit Achilli Polyxenam se daturam, si Phanum inermis ingrederetur: quod cum ille fecisset, à Troianis interemptus est: Quod audientes Græci, prælium aggrediuntur, Troianosque interficiunt: & reliquos ad portas vsque persequuntur. Postera die Agamemnon dux instruit exerci*Pentesilea regina Amazonum.* tum, pugnauitque cum Pentesilea regina Amazonum, quæ à Troianis in auxilium fuerat vocata, eamque interfecit, eiusque exercitum deleuit. Videns Priamus fortunam sibi *Consilium Priami.* aduersari, exquirit à suis quid facto opus sit: quidam decernunt, Helenam esse reddendam, alii pacem petendam, tertii fortiter pugnandū, quorū sentētia præualuit: At Priamus *Antenor. Æneas.* metuebat, ne illi qui pacem suaserant, vrbem perderent; ideoque monuit suos, vt eos clam interficerent: quorum principes fuerunt Antenor & Aeneas. Quod cum illis innotuisset, mittunt clam ad hostem, & pollicentur vrbis proditionem, saluis tamen ipsis & rebus eorum. Constituta *Deiphobi mors. Priami mors.* itaque sequenti nocte certa hora ab Antenore & Aenea, venerunt hostes, & inuenerunt portam apertam, irrumpentesque obtruncant obuios quosque: Priamus re cognita confugit ad aram Iouis, Menelaus ingressus regiam, deprehensum Deiphobū, qui post mortem Paridis, sibi Helenam iunxerat, necat: Pyrrhus autem Priamū iuxta aram iugulat: postea ciuitas direpta, & in fauillam redacta: Agamemnon autem adducit, & restituit Menelao Helenam quasi vim passam: bellum autem illud durauit annis decem, & mensibus octo: cæsa sunt in direptione vrbis ducenta 76. millia hominum. Antenor ab Agamemnone *Antenor iecit fundamenta Patauii.* constitutus est rex Troiæ, in qua 22. annis regnauit: deinde à filiis Hectoris pulsus, cum paucis Troianis Venetam prouinciam concessit: & Patauinæ vrbis fundamenta iecit. Aeneas vero cum vniuersa familia Italiam venit, & per Tyberina ostia haud longe à Laurento vrbe consedit, vbi de quibusdam regis latini agris occupatis, Troiam nouam condidit: & tandem Latium cum Campaniæ parte obtinuit, tribusque annis regnauit: à cuius posteritate nati sunt Remus & Romulus. Post Priami regnum, Cyrus rex Per*Cyrus rex Persarum.* sarum nobili nationi iugum imposuit: deinde Xerxes Darii filius, qui Hellespontum ponte è nauibus facto, strauit, vidensque copias ex editiore loco, illachrymatus est, cogitans *Xerxes plorat.* post annos 100. ne vnum à tanto numero superstitem futurum. Deinde Græci recuperatis viribus, mutuis seditionibus pugnant, in Peloponneso potissimum Athenienses & Lacedæmones, vt grauissimus historicus Thucydides octo libris diligentissime scribit. Deinde Philippus Macedoniæ rex Græciam occupauit: postea Romani: modo Turcarum dominio premuntur. Sic itaque res Græcorum miserabilem sustinent seruitutem. Troas est regiuncula, quæ attin*Troas. Simois fluuius Xantus.* git Hellespontum à Troada oppido: ibi est Sigæum promontorium, mons Ida, & iuxta Ilium vrbe: Troadis fluuius Simois, cui Xantus iungitur.

Rhodus insula & aliæ.

INSULAE ASIAE MINORIS, & inprimis de Rhodo.

Rhodus.

RHodus urbs, à qua insula Lyciæ Rhodi nomen sortita est, ante annos salutis humanæ 740. à Phoreneo Argiuorum rege condita est: & in urbis fundamento rosæ capulum inuentum, à quo ciuitas & insula nomen accepit. Hæc insula triginta miliaris Germanica complectitur; fuit in hac Insula statua Iouis, unum ex septem miraculis mundi.

Unum de septem miraculis.

Sultanus Aegypti cum Rhodum insulam obsedisset, ex ære statuæ Iouis, quam contractam reperit, nonagentos Camelos onerasse fertur, atque in Alexandria transmisisse. Habet insula ista tres ciuitates, Lindum, Camyrum, & Rhodum, quæ habet aptissimum portum.

Ciuitates.

Anno domini 1308. Rhodos insula in potestatem Christianorum venit: nam prius Saraceni eam occupauerant. Anno domini 1480. Mahometus Othomannus Turcarum imperator, ingenti hominum multitudine Rhodum expugnare contendit, decima Calcodas Iunij eiusdem anni, tribusque mensibus fortissime oppugnauit: At Petrus Rhodiorum magister, non minori fortitudine hosti restitit & expugnauit, coegitque suis finibus excedere: Anno autem 1522. Solimannus undecimus Turcarum imperator, cum magno Christianorum dedecore insulam expugnauit.

Petrus Rhodiorum magister.

Lesbus insula.

Lesbus insula in Aegæo mari Aeolicarum urbium metropolis, à Borea in austrum protensa, quingenta & sexaginta stadia longitudinis habens, feraci agro, ut inter insulas fortunatas computetur.

Chius insula.

Chius insula nongentorum stadiorum ambitu continetur, habet Pelinæum montem altissimum: abundat in quadam eius parte Aruisia nomine Maluatico vino: nascitur in ea mastyx, unde mercatores lucrum facere soliti sunt:

Samos.

Samus nomen duarum insularum, una est in mari Aegæo, adiacens Thraciæ, quæ & Samothracia appellatur; altera in mari Ionio iuxta Ephesū, Iunoni dicatissima, quod in ea nata sit, educata, atque Ioui nupta, ubi antiquissimum fuit templum hinc Iuno Samia dicta est. In ea Pythagoras quoque philosophus natus est, necnon & Sibylla Samia: Omnium rerum est feracissima, vino duntaxat excepto.

Samothracia.

Iunonis patria.

Pythagoræ patria.

Sibylla Samia.

Icaria insula.

Iuxta Samum est Icaria insula, ambitus trecentorum stadiorum: vocabulum fortita est ab Icaro Dædali filio, qui una cum patre è Creta fugiens, fretus alarum fiducia, cum ultra patris iussum altius euolasset, solisque ardore cera, qua pennæ continebantur, liquefacta, decidit in mare unde postea mare Icarium dictum est.

Icarus Dædali filius.

Cous insula.

Cous seu Coum insula in mari Icario, ambitus quingentorum & quinquaginta stadiorum, tota fertilis, & optimo vino abundans: in ea est ciuitas Astypalea, in cuius suburbano Aesculapij templum fuit valde insigne: & multis donis opulentum. Apelles pinxerat in eo templo Venerem, quæ postea Iulio Cæsari Romæ dicata est, pro qua tamissa Cois centum talenta ex imparato tributo, dicunt: Alexander Macedo à nullo pingi voluit, nisi ab Apelle; fuit enim pictor eximius, patria Cous, ingenio & gratia præstantissimus.

Apelles.

Æsculapij templum.

Hippocrates.

Hippocrates quoque Pythagoræ discipulus, omnium medicorum princeps, in insula Coo est natus: Hic medicinā post Aesculapij mortem quingentis annis sepultam, in lucem aduxit. Fuit autem Aesculapius frater Apollinis, qui medicinam à fratre repertam, ampliauit, herbarumque vires inuenit: Mortuus est autem Hippocrates annos natus centum & quatuor: In Cilicia natus Dioscorides, qui mira scripsit de simplicibus. In Bergamo Mysiæ natus est Galenus medicus excellentissimus; vixit etiam ipse annis 140. In Lesbo natus est Theophrastus eloquentissimus Aristotelis discipulus, & in schola successor. Aesculapius in Bithynia in ciuitate Prussa natus est. Progenuit ergo illa regio Asiæ minoris præclarissimos & sapientissimos viros.

Æsculapius.

Dioscorides.

Galenus.

Theophrastus.

De Asia maiori, & inprimis de Babylonia & Chaldæa.

POst diuisionem linguarum, in sola Chaldæa remansit lingua Hebraica: Nemroth Gigas ad obedientiam suam coegit, qui remanserant in Chaldæa, inchoauitque Monarchiam primam; fuit enim iste princeps eorum, qui turrim ædificabant teste Iosepho. Itaque primam Monarchiam, scilicet Assyriorum Nimbrotus, alii quidicunt Saturnus, inchoauit, qui imperauit annis 56. Secundus rex huius Monarchiæ Belus siue Iupiter, filius Saturni, regnauit annis 65. Tertius rex Ninus Iouis Beli filius, regnauitque annis 55. fuit homo natura bellicosus, & virtutis appetens, multaque bella gessit annis 17. totamque Asiam sibi subiecit; & constituit Assyriam caput Monarchiæ suæ: Belo patri eius pro sua consolatione, fecit fabrifieri imaginem, quam & in tanta habuit veneratione; ut omnes ad illam cōfugientes, omnē haberent securitatē: unde idola apud homines cœperunt in honore haberi.

Monarchia Assyriorum.

Saturnus.

Belus siue Iupiter.

Ninus.

Assyriorum Reges.

Initium idololatria.

Niniue ciuitas.

Iuxta Tigridem in Aturiæ campo erexit ciuitatem grandem Niniue, in qua coegit maiori ex parte habitare Assyrios, & quidam potentiores: ex reliquis nationibus voluntarios assumpsit: destructa est postea Niniue à Medis: sepultura autem Beli à Xerxe.

Semiramis.

Quarto loco regnauit Semiramis uxor Nini annis 42. Hæc antecellit militia, triūphis, diuitiis, victoriis, & imperio plurimos ex mortalibus: Ipsa Babyloniam maximam ex oppido fecit, ut magis dici possit illam ædificasse, quam ampliasse: urbs ab utroque latere Euphratis, ut medius inter fluat ædificata, cuius mœnia ambitu stadia 360. cōplectebatur frequentibus turribus ac magnis: erat tanta operum magnificentia; ut in muri latitudine, sex equorum currus una prodire possent: muri vero ex cocto latere, arena, pice, ac bitumine erant compacti: altitudo erat 32. pedum: turres 250. pontem qua parte fluuius angustior fluebat, construxit, stadiorum quinque longitudinis, columnis in profundo summa arte iactis pedes 12. distantes: lapides truncis ferreis, immixto iuncturis liquefacto plumbo coniunxit: ante columnas firmos composuit angulos, quibus ab omni aquarum impetu tutæ essent: pontem qui triginta pedum latitudinem habebat, coniunxit ex cedrinis, cypressis, ac palmarum trabibus, spectatæ magnitudinis: ab utroque fluminis latere murum duxit stadiis 360. par mœnium urbis magnitudine. Regias iuxta flumen ex utroque pontis latere ædificauit, quæ aspectum latæ urbis præbebant, & ciuitatis erant propugnacula. In urbis medio templum Ioui erexit mirandæ altitudinis, in quo Chaldæi astra obseruabant. Ex Armeniorum montibus, lapidem excidi fecit longitudine pedum 150. latitudine vero spissitudineque 24. hunc magna curruum multitudine ad flumen Euphratem delatum, nauique impositum Babyloniam deuexit: & in via insigniori erexit.

Euphrates Babylon.

Pons Semiramidis.

Regia.

Templum.

Unum de septem miraculis mundi.

Zameis rex quintus.

Quintus rex apud Babylonios Zameis Nanias, filius Semiramidis, annis triginta octo regnauit: In regno Babylonico parum resplenduit: ornauit tamen templa Deorum, & Chaldæos ampliauit, nempe homines Astrologiæ, Theologiæ, atque Astronomiæ deditos.

Arius.

Sextus Babyloniæ rex Arius, regnauit annis triginta, qui adiecit imperio omnes Bactrianos, & Caspios subiecit.

Aralius.

Septimus Assyriis imperat Aralius annis 40. vir iste claruit ingenio & studio militari: & primus adauxit pompas & gemmas & muliebres delitias.

Baleus Xerxes.

Octauus rex Babyloniæ Baleus, cognomento Xerxes, regnauit annis 30. appellatus est autem Xerxes, id est, victor & triumphator, quod imparauerit duplo plus gentibus quam Aralius. Erat enim militia ferox & fortunatus, propagauitque regnum usque prope Indos.

Armatritus.

Nonus rex Babyloniæ Armatritus, imperauit annis 38. homo voluptati & delitiis deditus.

Belochus.

Decimus rex Assyriorum Belochus, annis triginta quinque regnauit: qui idcirco à Belo sumpsit cognomen: qui cum imperium voluit exercere, maximos Beli, siue Iouis amator fuit, circa auspicia & diuinationes occupatus.

Balens.

Altades.

Undecimus fuit Baleus, annis quinquaginta duobus regnauit: hic post Semiramidem supra cæteros enituit fama, splenduit imperio usque intra Indos. Altades duodecimus rex Babyloniis fuit, regnans annis 32. hic interposuit tempus suum delitiis, existimans vanum esse, laboribus vitam suam occupare: idcirco suum institutum fuit, ut vita sua diuitiis & gloria frueretur.

Mamitus.

Decimus tertius Babyloniæ rex Mamitos, regnauit annis triginta: is milites exercuit, & assuafecit laboribus: & interpositis delitiis, unguentis & opobalsamis, militiam & pugnas exequebatur, cœpitque formidini esse Syris & Ægyptiis.

Mancaleus.

Quartus decimus imperator, siue rex Babyloniæ Mancaleus, annis triginta regnauit.

Sferus.

Quintus decimus Assyriis imperat annis 20. Sfarus: vir, de cuius gestis & prudentia omne vulgus personat.

Mamelus.

Sparetus.

Ascatades.

Amintl. 19.

Sextus decimus rex Mamelus, Babyloniis imperat annis 30. Decimus septimus rex Babyloniorum fuit Sparatus, & regnauit annis 40. sub isto rege terræmotus terruit Babylonios. Decimus octauus rex præfuit Babyloniis Ascatades annis 41. qui omnem Syriam suæ ditioni subiugauit: inde Aminthon 20. Belochus iunior 21. Belloparens, Lamprides, Panyas, Sosarmus, Mitreos, Tantanaus, Tantheus, Thineus, Dercillus, Epaolos, Laostenes, Pirythidias, Ophraeus, Ophraganeus, Astrazapas, Sardanapalus, Beloch[3], Theglaphalazar Salmanazar, Sennacharib, Assarhaddō, Merodach, Baldan, Benmerodach, Nabuchodonosor primus, Nabuchodonosor Mag. filius. Euilmerodus, Merhastus, Regussar filius eius, Labassassadach filius eius secūdus, Balthasar filius eius, Dari-

De Arabia. us Meduesoeer Cyri, Cyrus Persa, Cābyses, Darius Histaspis, Xerxes qui & Artaxerxes. Nutrierunt Babylonij doctoe viros, *Doctrina apud Babylonios.* quos Chaldæos vocabāt, & hi ad aultū Deorū erant deputati; philosophabantur quoq; per omnem vitam ; peritissimi Astrologi. De destructione Babyloniæ prophetauæ Isaias 13. Et erit Babel, qnæ inclyta fuit in regnis, decor & magnificentia Chaldæorum, in subuersionem instar Sodomæ & Gomorrhæ. Cubsbunt ibi bestiæ hortendæ : habitahunt ibi Struttiones, & pilosi saltabunt ibi. Reuera, tempore quo Nabuchodonosor rerum in oriente potiebatur, *Destructio Babyloniæ.* Babyloniæ ciuitas adhuc fuit in sus magnificentis. deinde vrbis partem per se diruerunt, & partē tempus consumpsit, & Macedonum negligentia, præsertim vbi Seleucus Nicanor Selcueiam ad Trigim *Seleucia caput regni.* condidit ad stadia 300. Babyloniæ proximam : Nam & ille, & posteriores omnes circa banc vrbem magnopere studuerunt, & regni caput effecerunt, quæ nunc à Babylone màior est, quanquam magna ex parte deserta sit. Magna igitur ciuitas, magna solitudo.

De Arabia.

Arabia situs & diuisio. ARabia sita est inter Iudæam & Ægyptum, vbi Asia Africam respicit : triplex Arabia, Petreia, Deserta & Felix, Arabia Petreie à limite occidentis terminatur Ægypto : ab ortu Arabia Felice : à septentrione Iudæa : *Nabathea.* à meridie sinu Arabiao : in ea sunt Nabathei, vnde & Nabathea est appellata : ciuitas metropolis est Petra, quæ ab Isaia petra deserti nominatur. Hac iter Hebræi pro parte fecerunt, cum ex Ægypto proficiscerentur : ipsa in plano est sita, aircumsapta rupibus altis, inter quae fontes vberrimi sunt ; extra vero circuitum ragio ex magna parte deserta, & sina aquis : *Mons Sina Sepulchrū D. Catherinæ.* in hac regione est Sina mons, in quo lex Moysi diuinitus concessa, & sepulchrum D. Catherinæ : in hanc Arabiam fugit Moyses à facie Pharaonis ad sacerdotam Madian *Exod.* 2. Hæc regio in multis locis est sterilis, arenosa, petrosa, aspera, laboratque penuria aquæ. *Arabia deserta.* Arabia deserta etiam Scenitis, nam gens vagabunda sine certis domicilijs, in tabernaculis & tentoriis agit : σκηνὴ enim Græcis tentorium notat : ab ortu habet Babyloniam, & sinum Persiaum attingit : ab oacasu finitur Petræa, & ea linea, quæ ducitur à montibus Arabiæ Felicis ad Nagudam vrbem *Situs Arabiæ.* Mesopotamiæ ; à Borea Mesopotamia : à meridie montibus Felicis Arabiæ occurrit. Huius incolæ sunt Barhanei, Orebeni, & Mattheni : regio inculta & deserta, alto sabulo pleraque operiente : & inprimis aquarum inops : In haoc Arabiam venerunt filij Israal, *Filij Israel in deserto Arabiæ.* in ea qua quadraginta annis habitarunt. Arabes liberi viuūt, nec vlli vnquam externo regi paruerunt ; agriculturam aut parū, aut nihil exercent : pascua omnis generis pecorum, præsertim camelorum, optima babent : sine ædificiis in tentoriis habitant : propa Euphratē versus Chaldæam & Persiam, paucs oppida babent ; in mediterraneis autem nulla, sed vagantur cum pecoribus : insignis eorū ciuitas Amphibolis. *Amphipolis.* In hec regione stagnum est ingens, Asphaltum producens, ex quo nō paruum vectigal percipitur eius aqna odoria est pessimi, saporem habens amarum : *Mare mortuum.* pisces non producit, neque aliquod aquatile animal : & cum plures aquæ dulcis fluuii in illud decurrant, nequaquam tamen aquæ natura immutatur. Arabia felix inter duo maria Rubrum & Persicum posita est, instar Italiæ, quæ sita est inter Tyrenum & Adriaticum mare ; à septentrione Arabiam Desertam & Petræam babet ; *Arabia felix.* ab austro mare Rubrum : ab ortu sinum Persicum, & mare quod à faucibus illius ad Syagrum promontorium vsque effunditur : ab occasu sinū Arabicum. *Fertilitas Arabiæ felicis.* Cinnamomi, thuris, myrrhæ, ladani, & aliorum odorum maxime felix : auri grana inter glebas terræ inueniuntur : mellis, aeræ, pecudum mire abundans, suibus exceptis : hoc animalis genus si inuehitur, illico emoritur. Cinamomo & Cassia ignes fouent : nascitur in Arabia Phœnix viuax, vnica semper aue, quadraginta & quingentis annis durat. Illius ragionis gentes ditissimæ sunt, sed imbelles, & *Phœnix.* mercatores potius quam milites. Sabæi in ea regione propter thura ditissimi, quorum regio Saba : Arabes vero, qui *Sabba regio.* gloria armorum præstantissimi sunt, Cathromoritæ appellantur : vrbem bebet Mecham, in qua ast sepulchrum *Mecha vrbs.* Mahometi : Sabæorum plerique sunt agricolæ : aro mata alij legunt : in Æthyopiam ob negotia nauigant, nauigio aotio aontectis. Huius gentis metropolis est Saba, supra montem sita, vbi alia auro, alia argento, quædam lapidibus splendent ; nonnulla ex elephantorum dentibus exculta, ebore domorum limina tacta, parietes construunt : *Saba metropolis.* Nabathæi omnium continentissimi, in quærendis opibus mira gantia industria, & in tuendis maior. Qui rem domesticam minuit, publice punitur : qui vero auxerit, honore efficitur ; vestimenta aurea non tantum mulieres, sed etiam viri deferunt, torquibus collū ornātes, armillis manus, aures inauribus : *De Assyria.* sacerdotibus non licet extra locum sacrum proficisci ; deprehensus enim extra limites sacros interficitur.

De Aßyria.

ASsyriæ & Babyloniæ nomen sæpe confunditur propter vices regnorum, & alternata imperia. *Assyria.* *Situs.* Assyria autem regio ab Assur filio Sem est appellata. Regio ast Babyloniæ cōtermina, & Syriæ pars : ab ortu attingit Mediā : ab occasu finitur Mesopotamia & Tigri flumine : à meridie Susianam habet : & à septentrione Caucasum montem & Armeniam maiorem : *Mons Caucasus.* Raro pluit in Assyria, vnde frumentum fluminis irrigationa, & ingenio agricolarum *Fertilitas. cap.* 10. paratur, cuius eximia est abundantia ; palmis vescuntur, ex quibus mel & vinum confiaiunt : alunt aomas, vnguentis delibuti foras prodeunt. Quartus liber ragum ostendit quod tempore Ezechiæ regis Iudæorū bæc duo regna Babyloniæ & Assyriæ erant distincta ; nam Sēnaaherib rex Assyriorum obsedit Ierosolymam : *Duo regna distincta.* & ab angelo magnam sui exercitus cædem accepit ; Rex vero Babyloniorum magna munera ad Ezechiam regem Iudæorum misit. A Nino vsque ad Sardanapalom vltimum regē Assyriorum anni 540. *Sardanapali mors.* intercesserunt : rages vero triginta quinque seu triginta sex. Postquam autem Sardanapalus in extructa pyra se, & suas diuitias iniecit, Arbastus succaessit, & regnum ad Mados transtulit. Scribit Eusebius, ante CHRISTI natiuitatem 818. anno, reges Mediæ expugnasse regnum Assyriæ, Serdanapalum vicisse, & regnum sibi subiecisse : *Babyloniorum & Assyriorum regna sunt vnum.* is potissimum fuit Cyrus, qui & Cambysen filium in vna sua regno præfacit. Primus Assyriorum rex nominatus fuit Arbaces, dainde tertius, aut quartus Sennacherib, qui decem tribus Israel ex Samaria captiuas abduxit. Et cum regnum Iudæorum funditus delere vellet, ab angelo prohibitus est. Deinde suo tēpore creuit *Daniel propheta.* Babyloniæ potentia & ciraumiacentia sibi regna subiecit, sicut Danial propheta loquitur cap. 2. Tu es rex regum, cui rex coelorum dedit regnum forte, potens, & gloriosum : Hoa autem regnum postea fuit per Cyrum & Darium occupatum, vt idam propheta clarissime ostendit. In regione *Darius priuatur sua monarchia.* Assyriæ non procul à ciuitate Arbela, in secundo armorum conflictu, Alexander Magnus Darium regem potentissimū superauit, priuauitque sua Monarchia. Primus autem conflictus commissus est in regione Ciliciæ, vt paulo ante annotaui : in hac pugna secunda quæ in Assyria facta est, prostratæ sunt ex Persis quadraginta millia virorum, ex Macedonibus vero circiter trecenti viri ; Habebat militem congregatum equites & pedites decies centena milia ex Bactriana, Massagetia, Sogdiana, Babylonia, Persia, Media, Parthia, Armenia : *Durauit Monarchia Medorum annis* 230. parauerat quoque ducentos currus falcatos : sed industria Alexandri omnia prostrauit. Mansit autam Monarchia apud Medos annis 230. Darius autem videns fortunam sibi aduersari, in Arbelam ciuitatem se recepit, in qua suum thesaurum aondiderat ; superueniens autem Alexander, ciuitatem accepit & omnia diripuit : Elapsus autem Darius in Bactrianam venit, ibique interfectus occubuit : Nam duo Satrapæ Bessus & Narbezanes, in gratiam Alexandri venire cupientes, Darium fociterum inuanientes, lethaliter vulnerarunt. Alexander citato cursu postera die superuenit, inuenitque Darium adhuc spirantem, qui dixit : En mihi tali fortuna constituto, sepulturam ne inuideas, ô Alexander : rogo etiam vt matrem meam & vxorem meam commendatas habeas : *Verba Darij ad Alexandrū.* filiam vero Roxanenam, vt tuo coniugio dignam accipere non dedigneris, & sic efflauit animam. Alexandar autem audiens scire quia Darium interfecisset, in publico ita ait : *Alexandri verba.* gaudeo nunc me hostem maximum superasse, licet ipse executus non sim : habeo tamen gratiam condignam his, qui eum mei nominis gratia interfecerunt. quo audito Bassus & Narbazanes se produnt, quos Alexander aspiciens interrogauit : cur regem suum simul & propinquum, & benefactorum interfecissent ? Indignatusque iussit arboribus inflexis homicidas pedibus alligari : quæ rursum in aerem dimissæ, locumque suum repetentes, subito homicidas illos per medium diuiserunt.

De Persia.

PErsia siue Persidis orientalis regio, à Perse Iouis & *Persia.* Danaes filio dicta : à quo & Persopolis totius regni *Persepolis.* caput, & populi Persæ dicti sunt. Fuit olim regio potentissima, circūdata altis montibus. Ora maritima

æstuo-

Persia & Madia.

æstuose est, atque ventosa, fructuum inops, præterquam palmarum: Mediterranea regio campestris est, omnium ferax, optime pecorum nutrix, fluminibus & lacubus plena, vt totius quasi Asiæ prouincias fertilitate præstat.

Situs.

A septentrione Medis terminatur: ab occasu Susiana: ab ortu solis dus bus Camaniis: à meridie parte sinus Persici.

Thesaurus in Persepoli.

In Persopoli metropoli totius regionis, olim reges Persiæ suam babuere mansionem, quam Alexander expugnans, in ea magnum thesaurum inuenit, quem multi reges coegesserant: possederant, n. reges Persiæ Monarchiam post Medos, 250. annis quæ tandem ad manus Alexandri peruenit. Reges creabantor ex vna familia: & qui regi non parahat, capite & brachiis amputatis insepultus abijciebatur.

Regnum Persicum.

Regnum Persicum exortum est post regna Assyriorum & Medorum, primusque rex fuit Cyrus, Astyagis Medorum regis nepos. deinde Cambyses, Darius Hystaspis: quartus Xerxes maximus omnium regum Persarum, qui decies centena hominum millia in Græciam traduxit, & maria pontibus iunxit: Athon montem continenti abscidit.

Xerxes.

Cum vero postea inertiæ se dedisset, relicta militia, paucis post annis à præfecto suo in regia interficitur.

Reges Persarum.

Successit ei secundum Eusebium Artabanus: deinde Artaxerxes, Sogdianus, Darius Nothus, Artaxerxes qui & Memnon maritus Hester, Artaxerxes qui & Ochus, Arses, Darius, quem Alexander Magnus vicit, postquam Monarchia annis ducentis quinquaginta steterat apud Persas.

Alexander regnauit 12. annis.

Alexáder regnauit 12. annis: in Babylonem rediens, mortuus est.

Reges post Alexandrũ magnum.

Post Alexandrum in Syria & in Asia regnauit Seleucus Nicanor annis 32. Antiochus Soter Asiæ & Syriæ 19. annis. Antiochus Theos annis 15. Seleucus Callinicus annis 20. Seleucus Seraunus annis 31. Antiochus magnus annis 36. Seleucus Philopator filius Soter, annis 12. Antiochus illustris qui & Epiphanes, annis 11. Antiochus Eupator annis 2. Demetrius Seleuci socer annis 12. Alexander annis 10. Demetrius Nicanor annis tribus. Antiochus Sedetes plus annis 8. Demetrius secundus annis 4. Antiochus Gryphoo annis 12. Antiochus Sicisenus annis 19. Philippus annis 2.

Iulius Cæsar.

Iulius Cæsar Monarchiam auspicatur, & annis quinque eius Monarchia durat. Octauius Augustus Cæsar Monarcha manet annis 56. sub quo natus est Christus.

Mores Persarum.

Cæterum, pueri Persarum à 5. anno vsque ad 24. discunt equitare, iaculari, sagittare, & inprimis vera loqui. Ad æstum & frigus perferendum, torrentium transitu exercentur. In armis, & in madidis vestibus perdurant, pascunt, & rusticantur: glandibus, & piris amaris vescuntur. quotidianus cibus post cursum, & alias agitationes, panis durissimus, aqua potus. De rebus maximis non nisi medio potu consultant; eam demum consultationem firmiorem rati, quæ ab ebriis sit inita. Ridere corá rege aut spuere, nefas arbitrantur. Tempore natiuitatis Christi regnum Persicum fuit sub Romanis: anno autem 632. Saraceni adimarunt imperium: Imperator autem Persarum appellatur Sophi.

Sophi.

Ormus ciuitas.

Est insula in mari Persico tribus miliaribus Germanicis distans à continenti, in qua est ciuitas quæ vocatur Ormus, omnibus maritimis vrbibus præferenda.

Conchæ quæ habẽt margaritas.

Procul illinc itinere dierum trium leguntur conchæ, quæ pariunt margarithas. Hinc 12. dierum iter est ad ciuitatem Eri, in qua tanta est seriei copia, vt vna die emere queas tantum serici, quod ternis camelorum millibus onerandis sufficiat. Est & alia ciuitas Schira nomine, in qua omnifariam pretiosi lapilli inueniuntur.

Susiana.

Susiana est para Persiæ, authore Strabone, inter Persiam & Babyloniam posita, à Susis clarissima vrbe sic denominata.

Susis ciuitas.

Siquidem Persæ & Cyrus debellatis Medis, in Susis imperij sedem locauerunt: cumque regias apud Susam maxime exornassent, Persepolim nihilominus & Pasargadis m magnopere coluerunt. In locis enim progenitorum munitioribus thesauri Persarum asseruabantur. Inter Susam ac Persiam montana quædam aspera & prærupta interiacent, quæ angustias habent difficulter peruias. Est Susiana opulenta, sed torridum & æstuosum habet aerem, præsertim circa vrbem propter montes quosdam altissimos, qui omnem Borealem flatum excipiunt:

Fertilitas.

frumento adeo abundat, vt & hordeum & triticum 10 plaoicie centuplum ferat: nonnunquam autem ducentuplum. Susa hodie Baldacha, vel Caliphus, vbi parantur ex auro & serico pulcherrimi panni.

Caliphus.

Rex Tartarorum anno 1250. hanc ciuitatem expugnauit, inuenitque turrim plenam auro, argento, & lapidibus pretiosis, in quam tyrannum vrbis coniecit, ibique fame perijt, qui pro tuenda ciuitate, aurum & argentum militibus erogare neglexit,

De Media, & Hyrcania.

Persia & Media

Media situs.

MEdis ab ortu habet Hyrcaniam, & Parthiem à septentrione Hyrcanum mare attingit: ab occasu Armenia maiore & Assyriæ: à meridie Susianæ, & Persóde excipitur. Medis multum extenditur ab occasu in orientem: at in latitudine longe contractior est longitudine. Strabo tamen aliud sentire videtur. Est magna ex parte alta & frigida, præsertim montes Ecbatanis imminantes: & qui apud Rhagas & Caspias portas consurgunt.

Caspia portæ.

Huiusmodi etiam sunt Caucasi montes à Tauro emissi, plurimas faciunt valles, inter quas & multæ planicies inueniútur. Sunt autem Caspiæ portæ inter Medos & Parthos, claustra interruptis angusto transitu montium iugis, quarum longitudo octo millium passuum est: latitudo tanta, vt vix singula plaustra per eas meare possint.

Vrbes. Ecbatana.

Vrbes Madiæ, Apamea, Laodicea, Rhaga, Seleucia, Arsatia. & quæ Seleucus rex condidit. Ecbatana, in Ecbatanis reges Medorum tempore æstiuo habitare consueuerunt: tempora vero hyemali in Seleucia iuxta Tigrim fluuium.

Medorum reges.

Cæterum, deleto Assyriorum regno, Medi Asiæ imperio potiti sunt, Arbace regnante: qui cum Sardanapalum bello superasset regnassetq; duo de triginta annis, imperiũ alij successo temporis acceperunt, scil. Mondanes, Sosarmus, Carmis, Arbianes, Arsteos, Arceus, Artinea, Artibanus, sub quo Parthi defecerunt à Medis.

Astyages.

Item Astibara, Apanda, qui à Græcis Astyages nominatur, & hic à Cyro rege Persarum deuictus est, Medorum regnum, Persis reliquit.

Anni Monarchiæ Medorum.

Durauit Monarchia Medorum 350. annis, Cyrus ex filio nepos Astyagis, Medorum extinxit imperium, & ad Persas transtulit victo Astyage, quem regno Mediæ priuatum, genti Hyrcanorum præposuit, non victoris, sed nepotis fungens officio. Post Persas Medi Macedonibus paruerunt, deinde Parthis: aliquando autem victricia Romanorum signa Mediam transieruot: nostro æuo sub magno Cham degere dicuntur.

Magnus Cham.

equitandi & sagittandi studium magnum est apud Medos: & religiosa à subditis in reges salutatio.

Hyrcania.

Hyrcania fertilitas.

Hyrcania ab occasu Medos, à septentrione Pelagus cui nomen dedit: ab ortu Margianos, à meridie Parthos attingit. Regio est valde opulenta: magna ex parte planicies, præclaris vrbibus adornata Talabroca, Samariana, Caria & regia Tape: opulentiæ signum ducunt, quod vitis vini metretam affert, ficus modios sexaginta: frumentum ex semine culmis decidentis sine cultu nascitur, & adulescit. Maxima mellis copia ex arborum folijs defluit in arboribus mellificantur, quercus folia ante ortum solis summa multo melle madent, sed orto sole decidit.

Flumina.

Ocho & Oxo fluminibus Hyrcania irrigatur, quibus Indiæ merces per Ochum in Hyrcanum mare deferuntur: & inde in Albaniam traijciuntur, atque ita ad sequentia loca.

Alexandri luxus.

Cum Magnus Alexander ageret in Hyrcania, Thalestris, siue Myrinthea Amazonum regina, circum trecentis mulieribus obuiam venit, ac tertio decimo post die completo, discessit. Cœpit tunc Alexander delitiis & luxui intendere Diadema Persicum capiti suo imposuit. alba tunica cum cingulo, more Persarum vtens. Equos instructu Persico ornari fecit, & fœminarum delitiis inseruire: quæ emolliunt animos virorum.

Panther dormit tribus diebus.

Nutrit Hyrcania pantheras & tigras. Panther animal est Pardo simile, varij coloris: & prorsus ferum, mite tamen si saturatum fuerit: dormit tribus diebus, & post tertium diem lauat se & clamat, emissoque suaui odore conuocat omnes feras, quæ odore eius ducuntur, estque omnibus feris amicum præter draconem & aspidem.

Panthera.

Panthera vero quæ & Pardalis, diuersum dicitur esse animal à Panthero; est enim omnino ferum & maculosum animal: quadrupes suo odore sollicitat, sed capitis toruitate terret. Abscondit ergo se, & cum prope accesserint, ex latebris prosiliens, corripit & violat. Pellis eius est ita dura, vt ferro non cedat.

Tigris.

Tigris est animal miræ pernicitatis; nihil enim adeo præcedit quod non assequatur: quod cernitur, cum catulorum raptorem insequitur.

Parthia. Chora.

Parthi vndique septi sunt montibus: Hyrcanos & Coronum montem à septentrione habent: ab ortu Ariam: Carmaniam desertam à meridie: ab occasu Mediam. Inclytæ fertilitatis regio, & amœnissimus situs, in ea parte quæ Chora dicitur, solitudinibus tamen quibusdam squalet, & pleraq; eius loca, aut æstus aut frigoris magnitudo possidet: nam prærupta montium niuibus, campestria vero solis ardoribus infestantur.

Parthorũ virtus.

Parthi Assyriis Medisque imperantibus obscurissimi erant: victoribus prædæ extiterunt: deinde Macedonibus paruerunt: postea felicioris fortunæ potiti, Romanos orbis dominos multis cladibus affecerunt. Studium equitandi & sagittan-

Parthie. Carmania. Parthorũ modus pugnandi.

gittandi magnum apud Parthos. Vt quisque locuples est, ita magnum regi ad bellum instructo equitatum præbet. Auri argentique nullus olim nisi in armis vsus fuit. Parthi sunt natura tacitiores, ad faciendum quam ad docendum promptiores: in cibum parci. fides dictis promissisque nulla, nisi quatenus expedit. Non colunt terram, nec agunt mercimonia in externis regionibus: neque curant rem pecuariam, sed student cursui equitatus, bellis, iaculationibus: potissimum autem dant operam sagittandis venationibus, vnde viuunt. Pugnant procurrentibus equis. sæpe fugam simulant: & cum maxime vicisse se putant, tunc sine mora circumfusi vndique in modum grandinis atque nimborum densas sagittas emittunt. Romani tempore quo Iulius Cæsar oppugnabat Gallos, miserunt contra Parthos validum exercitum, cui præerat Marcus Crassus consul, inexplebilis auaritiæ, qui amissis vndecim legionibus, ipse quoque interiit. Caput autem eius cum dextera manu resectum, ad regem Parthorum delatum est, qui faucibus eius liquatum aurum infundi iussit, cuius cupiditate arserat.

Marcus Crassus auro impletur.

Similia quiddam Tomyris regina Massagetarum in Scythia ostendit, quæ cum Cyro potentissimo Persarum rege bello congressa, ipsum vita pariter & castris spoliauit, atque ita vlta est filii sui interitum, quem Cyrus prius à matre obuiam missum cum suis per insidias interfecerat. Mortui enim caput in vtrem humano cruore plenum demisit, his verbis insultans: Filii mei sanguinem hausisti, & meum sitisti Cyre: et ego cruore te saturabo. Bibe nunc & exsatia te.

Caput Cyri sanguini immersum.

Porro, Parthi Scytharũ exules fuerunt, quod vocabulum indicat; nam Parthus Scythico sermone exulem notat: ij seditione domo pulsi modicam terram inter Hyrcanos, Arios, & Carmanos tenuerunt.

Parthus quid significet.

Carmania deserta.

Carmania duplex, vna quæ simpliciter Carmania vocatur: altera autem Carmania Deserta, quæ à limite orientis Ariam habet: ab occasu autem Persidem: à septentrione vero Parchoatram, & Parthiam: à meridie Carmaniam alteram spectat. Habet hæc regio fluuium Hytanin, in quo auri strigiles inueniuntur. Habet etiam argenti & salis venas: vitem vero quæ sæpe cubitalem racemũ faciat, magna ac densis acinis. Nemo vxorem ducit, nisi caput hostis amputatum ad regem pertulerit: Abundat hæc regio Alabastrite lapide probatissimo.

Alabastrum. Ichthyophagi.

Inter Carmaniam & Gedrosiã sunt Ichthyophagi, id est, qui solis piscibus viuũt, tã ipsi quam pecora eorum. pecorum vero carnes piscibus præbent. Domicilia ex ossibus cætorum, & ostreorum conchis magna ex parte faciunt: nã trabium & fulcorum vsum costæ præbẽt, portas maxillæ, ex vertebris fiunt mortaria, in quibus pisces subiguntur, & ad solem assantur: postea ex his panem conficiunt, frumenti pabulum admiscentes; rarum est enim frumentum apud eos.

Frumento indigent. Margiana.

Margiana ad sinum Caspium sita: ab occasu habet Hyrcaniam. à septentrione Scythiam intra Imaum montem. à meridie Ariam: ab ortu Ochum amnem. regio est vitifera, vndique montibus cincta. aditu difficilis, propter arenosas solitudines.

Alexander

Alexander Magnus vrbem Alexandriam in ea condidit, qua diruta à barbaris, Antiochus filius Seleuci rursus eam restaurauit, & appellauit Seleuciam.

Bactriana, Sogdiana, Saca.

Bactriana.

BActriane regio ab occidente habet Margianam, siue Ochum fluuium: ab ortu Oxum, cuius fontes in Oxia lacu: à meridie Ariam: à septentrione Sogdianam. Regio est montosa, accessuque difficilis: hominum numero ac viribus potens; rerum omnium ferax, oleo duntaxat excepto.

Vrbes. Bactra vrbs. Bactrus fluuius.

Sunt in Bactriana plures vrbes insignes: inprimis Bactra vrbs, eademque metropolis, ad Bactrum fluuium, qui & vrbi & regioni nomen dedit, sita. vrbs Adrapsa. In Bactris grana tritici tantæ magnitudinis nascũtur; vt singula spicas nostras æquent.

Zoroastres.

Bactrianorum rex erat quondam Zoroastres philosophus, qui comparato valido exercitu, Nino regi Assyriorum occurrit. Hic artes magicas in Perside primus inuenit. Scribitur de eo, quod eodem die riserit, quo natus est. Rex Bactrianorum misit Dario triginta millia equitum contra Alexandrum.

Cameli. Sogdiana.

Camelos optimos gignit, ad magnos labores perferendos aptissimos. Sogdiana est regio sterilis, propter sabulosos campos, & aquarum penuriam, maxime versus ortum solis, & meridiem.

Oxus fluuius.

Oritur in ea ex Caucaso monte Oxus insignis fluuius, qui labens per Bactrianam, receptis multis aliis amnibus, fit tam magnus; vt in multis locis sex stadiis in latitudinem extendatur, atque pateat: tandem magno impetu in Caspium mare mergitur.

Merces Indiæ.

Merces ex India ad Oxum fluuium septem dierum spatio deferuntur, inde ad Caspium mare, postea per amnem Cyrum aduerso flumine in Armeniam, & inde in Pontum.

De Scythis. In ortu fluuii.

Oxio fluuio maior est Iaxartes, qui magnitudine excellit omnes amnes, qui in Caspium mare labuntur. Oritur apud Sacas, & sensim crescit aliorum amnium accessu. deinde exoneratur in mare Caspiũ.

Saca.

Sacæ populi, ab ortu Sogdios habent: à septentrione Scythas intra Imaũ. ab ortu Scythas extra Imaũ: à meridie Indos. Habet ea regio mulieres robustas, & belli gloria illustres.

Tarina regina.

Tarina illius gẽtis regina propinquas gẽtes barbaras, superbia elatas ac Sacis imperãtes, expugnauit, maioréq; eius regionis partẽ ad mitiorẽ vitã traduxit: multas quoque splendidas cõ didit ciuitates. Post cuius mortem erectum est illi ad perpetuam memoriam mulieris magnitudinis sepulchrum.

Aria.

Aria à septentrione Margianam & Bactra: à cardine occiduo Parthos & Carmanos: ab austro Drangianam: ab ortu Paropamisadas habet. Vrbes eius, Artacena, Alexandria. Achaia à conditoribus sic dicta, regio optimi vini ferax.

Paropamisades.

Ariam sequuntur Paropamisadæ populi à Paropamisso monte, quem à septentrione habent, sic appellati: habent multas niues & rigentia frigora: sed regionis asperitas Alexandrum non impediuit, quin homines illos sibi subderet.

Arachosia. Gedrosia. Alexander condidit octo ciuitates.

Deinde Arachosia, & Gedrosia, & Drangiana regiones sequuntur, in quibus locis Alexander condidit octo ciuitates. Sunt regiones illæ Indiæ conterminæ, afferentes aromata præcipue nardum & myrrham, quibus Alexandri exercitus pro tecto & strato vtebatur. Deinceps aliquid dicamus de Scythis Asiaticis, extra Imaum montem degentibus: de aliis vero postea dicamus.

Scytharũ origo.

Scythia gens primum iuxta Araxim fluuium consedit: nacta vero regem bellicosum, propagare cœpit suæ ditionis imperium, vsque ad Caucasum, & Mæotidem paludem, aliaque loca ad Tanaim vsque flumen, à quo Scythia ipsa longo tractu, versus ortum protensa, Imauo monte in duas quasi Scythias diuiditur, quarum vna est intra Imauum, altera vero extra: libera ab alieno imperio.

Duæ Scythiæ. Scythia libera.

Nam Scythæ Darium Persarum turpi fuga affecerunt. Cyrum cum omni exercitu trucidarunt: Alexandri ducem cum copiis vniuersis deleuerunt: arma Romanorum Scythiam non attigerunt. Est autem hæc natio & laboribus, & bellis aspera, magnisque pollet corporis viribus.

Massagetæ.

Massagetæ sunt populi Scythiæ, vltra mare Caspium: pugnant ex equis & pedibus: vtroque pugnæ genere inuicti: sagittis, hasta, auro in baltheis & capitis ornatu vtuntur: nihil omnino serunt: pecoribus victitant & piscibus: lac plurimum potant: vacant continuis bellis & venationibus: habent maximas syluas, maximasque solitudines, in quibus animalia diuersi generis sustentantur, quorum pelles nobilissimæ sunt, & magno venduntur, vt sunt mardorum, zabellorum, & similium.

Pelles animalium.

Hæc Scythia hodie Tartaria appellatur. Sunt autem Scythæ statura corporis procera & bene constituta, singularique cœli influentia suffulta.

Scytharũ mores.

Assuescunt à pueritia ad tolerandos labores, famem, frigora: assuefaciunt etiam pecora sua ad austeriora pabula, vt plerunque solis siluestribus herborum, & dumetorum surculis nutriantur. Inde fit, vt magna modicis expensis gerant bella, magno suo commodo: breuis quoque temporis spatio longe conficiunt itinera. Quando longe absunt ab hoste, prope sunt. Non temere aggrediuntur hostem, nisi prius eis constet de consequenda victoria. Sunt miri & astuti ad fallendum hostem.

Alexander inuadit Scythas.

Alexander inuasit Scythas subactis Bactrianis, sustinuitque horrendam cœli tempestatem; fuit enim continuus cœli fragor, & passim cadentia fulmina visebantur, vt milites stupentes, nec progredi, nec considere valerent: nam imber grandinem effundens, instar torrentis effusus est. Alexander tanti mali patiens, circuibat milites, contrahebat dispersos, alleuabat prostratos, hortabaturque, vt proxima quæque suffragia occuparent. Mille militum tempestas illa absumsit. Quidam Macedo gregarius miles, arma seque sustentans, tandem in castra peruenit.

Alexandri humanitas.

Quo viso Alexander, quanquam ipse tunc maxime admoto igne refouebat artus, ex sella sua assiliuit, torpentemque militem & vix compotem mentis, demptis armis in sua sede iussit sedere. Ille diu sedit, nec vbi requieuerat, nec à quo esset exceptus, agnouit. Tandem recepto calore vitali, vt regiam sedem regemque agnouit, territus surgit. Quem intuens Alexander: Ecquid intelligis miles, inquit, quanto meliore sorte quam Persæ sub rege viuis? Illis enim in sella regia consedisse capitale foret, tibi saluti fuit. Hinc Alexander Sagas petens, totam regionem depopulatus est. Deinde animum adiecit ad Indicum bellum.

Seres populi.

Scythis qui sunt extra Imauum montem annumerantur Seres: mitis genus hominum & inermis, & aliorum mortaliũ cœtus abhorrens: commercia cum peregrinis rebus in solitudine relictis, absente summa fide peragunt, apud quos ex arbori-

De Scythis. arboribus lana, quam sericum vocamus, frondibus prius in aqua perfusis, depectitur. Apud Seres nulla meretrix, adultera nulla, neque fur, neque occisus homo fertur: magnus legum suarum metus: & quia caste & iuste viuunt, nec erugine, nec grandine, aut pestileotia, cæterisue malis affliguntur. Vehitur lana illa in omnem orbem: in Calecuth, Tyrum, Damascum. *Calecuth.* *Tauroscythica.* Tauroscythæ à Tauro monte, circa quem habitant, sic sunt appellati: sunt autem homines syluestres & contentiosi: quisque hostis caput domum portat, & fusti impositum supra tectum erigit: viuunt rapina & bello. Sunt quoque in illis regionibus Antrophagi, id est, humanæ carnis comestores, qui agrestissimos omnium hominum mores habent, non iudiciis, non legibus vllis vtentes. *Antrophagi.* Budini ingens natio atque numerosa, cæsiis oculis omnes atque rufi. *Budini.* *Geloni.* Geloni ab vrbe Gelonos, agriculturæ operam nauant: frumento victitant, & hortos possident. *Agrippæi.* Agrippæi alius populus, sub excelsorum montium radicibus incolunt: homines qui ab ipsa natiuitate calui sunt, mares pariter & fœminæ, simi quoque naribus, & ingenti mento: ex arboribus victitantes. *Issidones.* Issidones, alius populus: ij caput patris defuncti inaurant: & pro simulachro vtuntur quotannis hostias offerentes. Cæterum, Scythia intra Imauum, ab occasu habet Volga fluuium magnum, qui ortum habet ex Moscouia, & longissimo tractu in mare Caspium exoneratur: labitur aliquandiu in Boream, tandem sensim in ortū flexus: postea in meridiem per plana Tartarorum loca se diffundit: & mare Caspium viginti quinq; magnis ostiis ingreditur: à limite orientis Imauo monte excipitur: à septentrione habet Saomedos & Paratas populos: à parte meridiana Sacas, Sogdianos, Bactrianos, qui & ipsi inter Scythas habentur: & mare Caspium à Caspiis montibus sic dictum. *Scythia intra Imauum.* *Volga fluuius.* Itaque Sauromatæ ex Sarmatia Scythica, parte Asiæ non habuerunt certas mansiones, sed continuo migrarunt de loco ad locum: modo vero habitant à Tanai fluuio secundum littus maris versus Bosphorum, & mare Tanais fluuii, olim dictæ sunt paludes Mæotidæ: & hinc extenduntur vsque Colchidis regionem, itinere octo dierum contra orientem. *Sauromatæ.* *Paludes Mæotidæ.* Inhabitant totam regionem absque ciuitatibus & castris: frequentior habitatio eorum in valle quadam Gromus dicta, vbi aer est clementior, & terra fertilior: sunt Tartariæ contermini, & traiecto Bosphoro infestant Tartaros, qui in Chersoneso habitant, & in qua Cassa est ciuitas. *Tartari.* Congelato autem hyemali tempore mari, sæpe & ipsi infestantur à Tartaris. *Scythæ circa Mæotidem paludem.* Vescuntur carnibus ferinis, & domesticis: carent frumento, tritico, & vino: sed ex milio, & aliis leguminibus conficiunt panem & pultem. Domicilia constructa sunt ex culmo, arundine & lignis. Hunni, postea Hungari ex hac terra originem acceperunt. Bona pars huius terræ nostro tempore vocatur Cumania: & est principatus Tartariæ. *Alexander.* Condidit Alexander iuxta Tanaim fluuium ciuitatem, quam vocauit Alexandriam, continentem 60. stadia, diaque decimo septimo tecta domibus imposuit.

De Tartaris.

Tartaria, quæ olim Scythia fuit, à fluuio Tartar, qui per eam labitur, nomen accepit. *Tartariæ situs.* Regio est plurimū montosa: & vbi campestris est, sterilis, nisi aquis irrigetur. Ciuitates in ea nullæ, nullæ villæ præter vnam, quæ Cracuris dicitur. *Cracuris.* Ignes fouent incolæ arido boum & equorum stercore. Aer & cœlum intemperatum: tonitrua & fulmina in æstate horrenda audiuntur: æstum magnum mox niues, & densa frigora consectantur; ventorum flatus adeo validi, vt ingentes arbores radicitus euellant. Viuunt sine lege, sine vllo vitæ cultu. *Forma Tartarorum.* Omnium hominum deformissimi: corpore, vt plurimum, parui: oculos habent grossos & prominentes: palpebris pene coopertos: in mento raros habent pilos: graciles sunt in medio: radunt caput per verticem ab aure vna ad aliam in occipitium: capillos in reliqua parte nutriūt: boni equites, pedites mali, nullus pedes vadit: campanulas resonantes ex equi collo pendentes gestant: sermone horrido sunt, & clamoroso: cantantes luporū more vlulant: caput quatiunt: ad ebrietatem bibunt: in campis sub tabernaculis habitant, æstate in montibus, hyeme autem in planisie; plerique namque pastoris exercitium habent: panem non habent, neque pinsunt. *Tartari quomodo pugnant.* Tartari pugnaturi brachia ferreis laminis circumdant, corrigiis quibusdam concatenatis: equites sunt agiles sagittandique peritissimi: in præliis & rebus gerendis solertissimi. Duces & principes bellum non intrant, sed procul stantes suos acclamant, atque hortantur: sagittaturi dextrum brachium ab armatura eximunt: & tanta vi postmodum sagittas emittunt, vt nullum armorum genus illas abiiciat. *Tar[illegible]* Turmatim pugnas capessunt, turmatim fugiunt: & sagittarum ictibus sequentem à tergo hostem conficiunt. Inde pugnantium paucitatem conspicati, subito in pugnam redeunt, ac tunc maxime vincunt, cum victos esse putas. Diuiso exercitu ex omni parte regionem inuadunt, vt eis occurri non possit, nullusque incolarum effugere queat. Nulli sexui, aut conditioni parcunt, sed omnes promiscue interimunt: ex recentibus vulnerib. sanguinem bibunt: nemini seruant fidem: incontinentissimi omnium sunt. A bellis redeuntes, pecora in pascua ducunt & custodiunt, venantur, & secum luctando exercent. *[illegible]* Cætera mulieribus committunt facienda. Regem electuri in locum campestrem aptum conueniunt & tum eum, qui successione vel votis eligitur, in thronum aureum collocant: atque vnanimi & excelsa voce omnes hunc modum acclamant: Rogamus, volumus, præcipimus, vt domineris nobis. Respondet ille: Si hoc à me vultis, necesse est, vt parati sitis quicquid præcepero facere. Respondent illi: Sumus. Respondet rex: Ergo oris mei sermo de cætero gladius meus erit: fitque applausus à populo. Principes interea ipsum è regio solio exceptum, supra filtrum in terra stratum humiliter sedere faciunt, ita alloquentes: Vide sursum, & agnosce Deum: ac respice filtrum, in quo sedes deorsū: si bene administraueris, ad votū habebis omnia: sin male, à Deo humiliaberis, atq; spoliaberis, vt ne exile quidē hoc filtrū tibi relinquatur. Quo dicto, charissimam vxorem adiungunt, & amboscum filtro eleuantes, hunc omnium Tartarorum Imperatorem, illam Imperatricem salutant. Adsunt ab omnibus gentibus, quibus imperat dona: & quæcunque rex defunctus reliquit: de quibus nouus Imperator vnumquemque principem donat, cætera sibi reseruat. In potestate Imperatoris sunt omnia: nec quisquam potest dicere, hoc est meum. In sigillo eius est hæc superscriptio: Deus in cœlo, & Cham in terra, Dei fortitudo, & omnium hominum Imperator. *Cham Imperator.* Quinque maximos & robustissimos habet exercitus, quinque duces, per quos omnes qui obstant expugnet. aliarum gentium legatis, ipse non loquitur, nec etiam in conspectum admittit, nisi tam ipsi quam munera à quibusdam mulieribus ad hoc deputatis prius purgati fuerint. Per medias personas respondet: quibus, quando, & quandiu loquitur, flexis genibus auscultare debent, & ita attente, vt ne verbo quidem aberrent; nemini enim licet Imperatoris verba mutare: nemini latæ ab illo sententiæ obuiam ire. Tanais itaque fluuius occidentalis est limes Tartariæ, extenditurque ad extremum orientem, ad regnum Cathay: *Regnum Cathay.* vbi regiam habet summus Tartarorum Imperator, quem magnum Cham appellant. Vrbs in qua habet regiam, Ions appellatur. *Ions.* Porro, genealogia Tartarorum Imperatorum ita describitur; *Tartarorū imperatorū genealogia.* Primus Imperator Cingkis, Satur Imperatorum Zauolhensium. Huius filius Iocucham, qui genuit Zaincham tertium Imperatorem, qui ab aliis Bathi appellatur: & deuastauit Russiam, Poloniam, Silesiam, Morauiam, & Hungariam, quique cum Tartaria accepit sectam Mahumeti. *Tamerlanes.* Quartus ex Bathi genitus Temir, qui est Tamerlanes, qui totam Asiam vastauit, & vsque ad Ægyptum pertransiit: hic Imperatorem Turcarum Baiazeth vicit, & captiuum catenis aureis alligauit, secumque pro spectaculo circumduxit. Quintus Combila Can qui ciuitatem Ion in Cathay extruxit. Sextus Tamor: deinde Hoccota, Gigno, qui patri successit in imperio Cathay. Iochus vero frater occupauit Persiam, & Tur alius frater Scythiam & alias regiones, & Baydos quartus frater venit vsque ad Hungariam. Sed tempus est, vt ad Indorum descriptionem accedamus.

De Indiæ regione.

INDIA regio ab Indo flumine sic dicta diues opum, auro & gemmis, atque margaritis abundans: *India.* mediam intersecat Ganges fluuius, ideoque intra & extra Gangem India nominatur. *Situs Indiæ.* Porro, ea quæ est cis Gangem, ab occasu finem habet Indū, ab ortu Gangem, à septentrione montem Imauum, à meridie sinum magnum & mare suum. Ea vero quæ est extra Gangem, ab ortu excipitur regione Sinarum, ab occasu Gange, à septentrione Scythiam & Seres habet, à meridie pelagus Indicum, & hæc quidem maior dicitur, non perinde tamen exculta atque illa altera. *India maior & minor.* Itaque prior, siue minor India quæ nobis vicinior est, duobus magnis fluuiis Indo & Gange includitur, à septentrione vero separatur à Scythia & aliis septentrionalibus regionib. per montē Taurū, qui in Pamphilia exurgēs in orientē porrigitur, quo vsq; tādē pertingat ad Indiā: *Mons Taurus.* flectitur tandē ad aquilonē, euadiq; vsq; ad Riphæos mōtes,

plura

India.
Imauna.
plura insignia, siue montiũ titulos recipiens: nam & Imauna dicitur, & Emodus, & Patoparassus, pro gentium & linguarum varietate. Vbi in excelsissimam surgit sublimitatem,
Caucasus.
Indus fluuium.
Caucasus appellatur, tametsi quidam Caucasum à Tauro diuidunt. Ex hoc mõte Indus & Ganges ortũ habent. Indus decem & nouem recipit amnes clarissimos, priusquam in mare se mergat. Maxima eius latitudo ad quinque vel sex
Ganges.
miliaria Italica extenditur: profunditas vero quindecim passus habet. Porro, Ganges decem & nouem nauigabiles fluuios accipit, qui in aliquibus locis xx. miliaria Italica continet latitudinis: profunditate autem est vadusissimus; mẽ-
Magnitudo.
suram enim centum pedum implet. Nutrit Crocodilos, Delphinos, & alia huiusmodi animalia. Tantum littoris occupat India, quantum per 40. dies & noctes velificantibus cursus est. adeo fuit & populosa, vt quidam in ea quinq; mil-
Quinque millia ciuitatum
lia ciuitatum fuisse dicant: nec mirum, cum Indi à suo natali solo nunquam recesserint. Bis metit fruges: Fauonij flatus
Bis metit fruges.
aerem salubrem efficiunt: vice hyemis Ethesias patitur ventos. Australis Indiæ ora abundat aromatibus, cynamomo, pipere, calamo, nardo: ebenum arborem sola producit: Psittacum auem, & Monoceron bestiam. Abundat be-
Fertilitas Indiæ.
rillis, chrysoprasis, adamantibus, carbunculis, margaritis multis & gemmis. Habet cælum temperatum, vbertatem soli, aquarum abundantiem, maxima animalia, ingentes arbores, quarum proceritas sagittis superari nequit. Arundines tantæ proceritatis, vt singula internodia alueo nauigabili ternos interdum homines ferant. Foditur etiam in India aurum & argentum, sed non ferrum: omnia maiora nascuntur in Indorum regione, quam in alijs terris, vt scri-
Indorum mores.
bit Plinius. Indi in victu sunt frugeles; & à furtis magnopere abstinent: simplicitati student, ac vitæ puritati & parsimoniæ, ideoque omnia eis prospere succedunt. Vinum non nisi in sacrificijs bibunt: potum ex oriza & hordeo conficiunt: cibus magna ex parte oriza sorbilis est. Qui falsus testis deprehenditur, extremis decurtatur digitorum articulis. Qui membro aliquo quempiam priuauerit, & pœnam talionis suscipit, & manu truncatur. Qui artifici manum o-
Regis Indorum honor.
culumque ademerit, capitalem subit sententiam. Regi interdiu dormire non licet. Si qua mulier regem ebrium occiderit, hoc munere donatur, vt sequenti regi coniugio copuletur. Regi Indorum cum in publico conspicitur, thuribula præportantur, totumque iter per quod fertur, odoribus completur: aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat. In cultu corporis sunt splendidi; nam aurum
Indorum ordines septem.
gestant, & gemmis & lapillis ornantur: cæsaries promissa omnibus, nigri coloris. Porro, Indorum gens in septem ordines olim fuit diuisa: in primo autem ordine collocati sunt
Primus ordo Philosophorum.
Philosophi, qui cæteris honore & dignitate apud Regem præstantiores erant: ab omni operæ immunes: non seruiunt neque imperant, recipiuntque à priuatis ea, quibus sacra dijs faciant, curantq; defunctos tanquam dijs charissimos,
Secundus Agricolarum.
& rerum quæ apud inferos fiunt, optime conscios. Secundus est agricolarum, qui solis agris colendis intendunt. Nullus hostis eos lacessit neque spoliat, quia in communi vtilitate versantur. Viuunt in campis cum vxoribus & liberis, neque in vrbes commeant: dant regi tributum: nulli priuato licet agros possidere absque tributo. Quin etiam fru-
3. Pastores.
ctuum partem regibus impendunt. In tertio ordine sunt pastores, qui neque in ciuitatibus, neque in villis commo-
4. Artifices
rantur. Vtuntur tabernaculis, venatu ac retibus: tutas à feris auibusque regiones reddunt. Ad quartum ordinem spectent artifices, quorum pars arma, pars rusticis instru-
5. Milites.
mentis, alij alijs vtilibus rebus fabricandis tempus impendunt. Hi immunes sunt à tributo, & à rege frumenta recipiunt. Quintus conuenit militibus, qui belli disciplina exer-
6. Superintendentes.
centur, qui ex regia victum habent: equi quoque & ele-
7. Consiliarij.
phanti, qui bello apti esse conspiciuntur. Sextus est ordo superintendentium, quorum officium est, quæcunque fiunt in India, inspicere, & regi intimare. In septimo ordine consiliarij numerantur, qui præsunt publicis consilijs, numero paucissimi, sed nobilitate & prudentia præstantissimi. Sic ergo Indiæ politia distributa, non licet alicui ordinem, aut exercitium mutare, nec alterius ordinis vxorem ducere. Si
Infirmus.
quis infirmatur, hunc familiares occidunt, dicentes illum morbo tabescere & licet se ægrotare neget, illum nihilominus necant & epulantur. Si quis incolumis ad senium peruenerit; iidem mactato pascuntur: pauci ergo eorum ad
Bragmani.
senectutem perueniunt. Bragmani populi Indiæ simplici vita viuunt: nullis rerum illecebris capiuntur: nihil appetunt aliud quam ratio naturæ flagitat, diuturnaque salute per-
Lex Bragmanorũ.
fruuntur. Vna lex illis est: contra iue naturæ non ire. Hæc gens sole calescit; rore humectatur: sitim riuo extin-

India.
guit; thorum ministrat humus in defossis telluris speluncis, aut concauis montium latebris habitant. membra papyri tegmine tegunt: Pestilentiam, aut alios corporis morbos Bragmani non patiuntur. Medicinæ remedium, parsimonia est: ad concubitum non admonet libido, sed sobolis amor: nulla ludibria spectacula affectant: sed theatrum spectare cum volunt, gestorum monimenta relegunt. India
Elephanti.
abundat Elephantis, ita, vt illis agri colantur, & quæque necessaria domum vehantur: sunt natura mites, & ad rationale animal proxime accedunt. inest illis quædam indita obedientia, & officiorum quæ didicerunt memoria, amoris quoque & gloriæ cupiditas. quidam aurigas suos, qui in bello ceciderint, ex prælio eximunt. quidam anterioribus pedibus vero subiectos seruauerunt. Quod si quem ex magistris seu curatoribus per iram interfecerint, adeo illius interitum lugent, vt præ mœrore à cibo abstineant, & interdum ad mortem vsque obdurent. Elephanti non nisi in
Elephanti natura.
abdito coeunt: mas quinquennis, & fœmina decennis: pariunt vt equi plurimum vnũ: vnicum velut equi pariunt: habent mammas in pectore inter anteriores pedes: viuunt quantum longæui homines: quidam ad ducentesimum perueniunt annum: gaudent amnibus, tametsi ob magnitudinem corporis, natare nequeant: frigoris sunt impatien-
Elephanti dentes.
tes: duos prominentes dentes, loco postium & sistentaculorum sepium homines vsurpant: vnus ex illis nouẽ habet pedes in lõgitudine, & tres palmares mẽsuras in crassitie, vt pro totis viribus vix quispiam à terra paululum leuare que-
Porus rex.
at. Porus rex pugnauit contra Alexandrum cum octoginta quinque Elephantis, vltra currus trecentos, & peditum triginta fere millia. Sed ab Alexandro victus est, nouem confectus vulneribus. postea tamen ægrum curauit haud secus, quam si pro ipso pugnasset, confirmatumque in amicorum
Alexandri humanitas
numerum recepit. Porus autem rex ostendit Alexandro thesauros suos, dedit quæ & toti exercitui immensa munera: Alexander deinceps magno apparatu interiora Indiæ ingredi disposuit: conditis antea duabus vrbibus in vtraq; fluminis, quod superauerat ripa. Processit ergo ad interiora Indiæ: Syluæ erant prope in immensum spatium diffusæ, procerisque arboribus vmbrosæ: cæli tem peries salubria: aquæ largæ manant è fontibus: serpentum magna
Serpentum vis.
vis erat: squamis fulgorem auri reddentibus: morsum serpentium mox sequebatur interitus: sed ab incolis remedium oblatum est. Hinc in regnum Sophitis peruentum est:
Regnum Sophitis.
deinde peruenit ad signa Herculis & Liberi. Erant autem imagines ex auro factæ, nec erat Herculi Liberoque con-
Quousque Hercules peruenit.
cessum vltra procedere. his honoratis vlterius progressus fuisset, nisi dissuasum fuisset, ne tentaret quod etiam illi tentare non sunt ausi: diuertit ergo ad sinistram, id est, ad septentrionem Indiæ, venitque in regionem asperam & mõ-
Rhinocerotes.
tosam, vbi immensos repetit serpentes & Rhinocerotes. Venit quoque ad paludem siccam, per quam dum transire tentaret, belua noui generis prosiliuit, vnoquoque ictu repentino 2. milites occidit, quam hastis non valentes interficere, tandem malleis comminuerunt. Inde peruenit ad syluas Indorum altissimas, collocatisque castris iuxta fluuium quendam, pabulatores, & lignatores emissi redierunt, nunciantes venire è syluis Elephantorum immensos greges ad expugnanda castra. Imperauit ergo Alexander Thessalicis
Sues fugãt Elephantos.
militibus, vt ascenderent equos, secumque tollerent sues, quorum grunitus, timere bestias nouerat, & occurrere Elephantis iussit. Deinde alios cum hastis subsequi equites, & tibicines omnes in prima acie adesse, pedites in castris remanere iussit: ipse cum Poro rege & equitatu præcedens, vidit agmina bestiarum in se erectis proboscidib. tendentia: At Porus rex affirmat Elephantos facile in fugam verti, si equites verberare sues non destiterint. nec mora, trepidant Elephanti, & conuersi priores salus petere cœperunt, buccinis & grunitibus perterriti: Primo deinde auroræ diluculo, in alias profectus est Indiæ regiones, viditq; in cam-
Homines & mulieres pilosi in modum ferarum.
po patenti mulieres, virosque pilosos in modum ferarum toto cõrpore, pedum alios nouenorum, sine veste & nudos, quos Indi Ichthyophagos appellant. hi assueti sunt fluminibus, nec non stagno, crudo pisce & aquarum haustu viuere:
Ichthyophagi.
Quos cum peregrini adire volunt, vicinis se immergunt gurgitibus. Duas magnas in India Alexander vrbes condidit ad Hydaspim fluuium: quarum vnam Niceam appellauit; alteram vero Bucephaliam, ab equo suo Bucephalo
Bucephalus Alexandri equus.
ibi sepulto. Erat Bucephalus equus forma spectabilis, quem indomitum pater Alexandri domi asseruabat: tam enim ferus fuit; vt nemo eum tangere auderet, volebatque rex Philippus eum abiicere. Alexander vero cum adesset, molitiem multorum arguit, affirmans se id præstare posse: At

Philip-

India.

Philipp fit: si id non feceris, quam pro hac insolentia pœnā dabis? Equi pretium soluam, inquit, sublatoq; risu, Alexander festinauit, corripuitq; equum, ac contra solem statuit; animaduerterat enim eum ad vmbram conturbari: deinde ipso molliter circumducto, blande iuba attrectata, reiecta sensim chlamyde, equum securus ascendit: laxat habenas, vrget calcibus: fit ingens clamor: Philippus vero præ gaudio illachrymatur, descendentisque caput exosculatus. Aliud, inquit, tibi quære regnum, quia Macedonia non te capit.

Trecentis annis ante Christum natum Alexander Indiam superauit. *Hippopotami.*

Venit Alexander cum esset in India ad quendam amnē, in quo erant Hippopotami, id est equi fluuiales binis vngulis, quales sunt bobus, dorso equi & iuba atque hinnitu, cauda obtorta, dentibus aprorum aduncis, inter profundos aquarum gurgites emersi apparuerunt, qui raptos milites in vertice absorpserunt: iussit Alexander centum & quinquaginta in flumen mitti, quos propulsos Hippopotami iusta affecerunt pœna. Inde soluentes ambulauerunt tota nocte, siti & armorum onere confecti: tota nocte incursantibus leonibus, vrsis, tigridibus, pardis ac lyncibus cogebantur resistere: quę genere ferarum promiscue eis in syluis occurrebant:

Carasta, serpentes, Scorpiones.

venerunt tandem ad stagnum quod vnicum erat in illis regionibus, ibique sese refecerunt: nocte sequenti, ad primos redeuntis lunæ ortus, subito erectis caudarum aculeis, Scorpiones consuetam petentes equationem, ad castra Alexandri innumeri confluxere. Hæc prodigia insecuta est immensa cærastarum atq; serpentum multitudo, variis distorum coloribus. At milites frontam castrorum densauerant clypeis: & in manibus longas habebant hastas, quarum spiculis malas bestias configebant: & plures ignibus necabant.

Christati serpentes.

Quæ res prope duas horas milites solicitos tanuit: Postea autem equa minores abire cœperunt; maiores vero latebras petierunt. Deinde ad tertiam horam noctis binorum & ternorum cristati serpentes aduenerunt, columnarum grossitudine aliquanto prociores, qui ad potandam equā ex vicinis montium speluncis processerant: oribus squamisq; suis humum atterentes: quorū pectora cū trisulcis linguis fauces exerebant, stillantibus veneno oculis, quorum halitus pestifer erat:

Bellum contra serpentes.

cum his hora amplius vna Macedones pugnauerunt: triginta seruis, & viginti militibus amissis, post discessum serpentum, cancri immodicæ multitudinis, crocodillorum pellibus contexti ad castra venerunt, quorum duritia thoracis vel loricæ ferrum respuebat. Multi ignibus vsti, multi se in stagnum receperunt. deinde superuenerunt albi leones, tauris magnis similes, apri ingentes,

Albi Leones.

lynces, tigrides, & horribiles pantheri miscebant prælia, illisque fugatis, aduenīunt vespertiliones columbinorum, corporum magnitudinem æquantes, exercitum infestantes. Vna præterea noui generis bestia comparuit, tribus armata in fronte cornibus, equo simile habens caput, maior Elephante. atri coloris, quam Indi appellant Odonta.

Odonta crudele animal.

Hæc vbi sitim expleuit, intuens castra, subito in milites impetum fecit, quam nec ignis ardor retardare valuit. Ad quam reprimendam triginta sex milites fuerunt interfecti, atq; trecenti & quinquaginta falcati, inutiles facti, vixque tandem defixa venabulis occubuit. Venerunt & mures Indici in castra vulpibus similes, quorum morsibus vulnerata quadrupedia, statim expirabant. Exercitu igitur tantis per totam noctem plagis afflicto, Alexander locorum demonstratores crurifragio affecit, manibus confractis: castris inde amotis, peruenit Alexander ad loca Bactrianorum auro, diuitiis opulenta: inde ad Porum regem, de quo paulo ante loquuti sumus.

De India vltra Gangem fluuium sita.

Monstra humana.

IN India vltra Gangem inueniuntur homines syluestres nigro colore, sicut Aethiopes. Solinus & Megasthenes scribunt, per diuersos Indiæ montes esse homines capitibus caninis, armatos vnguibus, ad sermonem humanum nulla voce, sed latrantibus tantum sonantes asperis rictibus: odora viuunt pomorum syluestrium: quidam sunt monoculi: quidam aures habent ad pedes defluentes, quarum duricie arbores conuellunt: quidam habent latos pedes, vt soli oppositi ab æstu se tueantur: Sunt mulieres quæ quinquennes concipiunt, viuuntque vsque ad octauum annū: sunt qui ceruicibus carent, & in humeris habent oculos:

Pygmæi. Grues.

sunt quoque Pygmæi, in extrema parte montium Indiæ habitantes: homines breues, qui pugnant contra grues: salubri cælo semperque vernante donati; Pygmi namque cubitus dicitur: insident autem arietum & capratum dorsis armati sagittis, atque ita ineunt certamen,

Ciconia.

Ciconiæ abituræ in vno certo loco congregantur, comitatæque sic, vt nulla sui generis relinquatur, nisi captiua & serua, prædicta die recedunt: nemo vidit agmen discedentium,

India.

nec venientium, sed venisse cernimus; vtrunque nocturnis fit temporibus: sunt campi patentes in Asia, vbi congregatæ inter se commurmurant: eam denique quæ nouissime aduenit, lacerant atque ita abeunt. In Thessalia capitale est, ciconiam occidisse: ciconiæ nidos eosdem repetunt, & genitricum senectam inuicem nutriunt, atq; sustentant.

Grues quomodo volant.

Dum grues pontum transuolare intendunt, primum omnium maris angustias petere consueuerunt, inter duo promontoria Crimetopum & Carambim: mox saburra & arena se implent atque aggrauant, ne vento in aliam impellantur viam, accipiunt quoque lapillos: & cum in medium pontum transierint, abiiciunt eos è pedibus, vt homines in mari subter eas nauigantes, putent lapillos pluere: cum vero attigerint continentem, euomunt arenam ex gutture: colla imponunt præcedentibus fessos duces ad terga recipiunt: dux erecto, prouidet collo; cæteræ dormiūt capite subter alā condito.

Draconis natura.

Draco magnus est in India, habēs dentes acutos & serratos: maiorē tamē vim habet in cauda: si quē cauda ligauerit, occidit: circa semitas delitescit per quas Elephanti gradiuntur: crura cauda sua alligat & innodat, suffocatosque perimit: habentur in India & Aethyopia viceni cubitorum: habet draco solum venenum in lingua & fella, ideoque Aethyopes amputata lingua, draconis carnibus vescuntur; dum sibilat, emittit flatum contagiosum, & inficit aerem: in mari & in fluminibus quandoque habitat: in speluncis & antris latitat; raro dormit, semper fere vigilat: aues & bestias deuorat: acutum habet visum, vt in montibus videat prædam suam. Inter Elephantem & Draconem perpetua pugna, nam Draco cauda constringit Elephantem: Elephas vero pede, & proboscide prosternit Draconem: habet enim tantum robur in ipsa proboscide; vt arborem radicitus euellere queat:

Serpentes longi & Aspides. Scorpiones alati.

habet etiam India serpentes horrendos longos & aspides; Scorpiones quoque elatos, sed non sunt ita infesti, sicut quidem parui & semicubitales, qui passim in tuguriis, in vasis, & in sepibus inueniuntur, quique hominem lethaliter vulnerant. In aliis locis sunt serpentes bicubitales, alati in modum vespertilionum, qui noctu solent circumuolare, & vrinæ stillas emittere: si quē tetigerint, rabidum & scabiosum efficiunt.

Gripes aurum fodiunt.

Gripes in India aligeri quadrupedes; viribus potāres leonis modo, recuruis vnguibus, dorso nigri, priori parte purpurei, alis albicantibus, ore aquilino, igneis oculis, captu difficiles, nisi fuerint pulli; nidificant in montibus: congrediuntur pugnando cum omni animali, excepto duntaxat leone & elephanto: aurum fodiunt apud Bactrianos in desertis locis, ex eoq; nido efficiunt: accedentes vero arcent, & extrudunt: tertio deinde aut quarto anno radeunt.

Simia, canes.

Sunt in India symiæ plurimæ & canes ita generosi; vt duo leonem audeant inuadere: & tam mordicus retinere; vt ille nequeat se ab eis eximere.

Rhinoceros pugnat cū Elephanto.

Est etiam Rhinoceros in illis terris, vbi Elephantes gignuntur, pugnatq; cum Elephanto: habet huiusmodi animal duo cornua, alterum insigni magnitudine ex naribus procedens simum forma, durumque instar ferri: alterum quod superne erumpit, exiguum quidem, sed validissimum: quando hoc animal Elephantum aditurus, limat cornua ad saxa, aluumq; eius maxime petit, quam scit suis ictibus peruiam esse: & grauiter ictam, cornu tamque gladio proscindit. Est autem Rhinoceros par Elephanto longitudine: minor vero cruribus. Elephantus dentibus cutē Rhinocerotis durissimam, cornutam & testeam, violento ictu verberat, atque laniat, vt inde succumbat: pugnant propter meliora pascua, quæ conatur vnus alteri eripere.

Insulæ.

Sunt in India plures insulæ, quarum vna vocatur aurea Chersonesus, eo quod abundet auro, lapidibus pretiosis, & variis aromatum generibus:

Nasirgæ rex. Calecuth regnum.

Est rex Nasirgæ, opibus, ac imperio potens. Ager Nasirgæ vrbis tritici, vuarum, ac omniū fere fructuū, exceptis pomis citreis, expers: ibi incipiunt inueniri omnia aromata. Calecuth Indiæ emporium celeberrimum est in continenti, & ædes eius Pelago alluuntur: panno serico incolæ obscœna tantum velant, cætera sunt nudi: pedibus incedunt nudis, aperto quoque capite prodeunt. sunt etiam ibi multa auium genera, quarum mane & vesperi cantus tam suauis est; vt nihil amœnius audiri possit. Magna est incolis voluptas ex suaui auium concentu, ac tenentibus floribus, virentibusq; toto anno omni fatiem arboribus, mira cæli clementia, incredibiliq; temperie, hyeme æstateq; nusquā sæuientibus: sed hoc malum habet, quod rex, regina, omnisq; populus idololatriæ dæmonum inseruient. Sed ecce circumscribendo, Calecuth deuenimus: & Armeniam maiorem, ac Syriam reliquimus. Ad illas ergo regiones describendas reuerti, necesse est.

Armenia.

De Armenia maiore.

Armenia maior. ARmenia maior ab occasu Eufratem habet, & iuga Tauri, quæ à quibusdam Moschici montes appellantur: ab ortu mare Caspium, & montes Caspios: à septentrione Albaniam, Iberiam, Colchidem: à meridie Niphatem montem. *Montes Armeniæ.* Est autem Armenia lata regio, aspera tamen ob montes, colles, & valles: mõtes versus Colchidem & Iberiam sunt semper niuales. vnde fit, vt neragenes, in summis montium cacuminibus, niue obruantur: *Stagna. Tigris flumen.* Habet Armenia magna aquarum stagna & paludes. Tigris fluuius in Armenia nascitur: rapit hic fluuius secum sua pernicitate arenam & saxa, tantumque vna die progreditur, quantum quadrupedes septem diebus ambulare potest. Alexandar Magnus non fine magna difficultate ex hac regione in Mediam venit. *Arca Noe. Colchos. Iberia.* Sunt in Armenia Gordei montes, quos sacra scriptura vocat Ararat, in quibus resedit arca Noe. Colchis regio est feracissima, profert linum, canabem, cerã & picem, & aurum. ciuitas eius Sebastolis in mari Euxino potentissima, vbi olim celeberrimum fuit emporium. Iberia orientalis in qua aurum inuenitur, sicut Iberia Hispaniæ, propter imminentes amontes, habet aditus difficiles. *Albania feracissima.* Albani qui sunt Caspii maris accolæ, fœcundum solum habent: terra sementem omnem etiam domesticam sponte fert, sine labora, atque cultura Ægypti feracitatem exuperat. aeris mira temperies: vitea quinquennio putantur: in bimatu nouellæ fructum seruot: adultæ adeo fœcundæ, vt post magnam vini copiam, maximam in palmitibus luxuriã ostendant. Nec minori fœcunditate abundant pecora. Homines pulcherrimi & magno corpore, capillo albo, vnde Albania nomen accepit: Pij sunt in senes, & in progenitores. viuunt sub magni Cham regis Tartarorum potestate. *Cyprus Insula.* Cyprus insula inter Ciliciam & Syriam sita, diues, olim Veneri sacra, cui & primum in hac insula fuit constitutum templum. abundat vino & oleo, frumenti quoque satis habet: abundat crystallo, tre aerem tamen insalubrem habet. *Ambitus insulæ.* Ambitus insulæ est trium millium, quadringentorum ac aa. stadiorũ: distat autem à Cilicia 50. millib. pass. vt etiam cerui gregatim à Cilicia natare soleant in Cyprum. Habet insula omnia, quibus fabricari possunt naues. Crescit elegans sal in ea, quod in modum glaciei foditur ex terra. Habet Cyprus duas insignes ciuitates: *Famagosta. Nicosia.* Famagostham ad terram & ad mare turribus & propugnaculis munitam, & Nicosiam octo miliaribus hinc distantem. vbi reges Cyprorum regiam habuerunt sedem: hodierno tempore redacta est insula sub dominio imperatoris Constantinopolitani. *Syria.* Syria diuiditur in Palestinam, Phœniciam, Damascenam prouinciam, Cœlem, Comagenam, Apamenam, Iudæam, Idumæam, & Samariam. Syria à septentrione terminum habet, Ciliciam & montem Amanum; à meridie Arabiam Patreiam: ab ortu Euphratem & Arabiam desertam: ab occasu pelagus phœnicium siue Syriacum. *Palestina.* Palestina olim Chanaam dicta, Idumæam, Iudæam, Samariam, & Galilæam complectitur. Ab ortu limitem habet Libanum: ab occasu mare Phœniciæ: à septentrione Phœniciem: à meridie Arabiam Petreiam. *Idumæa.* Idumæa sita est inter Ægyptum & Iudæam, & est portio Arabicæ terræ, valde fertilis ex ea parte qua mari alluitur: sterilis vero versus montes Arabiæ. Vrbes eius, Gaza Ascalon & Azotus, Maresa: in Ascalone natus est Herodes, qui occidit infantes Bethlehemiticos: *Iudæa Fertilitas.* Iudæa succedit Idumææ, de qua nobis aliquid dicendum. Iudæa cuius metropolis est ciuitas Ierusalem, est diues frugibus: aquis illustris, opima balsamo: in medio orbis constituta: magna fruitur cæli temperie, atque elementorum gratia. Hanc Israelitæ quadraginta annis quæsierunt: vno & triginta regibus in ea deuictis, sibi subiecerunt. In hac terra sancti patriarchæ habitauerunt: *1. Pet. 2.* prophetarum oracula prodiderunt: vnigenitus Dei filius natus est ex intemerata virgine Maria, *cuius liuore sanati sumus*, in hac terra nati sunt Apostoli, & spiritum sanctum acceperunt. *Balsamũ.* hæc terra palmetis & balsamo inclyta, quod omnibus odoribus præfertur: arbuscula viti similis folia rutæ habet: inciditur vitro, aut osseis cultellis, lachryma quæ ex incisura manat, opobalsamum dicitur, cui præcipua grana est, secunda semini, tertium locum cortex obtinet, vltimus honos ligno. *Situs Iudæa.* Iudæa est longa, sed non lata: longitudo eius habet ducenta miliaria Italica: aliqui ponunt a Iordanis origine vsque Bersabæam, quæ contermina est Idumææ centum viginti: latitudo eius supputatur à mari mediterraneo vsque ad Iordanem, spatio quinquaginta quinque. *Mons Libanus.* Mons Libanus dirimit Phœnicen à Galilæa: habet abietes & cedros, aliasque nobiles arbores, ex quibus insigniora Iudææ ædificia construuntur; per rateanum in mari adducuntur, vt narrat quintum caput tertii regum; *Iordanis fluuii origo.* Ad pedes montis Libani scaturiunt duo fontes, ex quibus Iordanis fluuius concipitur: coniunguntur autem illi duo riuuli iuxta Cæsaream ciuitatem: continue deinceps largis venis crescens, ingreditur Samacnnitem paludem: deinde lacum Genezar, qui & mare Galilææ atque Tiberiadis appellatur: *Mare Galilææ.* egressus autem Iordanis hoc mare, petit mare mortuum in quo nihil viuere potest: est lacus bituminis: *Mare mortuum.* fuit locus ille vallis sylvestris, qui conferebatur paradyso Dei. Post Sodomam autem euersam, & vicina loca extincta, mutatus est amœnus ille locus in lacum bituminis, ita vt per octo millia passuum procul à lacu, vtraque ripa fluminis, sentiat afflatum bituminis. *Ierosolyma.* Porro, ciuitas Ierosolymitana sub rege Melchisedech vocata est Salem, fuitque tum temporis metropolis paruum & contracti regni: deinde vero dicta est Iebus à Iebusæis incolis, quos Iudæi cuicera non potuerunt vsque ad tempora Dauid, qui vnctus in regẽ expugnato fortalicio huius ciuitatis, monte Sioh, qui & postea ciuitas Dauid appellatus fuit, atque *Ciuitas Dauid.* superatis Iebusæis, transtulit regiam sedem ex Ebron in Ierusalem. A Salomone vocata est Solima quasi Salomonia: hæc est ciuitas sancta, ob veri Dei sanctissima leges, cultum, templum, prophetas, Apostolos, deoique quia in ea sanctus sanctorum vixit, docuit, mira quoque opera edidit, atque morte sua nos sanctos effecit. In vno autem eodemq́ montis tractu tres sunt colles, siue monticuli, qui quandoq́ vna appellatione Sion dicuntur: aliquando veru peculiaria sortiuntur nomina. *Sion.* Primus est Sion, qui ob sui eminentiam respectu totius terræ promissionis specula interpratatur: in quo arx erat dicta ciuitas Dauid, quam à Ierusalem seiongebat quidam hiatus. Hic Dauid cum aliis regibus Iuda sepultus: hic Christus nouissimum pascha celebrauit; discipulorum pedes lauit: *Vbi Sacramentum institutum.* Eucharistiæ Sacramentum instituit: discipulis resuscitatus apparuit. Secundus est mons Moria, in quo ædificatum fuit templum Salomonis. Tertius est mons Golgatha, id est, Caluariæ, à Caluaria sic dictus, quod scelerati ibi decaluarentur, Christi pretioso sanguine vnctus, & gloriosa passione celebratus, qui est Deus verus, & homo verus, non duo tamen, sed vnus est Christus.

De Ducibus, Iudicibus & Regibus Iudæorum.

Duces Iudæorum. PRimus Dux Israelitici populi magnus ille Moyses annis 40. secundus autem Iosue, qui introduxit populum in terram promissionis ann. 26. *Iudices Iudæorum.* Deinde fuit interregnum 10. annis inde Iudices populum curauerunt, quorum primus fuit Othoniel an. 40. 2. Ehud an. 80. 3. Sangar an. 1. 4. Delbora cum Barach marito suo an. 40. 5. Gedon alias Ieroboal ann. 40. 6. Abimelech an. 3. 7. Thola an. 23. 8. Iair an. 22. 9. Iepthe an. 6. 10. Eseboo an. 7. 11. Ethoa an. 10. 12. Abdon an. 8. 13. Samson an. 20. 14. Heli an. 40. 15. Samuel an. 20. *Reges Iudæorum.* Primus rex Iudæorum Saul an. 20. 2. Dauid an. 40. 3. Salomon, ann. 28. 4. Roboam an. 17. sub quo diuisum est regnum. 5. Aza pius rex ao. 41. *Reges Israel.* Roboam primus rex Samariæ seu Israel, secundus Nabab an. 2. 3. Baia an. 24. 4. Hela ao. 2. 5. Ambri diebus 7. 6. Amri an. 12. 7. Achab ann. 22. 8. Ochozias an. 2. 9. Ioram an. 12. 10. Iehu an. 78. 11. Ioachas an. 17. 12. Ioas 16. 13. Iaroboam 41. 14. Zacharias an. 6. 15. Sellum filius Iabis an. 4. 16. Monathes Tharsensis filius Cadi an. 10. 17. Pharaias filius Manassen an. 2. 18. Pharaias filius Romeliæ an. 20. 19. Osea filius Etaan, an. 9. Decem & nouem reges Samariæ siue Israel. Post Aza autem regem Iuda, regnauit in eodem regno sextus rex scilicet Ioram 8. annis. Habræi dicunt 28. annis regnasse. 7. Ochozias. 8. Athalia soror Achab an. 7. 9. Iohas an. 40. 10. Amazias an. 29. 11. Ozias, qui & Azarias an. 51. 12. Ioachan an. 16. 13. Achas ao 16. 14. Ezechias an. 29. 15. Manasses an. 55. 16. Amon an. 20. absente patre captiuo. 17. Iosias rex pientissimus an. 32. 18. Ioachis filius Iosiæ an. 3. 19. Ioachim, qui & Heliachim an 11. Decem & nouem reges vsque ad captiuitatem Babyloniæ. *Reges captiui in Babylone.* 20. rex Iuda Ioachim siue Iechonias an. 3. & post captiuus migrat in Babylonem. 21. Zedechias an. 11. euersio templi sub illo rege Iuda. *Duces Iudæorum post captiuitatem Babyloniæ.* Post captiuitatẽ Babyloniæ primus dux Zorobabal alias Barachias filius Salathiel an. 58. 2. Reta filius eius an. 56 3. Ioanna filius eius 63. 4. Iudas Hircanus an. 14. 5. Ioseph an. 7. 6. Simeis Abner an. 11. 7. Mathathias an. 11. 8. Arsamath an 9. 9. Nargeda taxata on. 10. 10. Helingar ann. 8. 11. Nauum Malioth ann. 7. 12. Amos Sirac 14. 13. Mathathias Silon ann. 10. 14. Ioseph iunior Arses ann. 60. 15. Ioan Hirminus ann. 17. *Duces Machabæorũ.* Quindecim duces vsque ad Machabæos, quorum primus fuit Mathathias annis 36. 2. Iudas Machabæus annis 6. 3. Ionathas annis 18. 4. Simon annis 8.

5. Hirca-

Reges Iudæorum. 5. Hircanus & Iohannes priscus an. 31. 6 Aristobolus an. 1. 7 Iohannes Alexander an. 27. 8 Alexandra Iannei vxor 9. 9 Hircanus an. 34. decimus Herodes Ascalonita an. 37. sub quo natus est Christus Dominus, cuius linea ita describitur: *Linea Christi.* Adam, Seth, Enos, Caian, Malalel, Iared, Enoch, Mathusalem, Lamech, Noe, Sem, Arphaxat, Cainan, Sale, Heber, Phalek, Rehu, Saruch, Nachor, Thare, Abraham, Isaac, Iacob, Iudas, Phares, Esram, Aram, Aminadab, Naasson, Selmon, Booz, Obeth filius Booz, Iesse filius Obeth, Dauid, Salomon, Roboam, Abia, Asa, Iosaphat, Ioram, Ochozias, Ioas, Amazias, Ozias, Ioachim, Achas, Ezechias, Manasses, Amon, Iosias, Ioachim, alias Eliachim, Ioachim, siue Iechonias, Salathiel filius Iechoniæ, Zorubabel, Abiud, Elias, Azor, Sadoch, Achim, Eliud, Eleazar, Mathan, Iacob, Ioseph, Christus verus Deus & verus homo nascitur de virgine Maria anno Augusti Cæsaris 42. *Regnum Iudæorum restatum in potestatem Romanorum.* Itaque regnum Iudæorum in dominium Romanorum deductum est, mansitque sub diuersis principibus, non absque maximo Iudæorum detrimento, vsque ad annum Christi 909. *Cosdroes. Saraceni.* Tunc enim Cosdroe rex Persarum ciuitatem sanctam diripuit aliquibus tamen Christianis dimissis, qui eius possessionem retinuerunt vsque ad imperium Henrici quarti: tunc Saraceni omnibus Christianis eiectis, terram sanctam occuparunt: Christi tamen sepulchrum non tetigerunt, non quidem deuotionis, sed lucri futuri gratia. Anno deinde 196. collecto *Christiani.* vndequaque milite Christiano, sub ducibus Gotfrido comite Bononiensi, & Balduino, & Eustachio, item alijs principibus Gallis 600. millium peditum & equitum 100. milia, expugnauerunt Niceam vrbem populosissimam: cuius vrbis dominus erat *Solimannus.* Solimannus Turcarum princeps, qui à Tarso Ciliciæ vsque ad Hellespontum omnes possidebat prouincias, congressusque cum Christianis in fugam versus est. *Nicea.* Capta autem fuit Nicea an. 1097. subactis etiam alijs ciuitatibus, Tarso, Antiochia, Tripoli, Beryto, siue Baruth, venerunt Sidonem & Tyrum, deinde Ierusalem Anno 1099. *Christiani expugnant Ierusalem.* in mense Iunio Christiani castra posuerunt ante sanctam ciuitatem: & 10 die Iunij ciuitatem expugnarunt, quam *1. Gotfridus.* inclytus Gotfridus rexit, & reparauit, collocauitque Patriarcham, & alios Episcopos. Anno 1100 mortuus est, cui successit Balduinus, qui expugnauit Cæsariam, & alias maritimas ciuitates, interfectis Saracenis. *2. Balduinus.* cepit etiam Ptolemaidem auxilio fretus Genuensium & Venetorum. Mortuus est autem iste secundus rex 1118. nulla relicta prole. *3. Balduinus.* Tunc electus est in regem tertium Balduinus a Burgo, ex alia familia, filius Hugonis Comitis Rastelıæ: obijt 1131. *4. Fulco.* Eligitur Fulco Comes Andegauensis, moritur an. 1141. *5. Balduinus.* Eligitur Balduinus rex quintus, qui expugnauit Ascalonem ciuitatem maritimam. Mortuus est an. 1163 in Februario, cui successit *6. Almericus.* Almericus frater eius, qui multa bella gessit in Ægypto: *7. Balduinus.* mortuus est an. 1173. cui successit Balduinus eius filius: cum autem laboraret morbo Elephantiæ; regni administrationem commisit *8. Guido.* Guidoni sororis suæ viro. Itaque defuncto Balduino leproso, Guido sororis suæ maritus creatus est rex, quod ægre ferens Raimundus Comes Tripolitanus, defecit cum Tripoli Tiberiade, & totius Galilææ principatu à rege Ierosolymitano. Saladinus autem rex Damasci videns dissidium Christianorum, coacto ingenti milite Ptolomaidem obsedit, magnamque stragem fecit Christianorum. Similiter fecit in Tiberiade, cepitque ipsum Guidonem, expugnauitque ciuitatem sanctam: an. 1187. postquam *Noua expeditio christianorum in terram sanctam.* 88. fuerat annis in manu Christianorum, à Gotfrido vsque ad Guidonem. Post mortem Saladini Asiæ dominatoris principes germaniæ & multi Episcopi cum magno exercitu terram sanctam ingrediuntur, & loca quædam expugnauerunt: sed audita morte Imperatoris ad sua redierunt, non sine magno incommodo Christianorum ibi remanentium. *Cairum. Ioannes rex Ierusalem.* Anno 1118. Ioannes rex Ierusalem, & Dux Austriæ obsedit Damiatam, siue Eleopolim ciuitatem Ægypti expugnauit: facileque Sultanum Christiani superassent, nisi Ioannis regis Ierusalem audacia impedimento extitisset, qua volebat Damiatam suo subdi imperio, & dominio. Deinde 70. millia militum Christianorum Cairum adoriuntur. Sultanum indies prouocantes ad certamen. sed Christiani inedia victi an. 1221. Damiatam reliquerunt, & in Tyrum se receperunt. Paulo post Ioannes rex Ierosolymorum locat filiam *Ius regni Ierosolymitani datur dotis nomine.* suam Iolem Imperatori Friderico secundo, eique ius Ierosolymitani regni condonat dotis nomine: sicque reges Siciliæ illud ius retinent. Anno deinde 1225. Sultanus restituit Imperatori Friderico Ierusalem, & totum regnum exceptis quibusdam castris. Sed Christiani diu non manserunt in regni dominio. Anno 1248. Franci cum rege suo Ludouico Damiatam obsident: sed peste sæuiente, infeliciter pugnauerunt: captusque est rex cum duobus fratribus suis Carolo & Alfonso. *Reges Iudæorum. S. Ludouicus Rex Franciæ.* Anno 1269. Ludouicus rex Franciæ cum duobus filijs & alijs proceribus apposuit animum ad terræ sanctæ recuperationem: sed peste sublatus est in Aphrica: Carolus tamen frater eius rex Siciliæ bellum prosequens Saracenos coegit; vt Christianos captiuos restituerent: & quod omnibus ciuitatibus Thunetici regni prædicaretur fides Christi, & volentes baptizari, non impedirentur. Ann. 1290. Sultanus vi cepit Tripolim, Sidonem, Berytum, & *Fratres Franciscani in sepulchro.* Tyrum, deinde Ptolomaidem euertit, atque ita Christianum nomen ex tota Syria sublatum est, exceptis duntaxat fratribus Franciscanis, quibus Sultanus an. 1336. sepulchri domini custodiam commisit, non sine consensu summi pontificis. Itaque ciuitas Ierusalem toties destructa & reædificata, nouissime anno salutis 1517. deletis Sultanis Ægypti, sub quorum dominio diu fuerat, à Turca occupata est, atque ab eodem anno 1542. reparata, & muris ampliata. Hæc de ciuitate sancta dicta sufficiant. posthac de alijs vrbibus & regionibus regni Ierosolymitani aliquid dicemus.

De alijs vrbibus & regionibus regni Jerosolymitani.

Iericho. Balsamū. Iericho, à dictione Hebraica, Irericha, quæ bonum odorem signat, nomen accepit. crescit enim in ea nobilissima balsami herba. properat nasci, infra tertium annum fructum ferens: folium proximum rutæ perpetua coma. Inciditur vitro, vt dixi, lapide, osseisque cultellis: ferro læditur. Incidētis manus libratur, ne quid vltra corticem violet. succus è plaga manat, eximiæ suauitatis, sed tenui gutta. *Balsamum in Ægyptū translatum.* postquam autem Titus destruxit Ierusalem, planta illa in Ægyptum translata est prope Cairum. Primum balsamum tantæ est efficaciæ, vt quamlibet carnem eo perunctam longo tempore à fœtore præseruet. *Tyriacum. Tyrus serpens.* Reperitur in hac regione Tyrus serpens, vnde Tyriacum conficitur, longitudinis semicubiti, crassitudinis autem digiti, colore griseo intermixto maculis rubris, natura cœcus, præsens habens venenum, cui nullo remedio obuiari potest. sed membrum eo læsum, resecari necesse est. est crinitus circa caput: & irritatus, videtur ignem fouere in lingua. *Galgal. Transitus Iordanis.* Galgal non procul à Iericho iuxta Iordanem situs est locus: vbi filij Israel ex Ægypto profecti transierunt Iordanem. *Ptolemais.* Ptolomais ciuitas in Phœnicia, colonia Claudij Cæsaris, à Ptolemæis regibus vrbs olim munitissima, triangularem habens figuram, cuius duo latera iunguntur mari, & tertium respicit terram. Ager fertilis, optima pascua, vineæ elegantes, amœnissimi horti. *Samaria.* Samaria olim metropolis regni decem tribuum, vnius diei itinere distat à Ierusalem: fuit amplissima ciuitas, duplici cincta muro, totus complectens montem circumhabitatum: in supino dorso montis erat *Sebaste.* superbissima regio: prospectus ex arce vsque ad Ioppensem portum, Arabiamque Petream: Ager irriguus fontibus, omnium propemodum rerum feracissimus. Herodes hanc ciuitatem collapsam restaurauit, vocauitque Sebasten, id est, honorabilem ciuitatem. Restaurauit quoque Cæsariam Palestinæ in littore maris magni, iuxta Carmelum montem *Turris Stratonis.* positam. quæ antea turris Stratonis vocabatur, in qua in honorem Cæsaris magnificam domum albo marmore construxit. Inter Samariam & mare Galilææ muntes Hebal & *Gelboe.* Garizin, mons Gelboe, primi Regum vlt. Iuxta hunc olim *Bethulia.* sita fuit Betbulia, vbi Iudith magnanimis mulier Holofernem interfecit. *Galilæa.* Galilæa duplex, superior quæ & Gentium vocatur, atque inferior. vtraque ferax & passim culta: neque pars earum vlla ociosa. Campos habet cum varijs arboribus consitos, tum maxima oliuetis, vinetis, ac palmetis. Irrigatur autem abunde montanis torrentibus ac fontibus *Nazareth.* aquæ perennis. Nazareth ciuitas Galilææ vbi Christus edu- *Capernaum.* catus est. Capernaum, *Cana.* Cana vbi Christus fuit in nuptijs. Tiberias, vbi extra mœnia thermæ sunt naturales. Est etiam in hac regione ad radices muntis Libani *Cæsarea Philippi.* Cæsarea Philippi, à Philippo Herodis filio, in honorem Cæsaris constructa, quæ antea Paneas dicebatur, vbi ex Panio antro *Thabor.* scaturiunt fontes Iordanis. Est in ea mons Thabor in tribu Nephtalim, qui in medio campi maximi assurgit ad stadia triginta, habens planiciem mire rotundam: à parte autem Boreali est inaccessus. In eo creditur Christus transfiguratus: & diuersus est à Thabor, qui per latam tribum Isachar extenditur. *Phœnicia.* Phœnicia Iudææ propinqua, habet à meridie Galilæam: & ab occasu mare mediterraneum: à cardine orientis Arabiam desertam & Euphratem: à septentrione vtramque Armeniam. Phœnices solers hominum genus inuentione literarum, Arithmeticæ, Astronomiæ, Nauticæ, & purpurarum piscatu maxime insignes: nobilissimas vrbes Phœnices habuerunt Tyrum, Sidonem, Berytum, siue

Ægyptiorũ reges. Decimus ... Cleopatra mors.

rex Cleopatra, quę vbi nupsit Antonio, & illum persequeretur Augustus, nihiliam fit Augusto exornata diuersis ornamentis, quam Augustus custodire iussit. Tunc illa se ad triumphum seruari intelligens, è custodia elapsa, in pretioso suo sepulchro, iuxta Antoniũ, sibi aspidem in sinistro brachio admisit, & eius veneno, quasi somno soluta est: eiusque morte tota progenitorum ipsius linea extincta est. Ducentis & nonaginta annis Ægyptus Ptolemæos habuit reges, vsque ad Cleopatram. Deinde habuit Præfectos vsque ad annum Christi 619. Tunc sub Heraclio Imperatore irruentes Saraceni ex Arabia, in Ægypto dominatorem constituerunt, quem lingua eorum vocauerunt Sultanum, qui postea Syriam sibi subiecit, durauitque eius potestas vsque ad annum Christi 1517. Tunc expugnata fuit Ægyptus à Solymo Turcarum Imperatore, atque extinctus Sultanus.

Reges Asiæ post Alexandrum magnum.

Huic etiam loco conuenit regum Asiæ successionem texere. Primus Antiquinus annis 18 regnauit. Secundus Demetrius, qui Selauco suum imperium dedit. Demetrius 6. Seleucus 17. Quartus Seleucus Callinicios annis 20. Quintus Seleucus Seratonius annis 3. Sextus Antiochus Magnus annis 36. Septimus Seleucus Soter, siue Philopater annis 12. Octauus Antiochus illustris, qui & Epiphanes, annis 11. Nonus Anth. Eutipater annis 2. Decimus Demetrius Seleuci sucer annis 22. Vndecimus Alexander annis 10. Duodecimus Demetrios Nicanor annis 3. Tertius decimus Antiochus Sedetes pius annis 9. Quartus decimus Demetrius secundus annis 4. Quintus decimus Antiochus Gryphon annis 12. Sextus decimus Antiochus Sicisenetus annis 18. Decimus septimus Philippus annis 2.

Monarchia Iulij Cæsaris. Ægyptiorũ iudicia. Sacerdotũ ordo apud Ægyptios.

Deinde Iulius Cæsar Monarchiam auspicatus est: & annis propaquinque eius Monarchia perdurauit. Operæpretium erit scire quam pulcherrima iudicia, & leges extiterint apud Ægyptios. Triplex erat hominum ordo: primus erat Sacerdotum ordo, qui in magno honore habebatur, tum propter Deorum cultum, tum propter doctrinæ eminentiam, qua cæteris præstabant mortalibus, qui plane sacerdotes ex cõmunibus vectigalibus viuebant. In secundo ordine habebantur Reges, quibus portio vectigalium debebatur, quam ad vitæ cultum, ad bella souenda, ad liberalitatem erga strenuos, & doctos homines impendebant. In tertio ordine milites. Trinus abus ordo apud eos habebatur, agricolarum, pastorum, & opificum, quorum iudicia magna cum ratione audiebantur.

Leges Ægyptiorum.

Leges Aegyptiorum antiquæ hæ fuere: Periuri capite plectebantur, qui in Deum, pietatem, in homines vero fidem violabant. Mortis reus erat, qui non erueret, si modo posset, hominem à latronibus iniuriam patientem si vero non posset, & non denunciasset, vapulabat plagis ad certum numerum, triduoque carebat cibo.

Filiorum occisores. Parricida.

Filiorum occisores tribus diebus noctibusque continuis circa corpus defuncti assistebant, vt sic continuo dolore affligerentur. Parricidæ vero articulatim præacutis calamis cædebantur, atque viui super spinarum aceruum comburebantur. Hi qui secreta hostibus reuelassent, lingua priuabantur. Et qui monetam falsam efficeret, ambos manus amputabantur.

Violatores mulierum.

Et qui mulierem liberam violasset, virilia exsecabantur. In adulterio spontaneo deprehensus, virgis cædebatur, ad mille plagas, mulier naso mutilabatur. Morbos ieiunio, aut vomitu curabant.

Serpentes alati.

Vento Aphrico inuehitur ex vastitate Lybiæ magna vis serpentum alatorum, qui singulis annis magnum detrimentum hominibus & agris inferunt, maiusque inferrent: nisi ab Ibidibus

Ibis auis.

interficerentur, est animal Ibis Ciconiæ similis, diuersa tamen à ciconia auis excelsa, rigidis cruribus, corneo proceroque rostro, auertens pestem ab Ægypto: quod enim nobis præstant Ciconiæ tutelæ officium, idem exhibent Ibides Aegyptia, ideoque talibus auibus magnum habent honorem & reuerentiam.

Templum.

Heliopolis ciuitas Solis posita, in aggere habens Solis templum, maxima & munitissima ciuitas, magno ambitu murorum cincta, in quibus centum portæ fuisse dicuntur. Primi Aegypti reges in ea regiam habuerunt.

Ciuitas Sacerdotum. Memphis.

Strabo dicit fuisse ciuitatem sacerdotum, qui multa habebant priuilegia & libertates. Memphis vrbs Aegypti olim magna & populosa: secunda post Alexandriam: vbi fuerunt Pyramides & regum sepulturæ, à rege Ogeluo ædificata, cuius filia Memphia nomen dedit ciuitati. Posita est in loco, vbi Nilus primum accipit diuisionem, Δ Deltæ formam faciens. A cæteris partibus vndique lacus fuit effossus, qui ciuitatem reddit munitissimam. Quam ob causam posteri reges relictis Thebis, in Memphi regiam habuerunt. Postea vero vitra Nilum habitantes, eam vrbem coluerunt,

Babylonia Ægypti. Cayrus.

quam Babyloniam Aegypti atque Cayrum appellauerunt. Habuit hæc ciuitas Memphis Nilum ad latus orientale, vbi tamen inter Nilum & vrbem magnus agger positus est, qui prohibet Inundationem Nili. E regione eius vltra Nilum sita est illa ciuitas Babylon, seu Cayrum,

Ægyptiorũ reges. Cayri circuitus. Fertilitas Cayri.

quæ fuit sedes Sultanorum. Cayri circuitus complectitur sexaginta, vel septuaginta miliaria Italica: & quamuis innumeram habeat populi multitudinem, abundat tamen rebus, lignis duntaxat exceptis, quæ ibi in pondere venduntur.

Apis Ægypti.

Memphis templum Apis habebat, qui idem est quod Osiris. Erat autem Bos qui & Serapis dictus, corpore niger, candida fronte, in tergo alba nota insignis, duplicibus pilis in cauda si pabulum oblatum sumpsisset, omnia prospera denunciabat: si vero abnueret recipere cibum; cladem aliquam ostendebat futuram. Alebatur in septo quodam, videbaturque per fenestram quandam in septo.

Pyramides Ægypti. Vnum de mirabilibus mundi. Labirynthus Ægypti.

Pyramides Aegypti positę sunt in montano quodam & saxeo supercilio, ad septentrionalem vrbis Memphiticæ plagam. Est autem Pyramis moles quadrata in multam altitudinem assurgens: à fundamentis sensim ad sublimitatem gracili semper modo ascendens vltra excelsitatem omnem, quæ manu fieri possit. Trecenta sexaginta hominum millia annis viginti amplissimam Pyramidem construxisse produntur. Labyrinthus Aegypti opus insigne, vnde Dædalus sumpsit exemplar eius Labyrinthi, quem fecit in Creta, in quo sunt itinerum ambages, occursus & recursus inexplicabiles.

Crocodili ciuitas.

Arsinoe ciuitas, prius dicta Crocodiliorum ciuitas; Aegyptij enim in ea Crocodilum venerabantur: in lacu quodam nutriebatur à sacerdotibus pane, carne, & vino, quæ à peregrinis afferebantur ad huiusmodi spectaculum venientibus. Ad ripam lacus aperiebat sacerdos os heluæ: & carnem & mustum imponebat. In Nilo & in Gange inueniuntur.

Crocodilus gignitur ex ouo.

Oua anserinis similia sunt, ex quibus pullus genatus, ad sedecim aut octodecim cubitorum magnitudinem excrescit: longitudine vitæ hominis: dorsum eius squamosum, duritie præcipua, cauda prælonga: ex vtroque oris latere dentes habet perplures, in quibus duo maxime eminent: non solum homines, sed etiam alia animalia deuorat vnguibus grauiter discerpit, quos habet omni mucrone acutiores: quos dentibus lacerat, nunquam sanantur. Deuoraturus hominem lachrymari dicitur vnde prouerbium: Crocodili lachrymæ.

Crocodili lachrymæ. Alexandria vrbs Ægypti.

Dies in terra agit, noctes in aqua. Timidus est, vt qui persequentes fugiat, fugientes persequatur. Alexandria vrbs Aegypti, ante Christi natiuitatem anno 320. ab Alexandro magno condita, voluitque esse caput Aegypti, conditaque est in capite Nili. Alia est Alexandria inter duas Antiochias, & tertia in Tanaia: quarta in Italia prope Papiam, siue Ticinum.

Corpus Alexandri Magni. Alexandriæ situs.

In hac Alexandria Aegypti, sepultum fuit corpus Alexandri Magni: nam mortuus est in Babylone, & per Ptolemæum curiæ suæ magistrum, Memphim translatum: deinde post paucos annos in Alexandria conditum. vnde Augustus Cæsar post deuictum Antonium, veniens Alexandriam, Alexandri corpus reuerenter aspexit. Munitur autem Alexandria vndique immeabili solitudine, aut importuoso mari, aut fluminibus, aut syluosis paludibus. Ab vno latere habet mare mediterraneum: & ex opposita parte Mareotim lacum, in quem riui quidam ex Nilo deducti sunt. Ex Alexandria patet aditus ad Cairum vsque: & inde itinere terrestri ad mare Rubrum, ex quo nauigatur in Arabiam, Persiam, & Indiam. A septentrione habet pulcherrimum portum, in cuius prospectu insula erat Pharos nomine, quam Cleopatra regina coniunxit ciuitati per firmissimum aggerem. Habuit hęc vrbs doctissimos viros, Amanum episcopum, Clementem, Origenem, Athanasium, Didymum, Theophilum, sanctam Catherinam, & alios. Extra mœnia ciuitatis sunt pulcherrimi horti, in quibus varia arborum & plantarum genera nutriuntur, quæ virorem suum nunquam abiciunt vt mala punica, limones, citrea poma, & similia.

Alexandriæ fertilitas. Ptolemæus Astronomus. Almagestum.

Floruit Alexandriæ insignis ille Ptolemæus Astronomorum princeps, natione Alexandrinus, literarum studijs clarus, temporibus Adriani & Antonini; qui cæli rationem diligentius explicuit, magnamque illam compositionem edidit, quam Almagestum vocant. Deinde descripsit Geographiam vniuersalem, distinxitque in viginti duas tabulas particulares.

De Nilo & eius incremento, & decremento.

Nili origo.

Nilus vnus ex maioribus totius orbis fluuijs, ex Aphricæ fluuius colligitur, ex montium niuibus, atque magnorum lacuum & paludum occultis scaturiginibus, Alij dicunt recta ex Æthiopia in Aegyptum descendere, ex resolutione nimirum montis Lunæ:

Nilus unde oritur. Nascitur, inquit, Diodorus Siculus, ex fontibus in extremis Æthiopiæ finibus, ad quos propter æstus nulli ad itus fuit, variasque lustrat regiones, magnosque flexus facit. Porro, Nili origo sic probatur: Æstiuo tempore quando sol est prope solstitium æstiuale, & longissime recedit ab australibus terris, Nilus habet consuetum cursum, quando vero post festum Ioannis Baptistæ sol recedit, & reflectitur in meridiem, & æstas incipit apud interiores australes, resoluitur nix in montibus, & Nilus incipit crescere, & sensim inundare, ac magnam Ægypto fœcunditatem afferre. *Nilus quando crescat.* Alij dicunt ex Getulia & Lybia ortum habere: potest fieri, vt aliquis inde fluuius oriens, accurrentibus riuis, Nilo misceatur. *Incrementum Nili.* Nili incrementum incipit à solstitio æstiuo, vsque ad æquinoctium, semperque nouum limum secum ferre consueuit. Aqua leniter fluente, eam agricolæ paruis aggeribus arcere valent, & pro suo libitu vti. Quatuor aut quinque mensibus exactis, absque aliquo damno aut impensa, fructus colligunt vberrimos. Vineæ quoque eodem rigatæ modo, multo vino abundant. *Oues bis pariunt in anno.* Terra inculta pecori ad pastum relicta, adeo exuberat herbis, vt oues bis pariant in anno, bisque lanam reddant. Vrbes vici, agricolarum mapalia in altiori loco sita sunt: bestiæ quæ in campis remanent, suffocantur aqua, nisi ad altiora loca se receperint. *Incrementi tempus.* Pecora inundationis tempore, in stabulis reclusa domi nutriuntur. Vulgus otio torpet epulis & voluptati indulget. In nouilunio, quod proxime sequitur introitum solis in cancrum, Nilus incipit crescere, quousque sol peruenerit ad finem leonis, tunc sensim aqua rursus decrescit, quoad sol egressus fuerit libram, tunc Nilus suo alueo concluditur. *Signa fertilitatis.* Signa fertilitatis, quando in profundioribus Ægypti locis, Nilus sexdecim cubitis in altum ascendit, atque inundat, iustum dicitur habere augmentum: vnde illo anno magna speratur fertilitas. Si altior fuerit, in terræ cedit detrimentum, eo quod aqua in profundioribus locis tardius desiccetur. *Quando seminant.* Si vero fuerit minor, quod tota terra irrigari nequeat, cultoribus obest. Agricolæ tunc conantur aquam in eos agros deducere, qui stagnare nequeunt. Inundante Nilo 12. aut 13. cubitis, famem expectant: si vero 14. fertilem annum præstolantur. Irrigata, & exiccata terra, circa duodecimum Octobris diem agricolæ seminant agros, vsque ad Calendas Nouembres: & in sequenti Maio colligunt messem. Rhenus & Danubius contrariam habent naturam: inundantes enim corrumpunt agros, quia sua alluuione bonum fundi soli auferunt, similiter & in prata limum inducunt sterilem & pestiferum. *Nili insulæ.* Nilus multas facit insulas, & aliquas magnas. Delatus in locum qui dicitur Delta, tanquam à vertice scinditur in duodecim fluenta, quæ descendunt in mare mediterraneum. Sed de Nilo satis dictum habeo. *Sacerdotes.* Sacerdotes Ægypti cibo vescebantur simplici, vini potandi certa mensura. Iuxta aram hostijs deductis, astante rege, magna voce audiente populo prospera omnia illi precabantur, iustitiam, pietatem, religionem, humanitatem. *Regis in gloria.* Reges vero nihil per superbiam, aut iram, aut aliam ob iniustam causam, licentiam habebant agendi. Neque id ægre ferebant, existimantes parendo legibus se beatos fore: hac vsi erga subditos iustitia reges, omnibus erant chari: regis vitam omnes tuebantur, atque maiori cura prosequebantur quam filiorum & vxorum salutem: mortuum vero magnis laudibus cumulabant, qui secus se gerebant, carebant sepulchri honore. Sed de Ægypto hæc sufficiant.

De Æthiopia.

Æthiopia dicta est ab Æthiope Vulcani filio, qui illi præfuit: sub meridiano cardine iacet. Circa partem occiduam montosa est: in mediterraneis vero arenosa, at circa ortum solis deserta. *Æthiopia duplex.* Duplex numeratur Æthiopia, vna in Asia, in Aphrica altera. Porro, quæ in Aphrica est, hodie India dicitur, quæ ab oriente Rubro mari alluitur; *India.* à septentrione autem Libyæ & Ægypto coniungitur: ab occasu vero interiorem Libyam habet: à parte autem australi, alteram habet Æthiopiam maiorem, *Æthyopia maior.* & magis australem. Primi omnium mortalium creduntur indigenæ, & seruitutem nunquam experti. Primi deorum cultum habuerunt primasque sacrorum cæremonias. *Regis honor.* Tanto honore atque amore regem prosequuntur, vt si rex fuerit claudus, aut monoculus, vel aliquid huiusmodi sustinuerit, domestici sponte sua eadem patiantur. Rex ab his potissimum declaratur, qui forma, peritia, ac robore cæteros antecellit. Ex illa magna India ingens Indorum multitudo in Æthiopia consedit, abolitaque veteri voce Æthiopes nuncupantur. Ciuitas Meroe ab antiquis temporibus fuit Saba vocata & postea à rege Cambyse Meroe denominata, quam scribit Plinius regiam fuisse, atque metropolim Æthiopiæ. *Æthiopia. Ciuitas Saba.* Hodie vero amplissimum est imperium, vt duobus & sexaginta regibus Imperatur eorum dominetur. Hæc dicunt locorum indigenæ. In Saba ciuitate mansit tempore Salomonis regina austri, quæ venit audire sapientiam Salomonis. *Regina Austri.* Deinde mulieres regiam administrationem vsurpantes, Candaces sunt dictæ, vt narrant Actus Apostolici cap. 8. *Candaces regina Æthiopum.* Quoniam vero regio ista cœpta fuit vocari India, factum inde quidam putant, vt Pretoiannum, seu Presbyterum Ioannem in Indiam Asiæ, alij in Indiam Æthiopiæ locauerint. *Pretoiannes rex.* Vltra regnum Meroe, sunt vastæ solitudines, calore nimio torridæ, in qua habitant magni serpentes, qui dracones appellantur. *Rizophagi populi.* Habet Æthiopia quosdam populos, qui vocantur Rizophagi iuxta fluuium Asam, à radicibus arundinum sic dicti, quibus victitant; terunt enim lapidibus radices, & placentas faciunt, soleque desiccatas edunt: pugnant cum leonibus, qui ex deserto, vt minores dilanient bestias, egrediuntur: actumque esset de illis, nisi quia sub ortum canis, innumera, nullo agitante vento, culicum multitudo ad ea loca aduolat, quæ homines ad paludes fugientes minime lædunt, leones vero abire ex his regionibus compellunt, tum morsu aculeato, tum sono vocis territos. *Ilophagi.* Alij populi his propinqui nominantur Ilophagi; hi fructus qui ex arboribus decidunt, colligentes, edunt: reliquo tempore herbam in vmbrosis nascentem locis decerpunt. Habent quoque tantam peritiam ascendendi in arbores ex continuo vsu; vt de arboribus, quasi aues prosiliant. *Cyneci super arbores dormiunt.* Cynecí super arbores dormiunt. *Acridophagi.* Achæ bellum exercent cum elephantis: & ad lapsum impulsos, trucidant. Acridophagi, id est, locustarum deuoratores, paulo cæteris breuiores, macilenti, ac supra ramos dormiunt. Veris tempore Zephyrus & Libycus venti, magnum locustarum numerum ex deserto ad eos deferunt: hæ permagnæ sunt, sed colore alarum turpi & squalidæ, quæ sale super infuso diutius seruantur: & cibum præstant se capientibus. Homines leues & veloces sunt corpore, quadragesimum annum non excedunt. *Cynamini.* Cynamini populi circa meridionalem Aphricæ partem habitantes, prolixas admodum barbas habent: greges syluestrium tantum nutriunt ad præsidium vitæ: nam ab æstiuo Tropico vsque ad medium hyemis, Indici boues innumera multitudine eorum regiones ingrediuntur, quos canibus comprehensos, recentes edunt alios vero saliunt ad futurum vsum vitæ tuendæ. *Ichthyophagi.* Ichthyophagi ferarum vitam ducunt: nudi per omnem vitam degunt: habitant in Arabico sinu. *Troglodita.* Troglodytæ, id est cauernarum incolæ ob nimios calores: vtuntur vulgares potu, succo arboris paliuri: potentiores ex quodam flore expresso: nudi incedunt: quando siti premuntur, statim bibunt, alioqui extinguerentur æstu. Coquunt cibos suos in sole sine igne. *Libya interior & exterior.* Vltra Æthiopiam est Libya interior & exterior, nomenque accepit à Libo Mauritaniæ rege, qui in hanc irrumpens regionem, eam sibi subdidit. Est autem latissima & exusta regio, habens multos populos multumque arenæ: in ea enim sunt Nasamones, hodie Mauri, Anochitæ, Garamantes, Geruli, Mauri dira natio. *Garamantes.* Garamantes habitant in locis syluestribus, & omnium hominum commercia aspectumque refugiunt: nihil bellicæ armaturæ habent: nec defendere se audent. Athlantes iuxta montem Athlantem habitant: solem ascendentem execrantur, quod torridus & ipsos & regionem perdat. Asbestæ habitant vbi Ammonis est oraculum. Apud eos Cambyses cum toto exercitu extinctus est. *Fons Solis.* Apud eos quoque est fons solis, qui frigoris & caloris momenta singulis noctibus & diebus capit. Itaque omnes Libyci populi sub diuo habitant, victu more ferarum contenti. Nobiliores inter eos nullas habent ciuitates, sed turres aquis proximas; in eis reponentes quæ vsui sunt necessaria humano: hastis & lapidibus pugnant: nullam externis hominibus fidem seruant, quod omni prorsus humanitate caret. *Panthera quid Pardales.* Sunt quoque in Libya & Mauritania Pantheri, qui & Pardales, sæua animalia, veloci cursu, glauco colore, intermixtis multis maculis, simijs & ceruis insidiantur. *Pardi inebriantur.* Capiuntur Pardi nimio potu vini, quo inebriantur, & dormiunt, atque sine labore capiuntur: ponunt enim venatores vinum, vbi Pardi bibere consueuerunt. *Struthiocamelus.* Struthio auis est immensa in Aphrica, habet caput pilis minutis tectum, oculos grossiores & nigros, non dissimilis forma & colore Camelis, collo oblongo, rostro breui atque acuto, mollibus pennis, duobus cruribus, pedibus vngula fixa, vt ex Camelo & aue animal huiusmodi constare dicas: volatile & terrestre propter grauitatem volare non potest, sed velociter graditur: vnguibus bisulcis lapides comprehendit, quos fugiens in persequentes iacit: concoquit quic-

Libya. quid deuorat sine aliquo delectu parit multa oua, sed non omnia sunt accommoda ad pullorum procreationem: parat nidum suum in foueam arenæ, & circumædificat propugnaculum in modum muri, ne aqua pullos lædere valeat. *Cynocephali.* Sunt in interiori Aphrica, siue in Aethiopia Cynocephali, quorum canina sunt capita, canina ora, qui ipso latratu magis bestias quam homines se esse profitentur. *Monoculi.* Alij vnum tantum oculum in media fronte habent. *Pygmæi.* Alij sunt statura cubitali, Pygmæi scilicet. Alij singula habent crura, & non flectunt poplitem; & tamen mirabilis sunt celeritatis, qui Sciopodæ vocantur. *Sciopoda.* hi, Plinio teste, æstiuo tempore in terra supini iacentes, pedum se vmbra protegunt. Quidam alij sunt sine ceruice, habentque oculos in humeris. Sunt etiam & monstrosa animalia in Arabia. *Basilisci.* Sunt insuper Basilisci, qui solo visu interficiunt hominem. *Scorpius.* Est & Scorpius minutum animal, quo nihil nocentius habet Libya: Itaque animalia in Aphrica, teste Salustio, plures interficiunt homines, quam morbis intereant. *Athlas mons.* Verum non ignorare oportet Athlantem montem Aphricam in duas partes inæquales diuidere, quarum minor & angustior pars mare mediterraneum attingit: maior vero vltra Athlantem extenditur vsque ad Oceanum meridionalem: & inhabitatur à diuersis Nigritis seu Æthiopibus. Latus vero Aphricæ à Carthagine vsque ad Herculis columnas feracissimum est: non sic autem mediterranea & interiora Aphricæ. *Aphrica diuisio.* Diuiditur autem Aphrica in Mauritaniam, Numidiam, Aphricam, Cyrenaicam, & Aegyptum. Hodie vocatur Barbaria, Regnum Thunes, Regnum Marrochorum, Regnum Fess, Argieræ, &c. *Montis Athlantis descriptio.* Porro, mons Athlas incipit in Oceano occidentali, extenditurque in orientem vsque ad Nilum flumium Ægypti: atque in tantam sublimitatem ascendit, vt eius cacumen infra in planicie videri nequeat; nam fere è medio montis nubes incipiunt. hyeme & æstate niues habet: arboribus vestitur, & fluminibus irrigatur: & omni genere fructuum abundat, qua spectat mare mediterraneum. *Columna cœli.* Indigenæ vocant illum columnam cœli: quod Athlas rex Mauritaniæ dies cum suis noctibus in eo sedit: & primus omnium cursum solis & lunæ, syderumque omnium ortus & occasus hominibus tradendos curauit. Æthiopes, qui vltra Athlantem habitant, non sunt ita feri, vt illi Æthiopes, qui mediterranea interiora occupant. *Nigritæ.* Nigritæ qui habitant versus occidentem, abundant ebore, quia in eorum terra est copia Elephantum. Iidem, sicut & Getuli, capiunt in littore maris conchylia purpurarum atque muricum, quorum sanguine tinguntur nobiliores panni, qui purpurei vocantur. *Purpura.* *Vbi inueniuntur leones.* In Aphrica magna est copia leonum: inueniuntur quoque in Thracia iuxta ostia Danubij, in Armenia, in Parthia; non ita tamen feroces, vt Thracia. *Leonis natura.* Habet autem leo magnum caput, eminentes palpebras, longum pilum iuxta collum & mentum. qui in Arabia generantur, habent longum pilum in collo & in anterioribus pedibus: qui vero in Lybia & in interiori Aphrica, habent ferocem & toruum aspectum, rarumque in membris pilum: sed cæteris omnibus robustiores sunt. *Leæna partus.* Aristoteles tradit Leænam primo fœtu parere quinque catulos: ac per annos singulos vno minus, ab vno sterilescere, quousque tandem in vnam prolem partus desinat. Habet Leæna duo vbera parua in medio ventre, eo quod non habeat magnum lactis stillicidium. Leo infirmis est lateribus, reliquo corpore robustu, ceruice præsertim validissima, quod osse vno rigida constet, nec vertibis vllis iungatur. nascitur apertis oculis, minimo somno deditus, rarus in potu, vescitur alternis diebus, à saturitate interim triduo cibis caret. *Leonis clementia.* Leonis vita est longa: leoni ex feris inest clementia in supplices nam prostratis parcit. & vbi sæuit, in viros prius quam in mulieres fremit. infantes non nisi magna fame adactus deuorat. Immota cauda leonis, placitum se ostendit: vbi vero iracundia corripitur, primum cauda verberat terram. deinde ira crescente flagellat tergum. diu retinet vindictam contra animal à quo læsus est: vulneratus nouit percussorem, & io quantalibet multitudine appetit: fugiens non obuertit tergum quasi pauidus, sed pedetentim progrediens & murmurans respicit retro: *Ossa leonis reddunt ignem.* ex ossibus leonis ceu ex lapide ignis excuti potest, ita calet eius natura; ideoque interdum præ nimia ira moritur: sæuum hoc animal timet gallorũ christas cantusq́; maxime antem ignes.

De Mauritania.

Mauritania. Mauritani Indi populi fuerunt, qui cum Hercule ad hæc loca profecti, nomen regioni indiderunt, vel Mauri dicti sunt à μαῦρον, quod est nigrum, nigri sunt enim. Hæc regio & Hispania tenui freto intromittunt mare Oceanum, quod Mediterraneum appellatur: spatiaturque vsque Constantinopolim, Syriam, & aliquando versus Schytas. *Oceani introitus.* Huius oceani introitus ab Hispania in Aphricam septem miliaribus Italicis concluditur. Ex vtroque littore opposito consurgunt duo montes, nempe duo saxa eminentissima, quasi ex industria dissecta, quo mare in terram intromitteretur: quod Herculem fecisse Poetæ finxerunt, ideoque Herculis colomnæ appellantur. *Columna Herculis.* *Abyla.* Porro, illa quæ Aphricæ latus obtinet, vocatur Abyla. quæ vero est ei opposita in Europa, Calpe. *Calpe Gades insula.* mare vero interfluens fretum Herculeum vel Gaditanum ab insula adiacente. *Cæsariensis.* Cæterum duplex est Mauritania, orientalior à rege Bocho Bochiana denominata, postea à Romanis Cæsariensis. Altera Tingitana à Tingi ciuitate, iuxta angustias Gaditani freti sita. *Tingi ciuitas.* Tingi autem ciuitas condita fuit ab Antæo portentosæ magnitudinis homine. Lixos Antæi regia, & iuxta Hesperidum horti aureis arboribus & pomis famigerati. sed eius rei nullum extat vestigium. & præter oleastros inibi conspicitur nihil. *Mauritaniæ fertilitas.* Mira est Mauritaniæ fertilitas nam agri in quibusdam locis centesimo fœnore reddunt cultoribus messem: vites vero duorum hominum complexus capere non potest: vinarum vero racemi cubitales. *Mauritania Cæsariensis.* Claudius Imperator singulari fauore complexus est Iol ciuitatem Mauritaniæ & instauratam, appellauit Mauritaniam Cæsariensem, à qua & tota prouincia Cæsariensis est appellata. Strabo id ascribit Augusto Cæsari, qui Iubam regem interemit: filium vero eius puerum Romam duxit: benisq; ac literis & argento preditus, Augusti liberalitate paternum regnum recepit. *Iuba rex.* Habuit Ptolemæum ex Antonij & Cleopatræ filia natum, quo per Caligulam interfecto, Mauritania in duas deducta est prouincias. *Cirta ciuitas.* Cirta ciuitas in Numidia sita, potens olim & opulenta, in qua duo reges habitarunt: Siphaces & Iuba. *Siphaces rex.* *Vandali Aphricam occuparunt.* Tempore sancti Augustini venerunt Vandali in Hispaniam: & traiecto Gaditano mari cum Genserico rege, in Mauritania celebriores ciuitates occupauerunt, nec à Romanis expelli potuerunt: tenueruntq; sub potestate sua Aphricam 96. annis. Septensis ciuitas septem fratres, à septem montibus, qui à simili proceritate dicti sunt fratres: non procul est ab Abyla monte sita. Numidia pars est Aphricæ minoris, inter Tingitanam & Carthaginensem regionem. *Massinissa.* Numidæ dicti, quod ante Masinissam regem fere vitam pastoritiam viuebant: radicibus, carne, lacte & caseo vescebantur. *Numidia.* Plinius scribit Numidas Nomades dici, à permutandis pabulis, circumferentes domos plaustris dicubus vnde vagi dicuntur. Angustior est quam Mauritania sed magis culta & durior, vbi Numidicum marmor effoditur. Alluitur Ampsaca flumine ex Atlante dermato. *Marmor.* præter marmoris ferarumq; prouentum aliud nihil habet insigne. Ab ortu habet Carthaginensem regionem; à septentrione mare quod tendit ad Sardiniam versus: ab occasu Mauritaniam & à meridie Æthiopiam. *Hippon.* *Regium.* Claræ vrbes in Numidia, Hippon & Regium. Maximus atrocissimarum ferarum in omni Numidia prouentus. *Aphric. minor.* Mauritaniæ & Numidiæ succedit Aphrica minor, quæ quondam pugnauit cum Romanis pro imperij dignitate. Huius Aphricæ caput Carthago à Didone condita post Troianum bellum: Fuit autem hæc ciuitas constructa in quodã loco seu colle eminenti, qui vocabatur mons Mercurij: poterantq; Romani ab Ostia ciuitate Tiberis, biduo, flante vento, ad Carthaginẽ nauigare. *Carthago.* *Mons Mercury.* Post tertium bellum Punicum, Romani in formã prouinciæ Carthaginem redegerunt: & Masinissæ commissa est à populo Romano. *Massinissa rex.* Fuerat autem Masinissa Numidarum regulus & in Aphrica primum populi Rom. hostis postea amicissimus vsque in finem vitæ perseuerauit. In medio vrbis arx fuit, quam Byrsam vocauerunt, in cuius vertice Æsculapij templum erat, quod Asdrubalis vxor capta vrbe secum concremauit. Arci portus subiacebat. In initio belli trecentas vrbes in Libya habuerunt. Anno ab vrbe condita 602. tertium bellum Punicum factum est. *Excidium Carthaginense.* Primum autem coegit Carthaginenses decedere Sicilia & Sardinia: & per continuos viginti annos persoluere Romanis puri argenti tria millia talentorum. *Tria bella Punica.* Deinde anno ab vrbe condita 534. bellum Punicum secundum, illatum est Romanis per Hannibalem Carthaginensium Ducem. Cum itaque senatus Romanus Carthaginem delendam censuisset: profecti Consules in Aphricam castra prope Vticam tenuerunt. Ibi Carthaginenses euocati, iussiq; arma & naues tradere, illico arma tradiderunt. Deinde consules cum aliqoantam muri partẽ diruissent, à Carthaginensibus sunt repulsi. *Carthago igne consumpta.* sed Scipio Scipionis Aphricani nepos, tribunus militum, repulso intra muros hoste, defendit oppressos: tandem viriliter pognãs, Carthaginem diruit; arsit enim ipsa ciuitas 17. diebus: dirutaque est omni murali lapide in puluerem comminuto: viginti duo milla passuum amplexa muro: tota pene mari cinge-

Aphrica. cingebatur absque faucibus, quæ à tribus millibus passuum aperiebantur: qui planè loris murum triginta pedes latum habuit: saxa quadrato in altitudine cubitorum 60. Arx illa fortissima concidit: atque ita Carthago septingentis annis postquam condita erat, deleta est: inde vocatus est Scipio Aphricanus minor. *Vandali Carthaginem occuparunt.* Permansit autem Carthago in fauillis 22. annis: deinde à Romanis instaurata, non tamen in ea vt prius magnificentia. Postea anno Christi 443. Vandali Carthaginem occuparunt 96. annis, qui à Belisario sub Iustiniano Imperatore Carthagine pulsi sunt, Gilimire rege argentea catena vincto, & in Constantinopolim ducto. Paulo post sub Heraclio Persæ Carthagini magna damna intulerunt: deinde ann. 608. Saraceni magna potentia egressi de Arabia, totam exteriorem Aphricam occupauerunt, Carthaginem deuastantes. Multa ergo illa imperialis ciuitas, tot insignibus & illustribus viris ornata sustinuit incommoda: clades perpessa est, direptiones pertulit. *Tunis ciuitas.* Tunis ciuitas vna ex vetustioribus Aphricæ ciuitatibus, in sinu Carthaginensi posita, è regione Siciliæ, quam Saraceni fecerunt sibi regiam, & S. Lodouicus rex Galliæ expugnauit: ex ruinis Carthaginis plurimum ampliata est, atque decorata: est *S. Ludouicus rex Galliæ. Paulus Tritonia.* in regno Tunetano Paulus Tritonia, vbi Minerua apparuisse dicitur, quæ alio nomine Pallas interpretatur. Hæc Iouis primogenita fuit: ipsa prima lanificium inuenit: hæc ipsa vsum olei adinuenit & docuit: ipsa sapientiæ dea, & artium inuentrix dicitur. Sunt circa finem Aphricæ versus Ægyptum duo periculosissima loca, nempe arenosa in mare, *Syrtis quid sit.* Syrtes propter aquas reciprocas dicta; significat enim σύρειν trahere: siquidem in his locis est magna maris & terræ inæqualitas; nam in vno loco est magna maris profunditas: & in alio mare est vadosum. Etenim spirante vento, cumulus arenæ qui supra mare fuerat, in profundissimas residet valles: & qui deprimebatur, mox super aquas erigitur. Sane ad hunc modum affluxu & refluxu maris ad viginti aliquando miliaria arena transfertur: vnde fit, vt vbi hodie fuit vadosum, cras fit profundissimum: si naues inciderint in arenosos cumulos, naufragium euadere nequeunt. *Minor & maior Syrtis.* Minor Syrtis à Carthagine trecentis millibus passuum distat: maior vero quadringentis viginti quinque millibus. Iuxta minorem Syrtim sita est ciuitas Tacaps cuius agri vites bis in anno fructum reddunt. *Vites bis in anno fructum reddit.* In Aphrica minori raro pluit; sed copiosus descendit ros matutinus irrigans superficiem terræ. *Cyrene.* Cyrenaica regio à metropoli Cyrene vrbe maxima, nomen accepit, quæ in campo quodam adeo edito iacet, vt nauigantes eam videre valeant. Fuit ædificata à Batto quodam Laconico, ob regionis bonitatem: fuit aliquando sub regibus Ægypti: veniens autem in manus Romanorum, facta est prouincia, cum Creta coniuncta: ab hac ciuitate tota prouincia Libya Cyrenea dicta est. *Pentapolis* A Plinio vocatur Pentapolis, propter quinque vrbes quę in ea inueniuntur, quarum hæc sunt nomina, Beronice, Arsione, Ptolomais, Apollonia, ipsaque Cyrene. Abundat ipsa vrbs Cyrene scaturiginibus fontium, hortis, & arboribus, *Cyrenensium viri eruditi.* mireque amœnitate ager eius ornatur. Altior est Ægypto, suoque circuitu octoginta stadia habet. Cyrenenses fuerunt Aristippus Socraticus, Cyrenaicæ philosophię author, & Areta eius filia, quæ patri successit in schola, Callimachus poeta, Eratosthenes Mathematicus, Synesius orator. Iudæi quoque qui translati fuerant à rege Assyriorum, ibi habuerunt Synagogam, *Simon Cyrenensis.* vnde Simon Cyrenensis qui portauit crucem post dominum Iesum. Cæterum, illa fertilitas non extenditur vltra tria vel quatuor miliaria à mari versus Atlantem: desinit tandem in sterilem arenam: nutrit hæc regio versus montana leones, onagros: habet aspides & basiliscos. *Basiliscus.* Est autem basiliscus genus serpentis, habetque in capite candidam maculam, qua ceu diademate quodam ornatur: habetque acutissimum caput, os rubeum, oculos & colorem ad nigredinem vergentes: sibilo omnes fugat serpentes: frutices afflatu exsiccat, exurit herbas: rumpit saxa: inficit aerem vbi manet: vt sine exitio aues prætervolare nequeant. homines solo aspectu interficit: palmam non excedit. quemlibet tamen magnum serpentem solo halitu necat: in latibulo iacens totam interimit ciuitatem. colore albus, cauda intersecta duabus nigris lineis, omnium serpentum atrocissimus. Marmarica regio in Aphrica: ab occasu *Marmarica fertilitas.* habens Cyrenaicam: à septentrione mare mediterraneum: ab oriente Ægyptum, à meridie Libyam: habet terram asperam & squalidam, similiter & populum incultū & rudem, vocaturque Libya exterior. Porro, Aphrica minor ab Ægypto, Cyrene, & Marmarica per incultam & arenosam, ac veno squalentem terram separatur. porro, Marmarica exterior & maritima adeo fertilissima est, vt vnum semē multiplicetur in ducenta, & aliquando in quadringenta. Sed quia agri animalibus venenatis exuberant, tegunt agricolæ *Aphricæ regiones.* pedes & crura ocreis & aliis tegumentis ex pellibus factis. Apud illos inuenitur melilotus arbor, ex qua vinum conficiunt. *Melilotus arbor ex qua fit vinum.* Porro, Marmoridæ interiores nullis subsunt legibus: latrocinijs semper intenti: victu ferarum more contenti, nihil domesticum edunt: pellibus caprarum teguntur. loca mediterranea arenarum cumulis referta, serpentes habet, *Cerastes.* qui Cerastes vocantur. In Marmarica interiori olim fuit Ammonis templum, id est, Iouis arenarij templum: est enim Græcis ἄμμος arena. *Ammonis templum. Cambyses.* Cambysen rex Persarum audiens templum illud magnificis donis locupletatum, misit exercitum qui templum spoliaret, sed quinquaginta millia hominum in arena suffocata sunt. Aliquot deinde annis Alexander magnus veniens in Ægyptum, statuit adire templum Ammonis: veniens ad idolum post immensos labores, consuluit Ammonem, an totius orbis imperium fatis sibi destinaret: vates respondit: terrarum omnium fore rectorem, inuictumque mansurum, donec excederet ad Deos. *Alexander magnus consulit Ammonem.* Oblatis itaque donis, rediens in Ægyptum Alexandriam inter Mareotim paludem, & mare mediterraneum ædificauit. Porro, inter vastam solitudinem templum Ammonis *Aqua solis* ita ramis ambientibus contectum est; vt sol in densam cadat vmbram. multi fontes dulcibus aquis passim manantibus alunt syluas: cœli quoque mira temperies, verno tempori maxime similis omnes anni partes pari & firma salubritate percurrit. Habet Ammonis nemus in medio fontem, aquā solis vocant, quæ sub lucis ortum tepida manat: media die cum vehemens est calor, frigida eadē fluit: inclinata ad vesperam calescit: & media nocte feruida exæstuat. Hæc quidem de Africa minori de interioris vero Africę populis, dixi, quod Æthiopiæ nomen habent, & alicubi Indiæ, cuius prima pars est Libya interior, in qua sunt Getuli & Garamantes. *Getuli.* Getuli asperi & inculti olim erant, quibus cibus erat caro ferina: lege & imperio alicuius non regebantur. vagi, palantes qua nox coegerat, sedes habebant. *Garamantes.* Garamantes grandis & inculta natio, Senegæ regionis nomen id temporis acceperunt. Nigris fluuius, qui nunc Senega, cui eadē natura quæ Nilo, hos à Getulis dirimit.

De Senegæ fluminis regione.

Senega fluuius. Senega fluuius determinat Nigritas ab Azanegis: desertum ab irrigua & feraci terra: trans flumen illud homines sunt nigerrimi, proceræ staturæ, aptissimi corporis: & omnis illic regio viret & vernat pomiferis arboribus referta. At citra fluuium, homines sunt subcinericei coloris, contractæ staturæ. flumen autem Senega à Nilo deriuari quidam arbitrantur, nam quemadmodū ille Ægyptum, ita plana iste Æthyopiam fœcundat. *Nigritæ.* Porro, Nigritæ qui primo loco regnum Senegæ obtinent, hi sunt in introitu regni Æthiopiæ: inopes, nullas habent vrbes, carent lapidibus: & angusta est regio: omnibus licet tot vxores sibi copulare siue ducere, quot alere potest. Itaque, *Regnum Senega.* regnum Senegæ Nigritarū introrsus orientē versus conterminum est regioni Tuchmoræ: & ex parte meridionali regnum habet Cambriæ: ab occiduo autem Oceanum: à septentrione vero, Nigro flumine clauditur. Incolæ non habent vinum, triticum, hordeum, neque auenam; sed milium, fabam & pisum, quæ seminant in Iulio & paulo post metūt in Septembri: eorum potus est succus palmæ, lac, & latices: *Succus ab arbore inebrians.* illa autem arbor anno continuo succū instar lachrymarum emittit: vt autem vberiorem habeant succi prouentum, arbores sauciant, & statim prosilit succus, qui excipitur vase aliquo: & serum lactis præsentat: estque eius incredibilis suauitas: & vt vinum inebriat, ni aqua immixta fuerit: qui prima die prouenit ex sauciata arbore est dulcis: sed indies suauitatem amittit, & fit aridum & acre: pascua ibi plurima, & arbores ingentes: lacus plurimi & suaues, & pisces innumeri. *Oleum regionis triplicis virtutis.* Oleum regionis habet odorem violaceum, saporem olei, siue oliuæ, & dapes, vt crocus inficit. Sunt ibi serpentes multi, etiam alati, sed Nigritæ sciunt incantare, & fascinare serpentes. *Animalia Senega.* Habet regio boues, sed nostris minores, hinnes, pardos, lupos, capreolos, lepores: sunt in ea Elephantes syluestres, qui gregatim incedunt, vt in nostris nemoribus apri: scatet regio psitacis, qui mira arte in arbore excelsa faciunt nidos pensiles in surculo tenui, cui serpentes seipsos credere non audent, mole grauati corporea. *Merces Senegensium.* Conueniunt Senegenses die Lunæ & Veneris in pratis quibusdā ad suas nundinas, in quibus vendunt pannos bombicinos, legumina, oleum, milium, pelues ligneas, storias palmarum folijs cōplicatas, & alia complura à mulieribus venduntur: a viris autem aurum & arma: permutant omnia pro altera

re, quia

Aphricæ regiones. re, quia pecuniam signatam non norunt: equi ibi non sunt, & præ nimio æstu viuere nequeunt. Porro, non longe à regno Senegæ est regnum Cambriæ, auri feracissimum: *Regnum Cambriæ.* non procul ab eo est promontorium, quod vocatur Caput viride, *Caput viride.* densissimis arboribus, eisdemque toto anno viridibus contectum: est caput admodum eminens, & visu pulcherrimum: incolæ illius regni adorant idola: legem nullam habent: & sunt viri truculentissimi, arcu vtuntur, ac venenatis sagittis. Regio frequens est arboribus, irrigua fluminibus, idcirco fere est inaccessa: meridiem versus est ostiũ Cambræ fluminis, *Cambra fluuius.* cuius latitudo ad quinq; miliaria Italica extenditur, cuius littora ex vtraque parte fluminis conserta sunt arboribus: ex hoc flumine dictũ est regnum Cambræ. Subest regnum regi Melli, *Melli rex.* qui magnus Imperator Neboorum dicitur: vescuntur Oriza & carnibus, vestiunturque bombicinis: habent quoq; Elephantos syluestres. Vltra caput viride & regnum Cambræ, peruenitur ad caput Bonæ Spei, *Caput bonæ Spei.* quod est frons Aphricæ, vbi scilicet Aphrica sensim reflectitur, ad aquilonem & orientem: hic enim continentis Aphricæ finis est, vbi incultum genus hominum. Inter caput Bonæ Spei & regnum Melli multi & varij sunt populi, & quidem incogniti: nam quidam sunt ita feroces, vt cum eis commercium aliquod contrahi non possit: qui vero in psitacorum regione habitant, *Psitacorum regio.* præditi sunt humanitate: ibi vero psitaci, brachium & dimidium, longitudine excedunt, multimodi coloris: Incolæ nudi incedunt: & conficiunt panem ex radice, *Panis conficitur ex radice.* quam ignamen vocant: capillum habent prolixum, barbam & palpebras vellũt: ferunt labrum oris inferius perforatum: & in huiusmodi foramine ponunt lapillos, vt videatur labium gemmatum. Mulieres vero gemini digiti crassitudine labra habent, latissima fronte, & præ grandibus dentibus, eisdemq; instar niuis albicantibus: incolæ quotidie piscãtur, & piscẽ vnum capiunt, qui dolium non mediocri crassitudine excedit: longitudine vero duo dolia superat. Vltra caput Bonæ Spei est regnũ Melindæ, *Regnum Melindæ.* & Zaphla insula, quæ auri fert, & paret regi Mauro, qui in alia insula habitat, nomine Cholo. Sunt in insula Zaphla montes, *Auri fodinæ.* vbi aurifodinæ sunt quã plurimæ estque in eis auri vis ingentissima: vnde tota India & Persia aurũ suum haurit, & nauibus vehit: Habitatores Melindæ vtuntur scripturæ, & lingua Arabica: Nigritæ interiores subsunt Pretoianni. Porro, regnum Pretoiannis non procul à regno Melindæ incipit: *Regnum Pretoianni.* huiusmodi regnum est in India Æthiopica, & non in India Asiatica: conterminum est regno Soldani Ægypti ab vna plaga: ab alia vero regno Melindæ: ab occasu autem pertingit ad Nigritas siue Æthiopes interiores: ab oriente coniungitur mari rubro. Colit hic rex Christum, & habet Euangelium, sed in cæremoniis dissidet à Romana ecclesia: asserunt Philippum Apostolum apud eos prædicasse Euangelium. *Philippus Apostolus Eis regno prædicauit.* Regnum Pretoiannis, vt quidam dicunt, amplissimum est: excellitque in diuitiis, auro, argẽto, & lapidibus pretiosis alias terras. Quadraginta reges obediunt Imperatori Pretoianni, quibus aliqui sunt tributarij. Thomas Apostolus sepultus est in regno Æthiopum. *Thomas Apostolus sepultus in Æthiopia.* Cameli & vrsi albi, equi cum duobus cornibus. Mulieres Seorum habent: tres reginæ Amazonum procedunt ad bellum cum infinita mulierum multitudine. Pygmæi sunt boni Christiani, & sunt vbique tuti in Aphrica: rex Pygmæorum *Rex Pygmæorum.* prodedit ad bellum contra aues, eas ipsius vocibus fugant, conseruantq; fructus, quos aues perdere consueuerunt. E regione montis Athlantis insulæ fortunatæ numerantur, *Insulæ fortunatæ.* in omnia frugum genera fœcundæ, in quibus tellus quotannis fruges inarata reddit: imputata floret vinea: aër & venti saluberrimi, vtpote qui nulla paludum graui nebula inficiuntur. Homines in capite tantum pilos habent, in superciliis, palpebris & barba nullos. Herba apud eos nascitur, super quam in faciem cubant, cum satietas vitæ eos ceperit: ac post paruum somnum è vita migrant. Discordia, atq; omnis & corporis & animi ægritudo illis ignota: domos habẽt nemora & deorum lucos: duos habent fontes, *Duorum fontium natura.* vnius aquam qui gustauerit, risu soluitur in mortem: remedium est, ex altero bibisse: felicitatem summam putant his carere rebus, quæ dolorem possent egentibus afferre. Vocantur insulæ Canariæ ob nimiam earum fertilitatem: *Insula Canaria.* numerantur decem: ex quibus tres incultæ iacent, reliquæ inhabitantur: in quibusdam Christus notus est, in quibusdam incolæ idola colunt. Non habent ciuitatem muro cinctam, sed habitant in oppidis non clausis. In Teneriffa insula est lapis Adamantinus, *Lapis Adamantinus.* altitudine nouem miliariorum, qui iugiter fragat instar Ætnæ montis: *Lapis ardet sicut Ætna mons.* homines incolunt cauernas montium, hordeo, carnibus, & caprino lacte victitantes. A Canariis insulis abest Caput album, vbi est sinus maris, & insula Dargin, in qua potum dulcẽ aqua præbet: vasta est ista regio, adeo, vt si ex transuerso metiaris, itinere dierum sexaginta haud consequaris magnitudinem: *Nouæ insulæ.* alluitur ab vna parte oceano. Eius regionis incolæ viuunt hordeo & carioris, quibus vbertim abundant: potus illis camelorum, & aliorum animalium lac. nunquam quiescunt, sed vagantur per deserta: camelorum ingens est illis copia, quibus comportant æs atq; argentum, & quam plurima: exercẽtur magna commercia in insula Dargin, *Dargin insula.* ad quam conueniunt variæ nationes. Sed hic sistat calamus de mundo veteri: & in sequenti capite de nouo loquar.

DE NOVO MVNDO.

De nouo orbe, siue de insulis nouiter inuentis. Author huius nouæ inuentionis extitit Christophorus Columbus *Columbus.* prope ciuitatem Ianuensẽ, in quodam oppido in edito loco posito natus, vt ipse vidi an. 63. Is in aula Regis Hispaniarum diu diuersatus, animum induxit incognitas orbis partes adire. Assumpto regis auxilium, præparatisq; omnibus ad labores tam longissimi & periculosissimi itineris necessariis, prima Septembris luce an. 1492. *Columbus quando recessit.* soluit ab Hispaniæ littoribus, à Gadibus versus insulas fortunatas, quas nunc Cannarias appellant: inde soluens nauigauit versus occidentẽ, tandemq; inuenit aliquot insulas, quarum alterã vocauit Hispaniam, altera vero Iohannam. *Insula Iohanna.* Veniens autem ad insulam Iohannam, audiuit innumeros auium concẽtus, & inprimis lusciniarũ quæ densissimis inerrabant nemoribus, mẽse Nouembri: vidit quoque limpidissima flumina, eademq; ad potandum suauia, portus magnos & celebres. Deinde conuersa naui ad orientem, venit ad insulã, quæ postea dicta fuit Hispania: *Insula Hispania.* appellensq; terrã, conspecti sunt ab incolis regionis, qui protinus se receperunt in densa nemora. Hispani autẽ persequentes vestigia fugientium, mulierẽ quandam corripientes, ad nauem cum perduxissent, vino & obsoniis repletã, & eleganter vestitam, ad suos remiserunt, nam ipsi nudi incedentes, humaniores ignorabant delicias. Veniente itaq; muliere ad suos, tali humanitatis, atq; liberalitatis exemplo alij inuitati, cateruatim ad nauẽ properant in ollis testaceis & vasis vitreis aurum secum ferentes: aurum pro nouis illis vestibus permutare cupientes. Contracta itaq; amicitia, cog, noscentes vtrisq; incolarũ moribus, deprehenderũt eos regẽ habere, à quo honorifice sunt excepti. Lustrantes autem eorũ domibus, viderunt eas miro modo sine ferro constructas: omnes enim ferro carent. *Hispani recipiuntur ab incolis.* Loco panis vtuntur incolæ regionis radicibus quibusdam, quæ saporem habent quem nuclei recentes: castaneæ aurum in auribus appensum ferunt: non exercent commercia, nec fines suos egrediuntur. *Auri abundantia.* aurum legunt in arenis cuiusdam fluminis, quod ex altissimis montibus deriuatur, deinde fundunt in trulla, demum in laminas. Non habent quadrupedia, nisi cuniculos: serpentes vero sunt ibi immensæ vastitatis, *Serpentes innoxij.* sed innoxij: sunt quoque syluestres turtures, anates, anseres, nostris proceriores, psitaci quam plures, alij coloris prasini, fului alij: alij vero Indis non absimiles. Insuper, insula gignit masticen, aloe, & alia quæ sunt his non dissimilia. Cæterum, Columbus dimissis apud regem insulæ triginta octo viris, qui mores regionis explorarent, & idioma addiscerent, ipse lætus reuersus est in Hispaniam, assumptis secum decem viris illius regionis: læto vultu à rege Hispaniarum excipitur, & nouo nomine donatur, vt deinceps vocaretur Admirans oceanum. *Columbus vocatur admirans.* Paratis denuo nauibus cum omni genere armorum, atq; commeatuũ sufficientia, nec non seminibus frumentis, & plantis diuersis assumptis; prospere peruenerunt ad Canibalorum insulas, vbi homines humanis carnibus vescebantur. Omnibus autem illis insulis relictis, peruenerunt ad insulã Hispaniam, inueneruntq; socios suos trucidatos fuisse à rege, cuius fidei cõmissi erant. Verũ rex dedit debitas pœnas pro tanto in nostros patrato scelere. Lustrantes postea regionẽ, inuenerunt flumina aurifera, & montẽ aurifero sabulo conspersum. *Flumina aurifera.* Quo in loco Columbus ciuitatem condidit, muroq; præcinxit: atq; hinc digressus, totam fere lustrauit insulã, & in interioribus arcem construxit, *Ciuitas condita à Columbo.* minasq; auri ibi explorauit. Paulo post inter Insulanos & Hispanos orta est discordia: quia Hispani dum quærerent aurum, radices euellebant, quibus insulani panem conficere consueuerant: lis ergo composita est, vt singulo trimestri, auri quædam pondera Hispanis soluarent: qui vero aurum nõ habebant, pendebant aromata. Anno 1501. Bimestri legerunt supra duodecim mille libras auri. Columbus autem relicto fratre suo Bartholomæo in præfectum insulæ, in Hispaniã redire constituit, vt regem Hispaniarum de rebus quæ agebantur, & de statu insularũ certiorem faceret. Deinceps Ca-

Ecclesię continuata successio.

Populus simplicissimus.

bunt. Inde abeuntes inuenerunt insulam, vbi populus simplicissimus est & benignus: aquam dulcem non habent, sed colligunt rorem nocturnum decidentem soper certis folijs, auriculis asini similibus. Viuunt ex piscibus maris: nulla habent rura, aut domos, sed habent folia quædam grandia, sub quibus à solis feruore, sed non ab imbribus se protegũt. Insula relicta, venerunt ad insulas Gigantum: ingressi enim casas quasdam, inuenerunt duas vetulas & tres iuuenculas maximæ staturæ; interim superuenerunt 36. viri adhuc multo maiores mulieribus, ferentes arcus & sagittas, necnon & sudes magnas instar clauarum: ex quorum conspectu nostri territi, naues repetebant. Insequentes vero Gigantes vsque ad mare, cœperunt sagittas vibrare in Hispanos, quousque illi duas machinas in eos dirigentes, terribili sono in fugam eos verterunt. Inde recedentes venerunt in terram, vbi amice suscepti sunt: plures vniones pro leui pretio emerunt. Obtulerunt quoque quasdam Ostreolas, vbi in quibusdam centum & triginta vniones inueniebantur.

Vnionum copia.

Tertia Vespucij nauigatio.

Inde recta ad Calicium Hispaniæ nauigarunt. Anno 1502. 12. Maij ex mandato regis Portugaliæ, soluit Vesputius à portu Lisbonę: peruenitque ad æquatorem. Decimaseptima Augusti peruenerunt ad terrã, in qua homines multi erant bestijs prauiores. sita est terra illa quinque gradibus vltra æquatorem. Homines illius regionis crudelissimi, tres Hispanos ad eos egressos interfecerunt: duos comederunt: & iuuenem quendam egressum ad colloquendum cum mulieribus, in frusta ipsæ mulieres discerpserunt; sed eandem pœnam illæ mulieres passæ sunt ab hominibus illius regionis. Hinc vltra progressi venerunt vltra Tropicum Capricorni, vbi polus meridionalis eleuatur 32. gradibus. Deinde nauigarunt versus Austrum, donec polus ille attolleretur 52. gradibus. sed tempestatem illius maris ferre non valentes, redierunt Lisbonam. Anno Domini 1503. dispusuerat Vesputius quarto nouas insulas quærere, præsertim Melcham in oriente positam, vbi est statio nauium, quę à Gangetico sinu, & ab Indico mari adueniunt. Venie autẽ primum ad virides insulas, ac inde peruenit ad Seralionam australem Æthiopiæ terram. Vnde paulo vlterius progressus, vidit insulam in medio mari altam & admirabilem, inucltam tamen, & plenam auibus, muribus, lacertis, & serpentibus, in qua præfectus nauium suam nauem perdidit; illisa est enim ad scopulum: & nautis euadentibus, quæ classi necessaria erant, perierunt. ac proinde coacti sunt Lisbonam repetere Poren, nostro tempore in huius insulas frequens est nauigatio, propagataque est religio Christiani nominis, & fidei catholicæ, cui benedixit Deus. Amen.

Quarta Vespucij nauigatio.

DE GENEALOGIA SIVE continuata Ecclesiæ Catholicæ successione.

Hactenus de situ terræ, eiusque regionibus, ac diuersarum gentium moribus, denique de multis ragnis & regibus, atque incolis terrigenis, clare & compendiose, fauore diui Pymandri, locutus sum. Par est, vt posthac de incolis non terrigenis, sed plane cælestibus, quorũ conuersatio est in cælis, nempe de summis Pontificibus Romanæ ecclesiæ loquar; ne huic libro tantorum principum, & quidem cælestium insignis honorandaque genealogia deesse videatur. Septima ætas mundi, & nouissima hora initium sumpsit à primo CHRISTI aduentu: durabitque vsque ad secundum, cuius temporis iam agitur annus 1586. 27. Augusti. IESVS CHRISTVS Pontifex maximus in æternum manens, natus anno 42. Augusti: baptizatus anno 15. Tyberij. & crucifixus anno 18. eiusdẽ. Paulo antequam ascenderet in cælum, dixit Petro: *Simon Ioannis, diligis me plus his? Pasce oues meas.* Quibus potissimum verbis Simon filius Ioannis, iam ante à Christo nominatus Petrus, seu Cephas, omnium discipulorum primus, ac summus Ecclesiæ totius pastor est constitutus, anno à Christi natiuitate 33. Iulius Cæsar primus Imperator præcessit CHRISTI natiuitatem, regnauitque annos 5. menses 7. Octauianus Augustus annis 56. Tiberius annos 22. alias 23. Caius Caligula annos 3. menses 10. dies 18. Anno Domini 38. S. Petrus sedit Antiochiæ septem annis, vt Damasus in Pontificali tradit, & Gregorius lib. 6. epist. 37. Anno Domini 44. S. Petrus sub Claudio & Nerone, Romanam fundauit ecclesiam, primusque in ea sedit circiter annis 25. licet sæpius ab vrbe abfuerit. Claudius Imperator regnauit annos 13. menses 9. dies 28. Nero annos 14. menses 9. S. Petrus antequam crucifigeretur, S. Marci Euangelium approbauit, ipsumque misit in Alexandriam. Galba Imperat. post Neronem menses 7. Clemens Romanus à S. Petro pontifex Romæ ordinatus, ab administratione Pontificatus abstinuit vsque ad mortem Lini & Cleti, quod ipse etiam S. Petrus prædicationi & orationi vacans, curam summi Pontificatus, dum viueret, demandasset.

Septima ætas mundi.

Christiana ætas.

S. Petrus primum pontifex.

Prima persecutio ecclesiæ.

2. Linus.

Secundus Pontifex Rom. Linus Herculani filius Vulaterranensis, Tuscus, sedit an. 11. men. 3. dies 12. Otho Imperator an. 1. men. 3. Vitellius menses 7.

3. Cletus.

Anno Domini 77. Cletus tertius Pontifex Æmiliani filius Romanus de regione Exquilina sedit annos 6. men. 5. dies 3. Vespasianus Imper. an. 9 men. et dies 22. Titus an. 2. men. 8. Domitianus an. 15. men. 4. Secunda persecutio Ecclesiæ. Nerua an. 1. men. 4. dies 8.

Secunda persecutio.

4. Clemens

Clemens Faustini filius Romanus, de regione secunda cæli montium, sedit an. 9. men. 4 dies 26. Tunc fuerunt, Ebion, Cerinthus, Nicolaus Antiochænus hæretici.

5. Anacletus.

Quintus pontifex Anacletus, Antiochi filius, Atheniensis Græcus, anno domini 84 sedit an. 12. men. 2. diet 10. Quo tempore fuerunt, Saturninus, Basilides, Carpocrates hæretici. Imp. Traianus an. 19. men. 6. dies 5. Tertia persecutio Ecclesiæ.

Tertia persecutio ecclesiæ.

6. Euaristus.

Sextus Pontifex Euaristus anno domini 96. Bethleemites sedit an. 13 men. 3.

Quarta persecutio.

7. Alexander.

Septimus Alexander Alexandri filius Romanus, ex vico capite Tauri an. 109. sedit an. 7 men. 5 dies 19. Adrianus Imper. annos 21.

8. Xistus.

Octauus Xistos pastoris filius Romanus, de regione Via Lata, anno domini 117. sedit an 9 men. 10 dies 19.

9. Telesphorus.

Nonus Telesphorus Anacoretę filius Grecus, anno domini 127. sedit an. 10 men. 8. dies 28. Eo tempore extiterunt Ophitæ, Caiani, Sethiani, Nazaræi hæretici, contra quos scripserunt: Irenæus, Iustinus in admonitorio cõtra gentes.

10. Hyginus.

Decimus Hyginius Philosophi filius Atheniensis Græcus, anno domini 138. sedit an. 4. Antonius Pius Imperator an. 23 men. 3. Tunc Gerdon, & Marcion, Archontici, qui dicebant rerum vniuersitatẽ ab Archangelis factam. Valentinus, qui asserunt quoddam Chaus ab initio fuisse, & Christum de cælo carneum attulisse.

11. Pius.

Vndecimus Pius Rufini filius Aquileiensis, anno domini 147. sedit an. 11. men. 5 dies 17. Hæret. Bardasanes, ex schola Valentini discipulus.

12. S. Anicetus.

Duodecimus S. Anicetus, Ioannis filius, de vico Humisia Syrus. sedit ann 9. men. 8. dies 24. Imper. M. Antonius Verus cum L. Aurelio annis 19 men. 1. Fidei aduersarij, Tatianus, qui nuptias, & carnium comestionem damnauit Princeps fuit, Encratitarum id est, continentium. Alius aduersarius Seuerus, qui cum Encratitis consentit.

13. Soter.

Tertius decimus Soter Concordij filius, Fundanus latinus, anno domini 163 sedit an. 7 men. 11. dies 18. Imper. Antoninus Commodus, an. 13. Aduersarij Hydoparastæ, qui aqua sola in mysterijs vtebantur. Apelles Marcionis discipulus, qui carnis resurrectionem negabat. Adamiani, Alogi, Ascondrogitæ.

14. Eleutherus.

Quattusdecimus Eleutherus Abundi filius, Nicopolitanus Græcus, anno domini 171. sedit an. 15. dies 15. Aduersarius Montanus adiunxit sibi Priscillam & Maxillam, velut prophetissas suas.

15. Victor.

Quintusdecimus Victor, Fœlicis filius Apher, anno domini 189. sedit annos octo. Aduersarij Cataphryges, qui dicebant Spiritum plura docuisse in Mõtano, quam Christum in Euangelio. Imper. Ælius pertinax men. 6. Iulianus Iurisperitus men. 7. Seuerus pertinax ann. 18.

Quinta persecutio.

16. Seuerinus.

Sextusdecimus Seuerinus Nabundij filius Romanus, sedit annos 10 dies 17. Anno domini 198. Imperator Caracalla annos 6. men. 2. Aduersarij Helcesaitæ, qui dicebant fidem oretenus negare, cum necessitas vrgebat, indifferens esse.

17. Callistus.

Decimusseptimus Calistus Domitij filius, Romanus, de vico Rauennatum, sedit an. 5 men. 1. dies 13. Anno 218 Imperat. Aurelius, Antonius Heliogabalus annis 4.

18. Vrbanus.

Decimusoctauus Pontifex Vrbanus Pontiani filius Romanus, sedit annis 7. men. 7. dies 5. anno domini 223. Imp. Diadumenus, Macrinus, Albius, Edax 20. 1.

19. Pontianus

Decimus nonus Pontianus Calphurnij filius Romanus, sedit an. 5 men. 5. dies 2.

20. Anterus.

Vigelimus Pontifex Anterus, Romuli filius, Græcus, sedit men. 1. dies 14. Imperator Alexander Seuerus annos 13. anno domini 236.

21. Fabianus

Vigesimus primus Fabianus Fabij filius, Romanus, anno domini 217. Idem Fabianus anno domini 146 sedit an. 14 dies 6. Imperator Maximus an. 3. Sexta persecutio. Imperator Gordianus an. 6. Imperator Philippus, primus ex Imperatoribus christianus, an. 5.

Sexta persecutio

Septima persecutio.

Porro, anno domini 249 post mortem Fabiani vacante Romana sede, Presbyteri & Diaconi Ecclesiæ Romanæ ad tempus aliquod vniuersalis Ecclesiæ curam gesserunt. Decius Imperator, an. 1. anno domini 250.

22. Cornelius

Cornelius Castini filius. Romanus, 22. Pontifex. Aduersarij Nouatiani, seu Cathari. Concilium maximum Romæ cogitur sub Cornelio Papa.

23. Lucius.

Lucius Porphyrij filius, Romanus, anno domini 253. sedit an. 1. men. 3. di. 13. Imper. Gallus & Volusianus, ann. 2. men. 4. Æmilianus men. 3.

24. Stephanus.

Vigesimus quartus Stephanus, quem diuus Hieronymus in dialogo contra Luciferanos, vocat 26. à beato Petro, sedit an. 3. men. 3. dies 24. Sub Cornelio fuit Concilium Carthaginense, de rebaptizandis

Ecclesię cōtinuata succeßio. zandis hæreticis. Denique persecutio illa septima sub Gallo &
Volusino. Anno domini 255. Sabellius Apher Pentapolita-
nus, Hermogenis sectator male sensit de Trinitate. Valeria-
Octaua persecutio. nus & Galenus an. 15. Hictachas, nuptias nō admisit: & ideo
cum solis continentibus versabatur. Paulus Samosatenus
dicebat Christum esse purum hominem. Vigesimus quin-
25. Xistus. tus Xistos iunior, Philosophi filius Atheniensis Græcus, se-
dit an. men. 10. dies 23. anno domini 258. aduersarius fidei
26. Dionysius. Manes Persa, vnde Manichæi. Vigesimus sextus Dionysius
monachus, sedit an. 10. men. 5. dies 5. anno domini 260. Im-
Nona persecutio. per. Claudius an. 1. men. 9. Quintilius diebus 17. Aurelianus
27. Fælix. an. 5. men. 6. Vigesimus septimus Fœlix Constantij filius,
Romanus, sedit ann. 4. men. 5. anno domini 274. Imp. Taci-
tus, men. 6. Florianus men. 2. di. 20. Vigesimus octauus Eu-
28. Eutychianus. tychianus Maximi filius, Lunensis, Tuscus, sedit ann. 8. men.
6. di. 4. Imperator Probus ann. 6. men. 4. Carus cum Carino
& Numeriano ann. 2. anno domini 275. Porro, anno do-
29. Caius. mini 283. Vigesimus nonus fuit Caius Cai filius, Salonensis
Decima persecutio. Dalmata, sedit ann. 12. men. 4. di. 6. Imper. Diocletianus &
30 Marcellinus. Maximianus, an. 20. Trigesimus Marcellinus Proiecti filius,
Romanus, sedit ann. 7. men. 9. di. 26. anno domini 296. Im-
per. Constantinus primus. Cæterum, anno domini 304.
31 Marcellinus. Trigesimus primus Marcellinus, Benedicti filius, Romanus,
de regione Via Lata, sedit ann. 5. men. 6 di. 21. Imper. Gale-
rius ann. 16. anno autem domini 309. Trigesimus secundus
32. Eusebius. Eusebius, Medici filius, Græcus, sedit ann. 1. men. 7. di. 27.
Imp. Maxentius & Maximinus ann. 6. anno domini 311. Tri-
33. Melciades. gesimus tertius Melciades Apher, sedit ann. 3. men. 2. qui in
epistola ad Episcopos Hispaniæ, dicit Spiritum sanctum su-
per aquas baptismi salutifero descendere illapsu. anno do-
34. Syluester. mini 314. Trigesimus quartus S. Syluester Rufini filius:
tunc Donatistę, qui dicebant Catholicam ecclesiam esse a-
pud se. Sub eodem Pontifice, & Imperatore Constantino
primo, fuit Arriana heresis. Eodem tempore sub Syluestro
celebrata est prima Nicæna Synodus, ex 318. Episcopis. Se-
dit sanctus Syluester ann. 20. di. 4. Constantinus vero ann.
35 Marcus 30. men. 10. Anno domini 314. Trigesimus quintus Marcus,
Prisci filius, Romanus, sedit men. 8. di. 12. anno domini 336.
36. Iulius. Trigesimus sextus Iulius, Rustici filius, Romanus, sedit ann.
24. men. 5. di. 18. Imper. filij Constantini Magni, Constan-
tinus, Constans & Constantius, ann. 24. Tunc Eunomius
docebat filium per omnia esse dissimilem patri. Tunc Ma-
cedoniani à Macedonio vrbis Constantinopolitanę Epi-
scopo, docebant Spiritum sanctum non esse Deum. Tunc
Antropomorphitæ, qui partes humani corporis Deo tri-
buebant. Anno domini 348. Constantius fit Arianus. Por-
37. Liberius. ro, anno domini 352. Trigesimus septimus Liberius, Augu-
sti filius, Romanus, sedit ann. 15. men. 4. di. 17. Tunc Luci-
feriani, qui negabant Episcopos lapsos in heresim, posse ab
Ecclesia recipi, Anno domini 366. Fœlix Anastasij filius,
Romanus, sedit in schismate, dum adhuc Liberius viueret;
38. Damasus. fuit enim biennio in exilio. Trigesimus octauus Damasus,
Antonij filius, Lusitanus, sedit, ann. 18. sub Damaso. Anno
Concilium Constantinopolitanū contra Macedonium. domini 381. celebrata est secunda Occumenica synodus
Constantinopolitana, contra Macedonium. Imper. Iulia-
nus apostata ann. 1. men. 8. Iouinianus men. 8. Valentinia-
nus cum Valente fratre Ariano, ann. 13. men. 5. Anno do-
Doctores Ecclesiastici ante Episcopatum trecentesimū & quadringentesimū annum fuerunt. mini 384. Apollinaria dicebat Christum suscepisse carnem
sine anima. Seleucius dicebat materiam elementorum
Deo coæternam angelos de igne & spiritu creare animas.
Impera. Gratianus cum Valentiniano 2. ann. 6. cum ipsis,
& post ipsos, Theodosius primus ann. 11. Iustina Valenti-
niani iunioris mater, & ipsa Ariana fuit, & filium infecit.
Anno domini 384. fuerunt Priscillianistæ. Priscillianus
episcopus Cæsaraugustę, vna cum Instantio & Saluiano
episcopis, sententia Maximi, Treteri capitis damnantur.
39. Syricius. Anno domini 385. Trigesimus nonus Pontifex Syricius
Tiburtij filius, Romanus, sedit ann. 13. men. 1. die. 25. Tunc
erant Iouiniani, qui dicebant omnia peccata esse equalia:
& negabant intemeratam matrem Christi virginē in partu
40. Anastasius extitisse. Anno domini 388. Quadragesimus Anastasius
Maximi filius, Romanus, sedit ann 3. Impera. Archadius
& Honorius ann. 13. Anno domini 402. Quadragesimus
41. Innocentius. primus Innocentius, Innocentij filius, Albanus, sedit ann.
15. Halaricus Gotthorum rex Romam expugnat, & diri-
42. Zozimus. pit. Anno domini 416. Quadragesimus secundus Zozimus
Cappadox, sedit ann. 2. men. 4. di. 7. Heluidius aduersarius
fidei, qui volebat eiusdem esse gloriæ virgines & marita-
tas. Vigilantius impugnat cleri cœlibatum, adeo vt Epi-
scopi sceleris Vigilantij consortes, non ordinarent Diaco-
nos, nisi prius vxores duxissent. Anno domini 419. Qua-
43. Bonifacius. dragesimus tertius Bonifacius Iucundi filius, Romanus, se-
dit ann. 4. men. 9. di. 28. Anno domini 423. Quadragesimus
quartus Cœlestinus Prisci filius, Romanus, sedit an. 8. men. *Ecclesię cōtinuata succeßio.*
10. di. 17. Imper. Theodosius iunior an. 27. Valentinianus
tertius an. 30. Pelagiani & Cœlestiani de peccato originali,
& de baptismo paruulorum, quos negabant in Adam pec-
casse. Pelagius fuit Brito, habebat discipulum nomine Cœ- *44. Cœlestinus.*
lestinum, vterque docuerūt, peccatum ex primo homine in
alios non propagatione, sed imitatione transisse. Quadra- *Pelagius & Cœlestinus.*
gesimus quintus Xistus Romanus, sedit an. 7. men. 11. Con- *Synodus celebratur contra Nestorium Ephesi.*
cilium Mileuit. Anno domini 440. Leo magnus quadrage-
simus sextus Pontifex, sedit an. 20. men. 1. di. 13. Quarta Sy-
nodus Occumenica sub Leone Chalcedoni celebrata est,
contra Euthychianos. Imperator Martianus ann. 7. Anno
domini 461. Hilarius 47. Pontifex, Crispini filius, Sardus, *45. Xistus.*
sedit an 6 men 3 di. 10. Imperator Leo primus an. 16. Aduer- *46 Leo Magnus*
sarius fidei Nestorius, qui dicebat Christum hominem tan-
tum in vtero virginis fuisse conceptum: deinde Deum ho- *47. Hilarius.*
mini fuisse permixtum. Theodorus Mopsuetenus, quater-
nitatem pro Trinitate impie dogmatizauit. Anno domini
467. Simplicius Castini filius Tiburtinus, 48. Pontifex, sedit *48. Simplicius.*
an. 15. men. 6. di. 23. Imp Zeno an. 17. Aduersarius fidei Euty-
ches presbyter, qui dicebat duas naturas, vnam factam in
Christo: denique corpus Christi, quod assumpsit de beata
Virgine, non esse nostrę substantię. Anno domini 483. Fœlix *49. Fœlix.*
secundus iunior, vocatus 3. Roman. sedit an. 8. men. 11. di. 8.
Imperat. Anastasius an. 26. Eutychianus. Anno domini 492.
Quinquagesimus Pontifex Gelasius Valerij filius, Apher, se- *50. Gelasius.*
dit an. 4. men 8. di. 19. Anno domini 496. Anastasius secun-
dus iunior, Petri filius, Romanus, sedit an. 1. men. 11. di. 24. *51 Anastasius.*
Anno domini 498. Symmachus Fortunati filius, Sardus, se-
dit an. 15. men. 7. di. 28. Anno domini 514. Quinquagesimus *52. Symmachus.*
tertius Pontifex Hormisda Iusti filius. Frusinonius Cam- *53. Hormisda.*
panus sedit an. 9. di 17. Imperator Iustinus primus an. 8. Eu-
tychiani in duodecim sectas diuisi sunt. Zenon & Anasta-
sius Imperatores voluerunt quandam pacem imaginariam
facere inter Catholicos & Eutychianos: sed ad nihilū va-
luit: Quæ enim conuentio Belial cū Christo? Cuius rei gra-
tia tempore Anastasii Imperatoris Concilium Chalcedo-
nense publice in ecclesiis non prædicabatur, neq; reijcieba-
tur ab omnibus. Anno domini 523 Pontifex 54. Ioannes *54. Ioannes.*
Constantij filius, Tuscus, sedit an. 2. men. 9. di. 16. Anno au- *55 Fœlix.*
tem domini 526. successit Fœlix tertius, dictus 4. Castorij fi-
lius, Samnis, sedit an. 4 men. 2. di. 18. An. domini 530. Quin- *56. Bonifacius.*
quagesimos sextus Pontifex Bonifacius iunior, Siggeuultes
filius, Romanus, sedit an. 1. dies 2. Imperator Iustinianus an. *57 Ioannes*
40. Anno domini 532. successit in locum Bonifacij Ioannes *58. Agapetus.*
iunior, Mercurius, Proiecti filius, Romanus, sedit an. 2. men.
4. di. 6. Anno domini 534. Pontifex 58. Agapetus, Gordiani *59 Syluerius.*
filius, sedit an. 2. di. 29. cui successit Syluerius Hormisdæ fi-
lius, Campanus, sedit an. 1. men. 10. di. 7. cui successit Vigi- *60. Vigilius.*
lius Pontifex 60. Ioannis Consularis filius, Romanus, sedit
annos 17. men. 6. di. 26.

De continuata Ecclesiæ succeßione.

ANno Domini 537. quinta Synodus œcumenica *Concilium Constantinopolitanū.*
Constantinopoli celebrata est contra Theodoriti
scripta in Cyrillum, & alios. Anno domini 555. se-
xagesimos primus Pontifex Pelagius, Ioannis Vi- *61. Pelagius*
cariani filius, Romanus, sedit an. 5. men. 10. di. 28. cui succes- *62. Ioannes.*
sit Ioannes Catelinus, Anastasii illustris filius, Romanus, se-
dit ann. 12. men. 11. di. 19. Imperator Iustinus secundus, an- *63. Benedictus.*
nis 11. Anno domini 575. Pontifex 63. Benedictus Bonsus,
Romanus, sedit an. 4. men. 1. di. 29. Imperator Tiberius an- *64. Pelagius.*
nos 7. Anno domini 579. sexagesimus quartus Pelagius iu-
nior, Vnigildi filius, Romanus, sedit an. 10. men. 2. di 10. An-
no domini 590. sexagesimus quintus Gregorius Magnus, *65. Gregorius Magnus.*
Gordiani senatoris filius, Romanus, monachus, sedit an.
13. men. 6. di. 12. Imperator Mauritius annos 9. Surrexe-
runt noui Donatistæ in Aphrica, noui quoque Pelagiani,
quæstio de sacris imaginibus, Armeniorum errores. Impe- *66 Sabinianus*
rator Phocas ann. 8. Anno domini 604. Pontifex 66. Sabi-
nianus Bleianus, Tuscus, sedit ann. 1. men. 5. di. 24. Anno *67. Bonifacius.*
vero 607. Pontifex 67. Bonifacius tertius, Romanus, sedit
men. 8. di. 27. cui successit Bonifacius 4. Valeriensis Mar- *68. Bonifacius.*
sus, sedit ann. 6. men. 8. di. 11. Imperator Heraclius ann. 29.
Sexagesimus nonus Pōtifex Deusdedit, Romanus, sedit an. *69. Deusdedit.*
3. di. 21. Anno domini 619. Pontifex septuagesimus Boni- *70. Bonifacius.*
facius 5. Neapolitanus, sedit ann. 3. men. 11. di. 7. cui succes-
sit Honorius Campanus ann. 12. men. 11. di. 7. Aduersarij *71. Honorius.*
fidei Monothelitæ, qui vnam voluntatem, vnamque actio-
nem & operationem in Christo ponebant. Septuagesimus *72. Seuerinus.*
secundus Pontifex Seuerinus, Romanus, an. 1. men. 2. di. 4.
Anno domini 619 Pontifex 73. Ioannes 4. sedit an. 1. men. 9. *73. Ioannes.*
di. 18. cui successit Theodorus Ierosolymites, sedit ann. 6. *74. Theodorus.*
men. 5.

Romana- men.5.di.18. Anno domini 647. Pontifex 75. Martinus Tu-
na suc- dertinus, Tuscus, sedit ann.6. men.1.di.28. In cuius ciuitate
cessio. ipse composuit commentarios in Mercurium. Imperat.
Constantinus 3.men.4. Constantius 3 ann.28. Aduersarius
74 Marti- fidei Mahumet, qui ex Iudaica & Ariana superstitione no-
nus Tuder- uam sectam condidit, quam amplexi sunt Sarraceni. An.
tinus. ... Eugenius Romanus Pontifex 76. sedit ann.2.
... men.9 di.24. Ann. domini 657. Pontifex 77. Vitalianus Se-
nus. gnius, Volscus, Latinus, sedit ann.14. men.5. di.29. Imperat.
77. Vitalia Constantinus 4. à patre in partem imperij suscipitur, solus
nus. imperat an. 17. Anno domini 672. successit A Deo datus,
78. A Deo Romanus, Monachus, sedit ann.4. men.2. di.15. cui succes-
datus. sit Domnus Pontifex 79. Romanus, sedit ann.5. men.5. di.
79. Donus. 15. Anno domini 679. Octuagesimus Pontifex Agatho, Si-
80. Aga- culus, sedit ann.2. men.6. Anno domini 682. Pontifex 81.
tho. Leo, Siculus, sedit men.10. di.29. cui successit Benedictus 2.
81. Leo Si- Romanus, sedit men.10. di.2. Imperator Iustinianus 2. ann.
culus. 10. Anno domini 685. Ioannes Antiochænus, sedit ann.1.
82. Benedi- di.9. cui successit Conon Thrax, Pontifex 84. sedit men.11.
ctus. Deinde Sergius Tiberij filius, Antiochænus, Syrus, sedit an.
83. Ioannes 13. men.8. dies 23. Leontius imperium inuadit, an.3. quo ex-
84. Conon. pulso, Liberius 3. eligitur, regnat men.7. sed paulo post Iu-
85. Sergius. stinianus imperio restituitur, regnatque ann.6. Agonycli-
tæ, quoties orant, genu flectere nolunt; sed semper stantes
86. Ioan- precantur. Anno domini 701. Octuagesimus sextus Ponti-
nes. fex Ioannes 6. Græcus, sedit ann.3 men.2. di.14. cui successit
87. Ioannes Ioannes 7. Pontifex 87. Platonis filius, Græcus, sedit ann.2.
men.7. di.17. cui successit Sysinnius Ioannis filius, Syrus, se-
88. Sysin- dit di.20. Post ipsum Constantinus Ioannis filius, Syrus, se-
nius. dit ann.8. men.1. di.20. Imperator Philippicus Monothelita
89. Con- an.1. men.6 Anastasius 2. an.3. Theodosius tertius an.1. Anno
stantinus. domini 716. Nonagesimus pontifex Gregorius 2. Roma-
90. Grego- nus, sedit an.14. men.10. di.24. cui successit Gregorius 3. Sy-
rius. 2. rus, qui sedit ann.10. men.8. di.24. Pontifex vero 92. Zacha-
91. Grego- rias Græcus, sedit ann.10. men.8. di.15. Anno domini 731.
rius. 3. Imperator Leo 3. Iconomachus ann.24. sanctorum imagi-
92. Zacha num oppugnator. Nonagesimus tertius Gregorius 4. sedit
rias. ann.5. Nonagesimus quartus Stephanus 2. Romanus, sedit
93. Grego- di.4. Nonagesimus quintus Stephanus 3. sedit ann.5. dies 29.
rius. 4. Nonagesimus sextus Paulus, Romanus, sedit ann.10. men.1.
94 Stepha Nonagesimus septimus Stephanus 4. Siculus, Monachus,
nus 2. sedit ann.3. men.5. di.27. Imperator Constantinus ann. 34.
95. Steph. 3. men.2. di.26. cum Leone 4. filio ann.5 fecit magnam Syno-
96. Paulus dum contra sanctas imagines. Concilium Lateranense à
Stephano celebratur contra Constantinum, statuitur sa-
97. Steph. 4 cras imagines templis reddendas esse. Anno domini 772
Nonagesimus octauus Adrianus, Romanus, sedit an.23.
98. Adrian. men 10. di.17. Imperator Constantinus 6. cum matre Irene
ann.19. Iren sola ann.4. Transfertur imperium ad Francos.
CAROLVS Magnus annos 14. Synodus septima Con-
stantinopoli contra Iconomachos celebratur, Episcopo-
rum 310. Imperatores Græci, Nicephorus ann.8. men.6.
Stauratius ann.3. Michael 2. ann.2. Leo 5. ann.7 men.5. Anno
99 Leo 3. domini 796. Nonagesimus nonus Pontifex Leo 3. Roma-
100. Steph. nus sedit ann.20. men.5. di.18. Anno domini 816. Centesi-
dictus 4. mus pontifex Stephanus 5 dictus 4. Romanus, sedit men.6
di.23. Imperat. Latinus Ludouicus Pius ann.15. Græcus ve-
ro Michael Balbus ann.9. Hic Ludouico Imperatori libros
Dionysii de Hierarchia misit Christi religionem subuerte-
101. Pascha re studuit. Anno domini 817. Centesimus primus Paschalis,
lis. Romanus, sedit ann.7. men.3. di.17. Centesimus secundus
102. Euge- Eugenius 2. iunior, Romanus, sedit ann.3. men 6. di.24. An-
nius. no domini 824. cui successit Valentinus Romanus, men.1.
103. Valen di.10. Huic successit Gregorius Romanus, sedit an.16. Im-
tinus. perat. Græcus Theophilus filius præcedentis Imperatoris,
104. Grego sanctarum imaginum oppugnator, disenteriis extinctus
rius. est, cum regnasset an.15. Lotharius 1. Ludouici filius an.15.
Anno domini 844. Imperator 3. in occidente, ingenti prælio
105. Sergi- à fratribus victus est. Sergius secundus 105. pontifex, Ro-
us 2. manus, sedit an.3. men 2. di.3. cui successit Leo quartus Ro-
106 Leo 4. manus, sedit an 8. men.3. di.6. Hic oratione præmissa Sara-
cenos Romæ iuxta Vaticanum prælio vicit. Imperator Græ-
cus Michael & Theodora mater eius, an.11. Per hanc Impe-
ratricem imagines sanctorum restitutæ sunt: & omnes ab
exilio reuocati. Michael deditus crapulæ, in lecto ebrius
confossus est. An. domini 855. Pontifex 107. Ludouicus Ro-
manus, non Ioannes fœmina, sedit an.2. men.8 di.16. Lati-
nus Imperator Ludouicus 2. filius Lotharij. Quartus Impe-
107. Bene- rator Gallus an.11. contra Saracenos in agro Beneuentano
dictus 3. prospere pugnauit. Benedicto successit Nicolaus Magnus,
108 Nico- Romanus, sedit an 9. men.6. di.20. An. domini 867. Adria-
laus Ma- nus pontifex 109. sedit an.4. men.11. di.12. Imperator Græcus
gnus. Basilius, an.17. In venatione ictus à ceruo, & perfractis in-
109 Ha-
drianus 2.

testinis, mortuus est. Concilium generale 8. Constantino- continu-
poli celebratur. Adriano successit Ioannes 8. Romanus, se- ata suc-
dit ann.10. di.2. Latinus Imperator Carolus 2. Caluus ann. cessio.
6. Carolus 3. Crassus ann.12. Græcus vero Leo 6 ann.18 Ba- 110. Ioan-
silij filius, qui Bulgaros, & Saracenos deuicit. Latinus Im- nes 8.
perator Arnolphus, nepos Caroli ann.12. Ann domini 882. 111. Marti-
Pontifex 111. Martinus Tuscus, sedit ann.1. men.1. cui succes- nus.
sit Adrianus 3. Romanus, sedit ann.1. men 3. di 19. Latinus 112. Hadri
Imperator Ludouicus 3. ann.6. alias 10. Nouem Imperato- anus.
res Galli, deinde translatum est imperium ad Longobar- 113. Stepha.
dos apud Italos. Centesimus tertius decimus Stephanus 6. 6. dictus 5.
dictus 5. Romanus, sedit ann.6 di.9. Anno 891 Pontifex 114. 114. Formo
Formosus Portuensis, qui multa incommoda in Pontifica- sus.
tu pertulit. Formoso successit Bonifacius 6. di.15. cui succes- 115. Bonifa
sit Stephanus 6. Romanus, sedit ann.1. men.2. di.19. Latinus cius.
Imperator Berengarius 1. an.4. Apud Germanos Conradus 116. Steph.
1. an.7. Berengarius 2. an.4. Græcus Imperator Alexander
frater Leonis, delitijs deditus, enormi fluxu extinctus est.
Constantinus Leonis filius & nepos Basilij, regnauit cum
patre Leone, & cum patruo Alexandro; & cum matre an-
nos 13. Et cum Romano qui regnum arripuerat ann.26. so-
lus 15. Romanus iunior, filius Constantini, ignauus, vino,
otio ac luxui deditus, mortem obijt, anno eius imperij 13.
Apud Germanos Henricus primus annos 18. Pontifex 117. 117. Roma
Romanus, Tuscus, sedit ann 4. di.23. cui successit Theodo- nus.
rus 2. Romanus sedit di 20. Quem secutus est in Papatu Io- 118. Theo-
annes 9 Tiburtinus. Monachus. sedit an.1. di.15. Post ipsum dorus.
Benedictus 4. Romanus sedit ann.3. men.6. di 15. Centesi- 119. Ioan-
mus vero vigesimus primus Leo 5. Forensis, Ardentinus, nes 9.
sedit men. . di.10. Huic successit Christophorus Romanus. 120. Bene-
sedit men.7. Et post ipsum Sergius Romanus. sedit ann. dict 4.
7. men.3 di.16. Sergio successit Anastasius 3. Romanus, sedit 121. Leo 5.
ann.2. men. . di.22. Anno autem domini 912 Centesimus vi- 122. Chri-
gesimus quintus Pontifex Lando. Sabinus, sedit men.6 di. stoph.
21. Hunc secutus est Ioannes 10. Romanus. sedit an.15. men. 123 Sergi-
2. di.15. Imperator Latinus Hugo ann.10 Berengarius 3. ann us 3.
11. Lotharius 2. ann.2. Centesimus vigesimus septimus Leo 124. Ana-
6. Romanus. sedit men 6. di. 5. Centesimus vigesimus octa- stasius 3.
uus Stephanus 8 dictus 7. Romanus, sedit ann.2. men.1 di. 125 Lando.
15. Centesimus vigesimus nonus Ioannes 11. Romanus, sedit 126. Ioan-
ann.4. men.10. di.15. Centesimus trigesimus Leo 7. Roma- nes 10.
nus, sedit ann.3. men.6 di.10. Centesimus primus Stepha- 127. Leo 6.
nus 9. dictus 8. Romanus, sedit ann.3 men 4. di.15. Anno 128. Ste-
domini 942. Centesimus trigesimus secundus Pontifex phan. 8.
Marinus, Romanus, sedit ann 3. men 6. di.14 cui successit 129. Ioan-
Agapetus 2. iunior, Romanus, sedit ann.9. men.7. di.10. Im- nes 11.
perator Rom. Berengarius 4. cum Alberto filio ann.11. An- 130. Leo. 7.
no 946. Pontifex Agapitus contra Berengarium Italiæ re- 131. Ste-
gem, Otthonem ex Germania vocat. Ab hoc Agapito petiit phan. 9.
rex Danorum Trutho, suum regnum diuinis literis, & 132. Mari-
Christianorum ritibus institui. Ioannes 11. Romanus, nus.
Pontifex 134. sedit ann.8. men.4. di.6. Anno domini 956. 133. Aga-
Hic Otthonem Germanorum primum Imperatorem co- petus.
ronauit. Cui successit Benedictus 5. Romanus, sedit men. 134. Ioan-
6. Anno domini 964. Pontifex 136. Leo octauus, sedit ann. nes 12.
1 men.3. di.12 cui successit Ioannes 13. ex numero vero Pon- 135. Bene-
tificum 137. Romanus, sedit an.6. men 11. di 5. Imperator dict. 5.
Latinus Ottho 3 anno.17. Græcus Nicephorus Phocas, vir 136. Leo 8.
pius, qui multa gessit bella contra Saracenos, qui occupa- 137. Ioan-
uerant quasdam terras imperij sui, nempe Calabriam, Sici- nes 13.
liam, Candiam, Ciliciam, & Cyprum, an.10 fraudeque in-
terfectus est in cubiculo regio. Anno domini 972. Pontifex
138. Benedictus sextus, Romanus, sedit an.1. men 6. cui suc- 138. Bene-
cessit Donus Romanus, sedit an.1. Porro. an. domini 974. dict. 6.
Pontifex 140 Bonifacius 7. Romanus, sedit an.1. men.1. di. 139. Donus
10. Huic successit Benedictus 7. Romanus, sedit an.9. men.1. 140 Boni-
di.10. Anno domini 975. post Benedictum Pontifex 142. Io- facius 7.
annes 14. Papiensis, sedit men 8. Post eum Ioannes 15. Ro- 141 Bene-
manus, sedit an 9. men.10. Anno autem domini 995. Ponti- dict. 7.
fex 144. Ioannes 16. Romanus, sedit men.4. Græcus Impera- 142. Ioan-
tor Ioannes Zimisces an.6. qui post occisum Nicephorum nes. 14.
imperio est potitus, gessit grauissima bella cum Roxolanis, 143. Ioan-
& Bulgaris, victorque rediens Cõstantinopoli honorifice re- nes 15.
ceptus est postea à cubiculari suo lethali poculo sibi propi- 144. Ioan-
nato, & epoto, paulatim tabescens, mortẽ obijt. Post Zimi- nes 16.
scen, Basilius & Constantinus 8. an.53 filij Romani iunioris.
Fuit autem Basilius auaritiæ studiosissimus. Passus est æ-
mulum in regno Sclerum, & Phocam tyrannos. sed pessi-
me vtrique successit. Pugnauit etiam contra principem
Bulgarorum, qui Thraciam, Macedoniam, & Græciã ferro,
& igne vastauerat Bulgariam tandem vniuersam imperio
Cõstãtinopolitano subiecit. Vixit annos 72. regnauit an.53.
Latinus imperator Ottho quartus, an.18. Cæterum, ponti-

fex 145.

Eccl. continuata successio. fea 145. Gregorius 5. Saxo, anno domini 995. sedit an. 2.
men. 8. Hic Pontifex imperium Germanis concessit: cum
imperatoris voluntate septem electores constituit, Mogun-
tinum, Coloniensem, Treueriensem episcopos, Saxoniæ
Qui concessit imperium Germanis. ducem, Comitem Palatinũ, Marchionem Brandeburgen-
sem, his regem Bohemiæ, arbitrum adiecit. Porro anno do-
mini 998. Pontifex Syluester 2. Aquitanus, sedit an. 4 men. 6.
di. 12. Anno vero domini 1003. Ioannes 17. Romanus, sedit
145. Grego. 5. Saxo men. 4. di. 25. Cui successit Ioan. 18. Rom. sedit an. 5 men. 7 di.
29. Post ipsum Sergius 4. Rom. Sedit an. 2 men. 9 di. 12. Huic
148. Syluester 2. successit Benedictus 7. dictus 8. Rom. sedit an. 11. men. 8. di.
21. Anno domini 1024. Pontifex 151. Ioannes 19. Romanus,
147. Ioan. 17. sedit an 9. men. 9. di. 9. Imperator Latinus Henricus 2 cœpit
regnare anno domini 1001. & regnauit an. 23. men. 5. Henri-
148. Ioan. 18. cus 2. an. 14. siue 11. imperauit. Græcus imperator Constan-
tinus Basilij frater ineptissimus ad Imperium, vtpote gulæ,
149. Sergius 4. luxuriæ, & otio deditus, regnauit tres annos, moritur se-
ptuagenario maior. Huic successit eius gener, Romanus
150. Benedictus 7. Argyrius, carnifex pro rege factus, durus exactor. Impera-
uit an. 5. & dimidium. Latinus imperator Conradus 2. an.
151. Ioannes 19. 15. Quem Ioannes 19. coronauit. Post ipsum Benedictus 8.
dictus 9. Rom. sedit an. 12 men. 4 di. 20. Anno domini 1045.
152. Benedic. 8. Pontifex 153. Gregorius 6. Rauennas, sedit an. 1 men. 7. di.
20. Græcus Imperator Constantinus 9. an. 12. Latinus Hen-
153. Gregorius 6. ricus 3. an. 17. Anno domini 1047. Pontifex 154 Clemens Sa-
154. Clemens 2. xo Germanus, sedit men. 9. di. 15. Quem insecutus est Dama-
Saxo, scus 2. Bauarus Germanus, sedit di 23. Huic successit Leo 9.
155. Damasus 2. Alsata Francus, sedit an 5. di 8. Imperatrix Græca Theodo-
ra sola an. 2. Pontifex 157. Victor secundus, Sueuus, Germa-
156. Leo nonus. nus, sedit annos 2. men. 3. di 16. Huic successit Stephanus de-
157. Victor 2. cimus, dictus nonus, Lotharingus Gallus, sedit annos 7. di.
28 Imperator Græcus Michael Stratioticus annos 4. Cuius
158 Stephanus 10. tempore Agareni fere totam Siciliam occupauerant. Pon-
tifex 159 Nicolaus 2. Allobrox, sedit an 2. men. 5. di. 27. Impe-
159. Nicolaus 2. rator Latinus Henricus 4. an. 48. persecutor Ecclesiæ Ro-
manæ. Græcus imperator Constantinus 10. an. 7. Vir in
Deum pius, moribus mitis, & æqui obseruantissimus. Eu-
doxa vxor Constantini regnauit men. 7. Eo tempore bar-
baræ gentes irruerunt in Cappadociam, & Ciliciam, &
Normanni duce Roberto, occupauerunt Apuliam atque
Calabriam. Romanus Diogenes ann. 3. quem filij Eudoxæ
160. Alexander 2. oculis priuarunt. An. dom. 1061. Pontifex 160. Alexander
Mediolanensis, sedit ann. 11. mens 6. di. 22. Hic pugnauit
pugnat cum Antipapa. cum Cadolo Parmenensi Episcopo, quem præsules Lon-
gobardiæ & Germaniæ, habito conuentu Basileæ, in præ-
Imperator fit monachus. sentia imperatoris, Papam elegerant, victor euasit conci
lium Mantuæ celebratur, vbi statutum est Papam à solis
Cardinalibus eligendum esse. Imperator Græcus Michael
ann. 7. Qui cum non esset aptus ad resistendum Turcis,
& Sultano, electus est Nicephorus à ciuibus, qui ingressus
in Regiam exuit Michaelem imperio, & vestiuit habitu
Monachi. Sed Paulo post Alexius salutatur imperator;
qui occupata regia, Nicephorum cogit abire in monaste-
rium: vbi aliquandiu manens, mortuus est. Anno dom.
161. Gregorius 7. 1073. Pontifex 161. Gregorius Saonensis, Bonifacij filius,
monachus, & prior Cluniacensis, sedit ann. 12 men. 1. di 3.
162. Victor 3. Centesimus sexagesimus secundus Victor tertius Beneuen-
tanus, sedit ann. 1. men 3. di. 24. Post ipsum electus est Vr-
163. Vrbanus 2. banus 2. Gallus D. Oddo ex oppido Castilionis Diœcesis
Remensis, sedit ann. 11. men. 4. di. 18. Alexius Græcorum
Imperator cum Turcis se coniunxit, ob inuidiam in Lati-
nos principes, in Palestina bellum domini gerentes, ann. 33.
regnauit. Ann. dom. 1107. Paschalis pontifex, sedit ann. 8.
164. Paschalis. men. 5. di. 9. Cum imperatore multa habuit agere. Anno
dom. 1118. Gelasius 2. Caietanus D. Ioannis Crescentij filius,
165. Gelasius. sedit ann. 1. di. 5. Deinde in eius locũ sufficitur Calistus Bur-
gundus, Guido Gulielmi Burgundiæ Comitis filius, sedit
166. Calistus. an. 5. men. 10. di. 13. Latinus imperator Henricus 5. an. 29.
Græcus Ioannes Comnenus an. 16. Gallis & Venetis infe-
stus In venatione dum arcum vehementius intenderet, te-
lo intoxicato à seipso, manum suam sinistram traiecit quo
in vulnere mortuus est. Latinus imperator Lotharius 2. a-
167. Honor 2. lias 3. an. 1. Pontifex 167. Honorius 2. Bononiensis D. Lam-
bertus de Fagnano, sedit an. 5. men. 2. di. 3. An. 1130 pontifex
168. Innocentius. Innocentius 2. Romanus, sedit ann. 13. men. 7. Cœlestinus 2.
Tifernas Tuscus, sedit men. 5. di. 13.

169. Cœlestinus secundus.

De continuata Ecclesiæ successione.

IMperator Græcus Emanuel ann. 39. fuit vir in o-
mni vitæ suæ cursu maliciosus; nam exercitum
Conradi imperatoris in auxilium suum missum
aquis venenatis sustulit, & similiter Ludouicum
Francorum regem decepit. Morbo autem extinctus, perijt.

Pontifex 170. Lucius 2. Bononiensis, sedit men. 11. di. 4. La- *Eccl. continuata successio.*
tinus imperator Conradus 3. annis 15. Anno autem domini
1145. Pontifex Eugenius 3. Pisanus, sedit ann. 8. men. 4. di. 12.
Anastasius 4. Romanus, ann. 1. men 4. di. 24. Imperator Ro- *170. Lucius 2.*
manus Fridericus 1. regnauit 37 an. persecutor ecclesiæ. An.
dom. 1153. Pontifex 173. Adrianus 4. An. [illegible]
men. 8. di. 28. Pontifex 174. Alexander 3. Senensis, sedit ann. *[illegible] nius 3.*
21. men. 11. di. 23. Concilium Lateranense ex episcopis 300. *172. Anastasius 4.*
sub Alexandro 3. Alexandro successit Lucius 3. Lucensis an.
4. men. 2. di. 18. Deinde eius sedem tenuit Vrbanus 3. Me- *173 Adrianus.*
diolanensis, ann. 1 men. 10. di 25. Anno domini [illegible] Grego-
rius 8. Beneuentanus men. 2. di. 27. Cui successit Clemens 3. *174. Alexander 3.*
Romanus, ann. 3. men. 2. di. 10. Postea electus est Cœlestinus
3. Romanus ann. 6 di. 11. Imperatores Græci, Andronicus *175. Lucius 3.*
Comneus Manueli successit in imperio, consobrinus eius, *176. Vrbanus 3.*
quia filius Manuelis Alexius erat puer. Cum vero Alexius
esset 15. ann. interfecit eum, & inclusum in sacco proiecit in *177 Gregorius 8.*
mare. Sed prælio victus ab Isachatio Angelo, imperio deie-
ctus est, & ignominiose occisus. 57. Imperator Isachacius *178 Clemens 3*
Angelus vir iustus & æqui obseruantissimus, ex Pelopon-
neso est accersitus ad imperium. 58. Imperator Græcus *179 Cœlestinus 3.*
Alexius Angelus, frater minor Isachacij, qui per parricidi-
um adeptus est imperium; priuauit enim fratrem suum o-
culis, & in carcerem coniecit, vnde & mortuus est. Eadem
impietate quæsiuit perdere Alexium filium Isachacij, ne-
potem suum, nisi fuga sibi consuluisset. Veniens autem in
Cretam, & inueniens Balduinum, & alios Latinos princi-
pes, duxit Constantinopolim: qua expugnata, & Alexio fra-
tricida in fugam verso, Isachacius ex carcere liberatur. &
Alexius post mortem patris, imperator est declaratus. Sed
paulo post à Mursypho fraude innocenter necatur. Sed
huiusmodi tyranno extincto, vrbs Constantinopolitana
ad Francos translata est, è quibus Balduinus est primus
Græcorum Imperator. Latinus imperator Henricus 6. an.
11. Anno domini 1198. Pontifex Innocentius 3: Romanus,
sedit ann. 18. men. 6. di. 9. Ottho Imperator ab Innocentio *180. Innocent. 3.*
coronam imperij suscepit postea cum contra iusiurandum
multa oppida Romanæ Ecclesiæ occuparet, regnumque *sub [illegible] fit ordo Fratrum minorum,*
Neapolitanum legitimo hærede priuare vellet, pluries ad-
monitus, nec correptus, à Pontifice excommunicatur, im-
perijque titulis priuatur. Vnde rex Bohemiæ, Landgrauius *Imper. Ottho excommunicatur à papa.*
Turingiæ, Dux Austriæ, Archiepiscopi Moguntinus. & Tre-
uerensis, & ex militibus præstantiores Otthonem deserue-
runt. Imperat. Græci, Balduinus & Henricus ann. 12. Fuit
Balduinus Comes Flandrensis, Henricus frater Balduini. *Concil. Lateranense sub Innocentio 3.*
Imperator Latinus Fridericus 2. & ipse persecutor Papæ,
regnauit annis 33. Anno domini 1217. Honorius 3. Roma-
nus. sedit ann. 10. men. 8. Hic coronauit Fridericum secun- *181. [illegible] 3.*
dum, & postea excommunicauit, eo quod non recte se ha-
buit circa propagationem fidei, & terræ sanctæ conserua-
tionem, quam quidem excommunicationem confirmauit
Gregorius 9. Romanus, qui post Honorium 14. ann. rexit
Ecclesiam, & men. 5. Sub isto S. Franciscus ex hac vita mi- *182. Gr. 9.*
grauit in cœlum, ann. domini 1226. 4. Octobris, ætatis suæ
ann. 42. Imperat. Græci, Petrus Antisiodorensis ann. 5. Ro- *S. Franciscimon[illegible]*
bertus ann. 7. Balduinus ann. 33. Gregorio nono successit
Cœlestinus 4. Mediolanensis, sedit di. 17. Huic sufficitur *183. Cœlest. 4.*
Innocentius 4. Genuensis, sedit ann. 11. men. 5. di. 14. Cele-
bratur generale concilium Lugduni. Imperator Latinus *184. Innocen. 4.*
Conradus 4. ann. 11. Ann. domi. 1254. Alexander quartus
pontifex Romanus, Anagninus, sedit ann. 6. men. 5. di. 5. Im- *185. Alexand.*
perator Græcus Michael Paleologus, qui interfuit Conci-
lio Lugdunensi, in quo S. Bonauentura Cardinalis, & do- *S. Bonauentura [illegible]*
ctor Seraphicus è mundo labili euolauit in cœlum, ætatis
suæ ann. 53. Regnauit Michael ann. 35. E tutore vi factus
est imperator, interfectis filiis Theodori, expulsis eiectisque
Latinis. Post ann. 58. quibus Franci & Galli regnauerunt.
Anno Domini. 1261. Pontifex Vrbanus 4. Trecensis Gallus,
sedit ann. 3. men. 9. di. 25. Huic successit Clemens 4. Narbo- *186. Vrbi 4.*
nensis Gallus, sedit ann. 7. men 9. di. 25. Imperator Latinus
Rodolphus ann. 19. Anno domini. 1271. Gregorius decimus *187. Clemens 4.*
Placentinus ann. 4. men. 4. Concilium Lugdunense secun- *188 Gregor X.*
dum pro recuperanda Palestina, & contra hæreses Græco-
rum de processione Spiritus sancti. Post Gregorium 10. *189. Innocen. 5.*
Innocentius quintus Burgundus obtinuit sedem apostoli-
cam men. 5. di. 1. Huic successit Adrianus 5. Ligur. men. 1.
di. 7. In cuius locum suffectus est Ioannes 20 alias 21. Lusita- *190. Adrian 5*
nus, men. 8. di. 8. Deinde electus est Nicolaus 3. Romanus,
sedit ann. 2. men. 8. di. 29. & post ipsum Martinus 2. dictus 4. *191. Ioannes 21.*
Turonensis Gallus, sedit ann. 4. men. 1. di. 7. Pugnauit cum *192. Nicolaus 3.*
Petro rege Arag. inuadente Siciliam. Huic successit Hono-
rius 4. Romanus, sedit ann. 2. di. 1. Hic ordinem eremitarum *193. Martin. 4.*
Parisiis nondum receptum, probauit. Carmelitis album
assigna- *194 Ho.*

Eccl. cō- assignauit amictum, cum prius nigro vterentur. Postea Ni-
tinuata colaus 4. Asculanus Picenus rexit ecclesiam an. 4. men. 1. di.
succes- 14 Imperator Latinus Adolphus an. 7. Post Nicolaum Cæ-
sio. lestinus 5. men. 5. di. 7. Vir pius & simplex, dignitatem sapo-
195. Nicol. suit. Post Cælestinum Bonifacius 8. Anagninus, an. 8. men. 9.
4. di. 18. Sextum librum decretalium ordinauit, Apostolis, Eu-
196. Cælest. angelistis, & 4. doctoribus honores duplicauit. Iubileum an.
[...] Ludouicum Galliæ regem inter sanctos nu-
merauit: multa passus est viuens, & moriens. Post Bonifa-
facius 8. cius Benedictus 9. dictus 11. Taruisinus Italus ordinis præ-
196. Bene- dicatorum, men 8. di. 16. An. domini 1305. Pontifex Clemens
dict. 11. 5. V[...], Ecclesiam Romanam regit an. 8. men. 10. di. 10.
199. Cle- Card[...]les in Galliam vocat, sedem Papalem in Auinione
mens 5. constit[...] vbi successores manserunt an. 74. Ab isto Cle-
Sedes Apo- mente fact[...] sunt Clementinæ. Concilium generale cele-
stolica in bratur Viennæ Galliæ sub Clemente quinto, in quo Clemen-
Auinione. tinæ confirmatæ sunt: & multa contra Iudæorum insolan-
tiam ordinantur. Imperator Græcus Andronicus filius Mi-
chaelis Paleologi, patri in imperio succedit, regnatque 15.
an. Latinus imperator Albertus an. 10. Henricus an. 7. men. 9.
Ludouicus tertius an. 33. Imperator Græcus Andronicus a.
cum Ioanne Caracuzano an. 52. Andronicus iunior, vir im-
pius, qui auum suum Andron regno exclusit. Ioannes Calo-
iannes dictus, succedit in imperio patri Andronico iuniori,
licet Ioannes Caracuzanus tutelari nomine regnum guber-
naret aliquandiu, donec se illo abdicaret. Anno dñi. 1316.
200. Ioan. Pontifex Ioannes 21. dictus 22. Caturcensis Gallus, an. 18.
22. men. 3. di. 28. Hic Pontifex S. Ludouicum Episcopum Tolo-
sanum, & S. Thomam Aquinatem in catalogum sanctorum
retulit. Ludouicus Cæsar à Pontifice excommunicatur. An-
221. Be- no domini 1334. Ioanni 22. succedit Benedictus Tolosanus
ned. 10. di- 10. dictus 12. Tolosanus Gallus, sedit an. 7. men. 4. di. 6. Hunc
ctus 12. To- autem secutus est Clemens 6. Lemouicensis Gallus, sedit an.
losanus 10. men. 7. Annum iubileum in quinquagesimum redoxit,
Gallus. multaque habuit agere cum imperatore, & principibus eius-
201 Cle- dem. Imperator Latinus Carolus 4. an. 32. Anno domini 1352.
mens 6. Innocentius 6 succedit Clementi sexto in Papatu, Lemoui-
203. Inno- censis Gallus, sedit an. 9 men. 8. di. 26. Ex iurisconsulto factus
cent. 6. est Papa. Post Innocentium 6. Ecclesiam rexit Vrbanus 5.
204. Vr- Lemouicensis Gallus, an. 8 men. 2. di. 27. Post Vrbanum 5.
ban. 5. Apostolicam sedem obtinuit Gregorius 11. Lemouicensis
205. Greg. Gallus, an. 7. men. 2. di. 27. Hic increpans episcopum quan-
11. dam, quod suam Ecclesiam relinqueret, & Curiam Roma-
Sedes Apo- nam sequeretur, responsum accepit, eandem suam quam e-
stolica ex ius esse causam, quia ipse Romanam Ecclesiam relinqueret.
Gallia Ro- Latinus Imperator Venceslaus an. 22. Anno domini 1378.
mam ite- Vrbanus 6. Neapolitanus, sedit an. 11. men. 6. di. 7. Schisma
rum trans- ortum est in Ecclesia, propter duos creatos pontifices ab I-
fertur. talia, & à Gallis, durauitque an. 39. ad Martini quinti electionē
226. Vr- vsque. Pontifex semel creauit 29. Cardinales. Ao. domini 1389.
ban. 6. Bonifacius 9. Neapolitanus rexit Ecclesiam an. 14. men. 11.
207. Boni- Multas habuit controuersias cum vicecomitibus Mediola-
fac. 9. nensibus. Innocentius 7. Sulmonensis, sedit an. 2. di. 21. Lati-
208. Inno. nus imperator Robertus Bauarus, an. 10. Gregorius 12. Vene-
7. tus, an. 8. men. 7. di. 5. Alexander 5. Cretēsis Græc⁹, sedit men.
209. Greg. 10. di. 8. An. dñi 1410. Ioannes 22. dict⁹ 23. Neapolitanus, sedit
12. an. 5. di. 15. Latinus imperator Sigismundus an. 27. Sub eodē
210. Ale- Pontifice fuit concilium Cōstantiense, cuius tempore erāt tres
xand. 5. Pōtifices, vnus, qui Vrbano successerat: alter à Collegio Car-
211. Ioan- dinaliū electus, vel saltem à pluribus de collegio: tertius de
nes. concilij consensu. Cum ergo tunc propter schisma non esset
Concilium certus Pontifex, concilio demandata est authoritas. Vnde
Constan- Gregorius 12. per Carolum Malatestam Papatui suo renun-
tiense. ciauit: Benedictus vero ad hoc induci non potuit; sed à suis
derelictus. Illud ergo concilium semper legitimum quidem,
sed non semper verum: in fine solo œcumenicum. Anno do-
213. Mar- mini 1417. Martinus 3. dictus 5. Romanus, sedit an. 13. men. 3.
tin. 5. di. 10. Depositis Ioanne 23. Gregorio 12. & Benedicto 13. Eu-
214. Eu- genius 5. Venetus, rexit ecclesiam an. 15. men. 11. di. 21. Ordi-
gen. 4. nis Cælestinorum, an. domini 1431. Concilium Basiliense in-
choatur an. 1437. Duratque an. fere sex, in quo Amadeus dux
Sabaudiæ eremita eligitur in pontificem; sed in Romanam
sedem ascendere nequiuit. Imperator Latinus Albertus 2.
Pontifex synodū Ferariensem an. 1438. celebrat, quam post-
Concilium ea Florentiam transtulit, præsente Paleologo Græcorū im-
Florenti- peratore: de Spiritus sancti processione, conueniunt cum
num. Romanis Græci, Armeni, Indi, sed domum reuersi, denuo
Synodus negant. Papa Synodum Lateranensem indicit, an. 1449. Ba-
Latera- siliense concilium Losanam transfertur, ibique statim dis-
nensis. soluitur ao. 1449. Sigismundum imperatorem diademate
coronauit. Cum Columnensium familia bellum gerit. Im-
215. Nico- perator Latinus Fridericus 3. an. 54. Pontifex Nicolaus 5.
laus. Lucensis an. 8. di. 19. S. Bernardinum Senensem in sancto-

rum numerum retulit, Fridericum Imperatorum cum con- Eccles.
iuge coronat. Imperator Græcus Constantinus Paleologus cōtinua-
an. 9. An. domini 1455. Calixtus 3. Valentinus an. 3. men. 4. ta succes-
Huic successit Pius 2. Senensis. Æneas Syluius dictus, ao. 5. mē. sio.
11. di. 27. Paulus 2. Venetus, sedit an. 6. men. 10 di. 26. Xistus 4. S. Bernar-
Sauonensis ordinis minorum, An. 1471. præest ecclesiæ an. 13 di canoni-
di. 4. Iubileum in 25. an. reduxit: & ipse primus celebrauit. In- zatio.
nocentius 8. Genuensis, sedit an. 7. men. 10. di. 27. Latinus 216. Ca-
Imperator Maximilianus, an. 28. Alexander 6 Valētinus Hi- lixtus 3.
spanus, sedit ao. 11. di. 8. Pius tertius Senensis, sedit di. 26. An- 217. Pius
no domini 1503. Iulius secundus pontifex 223. Sauonensis, 2.
sedit an. 10. di. 11. Bononiam vi cepit: ad Rauennam pugnat 216. Pau-
cum Gallo. Concilium Lateranense sub Iulio secundo. lus 2.
Lutheranorum secta incepit pullulare. Anno domini 1513. 219. Xistus
Leo 10. Florentinus, sedit an. 9. Anno domini 1522. Pontifex 4.
225. Adrianus 6. Traiectensis an. 2. Præceptor Caroli 5. homo 210. Inno-
doctus & pius. Imperator Latinus Carolus quintus. Anno cent. 8.
domini 1523. Clemens 7. Pontifex 226. Florentius, an. 10. di. 7. 221. Alex.
Carolus quintus Bononiæ à Papa Clemente magna cum so- 6.
lennitate in festo S. Mathiæ ao. 1530. coronam imperij suscē- 222. Pius
pit. Florentia sub dominio ducis ex nobilissima familia Me- 3.
dices constituitur. Anno domini 1534. Paulus tertius Roma- 223. Iulius
nus, sedit an. 15. Prius Alexander Farnesius Ostiensis Episco- 2.
pus dictus: huius neptem Henricus, qui postea rex factus, 224. Leo
Francisci regis Galliæ filius vxorem duxit. Henricus 8. rex 20.
Angliæ ab ecclesia alienatus est an. 1536. Iulius tertius Areti- 225. Adri-
nus, sedit an. 5. men. 1. di. 16. Anno domini 1550. quo tem- an. 6.
pore in Academia Louaniensi ego Theologiæ vacabam, &
Carolus quintus Bruxellis bellissime agebat, & pax magna 226. Cle-
erat, & omnium rerum abundantia per totam Germaniam mens 7.
inferiorem. Sed paulo post, multa incommoda, strages, & 227. Pau-
ruinas acerbissimas passi sunt incolæ illius regionis. Anno lus 3.
Domini 1555. Pontifex 229. Marcellus 2. Tuscus, vir insignis 228. Iulius
pietate, & eruditione, sedit dies 21. In cuius locum electus est 3.
Paulus 4. Neapolitanus, ex principum familia an. 4. men. 2 Concilium
di. 27. Rex Galliæ magnum militum numerum in Italiam Tridenti-
misit: Rex Hispaniæ Neapolitanum regnum defendit: Itali num
tumultuantur: Senenses sua libertate spoliantur. Pius quar- 229. Mar-
tus Mediolanensis an. 5. men. 2. dies 15. Italia quiescit à bello- cellus 2.
rum turbine. Imperator Latinus Ferdinandus. frater Caro- 230. Pau-
li 5. an 6. An. 1560. Porro an. 1564. Imperator Maximilianus 2. lus 4.
filius Ferdinandi, & pater Rudolphi moderni imperatoris.
Ann. 1566. Pius 5. Alexandrinus, catechismum edidit & bre- 231. Pius
uiarium, ac missale reformauit, ex Tridentini Concilij de- 4.
creto, Ordinis Prædicatorum, vir eruditus & sanctus, de ec-
clesia Dei benemeritus: sexto iam sui pontificatus anno,
mortem obiit: cui vitam in hoc saeculo diuturnā, in futuro 232. Pius
æternam, omnes pii exoptant, & precantur. Successit Pio 5.
quinto Gregorius 13. Bononiensis, vir pacificus, prudens &
doctus, qui multa collegia instituit, & in pace Dei ecclesiam
gubernauit: tredecim annis Cardinalis, & totidem Ponti- 233. Greg.
ficis officio functus. An. do 1585. in mense aprili, sedem a- 13.
postolicam ascendit Sixtus quintus, Ordinis S. Francisci, vir
inprimis eruditus, & ecclesiæ Dei zelum habēs, sicut eius pō- 234. Six-
tificatus initia protestantur. Imperator Rudolphus Maxi- tus 5.
miliani filius, christianæ fidei & pacis obseruantissimus.

DE IMPERATORIBUS TURCARUM.

CIRCA finem istius historici tractatus, inserui ori- Othoman-
ginem Othomanni, eiusque familiæ successionem. nus.
Othomannus à Gallatiæ loco, in quo natus est, O-
thomānus est appellatus. Asiam minorem occupa-
uit: fuit vir humili loco natus; sed ob virtutem rei militaris,
magnum sibi nomen comparauit. Siquidem Bithyniam, &
omnes circa Pontum prouincias, decem annorum spatio si-
bi subiecit: atque ita Turcicum imperium est auspicatus 28.
an. rerum potitus: filio suo Orchani imperiū reliquit. Orcha-
nes Othomanni filius paternæ virtutis æmulus, copiis appa- Orchanes.
ratuque instructior, rem inchoatam à patre auxit, mirificeque
propagauit. Domuit enim Mysiam, Lycaoniā, Phrygiā, Ca-
riam, regnumque in Hellespontum vsque & Euxini littora
protrudit. In causa fuit Græcorum dissidium, vt Othomā-
nica res accresceret, & Prussiā Græcis adimeret. Dissidentibus
autem eis, Cantacuzeno magis quam Palaeologo fauet, pri-
mus ab eo in Europam accersitus traiecit. Imperij sui an. 22.
filium post se reliquit Amurathem: cum Tartaris vero pu-
gnās occubuit. Amurathes Orchanis filius, vir robore animi, Amu-
industria, laborū tolerantia insignis. Duo erant suo tempo- rathes.
re Constantinopoli Imperatores, inter se pertinaciter dimi-
cantes, quorū vnus Amurathē ad sui tutelā vocauit, pro pre-

[*Iudæa.*] Barutum, in qua est celebre emporium, in loco robusto & inexpugnabili. [*Mons Carmelus & Libanus.*] Montes habet, Carmelum & Libanum. [*Tyrus.*] Tyrus vrbs potentissima, sita in corde maris. insula quondam & à continenti diuisa 70 passibus: formam habuit rotundam: in rupi durissima posita, quam Alexander Magnus septem mensibus oppugnauit, & tandem expugnauit. [*Sidon.*] Sidon vrbs olim maritimarum vrbium maxima, dicta est [*Sychem.*] antiquitus Sychem, ab eius conditore nepote Noe: sita ad commodissimum continentis portum. extensa in longum per planiciem, per sitetus. [*Purpura.*] Purpura est genus piscis ex concharum genere, vnde succus colligitur tingendis vestibus accommodatus. Habet autem succum illum in medijs faucibus: congregatur autem verno tempore: reliquo vero tempore sterilis est. Cum vita succum emittit, & ideo viuas capere oportet: lingua eius prælonga, nempe digitalis, qua capit prædam, & capitur ipsa. Vno ictu cædenda est; nam si diu dolorem patitur, amittit colorem. [*Damascus.*] Damascus Syriæ vrbs, in regione Damascena, quæ & Cælesyria primaria, & antiqua, quam serui Abraham erexerunt. Est campestris, à Ierusalem distat itinere sex dierum: fluuius limpidissimus vrbem interfluit: scatet omnifariam fructibus. [*Conuersio Pauli.*] Locus vbi S. Paulus conuersus, est extra ciuitatem ad primum lapidem. [*Antiochia.*] Antiochia, vbi prima cathedra principis Apostolorum, christianique primi appellati, duodecim millibus passuum recedit à mari, montibus clausa, habetque portum ad Orontis ostia. Fuit aliquando Syriæ totius metropolis, nomenque accepit ab Antiocho, qui eam ampliauit. Est alia Antiochia, in monte Tauro in Conmagena Syriæ. [*Seleucia.*] Haud procul ab illa prima Antiochia, distat Seleucia potens ciuitas: vnde nauigatio instituitur in Cyprum. Inter duas Antiochias sita est in quodam colle Alexandria ciui[*Alexandria.*]tas, vbi Alexander Darium regem in fugam vertit. [*Cælesyria.*] Cælesyriam Libanus & Antelibanus complexu suo ambiunt: vbi [*Traconitis.*] Damascus vrbs, & Damascenæ regiuncula, & Decapolis ab oppidorum numero dicta. Traconitis regio clauditur Iordane, & monte Hermon habet Gerram & Eleram ciuitates. Flumina Syriæ clara sunt, Iordanis, Orontes, quod in Cælesyria exortum subtus terram se abscondit. iterumque prosiliens per Apamiensem agrum & Antiochiam procurrens, in mare defertur. Montes, Hermon, Casius, Carmelus, Libanus, Antelibanus. [*Mesopotamia.*] Mesopotamia, latine Memnis, quasi inter duos amnes media. Ab aquilone terminatur Niphate monte ab austro Arabia deserta latus orientale Tigris: occidentali autem Euphrates alluit, qui eam quotannis Nili [*Fertilitas.*] more irrigat. Ager Mesopotamiæ omni genere frugum abundans, vicis frequentius quam vrbibus habitatur. [*Haram. Charram.*] Oppida, Haram, Charram, Edessa, in qua tempore Christi Abagarus regnabat. [*Euphrates.*] Euphrates ex Persarde monte maioris Armeniæ ortus, vbique ripis æqualis, lente fluit: cursum ad occasum haberet, nisi Taurus mons sese huic opponeret: inde in meridiem auersus, Mesopotamiam complectitur: in sinum Persicum tendit, sed moritur, & nusquam manifesto exitu effluit. [*Tigris.*] Tigris oritur in regione Armeniæ maioris, in specus subtus terram mergitur, rursumque exortus vasto alueo sinui Persico infunditur. Hæc autem breuiter dixisse de Asiæ regione diligenti lectori sufficere credo.

DE APHRICA.

[*Aphrica. Nilus.*] APhricam ab Asia disterminat Nilus, qui à meridie in Æthyopiam diffunditur, & Ægyptum perlabitur, mirabilique fœcunditate irrigans, nouem ostijs mari infunditur. Europam ab Aphrica diuidit mare mediterraneum, quod ab occidentali Oceano circa Gades insulam, & columnas Herculeas, non amplius decem millibus passuum pateos, terras aperit atque intrat. Aphrica à cardine orientis Nilo, ab alijs autem partibus mari terminatur. Est regio plurimum inculta: arenis sterilibus obducta: cæli calore deserta, noxijsque animalibus infesta. [*Mare Lybicum.*] Mare quo à septentrione cingitur, Lybicum vocatur: à meridie [*Mare Athlanticum.*] Æthyopicum, ab occidente Athlanticum. Vbi vero Aphrica Europam spectat, agros habet feracissimos. Ægyptus regio Aphricæ fertilissima, pluribus decorata & culta ciuitatibus. Ab oriente Rubro mari, Palestinæque coniungitur: ab occasu Cyrenem & Aphricæ residuum habet. à meridie vsque in Æthyopiam protenditur: à septentrione mare Ægyptium. Post regnum Assyriæ omnium regnorum regnum [*Ægyptus, horreum mundi.*] vetustissimum; erat enim tempore Abrahæ. Causa huius antiquissimi regni extitit fertilitas terræ, quæ à Nilo irrigatur: per medium enim eius labitur, & singulis annis totam terræ superficiem humectans adducto limo fœcundat adeo, vt totius mundi horreum dicatur. Multones etiam contingit, vt mulieres in Ægypto tres aut quatuor edant fœtos. [*Aphrica. Mulierum fœcunditas.*] Et mensis partus octauus, qui apud nos periculo vitæ non vacat, apud Ægyptias mulieres salubritatis est signum. Hanc ob causam primam hominis creationem contendunt Ægyptij apud illos factam fuisse, vsumque seminandi frumentum eos primum inuenisse: [*Isis Dea frumenti.*] Deam quoque frumenti Isidem, & eius maritum Osiridem. Carmeses, id est Cam filius Noe, cui in sortem obuenit Ægyptus genuit Isidem, quæ in campo inuenit frumentum sua sponte natum, cogitauitque quomodo homo eo frui posset: docuit ergo colere terram, & cultæ semina committere, atque ita fruges colligere, & panes conficere. Inuenit etiam literas, & docuit leges. [*Cam filius Noe.*] Istum Cam vocant Iouem, & filium eius Dionysium, à quo natus est Hercules. [*forte Alcmena.*] Multi fuerunt Hercules, præcipuus tamen filius Iouis ex Alemannia, * qui existens in cunabulis, geminos angues à Iunone immissos elisit. [*Herculis heroica facta.*] Adultus hydram colubris & capitibus pullulantem, face & ferro in Lerno palude oppressit. Ceruam æripedem aurea habentem cornua, in monte quodam cursu deprehendit, atque interfecit. In Nemea sylua iuxta Cleonas insitatæ magnitudinis leonem iugulauit: & detractam pellem pro insigni gestauit: Anteum gigantem in Lybia victum iugulauit. aurea mala in Hesperidum hortis, interempto prius dracone peruigili, qui ea custodiebat, sustulit: ad inferos descendit: & Cerberum iter prohibentem triplici catena vinctum ad superos traxit. [*Ægypti figura.*] Porro, Ægyptum Nilo scindente triquetram terræ figuram retinet: ideoque à multis Delta cognominata est. Circumdatur vndique mari sabuloso, & montibus, vt sit aditu difficilis. Inter mare rubrum & mare mediterraneum, exiguum est interuallum: sed mediat inter ea maria mons quidam asper, quem transcendere oportet eum, qui ex Ægypto pedes cupit ire in Arabiam Petream, vel in Palestinam. Ab occidente clauditur montibus & mari sabuloso: succedit et magnus campus palustris iuxta Mareotim paludem. Ab Austro desinit in eminentes, asperos, & saxosos [*Cataractæ Nili.*] montes, vbi Nilus ex Æthyopia per cataractas & scopulos cum magno fragore & spuma deuoluitur. Sunt autem cataractæ plures, sed maxima in Æthyopia & Ægypti finibus sita. Tempore Ezechiæ Regis Iuda, Æthyopes Ægyptum sibi subiecerunt: deinde Cyrus Persa: postea sub Regibus suis manserunt vsque ad tempora Alexandri Magni, anno ab [*Reges Ægypti post Alexandrum.*] vrbe condita 340. Mortuo autem Alexandro Ptolemæus Lagi filius, primus ex Alexandri ducibus, Ægyptum, Cyprum, & Phœniciam obtinuit. [*Primus rex.*] Hic Iudæos Ierosolymis die Sabbathi vacantes cepit, multosque captiuos abduxit. Regnauit in Ægypto an. 40. [*Secundus rex.*] Huic successit Ptolemæus Philadelphus filius, per Antiphrasin sic dictus, quod fratrem Argeum interfecerit. sororem Arsionem matrimonio sibi iunxerit: & alteri fratri bellum intulerit. Iste rex Iudæos liberos esse iussit: Eleazaro sacerdoti mandauit, vt sacros libros in græcum sermonem versos traderet, quos bibliothecæ dedicaret, quam nobilissimam aliquot millium voluminum Alexandriæ constituerat: quæ postea perijt, in expugnatione quam passa est a Iulio Cæsare: regnauit annis 38. circa finem vitæ podagra & mala valetudine vexatus. [*Tertius rex.*] Tertius Ptolemæus Eodegeses, seu Euergetes, qui deos omnes quos Cambyses rapuit, referre curauit, ideoque tale nomen sortitus est apud Ægyptios: regnauit annis 26. [*Quartus rex.*] Quartus rex Ptol. Philopater, quod patrem, fratremque & amicos fecerit occidi, vt solus dominari posset: cumque omnia facinorose ageret, mortuus est, cum iam regnasset 17. annis. [*Quintus rex.*] Quintus rex Ptol. Epiphanes, filius præcedentis successit in regnum, sub quo Machabæorum gesta contigerunt: [*Machabæi.*] regnauit annis 24. [*Sextus rex.*] Sextus Rex Ptol. Philometer, regnauit cum matre Cleopatra filia Antiochi illustris: sed quam postea interficiendo, cognomentum & ipse per antiphrasin accepit: regnauit annis 31. vel secundum alios 36. [*Septimus rex.*] Septimus rex Euergetes, frater Philometeris, ob crudelitatem pulsus, Romam venit à Senatu auxilium petiturus: regnauit annis 20. vel 29. [*Octauus rex.*] Octauus Ptol. Phiscon, qui & Soter dictus, qui populum Romanum regni Cyrenaici hæredem reliquit: regnauit annis 17. [*Nonus rex.*] Nonus rex Ptol. Alexander, matre Cleopatra, annis 10. Nonnulli hunc Alexandrum vocant Auletem, quem Alexandrini eiecerunt: imo & tribus liberis eiectis maribus. Cleopatram natu maiorem regno præposuerunt. Auletes vero Romam fugiens, obtinuit, vt Ptolemæus cognominatus Dionysius, admodum puer, cum [*Dionysius. Cleopatra impudica mulier.*] Cleopatra in tutelam populi Rom. reciperentur. Iste Ptolemæus cognominatus Dionysius, Pompeium ad eum confugientem interfici iussit: Cleopatram & sororem eiecit: sed Cæsar interfecto Ptolemæo in Ægyptum restituit. Hanc post Cæsaris mortem Antonius, Asiam petens, repudiata Octauia, sibi matrimonio iunxit. [*Decimus rex.*] Decimus

[illegible]

rex

Ægyptiorum reges. *Exitus Cleopatræ mors.*

rex Cleopatra, quę vbi nupsit Antonio, & illum persequeretur Augustus, obuiam fit Augusto exornata diuersis ornamentis, quam Augustus custodire iussit. Tunc illa se ad triumphum seruari intelligens, & custodia elapsa, in pretioso suo sepulchro, iuxta Antonii, sibi aspidem in sinistro brachio admisit, & eius veneno, quasi somno soluta est, eiusque morte tota progenitorum ipsius linea extincta est. Ducentis & nonaginta annis Ægyptus Ptolemæos habuit reges, vsque ad Cleopatram. Deinde habuit Præfectos vsque ad annum Christi 619. Tunc sub Heraclio Imperatore irruentes Saraceni ex Arabia, in Ægypto dominatorem constituerunt, quem lingua eorum vocauerunt Sultanum, qui totam Syriam sibi subiecit, durauitque eius potestas vsque ad annum Christi 1517. Tunc expugnata fuit Ægyptus à Solymo Turcarum Imperatore, atque extinctus Sultanus.

Sultanus. *Reges Asiæ post Alexandrum magnum.*

Huic etiam loco conuenit regum Asiæ successionem texere. Primus Antiquinus annis 18 regnauit. Secundus Demetrius, qui Seleuco suum imperium dedit. Demetrius 6. Seleucus 17. Quartus Seleucus Callinicius annis 20. Quintus Seleucus Seratonius annis 3. Sextus Antiochus Magnus annis 36. Septimus Seleucus Soter, siue Philopater annis 12. Octauus Antiochus illustris, qui & Epiphanes, annis 11. Nonus Anth. Eutipater annis 2. Decimus Demetrius Seleuci sucer annis 22. Vndecimus Alexander annis 10. Duodecimus Demetrius Nicanor annis 3. Tertius decimus Antiochus Sodetes pius annis 9. Quartusdecimus Demetrius secundus annis 4. Quintusdecimus Antiochus Gryphon annis 14. Sextusdecimus Antiochus Sicisenens annis 18. Decimusseptimus Philippus annis 2. Deinde Iulius Cæsar Monarchiam auspicatus est, & annis propequinque eius Monarchia perdurauit.

Monarchia Iulij Cæsaris. *Ægyptiorum iudicia.* *Ordines tres apud Ægyptios.*

Operæpretium est scire quam pulcherrima iudicia, & leges extiterint apud Ægyptios. Triplex erat hominum ordo: primus erat Sacerdotum ordo, qui in magno honore habebatur, tum propter Deorum cultum, tum propter doctrinæ eminentiam, qua cæteris præstabant mortalibus, qui plane sacerdotes ex cõmunibus vectigalibus viuebant. In secundo ordine habebantur Reges, quibus portio vectigalium debebatur, quam ad vitæ cultum, ad bella fouenda, ad liberalitatem erga strenuos, & doctos homines impendebant. In tertio ordine milites. Trinus alius ordo apud eos habebatur, agricolarum, pastorum, & opificum, quorum iudicia magna cum ratione audiebantur.

Leges Ægyptiorum.

Leges Aegyptiorum antiquæ hæ fuere. Periuri capite plectebantur, qui in Deum, pietatem, in homines vero fidem violabant. Mortis reus erat, qui non erueret, si modo posset, hominem à latronibus iniuriam patientem: si vero non posset, & non denunciasset, vapulabat plagis ad certum numerum, triduoque carebat cibo. Filiorum occisores tribus diebus noctibusque continuis circa corpus defuncti assistebant, vt sic continuo dolore affligerentur.

Filiorum occisores. *Parricidæ.*

Parricidæ vero articulatim præacutis calamis cædebantur, atque viui super spinarum aceruum comburebantur. Hi qui secreta hostibus reuelassent, lingua priuabantur. Et qui monetam falsam efficeret, ambos manus amputabantur.

Violatores mulierum.

Et qui mulierem liberam violasset, virilia exsecabantur. In adulterio sponraneo deprehensus, virgis cædebatur, ad mille plagas, mulier naso mutilabatur. Morbos ieiunio, aut vomitu curabant.

Serpentes alati. *Ibis auis.*

Vente Aphrico inuehitur ex vastitate Lybiæ magna vis serpentum alatorum, qui singulis annis magnum detrimentum hominibus & agris inferunt, maiusque inferrent: nisi ab Ibidibus interficerentur; est enim Ibis Ciconiæ similis, diuersa tamen à ciconia: auis excelsa, rigidis cruribus, corneo proceroque rostro, auertens pestem ab Ægypto: quod enim nobis præstant Ciconiæ tutelæ officium, idem exhibent Ibides Aegyptijs, ideoque talibus auibus magnum habent honorem & reuerentiam.

Heliopolis. *Ciuitas Sacerdotum.* *Memphis.*

Heliopolis ciuitas Solis posita, in aggere habens Solis templum, maxima & munitissima ciuitas, magno ambitu murorum cincta, in quibus centum portæ fuisse dicuntur. Primi Aegypti reges in ea regiam habuerunt. Strabo dicit fuisse ciuitatem sacerdotum, qui multa habebant priuilegia & libertatas. Memphis vrbs Aegypti olim magna & populosa: secunda post Alexandriam: vbi fuerunt Pyramides & regum sepulturæ, à rege Ogeloo ædificata, cuius filia Memphis nomen dedit ciuitati. Posita est in loco, vbi Nilus primum accipit diuisionem, Δ Deltæ formam faciens. A cæteris partibus vndique lacus fuit effossus, qui ciuitatem reddit munitissimam. Quam ob causam posteri reges relictis Thebis, in Memphi regiam habuerunt.

Babylonia Ægypti. *Cayrus.*

Postea vero vltra Nilum habitantes, eam vrbem coluerunt, quam Babyloniam Aegypti atque Cayrum appellauerunt. Habuit hæc ciuitas Memphis Nilum ad latus orientale, vbi tamen inter Nilum & vrbem magnus agger positus est, qui prohibet inundationem Nili. E regione eius vltra Nilum sita est illa ciuitas Babylon, seu Cayrum, quæ fuit sedes Sultanorum.

Cayri circuitus. *Fertilitas Cayri.* *Apis Ægypti.*

Cayri circuitus complectatur sexaginta, vel septuaginta miliaria Italica: & quamuis innumeram habeat populi multitudinem; abundat tamen rebus, lignis duntaxat exceptis, quæ ibi in pondere venduntur. Memphis templum Apis habebat, qui idem est quod Osiris. Erat autem Bos qui & Serapis dictus, corpore niger, candida fronte, intergo alba nota insignis, duplicibus pilis in cauda si pabulum oblatum sumpsisset; omnia prospera denunciabat: si vero abnueret recipere cibum; cladem aliquam ostendebat futuram. Alebatur in septo quodam, videbaturque per fenestram quandam in septo.

Pyramides Ægypti. Vnum de miraculis mundi. *Labyrinthus Ægypti.*

Pyramides Aegypti positę sunt in montano quodam & saxeo supercilio, ad septentrionalem vrbis Memphiticæ plagam. Est autem Pyramis moles quadrata in multam altitudinem assurgens: à fundamentis sensim ad sublimitatem gracili semper modo ascendens vltra excelsitatem omnem, quæ manu fieri possit. Trecenta sexaginta hominum millia annis viginti amplissimam Pyramidem construxisse produntur. Labyrynthus Aegypti opus insigne, vnde Dædalus sumpsit exemplar eius Labyrynthi, quem fecit in Creta, in quo sunt itinerum ambages, occursus & recursus inexplicabiles.

Crocodilorum ciuitas.

Arsione ciuitas, prius dicta Crocodilorum ciuitas; Aegyptij enim in ea Crocodilum venerabantur: in lacu quodam nutriebatur à sacerdotibus pane, carne, & vino, quæ à peregrinis afferebantur ad huiusmodi spectaculum venientibus. Ad ripam lacus aperiebat sacerdos os beluæ: & carnem & mustum imponebat. In Nilo & in Gange inueniuntur.

Crocodilus gignitur ex ouo.

Oua anserinis similia sunt, ex quibus pullus genitus, sedecim aut octodecim cubitorum magnitudinem excrescit. longitudine vitæ hominis: dorsum eius squamosum, duritie præcipua, cauda prælonga: ex vtroque oris latere dentes habet perplures, in quibus duo maxime eminent: non solum homines, sed etiam alia animalia deuorat vnguibus grauiter discerpit, quos habet omnes mucrone acutiores: quos dentibus lacerat, nunquam sanantur. Deuoraturus hominem lachrymari dicitur vnde prouerbium: Crocodili lachrymæ.

Crocodili lachrymæ. *Alexandria vrbs Ægypti.* *Corpus Alexandri Magni.* *Alexandria situs.*

Dies in terra agit, noctes in aqua. Timidus est, vt qui persequentes fugiat, fugientes persequatur. Alexandria vrbs Aegypti, ante Christi natiuitatem anno 320. ab Alexandro magno condita, voluitque esse caput Aegypti, conditaque est in capite Nili. Alia est Alexandria inter duas Antiochias, & tertia in Tanais: quarta in Italia prope Papiam, siue Ticinum. In hac Alexandria Aegypti, sepultum fuit corpus Alexandri Magni: nam mortuus est in Babylone, & per Ptolemæum curiæ suæ magistrum, Memphim translatum, deinde post paucos annos in Alexandria conditum. vnde Augustus Cæsar post deuictum Antonium, veniens Alexandriam, Alexandri corpus reuerenter aspexit. Munitur autem Alexandria vndique immeabili solitudine, aut importuoso mari, aut fluminibus, aut syluosis paludibus. Ab vno latere habet mare mediterraneum: & ex opposita parte Mareotim lacum, in quem riui quidam ex Nilo deducti sunt. Ex Alexandria patet aditus ad Cairum vsque. & inde itinere terrestri ad mare Rubrum, ex quo nauigatur in Arabiam, Persiam, & Indiam. A septentrione habet pulcherrimum portum, in cuius prospectu insula erat Pharos nomine, quam Cleopatra regina coniunxit ciuitati per immensum aggerem. Habuit hęc vrbs doctissimos viros, Amanum episcopum, Clementem, Origenem, Athanasium, Didymum, Theophilum, sanctam Catherinam, & alios. Extra mœnia ciuitatis sunt pulcherrimi horti, in quibus varia arborum & plantarum genera nutriuntur, quæ virorem suum nunquam abijciunt, vt mala punica, limones, citrea poma, & similia.

Alexandria scriptores. *Ptolemæus. Astronomus.* *Almagestus.*

Floruit Alexandriæ insignis ille Ptolemæus Astronomorum princeps, natione Alexandrinus, literarum studijs clarus, temporibus Adriani & Antonini; qui cœli rationem diligentius explicuit, magnamque illam compositionem edidit, quam Almagestum vocant. Deinde descripsit Geographiam vniuersalem, distinxitque in viginti duas tabulas particulares.

De Nilo & eius incremento, & decremento.

Nili origo.

Nilus vnus ex maioribus totius orbis fluuijs, ex Aphricæ fluuijs colligitur, ex montium niuibus, atque magnorum lacuum & paludum occultis scaturiginibus. Alij dicunt recta ex Æthiopia in Aegyptum descendere, ex resolutione niuium montis Lunæ:

Nilus vnde oritur.

Nascitur, inquit, Diodorus Siculus, ex fontibus in extremis Æthiopiæ finibus, ad quos propter æstus nullus aditus fuit, variasque lustrat regiones, magnosque flexus facit. Porro Nili origo sic probatur. Æstiuo tempore quando sol est prope solstitium æstiuale, & longissime recedit ab australibus terris, Nilus habet consuetum cursum, quando vero post festum Ioannis Baptistæ sol recedit, & reflectitur in meridiem, & æstas incipit apud interiores australes, resoluitur nix in montibus, & Nilus incipit crescere, & sensim inundare, ac magnam Ægypto fœcunditatem afferre. Alij dicunt ex Getulia & Lybia ortum habere: potest fieri, vt aliquis inde fluuius oriens, accurrentibus varijs, Nilo misceatur.

Nilus quando crescit.

Incrementum Nili.

Nili incrementum incipit à solstitio æstiuo, vsque ad æquinoctium, semperque nouum limum secum ferre consueuit. Aqua leniter fluente, eam agricolæ paruis aggeribus arcere valent, & pro suo libitu vti. Quatuor aut quinque mensibus exactis, absque aliquo damno aut impensa, fructus colligunt vberrimos. Vineæ quoque eodem rigatæ modo, multo vino abundant. Terra inculta pecori ad pastum relicta, adeo exuberat herbis, vt oues bis pariant in anno, bisque lanam reddant.

Oues bis pariunt in anno.

Vrbes, vici, agricolarum mapalia in altiori loco sita sunt: bestiæ quæ in campis remanent, suffocantur aqua, nisi ad altiora loca se receperint. Pecora inundationis tempore, in stabulis reclusa domi nutriuntur. Vulgus otio torpet epulis & voluptati indulget.

Incrementi tempus.

In nouilunio, quod proxime sequitur introitum solis in cancrum, Nilus incipit crescere, quousque sol peruenerit ad finem leonis. tunc sensim aqua rursus decrescit, quoad sol egressus fuerit libram, tunc Nilus suo alueo concluditur. Signa fertilitatis, quando in profundioribus Ægypti locis, Nilus sexdecim cubitis in altum ascendit, atque inundat, iustum dicitur habere augmentum: vnde illo anno magna speratur fertilitas. Si altior fuerit, in terræ cedit detrimentum, eo quod aqua in profundioribus locis tardius desiccetur. Si vero fuerit minor, quod tota terra irrigari nequeat, cultoribus obest.

Signa fertilitatis.

Quando seminant.

Agricolæ tunc conantur aquam in eos agros deducere, qui stagnari nequeunt. Inundante Nilo 12. aut 13. cubitis, famem expectant: si vero 14. fertilem annum præstolantur. Irrigata, & exiccata terra, circa duodecimum Octobris diem agricolæ seminant agros, vsque ad Calendas Nouembres: & in sequenti Maio colligunt messem. Rhenus & Danubius contrariam habent naturam: inundantes enim corrumpunt agros, quia sua alluuione bonum fundum soli auferunt: similiter & in prata limum inducunt sterilem & pestiferum.

Nili insulæ.

Nilus multas facit insulas, & aliquas magnas. Delatus in locum qui dicitur Delta, tanquam à vertice scinditur in duodecim flumina, quæ descendunt in mare mediterraneum. Sed de Nilo satis dictum habeo.

Sacerdotes.

Sacerdotes Ægypti cibo vescebantur simplici, vini potandi certa mensura iuxta aram hostijs deductis, astante rege, magna voce audiente populo prospera omnia illi precabantur, iustitiam, pietatem, religionem, humanitatem.

Regis iustitia.

Reges vero nihil per superbiam, aut iram, aut aliam ob iniustam causam, licentiam habebant agendi. Neque id ægre ferebant, existimantes parendo legibus se beatos fore: hac vsi erga subditos iustitia reges, omnibus erant chari: regis vitam omnes tuebantur, atque maiori cura prosequebantur quam filiorum & vxorum salutem: mortuum vero magnis laudibus cumulabant, qui secus se gerebant, carebant sepulchri honore. Sed de Ægypto hæc sufficiant.

De Æthiopia.

Æthiopia dicta est ab Æthiope Vulcani filio, qui illi præfuit: sub meridiano cardine iacet. Circa partem occiduam montosa est: in mediterraneis vero arenosa: at circa ortum solis deserta.

Æthiopia duplex.

Duplex numeratur Æthiopia, vna in Asia, in Aphrica altera. Porro, quæ in Aphrica est, hodie India dicitur, quæ ab oriente Rubro mari alluitur: à septentrione autem Libyæ & Ægypto coniungitur: ab occasu vero interiorem Libyam habet: à parte autem australi, alteram habet Æthiopiam maiorem, & magis australem.

India.

Æthyopia maior.

Primi omnium mortalium creduntur indigenæ, & seruitutem nunquam experti. Primi deorum cultum habuerunt primasque sacrorum cæremonias. Tanto honore atque amore regem prosequuntur; vt si rex fuerit claudus, aut monoculus, vel aliquid huiusmodi sustinuerit, domestici sponte sua eadem patiantur. Rex ab his potissimum declaratur, qui forma, peritia, ac robore cæteros antecellit.

Regis honor.

Ex illa magna India ingens Indorum multitudo in Æthiopia consedit, abolitaque veteri voce Æthiopes nuncupantur. Ciuitas Meroe ab antiquis temporibus fuit Saba vocata: & postea à rege Cambyse Meroe denominata, quam scribit Plinius regiam fuisse, atque metropolim Æthiopiæ.

Æthyopia.

Ciuitas Saba.

Hodie vero amplissimum est imperium, vt duobus & sexaginta regibus Imperator eorum dominetur. Hæc dicunt locorum indigenæ. In Saba ciuitate mansit tempore Salomonis regina austri, quæ venit audire sapientiam Salomonis.

Regina Austri.

Candaces reginæ Æthiopum.

Pretoiannis rex.

Deinde mulieres regiam administrationem vsurpantes, Candaces sunt dictæ, vt narrant Actus Apostolici cap. 8. Quoniam vero regio ista cœpta fuit vocari Indja, factum inde quidam putant, vt Pretoiannum, seu Presbyterum Ioannem in Indiam Asiæ, alij in Indiam Æthiopiæ locauerint. Vltra regnum Meroe, sunt vastæ solitudines, calore nimio torridæ, in qua habitant magni serpentes, qui dracones appellantur.

Rizophagi populi.

Habet Æthiopia quosdam populos, qui vocantur Rizophagi iuxta fluuium Asam, à radicibus arundinum sic dicti, quibus victitant: terunt enim lapidibus radices, & placentas faciunt, soleque desiccatas edunt: pugnant cum leonibus, qui ex deserto, vt minores dilaniant bestias, egrediuntur: actumque esset de illis, nisi quia sub ortum canis, innumera, nullo agitante vento, culicum multitudo ad ea loca aduolat, quæ homines ad paludes fugientes minime lædunt, leones vero abire ex his regionibus compellunt, tum morsu aculeato, tum sono vocis territos.

Ilophagi.

Alij populi his propinqui nominantur Ilophagi: hi fructus qui ex arboribus decidunt, colligentes, edunt: reliquo tempore herbam in vmbrosis nascentem locis decerpunt. Habent quoque tantam peritiam ascendendi in arbores ex continuo vsu; vt de arboribus, quasi aues prosiliant.

Cynæci super arbores dormiunt.

Achæi.

Acridophagi.

Cynæci super arbores dormiunt. Achæi bellum exercent cum elephantis: & ad lapsum impulsos, trucidant. Acridophagi, id est, locustarum deuoratores, paulo cæteris breuiores, macilenti, ac supra ramos dormiunt. Veris tempore Zephyrus & Libycus venti, magnum locustarum numerum ex deserto ad eos deferunt: hæ permagnæ sunt, sed colore alarum turpi & squalidæ, quæ sale super infuso diutius seruantur: & cibum præstant se capientibus. Homines leues & veloces sunt corpore, quadragesimum annum non excedunt.

Cynamini.

Cynamini populi circa meridionalem Aphricæ partem habitantes, prolixas admodum barbas habent: greges syluestrium canum nutriunt ad præsidium vitæ: nam ab æstiuo Tropico vsque ad medium hyemis, Indicique boues innumera multitudine eorum regiones ingrediuntur, quos canibus comprehensos, recentes edunt: alios vero saliunt ad futurum vsum vitæ tuendæ.

Ichthyophagi.

Troglodita.

Ichthyophagi ferarum vitam ducunt: nudi per omnem vitam degunt: habitant in Arabico sinu. Troglodıtæ, id est cauernarum incolæ ob nimios calores: vtuntur vulgares potu, succo arboris paliuri: potentiores ex quodam flore expresso: nudi incedunt: quando siti premuntur, statim bibunt, alioqui extinguerentur æstu. Coquunt cibos suos in sole sine igne.

Libya interior & exterior.

Vltra Æthiopiam est Libya interior & exterior. nomenque accepit à Libo Mauritaniæ rege, qui in hanc irrumpens regionem, eam sibi subdidit. Est autem latissima & exusta regio, habens multos populos multumque arenæ: in ea enim sunt Nasamones, hodie Mauri, Anuchitæ, Garamantes, Getuli. Mauri dira natio.

Garamantes.

Garamantes habitant in locis syluestribus, & omnium hominum commercia aspectumque refugiunt. nihil bellicæ armaturæ habent: nec defendere se audent. Athlantes iuxta montem Athlantem habitant: solem ascendentem execrantur, quod torridus & ipsos, & regionem perdat. Asbestæ habitant vbi Ammonis est oraculum. Apud eos Cambyses cum toto exercitu extinctus est.

Fons Solis.

Apud eos quoque est fons solis, qui frigoris & caloris momenta singulis noctibus & diebus capit. Itaque omnes Libyci populi sub diuo habitant, victu more ferarum contenti. Nobiliores inter eos nullas habent ciuitates, sed turres aquis proximas, in eis reponentes quæ vsui sunt necessaria humano: hastis & lapidibus pugnant: nullam externis hominibus fidem seruant, quod omni prorsus humanitate caret.

Pantheri, qui & Pardales.

Pardi inebriantur.

Struthiocamelus.

Sunt quoque in Libya & Mauritania Pantheri, qui & Pardales, sæua animalia, veloci cursu, glauco colore, intermixtis multis maculis, simijs & ceruis insidiantur. Capiuntur Pardi nimio potu vini, quo inebriantur, & dormiunt; atque sine labore capiuntur: ponunt enim venatores vinum, vbi Pardi bibere consueuerunt. Struthio auis est immensa in Aphrica. habes caput pilis minutis tectum, oculos grossiores & nigros, non dissimilis forma & colore Camelis, collo oblongo, rostro breui atque acuto, mollibus pennis; duobus cruribus, pedibus vngula fixa, vt ex Camelo & aue animal huiusmodi constare dicas: volatile & terrestre propter grauitatem volare non potest, sed velociter graditur: vnguibus bisulcis lapides comprehendit, quos fugiens in persequentes iacit: concoquit quic-

quid

Libya. quid deuorat sine aliquo delectu: parit multa oua, sed non omnia sunt accommoda ad pullorum procreationem: parat nidum suum in foueam arenæ, & circumædificat propugnaculum in modum muri, ne aqua pullos lædere valeat. *Cynocephali.* Sunt in interiori Aphrica, siue in Aethiopia Cynocephali, quorum canina sunt capita, canina ora, qui ipso latratu magis bestias quam homines se esse profitentur. *Monoculi.* Alij vnum tantum oculum in media fronte habent. *Pygmæi.* Alij sunt statura cubitali, Pygmæi scilicet. *Sciopodæ.* Alij singula habent crura, & non flectunt poplitem; & tamen mirabilis sunt celeritatis, qui Sciopodæ vocantur. hi, Plinio teste, æstiuo tempore in terra supini iacentes, pedum se vmbra protegunt. Quidam alij sunt sine ceruice, habentque oculos in humeris. Sunt etiam & monstrosa animalia in Arabia. *Basilisci. Scorpius.* Sunt insuper Basilisci, qui solo visu interficiunt hominem. Est & Scorpius minutum animal, quo nihil nocentius habet Libya: Itaque animalia in Aphrica, teste Salustio, plures interficiunt homines, quam morbis intereant. *Athlas mons.* Verum non ignorare oportet Athlantem montem Aphricam in duas partes inæquales diuidere, quarum minor & angustior pars mare mediterraneum attingit: maior vero vltra Athlantem extenditur vsque ad Oceanum meridionalem: & inhabitatur à diuersis Nigritis seu Æthiopibus. Latus vero Aphricæ à Carthagine vsque ad Herculis columnas feracissimum est. non sic autem mediterranea & interiora Aphricæ. *Aphricæ diuisio.* Diuiditur autem Aphrica in Mauritaniam, Numidiam, Aphricam, Cyrenaicam, & Aegyptum. Hodie vocatur Barbaria, Regnum Thunes, Regnum Marrochorum, Regnum Fess, Argieræ, &c. *Montis Athlantis descriptio.* Porro, mons Athlas incipit in Oceano occidentali, extenditurque in orientem vsque ad Nilum fluuium Ægypti: atque in tantam sublimitatem ascendit, vt eius cacumen infra in planicie videri nequeat; nam fere è medio montis nubes incipiunt. hyeme & æstate niues habet. arboribus vestitur, & fluminibus irrigatur: & omni genere fructuum abundat, qua spectat mare mediterraneum. *Columna cæli.* Indigenæ vocant illum columnam cæli: quod Athlas rex Mauritaniæ dies cum suis noctibus in eo sedit: & primus omnium cursum solis & lunæ, syderumque omnium ortus & occasus hominibus tradendos curauit. Æthiopes, qui vltra Athlantem habitant, non sunt ita feri, vt illi Æthiopes, qui mediterranea interiora occupant. *Nigritæ.* Nigritæ qui habitant versus occidentem, abundant ebore, quia in eorum terra est copia Elephantum. Iidem, sicut & Getuli, capiunt in littore maris conchylia purpurarum atque muricum, quorum sanguine tinguntur nobiliores panni, qui purpurei vocantur. *Purpura. Vbi inueniuntur leones.* In Aphrica magna est copia leonum: inueniuntur quoque in Thracia iuxta ostia Danubij, in Armenia, in Parthia; non ita tamen feroces, vt Thracia. *Leonis natura.* Habet autem leo magnum caput, eminentes palpebras, longum pilum iuxta collum & meatum. qui in Arabia generantur, habent longum pilum in collo & in anterioribus pedibus: qui vero in Lybia & in interiori Aphrica, habent ferocem & toruum aspectum, rarumque in membris pilum. sed cæteris omnibus robustiores sunt. *Leænæ partus.* Aristoteles tradit Leænam primo fœtu parere quinque catulos: ac per annos singulos vno minus, ab vno sterilescere, quousque tandem in vnam prolem partus desinat. Habet Leæna duo vbera parua in medio ventre, eo quod non habeat magnum lactis stillicidium. Leo infirmis est lateribus, reliquo corpore robusto, ceruice præsertim validissima, quod osse vno rigida constet, nec vertibus vllis iungatur. nascitur apertis oculis, minimo somno deditus, rarus in potu, vescitur alternis diebus, à saturitate interim triduo cibis caret. *Leonis clementia.* Leonis vita est longa: leoni ex feris inest clementia in supplices. nam prostratis parcit: & vbi sæuit, in viros priusquam in mulieres fremit. infantes non nisi magna fame adactus deuorat. Immota cauda leonis, placitum se ostendit: vbi vero iracundia corripitur, primum cauda verberat terram. deinde ira crescente flagellat tergum. diu retinet vindictam contra animal à quo læsus est: vulneratus nouit percussorem, & in quantalibet multitudine appetit: fugiens non obuertit tergum quasi pauidus, sed pedetentim progrediens & murmurans respicit retro: *Ossa leonis reddunt ignem.* ex ossibus leonis ceu ex lapide ignis excuti potest, ita calet eius natura; ideoque interdum præ nimia ira moritur: sæuum hoc animal timet gallorũ christas cantusq; maxime autem ignes.

De Mauritania.

Mauritania. Mauritani Indi populi fuerunt, qui cum Hercule ad hæc loca profecti, nomen regioni indiderunt, vel Mauri dicti sunt à μαῦρος, quod est nigrum, nigri sunt enim. Hæc regio & Hispania tenui freto intromittunt mare Oceanum, quod Mediterraneum appellatur: spatiaturque vsque Constantinopolim, Syriam, & aliquando versus Schytas. *Mauritania. Oceani introitus.* Huius oceani introitus ab Hispania in Aphricam septem miliaribus Italicis concluditur. Ex vtroque littore opposito consurgunt duo montes, nempe duo saxa eminentissima, quasi ex industria dissecta, quo mare in terram intromitteretur: quod Herculem fecisse Poetæ finxerunt, ideoque Herculis columnæ appellantur. *Columnæ Herculis. Abyla. Calpe. Gades insula.* Porro, illa quæ Aphricæ latus obtinet, vocatur Abyla quæ vero est ei opposita in Europa, Calpe. mare vero interfluens fretum Herculeum vel Gaditanum ab insula adiacente. *Cæsariensis.* Cæterum duplex est Mauritania, orientalior à rege Bocho Bochiana denominata, postea à Romanis Cæsariensis. *Tingi ciuitas.* Altera Tingitana à Tingi ciuitate, iuxta angustias Gaditani freti sita. Tingi autem ciuitas condita fuit ab Antæo portentosæ magnitudinis homine. Lixos Antæi regia, & iuxta Hesperidum horti aureis arboribus & pomis famigerati. sed eius rei nullum extat vestigium: & præter oleastros inibi conspicitur nihil. *Mauritaniæ fertilitas.* Mira est Mauritaniæ fertilitas: nam agri in quibusdam locis centesimo fœnore reddunt cultoribus messem: vites vero duorum hominum complexus capere non potest: vuarum vero racemi cubitales. *Mauritania Cæsariensis.* Claudius Imperator singulari fauore complexus est Iol ciuitatem Mauritaniæ: & instauratam, appellauit Mauritaniam Cæsariensem, à qua & tota prouincia Cæsariensis est appellata. *Iuba rex.* Strabo id ascribit Augusto Cæsari, qui Iubam regem interemit: filium vero eius puerum Romam duxit: hominisque literis & ingenio præditus, Augusti liberalitate paternum regnum recepit. Habuit Ptolemæum ex Antonij & Cleopatræ filia natum, quo per Caligulam interfecto, Mauritania in duas deducta est prouincias. *Cirta ciuitas. Siphaces rex. Vandali Aphricam occuparunt.* Cirta ciuitas in Numidia sita, potens olim & opulenta, in qua duo reges habitarunt. Siphaces & Iuba. Tempore sancti Augustini venerunt Vandali in Hispaniam: & traiecto Gaditano mari cum Genserico rege, in Mauritania celebriores ciuitates occuparerunt, nec à Romanis expelli potuerunt: tenueruntque sub potestate sua Aphricam 96. annis. Septensis ciuitas, septem fratres, à septem montibus, qui à simili proceritate dicti sunt fratres: non procul est ab Abyla monte sita. Numidia pars est Aphricæ minoris, inter Tingitanam & Carthaginensem regionem. *Massinissa. Numidia.* Numidæ dicti, quod ante Massinissam regem fere vitam pastoritiam viuebant: radicibus, carne, lacte & caseo vtebantur. Plinius scribit Numidas Nomades dici, à permutandis pabulis, circumferentes domos plaustris diuulsis vnde vagi dicuntur. Angustior est quam Mauritania sed magis culta & ditior, vbi Numidicum marmor effoditur. Alluitur Ampsaca flumine ex Atlante deriuato: *Marmor.* præter marmoris ferarumque prouentum aliud nihil habet insigne. Ab ortu habet Carthaginensem regionem; à septentrione mare quod tendit ad Sardiniam versus: ab occasu Mauritaniam & à meridie Æthiopiam. *Hippon. Regium.* Claræ vrbes in Numidia, Hippon & Regium. Maximus atrocissimarum ferarum in omni Numidia prouentus. *Aphric. minor.* Mauritaniæ & Numidiæ succedit Aphrica minor, quæ quondam pugnauit cum Romanis pro imperij dignitate. Huius Aphricæ caput Carthago à Didone condita post Troianum bellum: Fuit autem hæc ciuitas constructa in quodã loco seu colle eminenti, qui vocabatur mons Mercurij: poterantq; Romani ab Ostia ciuitate Tiberis, biduo, flante vento, ad Carthaginẽ nauigare. *Carthago. Mons Mercury.* Post tertium bellum Punicum, Romani in formã prouinciæ Carthaginem redegerunt: & Massinissæ commissa est à populo Romano. *Massinissa rex.* Fuerat autem Massinissa Numidarum regulus & in Aphrica primum populi Rom. hostis postea amicissimus vsque in finem vitæ perseuerauit. In medio vrbis arx fuit, quam Byrsam vocauerunt, in cuius vertice Æsculapij templum erat. quod Asdrubalis vxor capta vrbe secum concremauit. Arci portus subiacebat. In initio belli trecentas vrbes in Libya habuerunt. Anno ab vrbe condita 602. tertium bellum Punicum factum est. *Excidium Carthaginense.* Primum autem coegit Carthaginenses decedere Sicilia & Sardinia: & per continuos viginti annos persoluere Romanis puri argenti tria millia talentorum. *Tria bella Punica.* Deinde anno ab vrbe condita 534. bellum Punicum secundum, illatum est Romanis per Hannibalem Carthaginensium Ducem. Cum itaque senatus Romanus Carthaginem delendam censuisset: profecti Consules in Aphricam castra prope Vticam tenuerunt. Ibi Carthaginenses euocati, iussiq; arma & naues tradere, illico arma tradiderunt. Deinde consules cum aliquantam muri partẽ diruissent, à Carthaginensibus sunt repulsi. *Carthago igne consumpta.* sed Scipio Scipionis Aphricani nepos, tribunus militum, repulso intra muros hoste, defendit oppressos: tandem viriliter pugnãs, Carthaginem diruit, arsit enim ipsa ciuitas 17. diebus: dirutaque est omni murali lapide in puluerem comminuto: viginti duo milla passuum amplexa muro: tota pene mari

Aphrica.

cingebatur absque turribus, quæ à tribus millibus passuum aperiebantur: qui plana locus murorum triginta pedes latum habuit: saxa quadrato in altitudine cubitorum 60. Arx illa fortissima concidit: atque ita Carthago septingentis annis postquam condita erat, deleta est: inde vocatus est Scipio Aphricanus minor.

Vandali Carthaginem occuparunt.

Permansit autem Carthago in familiis 25. annis, deinde à Romanis instaurata, non tamen in ea vt prius magnificentia. Postea anno Christi 443. Vandali Carthaginem occuparunt 96. annis, qui à Belisario sub Iustiniano Imperatore Carthagine pulsi sunt, Gilimire rege argentea catena vincto, & in Constantinopolim ducto. Paulo post sub Heraclio Persæ Carthagini magna damna intulerunt: deinde ann. 608. Saraceni magna potentia egressi de Arabia, totam exteriorem Aphricam occupauerunt, Carthaginem deuastantes. Multa ergo illa imperialis ciuitas, tot insignibus & illustribus viris ornata sustinuit incommoda, clades perpessa est, direptiones pertulit.

Tunis ciuitas.

Tunis ciuitas vna ex vetustioribus Aphricæ ciuitatibus, in sinu Carthaginensi posita, è regione Siciliæ, quam Saraceni fecerunt sibi regiam, & S. Ludouicus rex Galliæ expugnauit: ex ruinis Carthaginis plurimum ampliata est, atque decorata: est

S. Ludouicus rex Galliæ. Paulus Tritonia.

in regno Tunetano Paulus Tritonia, vbi Minerua apparuisse dicitur, quæ alio nomine Pallas interpretatur. Hæc Iouis primogenita fuit: ipsa prima lanificium inuenit: hæc ipsis vsum olei adinuenit & docuit: ipsa sapientiæ dea, & artium inuentrix dicitur. Sunt circa finem Aphricæ versus Ægyptum duo periculosissima loca, nempe arenosa in mari, Syrtes propter aquas reciprocas dictæ; significat enim

Syrtis quid sit.

σύρειν trahere: siquidem in his locis est magna maris & terræ inæqualitas; nam in vno loco est magna maris profunditas: & in alio mare est vadosum. Etenim spirante vento, cumulus arenæ qui supra mare fuerat, in profundissimas residet valles: & qui deprimebatur, mox super aquas erigitur. Sane ad hunc modum affluxu & refluxu maris ad viginti aliquando miliaria arena transfertur: vnde fit, vt vbi hodie fuit vadosum, cras fit profundissimum: si naues inciderint in arenosos cumulos, naufragium euadere nequeunt.

Minor & maior Syrtis.

Minor Syrtis à Carthagine trecentis millibus passuum distat: maior vero quadringentis viginti quinque millibus. Iuxta minorem Syrtim sita est ciuitas Tacapa cuius agri vites bis in anno fructum reddunt.

Vites bis in anno fructum reddit. Cyrene.

In Aphrica minori raro pluit; sed copiosus descendit ros matutinus irrigans superficiem terræ. Cyrenaica regio à metropoli Cyrene vrbe maxima, nomen accepit, quæ in campo quodam adeo edito iacet, vt nauigantes eam videre valeant. Fuit ædificata à Batto quodam Laconico, ob regionis bonitatem: fuit aliquando sub regibus Ægypti: veniens autem in manus Romanorum, facta est prouincia, cum Creta coniuncta: ab hac ciuitate tota prouincia Libya Cyrenea dicta est. À Plinio vocatur Pentapolis, propter quinque vrbes quæ in ea inueniuntur, quarum hæc sunt nomina, Beronice, Arsione, Ptolomais, Apollonia, ipsaque Cyrene.

Pentapolis

Abundat ipsa vrbs Cyrene scaturiginibus fontium, hortis, & arboribus, miraque amœnitate ager eius ornatur. Altior est Ægypto, suoque circuitu octoginta stadia habuit.

Cyrenensium viri eruditi.

Cyrenenses fuerunt Aristippus Socraticus, Cyrenaicæ philosophiæ author, & Areta eius filia, quæ patri successit in schola, Callimachus poeta, Eratosthenes Mathematicus, Synesius orator. Iudæi quoque qui translati fuerant à rege Assyriorum, ibi habuerunt Synagogam, vnde Simon Cyrenensis qui portauit crucem post dominum Iesum.

Simon Cyrenensis.

Cæterum, illa fertilitas non extenditur vltra tria vel quatuor milliaria à mari versus Aelantem: desinit tandem in sterilem arenam: nutrit hæc regio versus montana leones, onagros: habet aspides & basiliscos.

Basiliscus.

Est autem basiliscus genus serpentis, habetque in capite candidam maculam, qua ceu diademate quodam ornatur: habetque acutissimum caput, os rubeum, oculos & colorem ad nigredinem vergentes: sibilo omnes fugat serpentes: frutices afflatu exsiccat: exurit herbas: rumpit saxa: inficit aerem vbi manet; vt sine exitio aues prætervolare nequeant: homines solo aspectu interficit: palmam non excedit, quemlibet tamen magnum serpentem solo halitu necat: in latibulo iacens totam interimit ciuitatem, colore albus, cauda intersecta duabus nigris lineis, omnium serpentum atrocissimus.

Marmarica fertilitas.

Marmarica regio in Aphrica: ab occasu habens Cyrenaicam: à septentrione mare mediterraneum: ab oriente Ægyptum, à meridie Libyam: habet terram asperam & squalidam, similiter & populum incultũ & rudem, vocaturque Libya exterior. Porro, Aphrica minor ab Ægypto, Cyrene, & Marmarica per incultam & arenosam, ac venenis squalentem terram separatur. porro, Marmarica exterior & maritima adeo feracissima est, vt vnum semẽ multiplicetur in ducenta, & aliquando in quadringenta. Sed quia agri animalibus venenatis exuberant, tegunt agricolæ pedes & crura ocreis & aliis tegumentis ex pellibus factis.

Aphricæ regiones. Melilotus arbor ex qua fit vinum.

Apud illos inuenitur melilotus arbor, ex qua vinum conficiunt. Porro, Marmoridæ interiores nullis subsunt legibus latrociniis semper intenti: victu ferarum more contenti, nihil domesticum edunt: pellibus caprarum teguntur. loca mediterranea arenarum cumulis referta, serpentes habet, qui Cerastes vocantur.

Cerastes.

Ammonis templum.

In Marmarica interiori olim fuit Ammonis templum, id est, Iouis arenarii templum: est enim Græcis ἄμμος arena.

Cambyses.

Cambysen rex Persarum audiens templum illud magnificis donis locupletatum, misit exercitum qui templum spoliaret, sed quinquaginta millia hominum in arena suffocata sunt.

Alexander magnus consulit Ammonem.

Aliquot deinde annis Alexander magnus veniens in Ægyptum, statuit adire templum Ammonis: veniens ad idolum post immensos labores, consuluit Ammonem, an totius orbis imperium fatis sibi destinaret: vates respondit terrarum omnium fore rectorem, inuictumque mansurum, donec excederet ad Deos. Oblatis itaque donis, rediens in Ægyptum Alexandriam inter Mareotim paludem, & mare mediterraneum ædificauit.

Aqua solis

Porro, inter vastam solitudinem templum Ammonis ita ramis ambientibus contectum est; vt sol in densam cadat vmbram: multi fontes dulcibus aquis passim manantibus alunt syluas: cœli quoque mira temperies, verno tempori maxime similis, omnes anni partes pari & firma salubritate percurrit. Habet Ammonis nemus in medio fontem, aquã solis vocant, quæ sub lucis ortum tepida manat: media die cum vehemens est calor, frigida eadẽ fluit: inclinata ad vesperam calescit & media nocte feruida exæstuat. Hæc quidem de Africa minori: de interioris vero Africæ populis, dixi, quod Æthiopiæ nomen habent, & alicubi Indiæ, cuius prima pars est Libya interior, in qua sunt Getuli & Garamantes.

Getuli.

Getuli asperi & inculti olim erant, quibus cibus erat caro ferina: lege & imperio alicuius non regebantur: vagi, palantes qua nox coegerat, sedes habebant.

Garamantes.

Garamantes grandis & inculta natio, Senegæ regionis nomen id temporis acceperunt. Nigris fluuius, qui nunc Senega, cui eadẽ natura quæ Nilo, hos à Getulis dirimit.

De Senegæ fluminis regione.

Senega fluuius.

Senega fluuius disterminat Nigritas ab Azanegis: desertum ab irrigua & feraci terra: trans flumen illud homines sunt nigerrimi, proceræ staturæ, aptissimi corporis & omnis illic regio viret & vernat, pomiferis arboribus referta. At citra fluuium, homines sunt subcinericei coloris, contractæ staturæ: flumen autem Senega à Nilo deriuari quidam arbitrantur; nam quemadmodũ ille Ægyptum, ita plane iste Æthyopiam fœcundat.

Nigritæ.

Porro, Nigritæ qui primo loco regnum Senegæ obtinent, hi sunt in introitu regni Æthiopiæ: inopes, nullas habent vrbes, carent lapidibus: & angusta est regio: omnibus licet tot vxores sibi copulare siue ducere, quot alere potest.

Regnum Senegæ.

Itaque regnum Senegæ Nigritarum introrsus orientẽ versus conterminum est regioni Tuchmoræ: & ex parte meridionali regnum habet Cambriæ: ab occiduo autem Oceanum: à septentrione vero, Nigro flumine clauditur. Incolæ non habent vinum, triticum, hordeum, neque auenam; sed milium, fabam & pisum, quæ seminant in Iulio & paulo post metũt in Septembri. eorum potus est succus palmæ, lac, & latices:

Succus ab arbore inebrians.

illa autem arbor anno continuo succũ instar lachrymarum emittit: vt autem vberiorem habeant succi prouentum; arbores saucians, & statim prosilit surcus, qui excipitur vase aliquo: & serum lactis præsentat estque eius incredibilis suauitas: & vt vinum inebriat, ni aqua immixta fuerit qui prima die prouenit ex sauciata arbore est dulcis: sed indies suauitatem amittit, & fit acidum & acre: pascua ibi plurima, & arbores ingentes lacus plurimi & suaues, & pisces innumeri.

Oleum regionis triplicis virtutis.

Oleum regionis habet odorem violaceum, saporem olei, siue oliuæ, & dapes, vt crocus inficit. Sunt ibi serpentes multi, etiam alati, sed Nigritæ sciunt incantare, & fascinare serpentes.

Animalia Senegæ.

Habet regio boues, sed nostris minores, leones, pardos, lupos, capreolos, lepores: sunt in ea Elephantes syluestres, qui gregatim incedunt, vt in nostris nemoribus apri: scatet regio psitacis, qui mira arte in arbore excelsa faciunt nidos pensiles in surculo tenui, cui serpentes seipsos credere non audent, mole grauati corporea.

Mercatus Senegensium.

Conueniunt Senegenses die Lunæ & Veneris in pratis quibusdã ad suas nundinas, in quibus vendunt pannos bombicinos, legumina, oleum, milium pelues ligneas, storeas palmarum foliis cõplicatas, & alia complura à mulieribus venduntur: à viris autem aurum & arma permutant omnia pro altera

re, quia

Aphricæ regiones.

re, quia pecuniam signatam non norunt: equi ibi non sunt, & præ nimio æstu viuere nequeunt. Porro, non longe à regno Senegæ est regnum Cambriæ, auri feracissimum: non

Regnum Cambriæ. Caput viride.

procul ab eo est promontorium, quod vocatur Caput viride, densissimis arboribus, eisdemque toto anno viridibus conitum: est caput admodum eminens, & visu pulcherrimum. Incolæ illius regni adorant idola, legem nullam habent: sunt viri truculentissimi, arcu vtuntur, ac venenatis sagittis. Regio frequens est arboribus: irrigua fluminibus, ideo fere est inaccessa: meridiem versus est ostiū Cambræ fluminis, cuius latitudo ad quinq; miliaria Italica extenditur, cuius litora ex vtraque parte fluminis conserta

Cambra fluuius.

sunt arboribus: ex hoc flumine dictū est regnum Cambræ.

Melli rex.

Subest regnum regi Melli, qui magnus Imperator Neborum dicitur: vescuntur Oriza & carnibus, vestiunturque bombicinis: habent quoq; Elephantos syluestres. Vltra caput viride & regnum Cambræ, peruenitur ad caput Bonæ

Caput bonæ spei.

Spei quod est frons Aphricæ, vbi scilicet Aphrica sensim reflectitur, ad aquilonem & orientem: hic enim continentis Aphricæ finis est, vbi incultum genus hominum. Inter caput Bonæ Spei & regnum Melli multi & varij sunt populi, & quidem incogniti: nam quidam sunt ita feroces, vt cum ais commercium aliquod contrahi non possit: qui vero in

Psittacorum regio.

psitacorum regione habitant, præditi sunt humanitate: inibi vero psitaci, brachium & dimidium, longitudine excedunt, multimodi coloris: Incolæ nudi incedunt: & con-

Panis conficitur ex radice.

ficiunt panem ex radice, quam igname vocant: capillum habent prolixum: barbam & palpebras vellūt: ferunt labrum oris inferius perforatum: & in huiusmodi foramine ponunt lapillos, vt videatur labium geminatum. Mulieres vero gemini digiti crassitudine labra habent, latissima fronte, & prægrandibus dentibus, eiusdemq; instar niuis albicantibus: incolæ quotidie piscātur, & piscē vnum capiunt, qui dolium non mediocri crassitudine excedit: longitudine vero duo dolia superat. Vltra caput Bonæ Spei est regnū

Regnum Melindæ. Auri fodinæ.

Melindæ, & Zaphla insula, quæ auri fert, & paret regi Mauri, qui in alia insula habitat, nomina Cholo. Sunt in insula Zaphla montes, vbi aurifodinæ sunt quā plurimæ, estque in ais auri vis ingentissima: vnde tota India & Persia aurū suum haurit, & nauibus vehit. Habitatores Melindæ vtuntur scriptura, & lingua Arabica: Nigritæ interiores subsunt

Regnum Pretoianni.

Pretoianni. Porro, regnum Pretoiannis non procul à regno Melindæ incipit: huiusmodi regnum est in India Æthiopica, & non in India Asiatica: coniunctum est regno Soldanis Ægypti ab vna plaga: ab alia vero regno Melindæ: ab occasu autem pertingit ad Nigritas siue Æthiopes interiores ab oriente coniungitur mari rubeo. Colit hic rex Christum, & habet Euangelium, sed in cæremonijs dissidet à Roma-

Philippus Apostolus Æthiopibus prædicauit.

na ecclesia: asserunt Philippum Apostolum apud eos prædicasse Euangelium. Regnum Pretoiannis, vt quidam dicunt, amplissimum est, excellitque in diuitijs, auro, argēto, & lapidibus pretiosis alias terras. Quadraginta reges obediunt Imperatori Pretoianni, quibus aliqui sunt tributarij.

Thomas Apostolus sepultus in Æthiopia.

Thomas Apostolus sepultus est in regno Æthiopum. Cameli & vrsi albi, equi cum duobus cornibus. Mulieres Seorum habent: tres reginæ Amazonum procedunt ad bellum cum infinita mulierum multitudine. Pygmæi sunt boni

Rex Pygmæorum.

Christiani, & sunt vbique rurū in Aphrica: rex Pygmæorum procedit ad bellum contra aues, easq; suis vocibus fugant, conseruantq; fructus, quos aues perdere consueuerunt. E

Insulæ fortunatæ.

regione montis Athlantis insulæ fortunatæ numerantur, in omnia frugum genera fœcundæ, in quibus tellus quotannis fruges inaratas reddit: imputata floret vinea: aër & venti saluberrimi, vtpote qui nulla paludum graui nebula inficiuntur. Homines in capite tantum pilos habent, in superciliis, palpebris & barba nullos. Herba apud eos nascitur, super quam in faciem cubant, cum satiatas vitæ eos ceperit ac post paruum somnum è vita migrant. Discordia, atq; omnis & corporis & animi ægritudo illis ignota: domos

Deorum fontium natura.

habēt nemora & deorum lucos: duos habent fontes, vnius aquam qui gustauerit, risu soluitur in mortem: remedium est, ex altero bibisse felicitatem summam putant his caetera

In vile Canaria.

rabus, quæ dulosem possent egentibus afferre. Vocantur insulæ Canariæ ob nimiam earum fertilitatem: numerantur decem ex quibus tres incultæ iacent, reliquæ inhabitantur: in quibusdam Christus notus est: in quibusdam incolæ idola colunt. Non habent ciuitatem muro cinctam, sed habi-

Lapis Adamantinus. Lapis ardet sicut Ætna mons.

tant in oppidis non clausis. In Teneriffa insula est lapis Adamantinus, altitudine nonam miliariorum, qui iugiter flagat instar Ætnæ montis: homines incolunt cauernas montium, hordeo, carnibus, & caprino lacte victitantes. A Canariis insulis abest Caput album, vbi est sinus maris, & insula Dargin, in qua potum dulcē aqua præbet: vasta est ista regio, adeo, vt si ex transuerso metiaris, itinere dierum se-

Nouæ insulæ.

xaginta haud consequaris magnitudinem: alluitur ab vna parte oceano. Eius regionis incolæ viuunt hordeo & carioris, quibus vbertim abundant potus illis camelorum, & aliorum animalium lac. nunquam quiescunt, sed vagantur per deserta: camelorum ingens est illis copia, quibus comportatur æs atq; argentum, & quam plurima exercētur magna commercia in insula Dargin, ad quam conueniunt va-

Dargin insula.

riæ nationes. Sed hic sistat calamos de mundo veteri, & in sequenti capite de nouo loquar.

DE NOVO MVNDO.

De nouo orbe, siue de insulis nouiter inuentis. Author huius nouæ inuentionis extitit: Christopho-

Columbus.

rus Columbus prope ciuitatem Ianuensē, in quodam oppido in edito loco posito natus, vt ipse vidi an. 63. Is in aula Regis Hispaniarum diu diuersatus, animum induxit incognitas orbis partes adire. Assumpto regis auxilium, præparatisq; nauibus ad labores tam longissimi & periculosissimi itineris necessarijs, prima Septembris luce

Columbus quando recessit.

an. 1492. soluit ab Hispaniæ litoribus, à Gadibus versus insulas fortunatas, quas nunc Cannarias appellant: inde soluens nauigauit versus occidentē tandemq; inuenit aliquot insulas, quarum alterā vocauit Hispaniam, altera vero Io-

Insula Iohanna.

hannam. Veniens autem ad insulam Iohannam, audiuit innumerosa auium concētus: & inprimis lusciniarum quæ densissimis inerrabant nemoribus, mēse Nouembri: vidit quoque limpidissima flumina, eademq; ad potandum suauia, portus magnos & celebres. Deinde conuersa naui ad orien-

Insula Hispania.

tem, venit ad insula, quæ postea dicta fuit Hispania: appelleosq; terrā, conspecti sunt ab incolis regionis, qui protinus se receperunt in dēsa nemora. Hispani autē persequentes vestigia fugientium, mulierē quandam corripientes, ad nauem cum perduxissēt, vino & obsonijs repletā, & eleganter vestitam, ad suos remiserunt, nam ipsi nudi incedentes, humaniores ignorabant delicias. Veniente itaq; muliere ad suos, tali humanitatis, atq; liberalitatis exemplo alij inuitati, cateruatim ad nauē properant, in ollis testaceis & vasis vitreis aurum secum ferentes: aurum pro nouis illis vestibus permutare cupientes. Contracta itaq; amicitia, obseruatisq; incolarū moribus, deprehendarūt eos regē habere à quo honorifice sunt excepti. Visitantes autem eorū domibus,

Hispani recipiuntur ab incolis.

viderunt eas miro modo sine ferro constructas: sunt enim ferro carent. loco panis vtuntur incolæ regionis radicibus quibusdam, quæ saporem habent quem melius recentesq; castaneæ: aurum in auribus ap pensum ferunt: non exercent

Auri abundantia.

commercia: nec fines suos egrediuntur. aurum legunt in arenis cuiusdam fluminis, quod ex altissimis montibus deriuatur: deinde fundunt in frusta, demum in laminas. Non

Serpentes innoxij.

habent quadrupedia, nisi cuniculos: serpentes vero sunt ibi immensæ vastitatis, sed innoxij: sunt quoque syluestres turtures, anates, anseres, nostris proceriores, psitaci quam plures, alij coloris prasini, fului alij: alij vero Indis non absimiles. Insuper, insula gignit masticon, aloe, & alia quæ sunt his non dissimilia. Cæterum, Columbus dimissis apud regem insulæ triginta octo viris, qui mores regionis explorarent, & idioma addiscerent, ipse lætus reuersus est in Hispaniam, assumptis secum decem viris illius regionis: læto vultu à rege Hispaniarum excipitur, & nouo nomine

Columbus vocatur admirans.

donatur vt deinceps vocaretur Admirans oceanum. Paratis denuo nauibus cum omni genere armorum, atq; commeatuū sufficientia, nec non seminibus frumentis, & plantis diuersis assumptis; prospere peruenerunt ad Cambalorum insulas, vbi homines humanis carnibus vescebantur. Omnibus autem illis insulis relictis, peruenerunt ad insulā Hispaniam, inueneruntq; socios suos trucidatos fuisse a rege, cuius fidei cōmissi erant. Verū rex dedit debitas pœnas pro tanto in nostros patrato scelere. Lustrantes postea re-

Flumina aurifera. Ciuitas condita à Columbo.

gionē, inuenerunt flumina aurifera, & montē aurifero sabulo conspersum. Quo in loco Columbus ciuitatem condidit, muroq; præcinxit: atq; hinc digressus, totam fere lustrauit insulā: & in interioribus arcem exstruxit, minasq; auri ibi explorauit. Paulo post inter Insulanos & Hispanos orta est discordia: quia Hispani dum quærerent aurum, radices auellebant, quibus insulani panem conficere consueuerant: lis ergo composita est, vt singulo trimestri, auri quædam pondera Hispanis soluerent: qui vero aurum nō habebant, pendebant aromata. Anno 1501. Bimestri legerunt supra duodecim millia libras auri. Columbus autem relicto fratre suo Bartholomæo in præfectum insulæ, in Hispaniā redire constituit; vt regem Hispaniarum de rebus quæ agebantur, & de statu insularū certiorem faceret. Deinceps Ca-

Ecclesię cōtinuata successio.

bunt. Inde abeuntes inuenerunt insulam, vbi populus simplicissimus est & benignus: aquam dulcam non habent, sed colligunt rorem nocturnum decidentem super certis folijs, auriculis asini similibus. Viuunt ex piscibus maris nulla habent rura, aut domos, sed habent folia quædam grandia, *Populus simplicissimus.* sub quibus à solis feruore, sed non ab imbribus se protegūt. [illegible] illa relicta, venerunt ad insulas Gigantum: *[illegible] insula.* ingressi enim casas quasdam, inuenerunt duas vetulas & tres iuuenculas maximæ staturæ; interim superuenerunt 36. viri adhuc multo maiores mulieribus, ferentes arcus & sagittas, nec non & sudes magnas instar clauarum: ex quorum conspectu nostri territi, naues repetebant. Insequentes vero Gigantes vsque ad mare, cœperunt sagittas vibrare in Hispanos, quousque illi duas machinas in eos dirigentes, terribili sono in fugam eos verterunt. Inde recedentes venerunt *[illegible] copia.* in terram, vbi amice suscepti sunt: plures vniones paruo pretio emerunt. Obtulerunt quoque quasdam Ostreolas, vbi in quibusdam centum & triginta vniones inueniebantur. Inde recta ad Calicium Hispaniæ nauigarunt. Anno *Tertia Vespucij nauigatio.* 1502. 10. Maij ex mandato regis Portugaliæ, soluit Vespusius à portu Lisibonę, peruenitque ad æquatorem. Decimaseptima Augusti peruenerunt ad terrā, in qua homines multo erant bestijs praoiores. sita est terra illa quinque gradibus vltra æquatorem. Homines illius regionis crudelissimi, tres Hispanos ad eos egressos interfecerunt: duos comederunt: & iuuenem quendam egressum ad colloquendum cum mulieribus, in frusta ipsæ mulieres discerpserunt; sed eandem pœnam illæ mulieres passæ sunt ab hominibus illius regionis. Hinc vltra progressi venerunt vltra Tropicum Capricorni, vbi polus meridionalis eleuatur 32. gradibus. Deinde nauigarunt versus Aostrum, donec polus ille attolleretur 52. gradibus. sed tempestatem illius maris ferre non valentes, redierunt Lisibonam. Anno Domini 1503. disposuerat *Quarta Vespucij nauigatio.* Vespusius quarto nouas insulas quærere, præsertim Melcham in oriente positam, vbi est statio nauiū, quę à Gangetico sinu, & ab Indico mari aduenit. Venit antē primum ad virides insulas, ac inde peruenit ad Seralionam australem, Æthiopiæ terram. Vnde paulo vlterius progressus, vidit insulam in medio mari altam & admirabilem, incultam tamen, & plenam auibus, muribus, lacertis, & serpentibus, in qua præfectus nauium suam nauem perdidit; illisa est enim ad scopulum: & nautis euadentibus, quæ classi necessaria erant, perierunt ac proinde coacti sunt Lisibonam repetere. Porro, nostro tempore in huius insulas frequens est nauigatio, propagataque est religio Christiani nominis, & fidei catholicæ, cui benedixit Deus. Amen.

DE GENEALOGIA SIVE continuata Ecclesiæ Catholica successione.

Hactenus de situ terræ, eiusque regionibus, ac diuersarum gentium moribus, demum de multis regnis & regibus, atque incolis terrigenis, clare & compendiose, fauore diui Pymandri, locutus sum. Par est, vt posthac de incolis, non terrigenis, sed plane cælestibus, quorū conuersatio est in cælis, nempe de summis Pontificibus Romanæ ecclesiæ loquar; ne huic libro tantorum principum, & quidem cælestium insignis honorandaque genealogia deesse videatur. *Septima ætas mundi.* Septima ætas mundi, & nouissima hora initium sumpsit à primo CHRISTI aduentu: durabitque vsque ad secundum, cuius temporis iam agitur *Christiana.* annus 1586. 27. Augusti. IESVS CHRISTVS Pontifex maximus in æternum manens, natus anno 42. Augusti, baptizatus anno 15. Tyberij, & crucifixus anno 18. eiusdē. Paulo antequam ascenderet in cælum, dixit Petro: *Simon Ioannis, diligis me plus his? Pasce oues meas.* Quibus potissimum verbis Simon filius Ioannis, iam ante à Christo nominatus Petrus, seu Cephas, omnium discipulorum primus, ac summus Ecclesiæ totius pastor est constitutus, anno à Christi natiuitate 31. Iulius Cæsar primus Imperator præcessit CHRISTI natiuitatem, regnauitque annos 5. menses 7. Octauianus Augustus annis 56. Tiberius annos 22. alias 23. Caius Caligula annos 3. menses 10. dies 18. Anno Domini 38. S. Petrus sedit Antiochiæ septem annis, vt Damasus in Pontificali *S. Petrus primus pontifex.* tradit, & Gregorius lib. 6. epist. 37. Anno Domini 44. S. Petrus sub Claudio & Nerone, Romanam fundauit ecclesiam, primusque in ea sedit circiter annis 25. licet sæpius ab vrbe *Prima persecutio ecclesię.* abfuerit. Claudius Imperator regnauit annos 13. menses 9. dies 28. Nero annos 14. menses 9. S. Petrus antequam crucifigeretur, S. Marci Euangelium approbauit, ipsumque misit in Alexandriam. Galba Imperat. post Neronem menses 7. Clemens Romanus à S. Petro pontifex Romæ ordinatus, ab administratione Pontificatus abstinuit vsque ad mortem Lini & Cleti, quod ijs etiam S. Petrus prædicationi & orationi vacans, curam summi Pontificatus, dum viueret, demandasset. *Ecclesię cōtinuata successio.* Secundus Pontifex Rom. Linus Herculani filius Vulateranensis, Tuscus, sedit an. 11. men. 3. dies 12. *2. Linus.* Ottho Imperator an. 1. men. 3. Vitellius menses 7. Anno Domini 77. Cletus tertius Pontifex Æmiliani filius Romanus de regione Exquilina sedit annos 6. men. 5. dies 3. *3. Cletus.* Vespasianus Imper. an. 9 men. 11 dies 22. Titus an. 2. men. 8. Domitianus an. 15. men. 4. Secunda persecutio Ecclesiæ. *Secunda persecutio.* Nerua an. 1. men. 4. dies 8. Clemens Faostini filius Romanus, de regione secunda cæli montium, sedit an. 9. men. 4. dies 26. *4. Clemens.* Tunc fuerunt, Ebion, Cerinthus, Nicolaus Antiochænus hæretici. Quintus pontifex Anacletus, Antiochi filius, Atheniensis Græcus, anno domini 84 sedit an. 12. men. 2. dies 10. *5. Anacletus.* Quo tempore fuerunt, Saturninus, Basilides, Carpocrates hæretici. Imp. Traianus an. 19. men. 6. dies 5. Tertia persecutio Ecclesiæ. *Tertia persecutio ecclesię.* Sextus Pontifex Euaristus anno domini 96. Bethleemites sedit an. 13 men. 3. *6. Euaristus.* Septimus Alexander Alexandri filius Romanus, ex vico caput Tauri an. 109. sedit an. 7 men. 5 dies 19. *Quarta persecutio.* *7. Alexander.* Adrianus Imper. annos 21. Octauus Xistus pastoris filius Rumanus, de regione Via Lata, anno domini 117. sedit an. 9 men. 10 dies 19. *8. Xistus.* Nonus Telesphorus Anacoreta filius Grecus, anno domini 127. sedit an. 10 men. 8. dies 28. *9. Telesphorus.* Eo tempore extiterunt Ophitæ, Caiani, Sethiani, Nazaræi hæretici, contra quos scripserunt: Irenæus, Iustinus in admonitorio cōtra gentes. Decimus Hyginius Philosophi filius Atheniensis Græcus, anno domini 138. sedit an. 4. *10. Hyginus.* Antonius Pius Imperator an. 23 men. 3. Tunc Gerdon, & Marcion, Archontici, qui dicebant rerum vniuersitatē ab Archangelis factam. Valentinus, qui asserit quoddam Chaos ab initio fuisse, & Christum de cælo carnem attulisse. Vndecimus Pius Ruffini filius Aquileiensis, anno domini 147. sedit an. 11. men. 5 dies 17. *11. Pius.* Hæres. Bardosianes, ex schola Valentini discipulus. Duodecimus S. Anicetus, Ioannis filius, de vico Humilia Syrus, sedit ann 9. men. 8. dies 24. *12. S. Anicetus.* Imper. M. Ansonius Verus cum L. Aurelio annis 19 men. 1. Fidei aduersarij, Tatianus, qui nuptias, & carnium comestionem damnauit Princeps fuit, Encratitarum id est, continentium. Alius aduersarius Seuerus, qui cum Encratitis consentit. Tertiusdecimus Soter Concordij filius, Fundanus latinus, anno domini 163 sedit an. 7 men. 11 dies 18. *13. Soter.* Imper. Ansoninus Commodus, an. 13. Aduersarij Hydoparastæ, qui aqua sola in mysterijs vtebantur. Apelles Marcionis discipulus, qui carnis resurrectionem negabat. Adamiani, Alogi, Ascondrogitæ. Quartusdecimus Eleutherus Abundij filius, Nicopolitanus Græcus, anno domini 171. sedit an. 15. dies 15. *14. Eleutherus.* Aduersarius Montanus adiunxit sibi Priscillam & Maxillam, velut prophetissas suas. Quintusdecimus Victor, Fœlicis filius Apher, anno domini 189. sedit annos octo. *15. Victor.* Aduersarij Cataphryges, qui dicebant Spiritum pluta docuisse in Mōtano, quam Christum in Euangelio. Imper. Ælius pertinax men. 6. Iulianus iurisperitus men. 7. *Quinta persecutio.* Seuerus pertinax ann. 18. Sextusdecimus Seuerinus Nabundij filius Romanus, sedit annos 20 dies 17. *16. Seuerinus.* Anno domini 198. Imperator Caracalla annos 6. men. 8. Aduersarij Helcesaitæ, qui dicebant fidem ore tenus negare, cum necessitas vrgebat, indifferens esse. Decimusseptimus Calistus Domitij filius, Romanus, de vico Rauennatum, sedit an. 5 men. 1. dies 13. *17. Callistus.* Anno 218 Imperat. Aurelius, Antonius Heliogabalus annis 4. Decimusoctauus Pontifex Vrbanus Pontiani filius Romanus, sedit annis 7. men. 7. dies 5. *18. Orbanus.* anno domini 223. Imp. Diadumenus, Macrinus, Albius, Edax an. 1. Decimus nonus Pontianus Calphurnij filius Romanus, sedit an. 5 men. 5. dies 2. *19. Pontianus.* Vigesimus Pontifex Anterus, Romuli filius, Græcus, sedit men. 1. dies 14. *20. Anterus.* Imperator Alexander Seuerus annos 13. anno domini 236. Vigesimusprimus Fabianus Fabij filius, Romanus, anno domini 237. Idem Fabianus anno domini 248 sedit an. 14 dies 6. *21. Fabianus.* Imperator Maximus an. 3. Sexta persecutio. *Sexta persecutio.* Imperator Gordianus an. 6 Imperator Philippus, primus ex Imperatoribus christianus, an. 5. *Septima persecutio.* Porro, anno domini 249 post mortem Fabiani vacante Romana sede, Presbyteri & Diaconi Ecclesiæ Romanæ ad tempus aliquod vniuersalis Ecclesiæ curam gesserunt. Decius Imperator, an. 1. anno domini 250. Cornelius Castini filius Romanus, 22. Pontifex. *22. Cornelius.* Aduersarij Nouatiani, seu Cathari. Concilium maximum Romæ cogitur sub Cornelio Papa. Lucius Porphyrij filius, Romanus, anno domini 253. sedit an. 1. men. 3. di. 13. *23. Lucius.* Imper. Gallus & Volusianus, ann. 2. men. 4. Æmilianus men. 3. Vigesimus quartus Stephanus, quem diuus Hieronymus in dialogo contra Luciferanos, vocat 26. à beato Petro, sedit an. 3. men. 3. dies 24. *24. Stephanus.* Sub Cornelio fuit Concilium Carthaginense, de rebaptizandis

Ecclesię cōtinuata successio. zandis hæreticis. Deniq; persecutio illa septima sub Gallo &
Volusino. Anno domini 255. Sabellius Apher Pentapolitanus, Hermogenis sectator male sensit de Trinitate. Valeria-
nus & Galenus an. 15. Hierachas, nuptias nō admisit: & ideo
Octaua persecutio. cum solis continentibus versabatur. Paulus Samosatenus
dicebat Christum esse purum hominem. Vigesimus quin-
25. Xistus. tus Xistus iunior, Philosophi filios Atheniensis Græcus, se-
dit an. men. 10. dies 23. anno domini 258. aduersarius fidei
26. Dionysius. Manes Persa, vnde Manichæi. Vigesimus sextus Dionysius
monachus, sedit an. 10. men. 5. dies 5. anno domini 260. Im-
Nona persecutio. per. Claudius an. 1. men. 9. Quintilius diebus 17. Aurelianus
27. Fœlix. an. 5. men. 6. Vigesimus septimus Fœlix Constantij filius,
Romanus, sedit ann. 4. men. 5. anno domini 272. Imp. Taci-
tus, men. 6. Florianus men. 2. di. 20. Vigesimus octauus Eu-
28. Eutychianus. tychianus Maximi filius, Lunensis, Tuscus, sedit ann. 8. men.
6. di. 4. Imperator Probus ann. 6. men. 4. Carus cum Carino
& Numeriano ann. 2. anno domini 275. Porro, anno do-
29. Caius. mini 283. Vigesimus nonus fuit Caius Caii filius, Salonensis
Decima persecutio. Dalmata, sedit ann. 12. men. 4. di. 6. Imper. Diocletianus &
30 Marcellinus. Maximianus, an. 20. Trigesimus Marcellinus Proiecti filius,
Romanus, sedit ann. 7. men. 9. di. 26. anno domini 296. Im-
per. Constantinus primus. Cæterum, anno domini 304.
31 Marcellinus. Trigesimus primus Marcellinus, Benedicti filius, Romanus,
de regione Via Lata, sedit ann. 5. men. 6 di. 21. Imper. Gale-
rius ann. 16. anno autem domini 309. Trigesimus secundus
32. Eusebius. Eusebius, Medici filius, Græcus, sedit ann. 1. men. 7. di 27.
Imp. Maxentius & Maximinus ann. 6. anno domini 311. Tri-
33. Melciades. gesimus tertius Melciades Apher, sedit ann. 3. men. 2. qui in
epistola ad Episcopos Hispaniæ, dicit Spiritum sanctum su-
per aquas baptismi salutifero descendere illapsu. anno do-
34. Syluester. mini 314. Trigesimus quartus S. Syluester Rufini filius:
tunc Donatistę, qui dicebant Catholicam ecclesiam esse a-
pud se. Sub eodem Pontifice, & Imperatore Constantino
primo, fuit Arriana heresis. Eodem tempore sub Syluestro
celebrata est prima Nicæna Synodus, ex 318. Episcopis. Se-
dit sanctus Syluester ann. 20. di. 4. Constantinus vero ann.
35. Marcus 30. men. 10. Anno domini 314. Trigesimus quintus Marcus,
Prisci filius, Romanus, sedit men. 8. di. 12. anno domini 336.
36. Iulius. Trigesimus sextus Iulius, Rustici filius, Romanus, sedit ann.
24. men. 5. di. 1. Imper. filij Constantini Magni, Constan-
tinus, Constans & Constantius, ann. 24. Tunc Eunomius
docebat filium per omnia esse dissimilem patri. Tunc Ma-
cedoniani à Macedonio vrbis Constantinopolitanę Epi-
scopo, docebant Spiritum sanctum non esse Deum. Tunc
Antropomorphitæ, qui partes humani corporis Deo tri-
buebant. Anno domini 348. Constantius fit Arianus. Por-
37. Liberius. ro, anno domini 358. Trigesimus septimus Liberius, Augu-
sti filius, Romanus, sedit ann. 15. men. 4. di. 17. Tunc Luci-
feriani, qui negabant Episcopos lapsos in heresim, posse ab
Ecclesia recipi, Anno domini 366. Fœlix Anastasii filius,
Romanus, sedit in schismate, dum adhuc Liberius viueret;
38. Damasus. fuit enim biennio in exilio. Trigesimus octauus Damasus,
Antonij filius, Lusitanus, sedit, ann. 18. sub Damaso. Anno
Concilium Constantinopolitanū contra Macedonium. domini 381. celebrata est secunda Oecumenica synodus
Constantinopolitana, contra Macedonium. Imper. Iulia-
nus apostata ann. 1. men. 8. Iouinianus men. 8. Valentinia-
nus cum Valente fratre Ariano, ann. 13. men. 5. Anno do-
mini 384. Apollinaris dicebat Christum suscepisse carnem
Doctores Ecclesiæ & Episcopi intra trecentesimū & quadringentesimū annum fuerunt. sine anima. Seleucius dicebat materiam elementorum
Deo coæternam: angelos de igne & spiritu creare animas.
Impera. Gratianus cum Valentiniano 2. ann. 6. cum ipsis,
& post ipsos, Theodosius primus ann. 11. Iustina Valenti-
niani iunioris mater, & ipsa Ariana fuit, & filium infecit.
Anno domini 384. fuerunt Priscillianistæ. Priscillianus
episcopus Cæsaraugustę, vna cum Instantio & Salniano
episcopis, sententia Maximi, Treueri capitis damnantur.
39. Syricius. Anno domini 385. Trigesimus nonus Pontifex Syricius
Tiburtij filius, Romanus, sedit ann. 13. men. 1. die. 25. Tunc
erant Iouiniani, qui dicebant omnia peccata esse ęqualia:
& negabant intemeratam matrem Christi virginē in partu
40. Anastasius extitisse. Anno domini 388. Quadragesimus Anastasius
Maximi filius, Romanus, sedit ann 3. Impera. Archadius
& Honorius ann. 13. Anno domini 402. Quadragesimus
41. Innocentius. primus Innocentius, Innocentij filius, Albanus, sedit ann.
15. Halaricus Gotthorum rex Romam expugnat, & diri-
42. Zozimus. pit. Anno domini 416. Quadragesimus secundus Zozimus
Cappadox, sedit ann. 2. men. 4. di. 7. Heluidius aduersarius
fidei, qui volebat eiusdem esse gloriæ virgines & marita-
tas. Vigilantius impugnat cleri cœlibatum, adeo vt Epi-
scopi sceleris Vigilantij consortes, non ordinarent Diaco-
nos, nisi prius vxores duxissent. Anno domini 419. Qua-
43. Bonifacius. dragesimus tertius Bonifacius Iucundi filius, Romanus, se-
dit ann. 4. men. 9. di. 28. Anno domini 423. Quadragesimus

quartus Cœlestinus Prisci filius, Romanus, sedit an. 8. men. *Ecclesię*
10. di. 7. Imper. Theodosius iunior an. 27. Valentinianus *cōtinuata succes-*
tertius an 30. Pelagiani & Cœlestiani de peccato originali, *sio.*
& de baptismo paruulorum, quos negabant in Adam pec-
casse. Pelagius fuit Brito, habebat discipulum nomine Cœ- *44 Cœlestinus.*
lestinum, vterque docuerit, peccatum ex primo homine in
alios non propagatione, sed imitatione transisse. Quadra-
gesimus quintus Xistus Romanus, sedit an. 7. men. 11. Con- *Synodus celebratur contra Nestorium Ephesi*
cilium Mileuit. Anno domini 440. Leo magnus quadrage-
simus sextus Pontifex, sedit an. 20. men. 1. di. 13. Quarta Sy-
nodus Oecumenica sub Leone Chalcedoni celebrata est,
contra Euthychianos. Imperator Martianus ann. 7. Anno
domini 461. Hilarius 47. Pontifex, Crispini filius, Sardus, *45 Xistus.*
sedit an 6 men 3 di. 10. Imperator Leo primus an. 16. Aduer- *46 Leo Magnus*
sarius fidei Nestorius, qui dicebat Christum hominem tan-
tum in vtero virginis fuisse conceptum: dein de Deum ho- *47 Hilarius.*
mini fuisse permixtum. Theodorus Mopsuetenus, quater-
nitatem pro Trinitate impie dogmatizauit. Anno domini
467. Simplicius Castini filius Tiburtinus, 48. Pontifex, sedit *48. Simplicius.*
an. 15. men. 6. di. 23. Imp Zeno an. 17. Aduersarius fidei Euty-
ches presbyter, qui dicebat duas naturas, vnam factam in
Christo: denique corpus Christi, quod assumpsit de beata
Virgine, non esse nostrę substantię. Anno domini 483 Fœlix *49. Fœlix.*
secundus iunior, vocatus 3. Roman. sedit an. 8. men. 11. di 8.
Imperat. Anastasius an. 26. Eutychianus. Anno domini 492.
Quinquagesimus Pontifex Gelasius Valerij filius. Apher, se- *50. Gelasius.*
dit an. 4. men 8. di. 10 Anno domini 496. Anastasius secun-
dus iunior, Petri filius, Romanus, sedit an. 1. men. 11. di. 24. *51 Anastasius.*
Anno domini 498. Symmachus Fortunati filius, Sardus, se-
dit an. 15. men. 7. di. 18. Anno domini 514. Quinquagesimus *52. Symmachus.*
tertius Pontifex Hormisda Iusti filius. Frusinonius Cam- *53. Hormisda.*
panus sedit an. 9. di 17. Imperator Iustinus primus an. 8. Eu-
tychiani in duodecim sectas diuisi sunt. Zenon & Anasta-
sius Imperatores voluerunt quandam pacem imaginariam
facere inter Catholicos & Eutychianos: sed ad nihilū va-
luit: Quæ enim conuentio Belial cū Christo? Cuius rei gra-
tia tempore Anastasii Imperatoris Concilium Chalcedo-
nense publice in ecclesiis non prædicabatur, neq; reijcieba-
tur ab omnibus. Anno domini 523 Pontifex 54. Ioannes *54. Ioannes.*
Constantij filius, Tuscus, sedit an. 2. men. 9. di. 16. Anno au- *55 Fœlix.*
tem domini 526. successit Fœlix tertius, dictus 4. Castorij fi-
lius, Samnis, sedit an. 4 men. 6. di. 18. An. domini 530. Quin- *56. Bonifacius.*
quagesimus sextus Pontifex Bonifacius iunior, Siggeuultes
filius, Romanus, sedit an. 1. dies 2. Imperator Iustinianus an. *57 Ioannes.*
40. Anno domini 532 successit in locum Bonifatij Ioannes *58. Agapetus.*
iunior, Mercurius, Proiecti filius, Romanus, sedit an. 2. men.
4. di. 6 Anno domini 534. Pontifex 58. Agapetus, Gordiani *59 Syluerius.*
filius, sedit an. 2. di. 29. cui successit Syluerius Hormisdæ fi-
lius, Campanus, sedit an. 1. men 10. di. 7. cui successit Vigi- *60. Vigilius.*
lius Pontifex 60. Ioannis Consularis filius, Romanus, sedit
annos 17. men. 6. di. 26.

De continuata Ecclesiæ successione.

ANno Domini 537. quinta Synodus œcumenica *Concilium*
Constantinopoli celebrata est contra Theodoriti *Constantinopolitanū.*
scripta in Cyrillum, & alios. Anno domini 555. se-
xagesimus primus Pontifex Pelagius, Ioannis Vi- *61. Pelagius*
cariani filius, Romanus, sedit an. 5. men. 10. di. 28. cui succes-
sit Ioannes Catelinus, Anastasii illustris filius, Romanus, se- *62. Ioannes.*
dit ann. 12. men. 11. di. 19. Imperator Iustinus secundus, an-
nos 11. Anno domini 575. Pontifex 63. Benedictus Bonsus, *63. Benedictus.*
Romanus, sedit an. 4. men. 1. di. 29. Imperator Tiberius an- *64. Pelagius.*
nos 7. Anno domini 579. sexagesimus quartus Pelagius iu-
nior, Vinigildi filius, Romanus, sedit an. 12. men. 2. di 10. An-
no domini 590. sexagesimus quintus Gregorius Magnus, *65. Gregorius Magnus.*
Gordiani senatoris filius, Romanus, monachus, sedit an.
13. men. 6. di. 10. Imperator Mauritius annos 9. Surrexe-
runt noui Donatistæ in Aphrica, noui quoque Pelagiani,
quæstio de sacris imaginibus, Armeniorum errores. Impe- *66 Sabinianus*
rator Phocas ann. 8. Anno domini 604. Pontifex 66. Sabi-
nianus Bleianus, Tuscus, sedit ann. 1. men. 5. di. 24. Anno *67. Bonifacius.*
vero 607. Pontifex 67. Bonifacius tertius, Romanus, sedit
men. 8. di. 27. cui successit Bonifacius 4. Valeriensis Mar- *68. Bonifacius.*
sus, sedit ann. 6. men. 8. di. 11. Imperator Heraclius ann. 29.
Sexagesimus nonus Pōtifex Deus dedit, Romanus, sedit an. *69. Deus dedit.*
3. di. 21. Anno domini 619. Pontifex septuagesimus Boni- *70. Bonifacius.*
facius 5. Neapolitanus, sedit ann. 3. men. 11. di. 7. cui succes-
sit Honorius Campanus ann. 12. men. 11. di. 7. Aduersarij *71. Honorius.*
fidei Monothelitæ, qui vnam voluntatem, vnamque actio-
nem & operationem in Christo ponebant. Septuagesimus *72. Seuerinus.*
secundus Pontifex Seuerinus, Romanus, an. 1. men. 2. di. 4.
Anno domini 639 Pontifex 73. Ioannes 4. sedit an. 1. men. 9. *73. Ioannes.*
di. 18. cui successit Theodorus Ierosolymites, sedit ann. 6. *74. Theodorus.*
men. 5.

men. 5. di. 18. Anno domini 647. Pontifex 75. Martinus Tudertinus, Tuscus, sedit ann. 6. men. 1. di. 28. In cuius ciuitate ipse composui commentarios in Mercurium. Imperat. Constantinus 3. men. 4. Constantius 3. ann. 28. Aduersarius fidei Mahumet, qui ex Iudaica & Ariana superstitione, nouam sectam condidit, quam amplexi sunt Sarraceni. An. [illegible] 14 [illegible] genius Romanus Pontifex 76. sedit ann. 2. men. 9. di. 24. Ann. domini 657. Pontifex 77. Vitalianus Segnius, [illegible] lscus, Latinus, sedit ann. 14. men. 5. di. 29. Imperat. Constan[illegible]tius 4. à patre in partem imperij suscipitur, solus imperat [illegible] an. 17. Anno domini 672. successit A Deo datus, Roman[illegible] Monachus, sedit ann. 4. men. 2. di. 15. cui successit Domn[illegible]s Pontifex 79. Romanus, sedit ann. 2. men. 5. di. 25. Anno domini 679. Octuagesimus Pontifex Agatho, Siculus, sedit ann. 2. men. 6. Anno domini 682. Pontifex 81. Leo, Siculus, sedit men. 10. di. 29. cui successit Benedictus 2. Romanus, sedit men. 10. di. 2. Imperator Iustinianus 2. ann. 10. Anno domini 685. Ioannes Antiochænus, sedit ann. 1. di. 9 cui successit Conon Thrax, Pontifex 84. sedit men. 11. Deinde Sergius Tiberij filius, Antiochænus, Syrus, sedit an. 13. men. 8. dies 23. Leontius imperium inuadit, an. 3. quo expulso, Liberius 3. eligitur, regnat men. 7. sed paulo post Iustinianus imperio restituitur, regnatque ann. 6. Agonychitæ, quoties orant, genu flectere nolunt; sed semper stantes prædantur. Anno domini 701. Octuagesimus sextus Pontifex Ioannes 6. Græcus, sedit ann. 3. men. 2. di. 14. cui successit Ioannes 7. Pontifex 87. Platonis filius, Græcus, sedit ann. 2. men. 7. di. 17. cui successit Sysinius Ioannis filius, Syrus, sedit di. 20. Post ipsum Constantinus Ioannis filius, Syrus, sedit an. 8. men. 1. di. 20. Imperator Philippicus Monothelita an. 1. men. 6 Anastasius 2. an. 3. Theodosius tertius an. 1. Anno domini 716. Nonagesimus pontifex Gregorius 2. Romanus, sedit an. 14. men. 10. di. 22. cui soccessit Gregorius 3. Syrus, qui sedit ann. 10. men. 8. di. 24. Pontifex vero 92. Zacharias Græcus, sedit ann. 10. men. 8. di. 15. Anno domini 731. Imperator Leo 3. Iconomachus ann. 24. sanctorum imaginum oppugnator. Nonagesimus tertius Gregoeius 4. sedit ann. 5. Nonagesimus quartus Stephanus 2. Romanus, sedit di. 4. Nonagesimus quintus Stephanus 3. sedit ann. 5. dies 29. Nonagesimus sextus Paulus, Romanus, sedit ann. 10. men. 1. Nonagesimus septimus Stephanus 4. Siculus, Monachus, sedit ann. 3. men. 5. di. 27. Imperator Constantinus ann. 34. men. 2. di. 26. cum Leone 4. filio ann. 5 fecit magnam Synodum contra sanctas imagines. Concilium Lateranense à Stephano celebratur contra Constantinum, statuitur sacras imagines templis reddendas esse. Anno domini 772 Nonagesimus octauus Adrianus, Romanus, sedit an. 23. men 10. di. 17. Imperatoe Constantinus 6. cum matre Irene ann. 19. Iren sola ann. 4. Transfertur imperium ad Francos. CAROLVS Magnus annos 14. Synodus septima Constantinopoli contra Iconomachos celebratur, Episcoporum 330. Imperatores Græci, Nicephorus ann. 8. men. 6. Stauratius ann. 3. Michael 2 ann. 2. Leo 5. ann. 7. men. 5. Anno domini 796. Nonagesimus nonus Pontifex Leo 3. Romanus sedit ann. 20. men. 5. di. 18. Anno domini 816. Centesimus pontifex Stephanus 5 dictus 4. Romanus, sedit men. 6 di. 23. Imperat. Latinus Ludouicus Pius ann. 15. Græcus vero Michael Balbus ann. 9. Hic Ludouico Imperatori libros Dionysii de Hierarchia misit: Christi religionem subuertere studuit. Anno domini 817. Centesimus primus Paschalis, Romanus, sedit ann. 7. men. 3. di. 17. Centesimus secundus Eugenius 2. iunior, Romanus, sedit ann. 3. men 6. di. 24. Anno domini 824. cui successit Valentinus Romanus, men. 1. di. 10. Huic successit Gregorius Romanus, sedit an. 16. Imperat. Grecus Theophilus filius præcedentis Imperatoris, sanctarum imaginum oppugnator, disenterijs extinctus est, cum regnasset an. 15. Lotharius 1. Ludouici filius an. 15. Anno domini 844 Imperator 3. in occidente, ingenti prælio a fratribus victus est. Sergius secundus 105. pontifex, Romanus, sedit an. 3. men 2. di. 3. cui successit Leo quartus Romanus, sedit an. 8. men. 3. di. 6. Hic oratione præmissa Saracenos Romæ iuxta Vaticanum prelio vicit. Imperator Grecus Michael & Theodora mater eius, an. 11. Per hanc Imperatricem imagines sanctorum restitutæ sunt: & omnes ab exilio reuocati. Michael deditus crapulæ, infecto ebrius confossus est. Ao. domini 855. Pontifex 107. Ludouicus Romanus, non Ioannes fœmina, sedit an. 2. men. 8. di. 16. Latinus Imperator Ludouicus 2. filius Lotharij. Quartus Imperator Gallus an. 11. contra Saracenos in agro Beneuentano prospere pugnauit. Benedicto successit Nicolaus Magnus, Romanus, sedit an 9. men. 6. di. 20. An. domini 867. Adrianus pontifex 109. sedit an. 4. men. 11. di. 12. Imperator Grecus Basilius, an. 17. In venationis ictus à ceruo, & perfractis in-

Margin (left): Ecclesiæ continuata successio. — 75. Martinus Tudertinus. — 76. Eugenius. — 77. Vitalianus. — 78. A Deo datus. — Domnus. — 80. Agatho. — 81. Leo Siculus. — 82. Benedictus. — 83. Ioannes. — 84. Conon. — 85. Sergius. — 86. Ioannes. — 87. Ioannes. — 88. Sysinius. — 89. Constantinus. — 90. Gregorius 2. — 91. Zacharias. — 93. Gregorius. — Stephanus 2. — Steph. 3. — Paulus. — Steph. 4. — Adrian. — Leo 3. — Steph. dictus 4. — 101. Paschalis. — 102. Eugenius. — 103. Valentinus. — 104. Gregorius. — 105. Sergius 2. — 106. Leo 4. — 107. Benedictus 3. — 108. Nicolaus Magnus. — 109 Hadrianus 4.

testinis, mortuus est. Concilium generale 8. Constantinopoli celebratur. Adriano successit Ioannes 8. Romanus, sedit ann. 10. di. 2. Latinus Imperator Carolus 2. Caluus ann. 6. Carolus 3. Crassus ann. 12. Græcus vero Leo 6 ann. 18 Basilij filius, qui Bulgaros, & Saracenos deuicit. Latinus Imperator Arnolphus, nepos Caroli ann. 12. Ann. domini 882. Pontifex 111. Martinus Tuscus, sedit ann. 1. men. 1. cui successit Adrianus 3. Romanus, sedit ann 1. men 3. di. 19. Latinus Imperator Ludouicus 3 ann. 6. alias 10. Nouem Imperatores Galli, deinde translatum est imperium ad Longobardos apud Italos. Centesimus tertius decimus Stephanus 6. dictus 5. Romanus, sedit ann. 6 di. 9. Anno 891. Pontifex 114. Formosus Portuensis, qui multa incommoda in Pontificatu pertulit. Formoso successit Bonifacius 6. di. 15. cui successit Stephanus 6. Romanus, sedit ann. 1. men. 2. di. 19. Latinus Imperator Berengarius 1. an. 4. Apud Germanos Conradus 2. an. 7. Berengarius 2. an. 4. Græcus Imperator Alexander frater Leonis, delitijs deditus, enormi fluxu extinctus est. Constantinus Leonis filius & nepos Basilij, regnauit cum patre Leone, & cum patruo Alexandro, & cum matre annos 13. Et cum Romano qui regnum arripuerat ann. 26. solus 15. Romanus iunior, filius Constantini, ignauus, vinoque otio ac luxui deditus, mortem obijt, anno eius imperij 13. Apud Germanos Henricus primus annos 18. Pontifex 117. Romanus, Tuscus, sedit ann 4. di. 23. cui successit Theodorus 2. Romanus, sedit di. 20. Quem secutus est in Papatu Ioannes 9. Tiburtinus, Monachus. sedit an. 1. di. 15. Post ipsum Benedictus 4. Romanus, sedit ann. 3. men. 6. di 15. Centesimus vero vigesimus primus Leo 5. Forensis, Ardentinus, sedit men. . di. 10. Huic successit Christophorus Romanus. sedit men. 7. Et post ipsum Sergius Romanus. sedit ann. 7. men 3 di. 16 Sergio successit Anastasius 3. Romanus, sedit ann. 2. men. . di. 22. Anno autem domini 912 Centesimus vigesimus quintus Pontifex Lando. Sabinus, sedit men. 6 di. 22. Hunc secutus est Ioannes 10. Romanus. sedit an. 15. men. 2. di. 15. Impetator Latinus Hugo ann. 10. Berengarius 3. ann. 11. Lotharius 2. ann. 2. Centesimus vigesimus septimus Leo 6. Romanus. sedit men 6. di. 5. Centesimus vigesimus octauus Stephanus 8. dictus 7. Romanus, sedit ann. 2. men. 1 di. 15. Centesimus vigesimus nonus Ioannes 11 Romanus, sedit ann. 4. men. 10. di. 15. Centesimus trigesimus Leo 7. Romanus, sedit ann. 3. men. 6. di. 10. Centesimus primus Stephanus 9. dictus 8. Romanus, sedit ann 3. men. 4. di. 15. Anno domini 942. Centesimus trigesimus secundus Pontifex Marinus, Romanus, sedit ann 3. men. 6. di. 14 cui successit Agapetus 2. iunior, Romanus, sedit ann. 9. men. 7. di. 10. Imperator Rom Berengarius 4. cum Alberto filio ann. 11. Anno 946. Pontifex Agapitus contra Berengarium Italiæ regem, Otthonem ex Germania vocat. Ab hoc Agapito petijt rex Danorum Frotho, suum regnum diuinis literis, & Christianorum ritibus institui. Ioannes 11. Romanus, Pontifex 134. sedit ann 8. men. 4. di. 6. Anno domini 956. Hic Otthonem Germanorum primum Imperatorem coronauit. Cui successit Benedictus 5. Romanus, sedit men. 6. Anno domini 964. Pontifex 138. Leo octauus, sedit ann. 1. men. 3. di. 12 cui successit Ioannes 13. ex numero vero Pontificum 137. Romanus, sedit an. 6. men 11. di 5. Imperator Latinus Ottho 3. ann. 17. Grecus Nicephorus Phocas, vir pius. qui multa gessit bella contra Saracenos, qui occupauerant quasdam terras imperij sui, nempe Calabriam, Siciliam, Candiam, Ciliciam, & Cyprum, an 10. fraudeque interfectus est in cubiculo regio. Anno domini 972. Pontifex 138 Benedictus sextus, Romanus, sedit an. 1. men. 6. cui successit Donus Romanus, sedit an. 1. Porro. an. domini 974. Pontifex 140 Bonifacius 7. Romanus, sedit an. . men. . di. 10. Huic successit Benedictus 7. Romanus, sedit an. 9. men. 1. di. 16. Anno domini 975. post Benedictum Pontifex 142. Ioannes 14. Papiensis, sedit men 8. Post eum Ioannes 15. Romanus, sedit an 9. men. 10. Anno autem domini 995. Pontifex 144. Ioannes 16. Romanus sedit men. 4. Græcus Imperator Ioannes Zimisces an. 6. qui post occisum Nicephorum imperio est potitus, gessit grauissima bella cum Roxolanis, & Bulgaris, victorique rediens Cōstantinopoli honorifice receptus est postea à cubiculari suo lethali poculo sibi propinato, & epoto, paulatim tabescens, mortē obijt. Post Zimiscen, Basilius & Constantinus 8. an. 53 filij Romani iunioris. Fuit autem Basilius auaritiæ studiosissimus. Passus est æmulum in regno Seterum, & Phorcam tyrannos. sed pessime vtrique successit. Pugnauit etiam contra principem Bulgarorum, qui Thraciam, Macedoniam, & Græciā ferro, & igne vastauerat Bulgariam tandem vniuersam imperio Cōstātinopolitano subiecit. Vixit annos 72 regnauit an. 53. Latinus imperator Ottho quartus, an. 18. Cæterum, pontifex 145.

Margin (right): Ecclesiæ continuata successio. — 110. Ioannes 8. — 111. Martinus. — 112. Hadrianus. — 113. Stephanus 6. dictus 5. — 114. Formosus. — 115. Bonifacius. — 116. Steph. — 117. Romanus. — 118. Theodorus. — 119. Ioannes 9. — 120. Benedict 4. — 121. Leo 5. — 122. Christoph. — 123 Sergius 3. — 124 Anastasius 3. — 125. Lando. — 126. Ioannes 10. — 127. Leo 6. — 128. Stephan. 8. — 129. Ioannes 11. — 130. Leo. 7. — 131. Stephan. 9. — 132. Marinus. — 133. Agapetus. — 134. Ioannes 12. — 135. Benedict. 5. — 136. Leo 8. — 137. Ioannes 13. — 138. Benedict. 6. — 139. Donus — 130. Bonifacius 7. — 141. Benedict. 7. — 142. Ioannes. 14. — 143. Ioannes 15. — 144. Ioannes 16.

Eccl. cō- signata succes- sio. assignauit amictum, cum prius nigro vteretur. Postea Ni-
colaus 4. Asculanus Picennus rexit ecclesiam an. 4. men. 1. di.
14. Imperator Latinus Adolphus an. 7. Post Nicolaum Cæ-
lestinus 5. men. 5. di. 7. Vir pius & simplex, dignitatem sepo-
195. Nicol. 4. suit. Post Cælestinum Bonifacius 8. Anagninus, an. 8. men. 9.
di. 18. Sextum librum decretalium ordinauit, Apostolis, Eu-
196. Cælest. angelistis, & 4. doctoribus honores duplicauit. Iubileum an.
[illegible] Ludouicum Galliæ regem inter sanctos nu-
[illegible] facius 8. merauit: multa passus est viuens, & moriens. Post Bonifa-
198. Bene- dic. 11. cium Benedictus 9. dictus 11. Teruisinus Italus ordinis præ-
dicatorum, men. 8. di. 18. An. domini 1305. Pontifex Clemens
199. Cle- mens 5. 5. V[illegible], Ecclesiam Romanam rexit an. 8. men. 10. di. 10.
Cerd[illegible]les in Galliam vocat, sedem Papalem in Auinione
Sedes Apo- stolica in Auinione. constit[illegible] vbi successores manserunt an. 74. Ab isto Cle-
mente fac[illegible] sunt Clementinæ. Concilium generale cele-
bratur Viennæ Galliæ sub Clemente quinto, in quo Clemen-
tinæ confirmatæ sunt: & multa contra Iudæorum insolen-
tiam ordinantur. Imperator Græcus Andronicus filius Mi-
chaelis Paleologi, patri in imperio succedit, regnatque 15.
an. Latinus imperator Albertus an. 10. Henricus an. 7. men. 9.
Ludouicus tertius an. 33. Imperator Græcus Andronicus 2.
cum Ioanne Cantacuzeno an. 52. Andronicus iunior, vir im-
pius, qui auum suum Andron regno exclusit. Ioannes Calo-
iannes dictus, succedit in imperio patri Andronico iuniori,
licet Ioannes Cantacuzenus tutelæ nomine regnum guber-
naret aliquandiu, donec se illo abdicaret. Anno dñi, 1316.
200. Ioan. 22. Pontifex Ioannes 21. dictus 22. Caturcensis Gallus, an. 18.
men. 3. di. 28. Hic Pontifex S. Ludouicum Episcopum Tolo-
sanum, & S. Thomam Aquinatem in catalogum sanctorum
retulit. Ludouicus Cæsar à Pontifice excommunicatus. An-
201. Be- ned. 10. di- ctus 12. To- losanus Gallus. no domini 1334. Ioanni 22. succedit Benedictus Tolosanus
10. dictus 12. Tolosanus Gallus, sedit an. 7. men. 4. di. 6. Hunc
autem secutus est Clemens 6. Lemouicensis Gallus, sedit an.
10. men. 7. Annum iubileum in quinquagesimum reduxit,
202. Cle- mens 6. multaque habuit agere cum imperatore, & principibus eius-
dem. Imperator Latinus Carolus 4. an. 32. Anno domini 1352.
203. Inno- cent. 6. Innocentius 6. succedit Clementi sexto in Papatu, Lemoui-
censis Gallus, sedit an. 9. men. 8. di. 26. Ex iurisconsulto factus
204. Vr- ban. 5. est Papa. Post Innocentium 6. Ecclesiam rexit Vrbanus 5.
Lemouicensis Gallus, an. 8. men. 2. di. 27. Post Vrbanum 5.
205. Greg. 11. Apostolicam sedem obtinuit Gregorius 11. Lemouicensis
Gallus, an. 7. men. 2. di. 27. Hic increpans episcopum quen-
Sedes Apo- stolica ex Gallia Ro- mam ite- rum trans- fertur. dam, quod suam Ecclesiam relinqueret, & Curiam Roma-
nam sequeretur, responsum accepit, eandem suam quame-
ius esse causam, quia ipse Romanam Ecclesiam relinqueret.
Latinus Imperator Venceslaus an. 22. Anno domini 1378.
Vrbanus 6. Neapolitanus, sedit an. 11. men. 6. di. 7. Schisma
206. Vr- ban. 6. ortum est in Ecclesia, propter duos creatos pontifices ab I-
talis, & à Gallis, duravitque an. 39. ad Martini quinti electionē
vsque. Pontifex semel creauit 29. Cardinales. An. domini 1389.
207. Boni- fac. 9. Bonifacius 9. Neapolitanus rexit Ecclesiam an. 14. men. 11.
Multas habuit controuersias cum vice comitibus Mediola-
208. Inno. 7. nensibus. Innocentius 7. Sulmonensis, sedit an. 2. di. 21. Lati-
nus imperator Robertus Bauarus, an. 10. Gregorius 12. Vene-
209. Greg. 12. tus, an. 2. men. 7. di. 5. Alexander 5. Cretēsis Græc⁹, sedit men.
10. di. 8. An. dñi 1410. Ioannes 22. dict⁹ 23. Neapolitanus, sedit
210. Alex- and. 5. an. 5. di. 15. Latinus imperator Sigismundus an. 27. Sub eodē
Pontifice fuit conciliū Cōstantiense, cuius tempore erāt tres
211. Ioan- nes. Pōtifices, vnus, qui Vrbano successerat: alter à Collegio Car-
Concilium Constan- tiense. dinaliū electus, vel saltem à pluribus de collegio: tertius de
concilij consensu. Cum ergo tunc propter schisma non esset
certus Pontifex, concilio demandata est authoritas. Vnde
Gregorius 12. per Carolum Malatestam Papatui suo renun-
ciauit: Benedictus vero ad hoc induci non potuit; sed à fine
deselictus. Illud ergo cōcilium semper legitimum quidem,
sed non semper verum: in fine solo œcumenicum. Anno do.
213. Mar- tin. 5. mini 1417. Martinus 3. dictus 5. Romanus, sedit an. 13. men. 3.
di. 10. Depositis Ioanne 23. Gregorio 12. & Benedicto 13. Eu-
214. Eu- gen. 4. genius 5. Venetus, rexit ecclesiam an. 15. men. 11. di. 21. Ordi-
nis Cælestinorum, an. domini 1431. Concilium Basiliense in-
choatur an. 1437. Duravitque an. fere sex, in quo Amedeus dux
Sabaudiæ eremita eligitur in pontificem; sed in Romanam
sedem ascendere nequiuit. Imperator Latinus Albertus 2.
Pontifex synodū Ferariensem an. 1438. celebrat, quam post-
Concilium Florenti- num. ea Florentiam transtulit, præsente Paleologo Græcorū im-
peratore: de Spiritus sancti processione, conueniunt cum
Synodus Latera- nensis. Romanis Græci, Armeni, Indi, sed domum reuersi, denuo
negent. Papa Synodum Lateranensem indicit, an. 1449. Ba-
siliense concilium Losannam transfertur, ibique statim dis-
soluitur an. 1449. Sigismundum imperatorem diademate
coronauit. Cum Columnensium familia bellum gerit. Im-
215. Nico- laus. perator Latinus Fridericus 3. an. 54. Pontifex Nicolaus 5.
Lucensis an. 8. di. 19. S. Bernardinum Senensem in sancto-

rum numerum retulit, Fridericum Imperatorum cum con- *Eccles.*
iuge coronat. Imperator Græcus Constantinus Paleologus *cō̄tinua-*
an. 9. An. domini 1455. Calixtus 3. Valentinus an. 3. men. 4. *ta succes-*
Huic successit Pius 2. Senensis, Æneas Syluius dictus, an. 5. mē. *sio.*
11. di. 27. Paulus 2. Venetus, sedit an. 6. men. 10. di. 26. Xistus 4. *S. Bernar-*
Sauonensis ordinis minorum, An. 1471. præest ecclesiæ an. 13. *di canoni-*
di. 4. Iubileum in 25. an. reduxit: & ipse primus celebrauit. In- *zatio.*
nocentius 8. Genuensis, sedit an. 7. men. 10. di. 27. Latinus *216. Ca-*
Imperator Maximilianus, an. 28. Alexander 6. Valentinus Hi- *lixtus 3.*
spanus, sedit an. 11. di. 8. Pius tertius Senensis, sedit di. 26. An- *217. Pius 2.*
no domini 1503. Iulius secundus pontifex 223. Sauonensis,
sedit an. 10. di. 11. Bononiam vi cepit: ad Rauennam pugnat *218. Pau- lus 2.*
cum Gallo. Concilium Lateranense sub Iulio secundo.
Lutheranorum secta incepit pullulare. Anno domini 1513. *219. Xistus 4.*
Leo 10. Florentinus, sedit an. 9. Anno domini 1522. Pontifex *220. Inno- cent. 8.*
225. Adrianus 6. Traiectensis an. 2. Præceptor Caroli 5. homo
doctus & pius. Imperator Latinus Carolus quintus. Anno *221. Alex. 6.*
domini 1523. Clemens 7. Pontifex 226. Florentinus, an. 10. di. 7.
Carolus quintus Bononiæ à Papa Clemente magna cum so- *222. Pius 3.*
lennitate in festo S. Mathiæ an. 1530. coronam imperij susce-
pit. Florentia sub dominio ducis ex nobilissima familia Me- *223. Iulius 2.*
dices constituitur. Anno domini 1534. Paulus tertius Roma-
nus, sedit an. 15. Prius Alexander Farnesius Ostiensis Episco- *224. Leo 10.*
pus dictus: huius neptem Henricus, qui postea rex factus,
Francisci regis Galliæ filius vxorem duxit. Henricus 8. rex *225. Adri- an. 6.*
Angliæ ab ecclesia alienatus est an. 1536. Iulius tertius Areti-
nus, sedit an. 5. men. 1. di. 16. Anno domini 1550. quo tem- *226. Cle- mens 7.*
pore in Academia Louaniensi ego Theologiæ vacabam, & *227. Pau- lus 3.*
Carolus quintus Bruxellis bellissime agebat, & pax magna
erat, & omnium rerum abundantia per totam Germaniam *228. Iulius 3.*
inferiorem. Sed paulo post, multa incommoda, strages, &
ruinas asperrimas passi sunt incolæ illius regionis. Anno *Concilium Tridenti- num*
Domini 1555. Pontifex 229. Marcellus 2. Tuscus, vir insignis
pietate, & eruditione, sedit dies 21. In cuius locum electus est
Paulus 4. Neapolitanus, ex principum familia an. 4. men. 2. *229. Mar- cellus 2.*
di. 27. Rex Galliæ magnum militum numerum in Italiam
misit: Rex Hispaniæ Neapolitanum regnum defendit: Itali *230. Pau- lus 4.*
tumultuantur: Senenses sua libertate spoliantur. Pius quar-
tus Mediolanensis an. 5. men. 1. dies 15. Italia quiescit à bello-
rum turbine. Imperator Latinus Ferdinandus. frater Caro- *231. Pius 4.*
li 5. an. 6. An. 1560. Porro an. 1564. Imperator Maximilianus 2.
filius Ferdinandi, & pater Rudolphi moderni imperatoris.
Ann. 1566. Pius 5. Alexandrinus, catechismum edidit & bre-
uiarium, ac missale reformauit, ex Tridentini Concilii de- *232. Pius 5.*
creto, Ordinis Prædicatorum, vir eruditus & sanctus, de ec-
clesia Dei bene meritus: sexto iam sui pontificatus anno,
mortem obiit: cui vitam in hoc seculo diuturnā, in futuro
æternam, omnes pii exoptant, & precantur. Successit Pio
quinto Gregorius 13. Bononiensis, vir pacificus, prudens & *233. Greg. 13.*
doctus, qui multa collegia instituit, & in pace Dei ecclesiam
gubernauit: tredecim annis Cardinalis, & totidem Ponti-
ficis officio functus. An. do. 1585. in mense aprili, sedem a-
postolicam ascendit Sixtus quintus, Ordinis S. Francisci, vir *234. Six- tus 5.*
inprimis eruditus, & ecclesiæ Dei zelum habēs, sicut eius pō-
tificatus initia protestantur. Imperator Rudolphus Maxi-
miliani filius, christianæ fidei & pacis obseruantissimus.

DE IMPERATORIBVS TVRCARVM.

CIRCA finem istius historici tractatus, inserui ori- *Othoman- nus.*
ginem Othomanni, eiusque familiæ successionem.
Othomannus à Gallatiæ loco, in quo natus est, O-
thomānus est appellatus. Asiam minorem occupa-
uit: fuit vir humili loco natus, sed ob virtutem rei militaris,
magnum sibi nomen comparauit. Siquidem Bithyniam, &
omnes circa Pontum prouincias, decem annorum spatio si-
bi subiecit: atque ita Turcicum imperium est auspicatus 28.
an. rerum potitus: filio suo Orchani imperiū reliquit. Orcha- *Orchanes.*
nes Othomanni filius paternæ virtutis æmulus, copiis appa-
ratuque instructior, rem inchoatam à patre auxit, mirificeque
propagauit. Domuit enim Mysiam, Lyconiā, Phrygiā, Ca-
riam, regnumque in Hellespontum vsque & Euxini littora
protendit. In causa fuit Græcorum dissidium, vt Othomā-
nica res cresceret, & Prussiā Græcis adimeret. Dissidentibus
autem eis, Cantacuzeno magis quam Paleologis fauet, pri-
mus ab eo in Europam accersitus traiecit. Imperij sui an. 22.
filium post se reliquit Amurathem: cum Tartaris vero pu- *Amura- thes.*
gnās occubuit. Amurathes Orchanis filius, vir robore animi,
industriæ, laborū tolerantia insignis. Duo erant suo tempo-
re Constantinopoli Imperatores, inter se pertinaciter dimi-
cantes, quorū vnus Amurathē ad sui tutelā vocauit, pro pre-

Imperatores Turc.

cio laboris promissa sibi Callipoli. Amurathes mature in Thraciam per Hellespontum copias traduxit: Europæ autem opibus illectus, dum vicissim imparij hostes simulat, occupata Callipoli, in Cherroneso cætera Græca oppida infestis armis petebat anno Christi 1363. atque ita sine magno negotio magnam Thraciæ partem sibi subdidit. Mysiam adortus, armis subegit. Bessos, Triballos domuit: Seruiam, Bulgariamq; ingressus, occupata prius Adrinopoli, initu certamine cũ hoste, sub inguine confossus occubuit, à Lazari seruo in domini vindictam. Regnauit an. 23. duos reliquit filios, Solymanum & Baiazetum. Solymanus late in Asia imperabat: qui cum Baiazeto in Europam properante, confligens occubuit, totaq; rei summa ad Baiazetum est deuoluta. Baiazetus Amurathis filius & Solymani frater, imperio successit: vir callidus, imperij appetens, & quietis impatiens: vniuersam Thraciam suæ ditionis fecit, excepta Constantinopoli & Pera. Thessaliam, Macedoniam, Phocidem, & Atticam occupauit. Mysos quoq;, qui hodie Seruij, Illyricos, Bosnenses, Triballos, siue Bulgaros, assiduis prælijs vexauit: patris mortem sic vltus. Principem Bulgarorum interfecit. alios subegit, alijsq; tributa quotannis soluenda indixit. Constantinopolim omni agro, & suburbanis spoliauit; vt cogeretur imperator egredi: & ex Italia & Gallia mendicare auxilia. Octo an. Constantinopolim obsederat: expugnassetq;, nisi Hungarorum, Gallorumq; formidans aduentũ, illis ad Nicopolim occurrisset: in qua plane pugna nostros fudit, captiuosq; duxit. Reuersus Cõstantinopolim, biennio obsidet: aduenientes autem Temerlanes Scytarum rex, in Gallatiæ & Bithyniæ confinio superatur Baiazetus: viuusq; in cauea catenis aureis vinctus, est circumductus: tandem dimissus, cæsis prius in bello ducentis Turcarum millibus, ingloriusin Asia paulo post moritur. Incidit hæc clades Turcis an. 1397.

Amurathes occiditur.

4. Baiazetus.

Baiazetus in cauea circumfertur.

5. Calapinus.

Quintus Imperator Turcarum Calapinus, vel Alpinus, filius Baiazeti, inter quatuor fratres maior natu, post aliquas strages moritur. Orchanes filius successit, tenella ætate adolescentulus, ac ideo à Moyse patruo suo breui extinctus: qui moriens fratri Mahometi regnum per manus tradidit. Mahometus hoc nomine primus, sextus Turcarum rex. Valachis tributa grauia imperauit: Macedoniam bello domuit, & vsque ad pelagus Ionium signa promouit: Bosoensem regem constituit, qui postea interfectus est à strenuo milite de Macedonia. Mortuus est autem Mahometus anno decimoseptimo sui regni: Anno vero Christi 1422. constituit regiam sedem in Adrinopoli. Amurathes Mahometi filius, hoc nomine secundus, veniens in Thraciam, pugnauit cum Mustapha patruo suo, cui Græci fauebant: eumque vicit, & totum imperium est assecutus. accepit Thessalonicam, in ora Macedoniæ sitam, amplitudine, antiquitate, pulchritudineque ciuitatem illustrem: quæ tunc à Venetis tenebatur. Occupauit omnes gentes, quæ erant in Peloponneso, vsque ad Corinthiacum sinum, Epirum, Æoliam, Illyricorum oppida subegit, Mysiam, Hungariam, aliasque circumiacentes regiones vexauit. Belgradum adoritur, & in suam ditionem trahere conatur. sed ab oppidanis ita sunt missilibus & faculis obruti; vt 7. millia Turcarum perierint. Ea clade perculsus Turca, obsidionem soluit. Ioannes Hunniades princeps Transyluaniæ, Seruiam ingressus, Turcas potenter expulit: multosque captiuos abegit: arces & vicos recuperauit. Deinde coacto exercitu, Turcas Transyluaniam deuastantes, strauit, & prædam recuperauit. Indignatus vero Amurathes, misit ducem cum magno exercitu in Transyluaniam, iubens, vt omnia depopuletur. Aggreditur hostem Hunniades: arripiunt hostes fugam: subsequuntur Hungari: & omnem campi planitiem cadaueribus implent. VVladislaus Polonus tertio regni sui anno, grandem conflauit exercitum: venitque in Bulgariam, similiter Hunniades ex Seruis ingressus est Bulgariæ regnum; obuia quæque igne, & ferro deleuit. Pugnauit ea die quinquies contra Turcam, semper victor. In sexta aliquot millia Turcarum ceciderunt: quatuor millia capta cum nouem signis militaribus, ac 13. ducibus. Turcæ pacem petunt; conceditur à rege VVladislao cum certis conditionibus: sed suasu multorum, non seruat pactũ; prosequitur victoriam; traducit in Mysiam atq; Bulgariam; castrametatus est apud Varnam. Amurathes cognito hostium aduentu, exercitum ex Asia traduxit in Europam. Ordinata acie, fit pugnæ initium: Acies Christiana Turcas in fugam vertit: Amurathes prælio excedere statuit. Dum ancipiti Marte pugnatum; tantumq; sanguinis effusum est; vt in modum lacus campi stagnarent. Rex VVladislaus, ad Turcæ milites delatus, cum equus eius grauiter in latere saucistus esset; telis obrutus est, anno sui regni 4. Salutis vero Christianæ 1444. in vigilia S. Martini. Caput eius postea detruncatum, ac in hastam hastæ, populis ostentatur. Huñiades cum corpus regium habere nõ posset, fuga salutem quæsiuit, cæteriq; omnes fugæ se commiserunt. Conflictus ille trium dierum & noctium spatio continuatus est. In clade illa Varnensi cæsi sunt 10. millia Christianorum, 40. autem millia Turcarum. Veniens Amurathus Adrinopolim, Mahometem ex liberis suis maiorẽ præfecit imperio: atque inde in Asiam reuersus est. Sed cũ Ioannes Hunniades iterum instauraret bellum, coactus est regredi, & iterum inire certamen, in quo triduum dimicatum sit: victoriaque apud Amurathum remansit. Haud longe post, mortuus est Amurathus, eiusque corpus in Prusiam Bythinæ vrbem delatum. Mahometes Amurathi filius, patre truculentior fuit: interfecit enim fratrem infantem, vt pater solus sepeliretur. Similiter & sextum Amurathi filium strangulauit. Deinde ad expugnandam Constantinopolim animum adiecit: quam quidem nõ expugnasset, si ciues absconditos thesauros in bonum commune erogassent. Post expugnatam Constantinopolim, an. Christi 1455. expeditionem fecit in Hungaros: maximisque copiis Belgradum siuẽ Albam regiam obsedit. Mahometem nostri sagitta petunt in pectore: in terra exanimum deijciunt. Quem mortuum credentes Turcæ, noctu semiuiuum abducũt: omnes in fugam conuersi, victoriam Christianis relinquunt: relictis omnibus rebus, turpi fuge per noctem obscuram abierunt. Mahometes noctu ablatus, altera die ex dolore vulneris ad se rediit: intelligens infamem cladem, voluit veneno sibi vitam adimere: fecissetque votis satis, nisi fuisset prohibitus. Post cladem istam sequenti anno Hunniades morbo correptus, moritur cum magno planctu Hungarorum. Porro, Mahometes quietis impatiens, Trapezuntium expugnat, Mytilenem insulam Ægæi maris, Bosinam, Peloponnesum, quem possederant Thomas & Demetrius fratres, vltimi Christianorum principes Palæologi: inter se enim diffidebant. Mysis potitus ac omni pene Græcia. Deinde ex Bosna veniens, Isthmum cæde & strage ingressus, Venetorum agros facile occupauit: ac crudelissime Chalcidem vrbem in Euboea insula expugnauit, cum 30. diebus obsedisset, & continenti insulam ponte coniunxisset. Diebus nonaginta insulam Rhodum oppugnat: vbi accepta magna clade, abiit confusus. Hidruntem in Apuliæ & Calabriæ finibus, subito incursu oppressit; sed in itinere suffocatus est morbo, an. ætatis suæ 58. An. vero Christi 1481. Baiazetus secundus filius Mahometis habuit Zyzimũ minorẽ eo natũ: qui multa contra Baiazetũ molitus, vt eum regno pelleret, nunc per Sultanum, nunc per Rhodiensos milites, tandem in Galliam concessit, & inde Romam, vbi diem suum obiit. Interea Mathias Ioannis Hunniadis filius, Hungariæ rex Bosnẽse regnum è Turcarũ manibus subtraxit: Sebatiam quoque arcem munitissimam, ad littus Saui fluminis sitam, Turcis ademit. Baiazetus vero in Syriam profectus, Sultano bellum inauspicatum intulit. Cæterum, cum esset homo formidolosus, & mero maderet in omnem luxum resolutus, nullum insigne bellum gessit; siquidem natura pacis magis quam belli erat studiosior: filij autem eius intestinis seditionibus laborabant. à Ianizaris suis imperio deturbatur: & paulo post veneno sibi dato à filio suo iuniore, moritur, cum 31. an. imperium rexisset, an. salutis 1512. Selymus 10. Turcarum imperator minor natu, Tartaris iunctus, & impetrata filia reguli cuiusdam Tartari in vxorem, immẽsa breui collecta multitudine Tartarorum Adrinopolim venit. & paulo post à Ianizaris imperator in regia declaratus. Is crudelis tyrannus patrem veneno sustulit; nepotes ante se strangulari iussit. Pater quoque adolescẽtum, similem subiit mortis iniuriam. Fratrem autem maiorem natu, iussit ligatis in dorso manibus, per pedes in terram prosterni, ac mox collum chordis stringi, & sic strãgulari; cadauerque curru impositum, qui peratus nigro velo astabat, Brusiam ad sepulturam vehi. Selymus itaque post nefandã suorum cædem, cum magno exercitu traiecit in Aphricam, & eiecto Soltano, magnam Ægypti partem occupauit. Sultanus enim equorum pedibus attritus, vitam finiuit: erat plane homo pinguis, & senio confectus, annorũ scilicet 76. Creatus autem nouus Sultanus, Selymum adoritur, eiusque ordines inuectus: ac primum quidem ex vtraque parte machinæ æreæ globulos in hostes, maximis militum acclamationibus, emisere. Mox ingens Mamelucborum numerus Turcas circumdedit. Ianizari tamen seruato ordine, Mamaluchos terga dare coegerunt: qui postea in carcerem missi, decollati sunt. Porro, octauo calendas Februarij an. 1517. Alcairi arcem ingressus est Selymus: nec multo post pontem è nauibus supra Nilũ fecit. Sultanus autem videns fortunã sibi aduersari, rebus suis fuga consuluit: inter Cannas autẽ & Iũcos in palude pectore tenus in aqua latitans inuentus, ad Selymũ perductus est. Selymus autẽ adhibitis torturis, hominẽ vexauit, vt thesauros proderet; at ille incredibili quodã

Transyluania oppugnatur.

Belgradum oppugnatur.

Ioan. Hunniades.

VVladislaus.

Lacus ex sanguine.

VVladislaus rex cadit.

Imperat. Turcarum.

Constantinopolis expugnatur.

Clades Mahometi.

Hunniades moritur.

Rhodus oppugnatur.

9. Baiazetus 2.

10. Selymus.

Selymus Ægyptum inuadit.

6. Mahometus.

7. Amurathes.

animi

Imperat. Turcarum. Sultanus interficitur. animi constantiæ, nihil vnquam indicauit. Vnde Selymus eum mulæ insidentem, atque innexum gutturi laqueum habentem, per totam vrbem duci, ac denium suspendi iussit. Subleto igitur Sultano cum omnibus Mamaluchis, prouinciæ omnes, etiam quæ in extrema sinus Arabici parte iacerent, Turcis sese dediderunt. Reuersus autem Constantinopolim, vlcus in renibus contraxit, quod cancer in ... serpens Selymum necauit, an. ætatis suæ 48. imperii ... Salutis autem 1520.

De vndecimo Imperatore Turcarum.

11. Solymanus. Solymanus vnicus Selymi filius, patri successit in imperio: & cum nouum Sultanum nonnulli creare vellent; omnes huius rei authores necari iussit. Deinde in Hungariam expeditionem parauit. Erat tunc temporis Rex Hungariæ Ludouicus iuuenis, & propter ætatem adhuc rerum imperitus. Veniens autem Solymanus, sine magno labore, & paucis è suis emissis Belgradum expugnauit, insigne propugnaculum, an. 1522. Deinde sub Iunij mensis finem Rhodum oppugnat: duosque montes construxerat, spatio duorum à ciuitate miliariorum, ligonibus, atque eius generis instrumentis, contra vrbis fossas, terra proiecta, & in eam altitudinem coaceruata: machinasque æreas imposuit: omnemq; defendendæ vrbis commoditatem abstulit. Philippus autem Villedamus, Gallus, Rhodiensium equitum magister, machinis æreis multos strauit; ita vt fossæ vrbis Turcarum cadaueribus replerentur. 30. millia Turcarum dysenteriæ morbo perierunt. Tandem deiectis turribus, ac mœnibus demolitis, per subterraneos cuniculos Turcæ vrbis extremas partes occupauerunt: semperque progredientes, Christianos cedere cogebant. Præterea machinæ quædam æreæ, quas mortarios vocant, vrbis interiorem partem impetentes, tecta ac pauimenta domorum, vsque ad terram cum maximo omnium terrore perforabant. Transierant aliquot menses ab incepta obsidione, & Rhodiis suppetias tulit nemo. Quam ob causam omni spe destituti, Turcæ sese dediderunt: cum illo tamen prius pacti, vt viuere illis concederet, & res suas possidere, demptis machinis æreis, quod Turca & promisit, & seruauit. Sexto ergo mense obsidionis Turca Rhodum occupauit. Deinde an. 1526. Hungaris bellum indixit. Cumque Belgradum venisset, Ludouicus rex, omni Christianorum auxilio destitutus, hosti vadit obuiam cum paruo exercitu, scilicet 24 millibus. Qui cum Mogecium inter Budam ac Belgradum peruenissent, anteriorem Turcici exercitus partem haud procul abesse conspexerunt. Viginti millia equitum erant, qui planiciem infestabant: Hungari vero intra curruum septa clausi, equos ducere ad Danubium non poterant, sed partos exequabant. Interea Solymanus cum reliquo exercitu se suis adiunxit. Conferuntur signa: committitur certamen: equitatus Turcicus in Hungaros immissus est: quo atrociter à fronte pugnante, turma itidem Turcicorum equitum currus à tergo inuasit. Cumque iis succurrere necesse esset; equites qui in regis præsidium erant, emissi sunt. Interea multi ceciderunt, & rex ipse inter fugiendum in palustrem quandam foueam descendit: ex qua cum emergere ascendendo conaretur, ab equo, qui in tergo in paludem obuersa decidit, oppressus est. Solymanus cum 200. hominum millibus Budam venit: vrbisque arcem his conditionibus obtinuit; vt homines & res priuatæ incolumes seruarentur, quod Solymanus firmiter seruauit. Hæc quidem contigerunt anno salutis 1526. 4. Calendas Septembris. Deinde cum esset contentio inter principes Christianos de regni Hungarici administratione; vocatus Turca, venit cum ingenti multitudine: recuperat Budam: castra mouit in Austriam: & vi sua omnia diripit & deuastat, multaque ostendit crudelitatis exempla. Viennam Austriæ cum 200. & 50. millibus armatorum obsidet 6. Calend. Octobris: tormentorum ictibus, muro locis aliquot disturbato, suos vrbem inuadere iubet. Atrociter ergo militibus murum adorientibus, fit magnum certamen; sed Turcis magis cruentum: idem factum in tertia oppugnatione. Vicies hostis subiit muros: vicies cum ingenti strage à ciuibus repulsus. Videns autem Turca se nihil posse proficere, obsidionem soluit Idibus Octobris, 60. hominum millibus, & eo amplius in oppugnatione emissis. Deinde anno domini 1531. agente Aquisgrani Ferdinando, ratus Turca tempus opportunum, quo Christianos vexaret, in Hungariam recurrit. Viennam iterum tentare volebat: sed Carolus & Ferdinandus ad suos scripserunt, vt diligenter curarent, ne aliquod detrimentum Respublica Christiana pateretur. Descenderunt itaque in aciem, & castra Solymani partim cæsa, partim vero capta

Turca expugnauit Belgradū. Rhodus expugnatur.

Rex Hungariæ perit in palude.

Vienna Austriæ à Turca obsidetur.

sunt. Anno Christi 1542. Solymanus occupauit aliquot ciuitates in Morea, quas Veneti adhuc reliquas habebant. Eodem quoque anno mortuus est Ioannes VVayvvode, qui ad se regni iura pertinere dicebat. Turca iterum in Hungariam rediens, ... subegit Budam & Pestum, imposuitque præ... An. 1543. cum Carolus quintus, & Francisc... Galliæ inter se dimicarent, Turca interim occupa... Strigonium, & Albam regalem. Sed de potentissimis, ... atrocissimis Turcarum Imperatoribus breuiter hæc sint dicta.

Longobardi.

De Longobardis, & aliis Romani imperij tyrannis.

Romanum imperium sicut a legitimis Regibus incrementa virtutis semper suscepit, ita ab improbis, & tyrannis detrimenta potestatis. Postquem enim Valentinianus Romæ a suo occisus fuit; surrexere tyranni, imperium Romanum inuadentes. Ex quibus primus fuit Maximus ciuis Romanus, quem Gensericus Vandalorum rex ex Aphrica aduocatus, trucidauit. Deinde cum Augustulus præesset imperio occidentis, Odoacer ex Hunnis cum instructissimo exercitu Italiam penetrauit: Augustulum vicit. Romam sibi subegit: sublatoque est imperium circa annum Domini 471. Romæque regnauit annos 14. paruipendens Zenonis Imperatoris Constantinopolitani arma & consilia. Tandem Imperator misit Theodoricum regem, qui ex Gotthis fuit, cum magno exercitu, tradidit ... ei Italiam, vt esset rex in ea. Veniens igitur Theodoricus, superatoque Odoacro, Italiæ dominium obtinuit. & cum esset Arianus, multum afflixit Catholicos. Theodorico successit in regno Theodatus, Vitiges, & Ildouadus qui omnes Gotthi erant: deinde iidem crearunt Totilam regem ... ter ea autem temporis & Longobardi irruerunt in Italiam. Quod audiens Imperator Constantinopolitanus, misit in Italiam legatum, Longinum nomine: qui Rauennæ commorans, Imperatoris ciuitates continuit, quas in Italia habebat. Tunc iussu Iustiniani Imperatoris, nouus fuit per Longinum in Italia institutus Magistratus, quem Hexarchatum Rauennatensem dixerunt: erat enim vicarius Imperatoris Constantinopolitani. Rauennæ non Romæ versabatur, quod illa barbarorum irruptionibus direpta iaceret. Id autem factum est anno Christi 570. durauitque vsque ad annum 756. fueruntq; quatuordecim Hexarchi. Longobardi postea occupauerunt Italiam: nam Rauennam expugnarunt, simulque Imperatorem omni iurisdictione Italiæ priuarunt. Vnde Luitprandus Longobardorum rex, eam Italiæ partem, quæ Constantinopolitano Imperatori subiecta fuerat, suæ fecit ditionis, finitimisq; vrbibus circumquaq; captis, ipsam quoque Romam obsedit. Pipinus Rex Galliæ, vocatus in auxilium Ecclesiæ Romanæ, venit cum ingenti exercitu, cui ad ipsas montium fauces occurrerunt Longobardi: sed victor Pipinus euasit, regemq; illorum Aistulphum, Papiæ inclusum, armis extorquet, & ad conditiones præscriptas cogit: sed non stetit promissis. Pipinus sequenti anno, nempe anno 756. Italiam repetens, Longobardorum vires oppressit, & Rauennatem Hexarchatum, & alia Italiæ loca, quæ erant sub eorum imperio, Ecclesiæ Romanæ dedit. Cum autem vltimus Longobardorum rex Desiderius, in Romanum Pontificem Adrianum aliquid moliri cœpisset; Carolum Magnum Pipini filium pro sedis Apostolicæ defensione Pontifex implorauit: qui mox in Italiam cum exercitu veniens, Desiderium cum exercitu suo occurrentem, acri prælio fudit: & oppida illorum omnia in deditionem accepit, captumque regem vna cum vxore & liberis in Galliam exulatum relegat. Et sic Longobardorum regnum, quod annis plus ducentis in Italia manserat, in vniuersum deletum est, anno salutis 776. Porro Carolus Magnus, quæ pater suus Pipinus Ecclesiæ Romanæ dederat, amplioribus donis, & priuilegiis cumulauit. Anno 801. decernit ipse Pontifex Romanus magna voce Carolum Magnum Imperatorem, ac donat diademate Romæ in Basilica sancti Petri, acclamante populo Romano ter: Carolo Augusto, à Deo coronato, magno pacifico Imperatori, vita & victoria. In hunc itaque modum Romanum imperium peruenit ad Gallos, quod 330. fere annis apud Græcos fuerat. Habuit autem Carolus Magnus subiectam Galliam, Germaniam, Britanniam, atq; Italiam; mansitq; imperium Romanum apud Carolum Magnum & posteros eius, vsque ad annum Christi 905. Tunc Berengarius, qui in Longobardorum terris principatū obtinebat, totam Italiam multis modis afflixit. Quod cum audisset Ludouicus tertius, in Italiam venit, vt Berengarij audaciam arceret. Existente autem Ludouico Veronæ, intromissus est clam Berengarius in ciuitatem,

Maximus Tyrannus.

Odoacer.

Theodoricus.

Totila.

Longinus. Hexarchatus Rauennensis.

Longobardi erigunt regnum in Italia.

Pipinus Rex Galliæ superat Longobardos.

Vltimus Rex Longobardorū.

Carolus Magnus delet Longobardos.

Caroli Magni coronatio.

Berengarius.

Ludouicus 3.

Berengarius priuatur oculis.

rem, comprehendensq; Ludouicum, eruit illi oculos: obtinuitq; Berengarius regnum in Italia. Paulo post circa annum salutis 913. cum omne semen virile de Carolo Magno defecisset, contendebant pro Romano imperio Itali, Galli, atque Germani. Imperator quoque Constantinopolitanus bellis lacessiuit Italiam, mittens Sarracenos qui eam perderent: Germani tamen retinuerunt imperium. Berengarij quoq; & alij quidam homines, qui de nullo regio stemmate fuerant orti, contenderunt ascendere ad regium fastigium, quisque pro sua libidine etiam eum in Germanis interim essent Imperatores. Durauerunt autem Berengarij annis circiter 50. quousque Otho primus in Italiam veniens, captum Berengarium secundum, duxit secum Bambergam vbi & mortuus est: sicque extincti sunt Berengarij.

Otho 1. Berengarium domat.

De Gotthis, Hunnis, & Vandalis.

Alaricus rex Gotthorum Romã expugnat.

ANno salutis 412. Alaricus rex Gotthorum ex Constantinopoli in Illyricum venit, omnesque subuertit. Romam deinde veniens, obsidione eam cinxit adeo; vt ciues magnam inediam paterentur. Demum expugnatam vrbem triduo deuastant Gotthi: capitur Roma, quæ antea totum fere orbem ceperat. Incenderunt Gotthi plurima vrbis ædificia: & multos Senatorij ordinis diuersis subdidêre supplicijs: dato tamen prius præcepto; vt si qui in sancta loca, præcipueque in Basilicas Petri & Pauli confugissent; hos inprimis inuiolatos, securosque esse sinerent. Deinde, per Campaniam & Brutiam simili feritate debacchantes, Rhegium peruenerunt, in Siciliam transfretare cupientes: sed naufragium passi, multisque submersis in Scylla & Charybdi, redire coguntur. In reditu autem rex Gotthorum morbo correptus, subita morte Cosentiæ moritur. Gotthi timentes, ne in regis ossa aliqua vindicta fieret, deriuato quodam fluuio, in alueo sepulchrum statuunt: ibique Alaricum regem cum pretiosa supellectile recondunt: moxque reuocato fluuio, ne quis monumentum scire posset, fossores obtruncant. In Alarici locum Athaulfum regem, affinem eius, constituunt. Redeuntesque Romam, si quid residuum fuit, eradunt. Anno salutis 454. Hunni rege Attila vastant Italiam: Aquileiam diripiunt, & euertunt: cunctamque regionem Foroiuliensem: profecti inde diruerunt Paduam, Veronam, Vicentiam, Brixiam, Bergomum &c. Tunc etiam ob metum Hunnorum, cœpta est ædificari vrbs Venetorum. Excisis regijs vrbibus, Ticino atque Mediolano, dum Romam ire vellet, prohibitus est à S. Leone Papa, vt antea annotaui fol. 357. Anno Christi 456. venit Gensericus rex Vandalorum ex Aphrica, ducens secum trecenta millia hominum, collectorum ex omni natione, atque ex varijs populis: & diripuit in vrbe tam ecclesias quam domos sine vllo discrimine. Ingeniosiores vero artifices, & alios insignes viros, misit in Aphricam: postea despoliauit Capuam, Nolam, & fere totam Campaniam. Anno salutis 545. Totila à copijs Gotthorum rex effectus, mox Italiam incendijs & populationibus deuastauit: expugnataque Sicilia, ad vrbem properat, eamq; expugnauit, disiecit mœnia, bona diripuit, multos interfecit, vrbem incendit. Pelagius Diaconus occurrit illi cum Euangelico codice, & precabatur misericordiam. Tunc iussit Totila, vt cessarent interficere ciues: qui vero ad direptionem excurrere vellent, illis non esset prohibitum. Incendit autem Capitolium igne: pluraq; alia palatia fuerunt combusta: & homines residuos distraxit in Campaniæ ciuitates. Senatores vero accepit obsides: euacuauitque in hunc modum Romam. Tredecim diebus flamma quotidie domos Romanos depascebatur. Deinde expugnauit Spoletum, demolitusque est muros eius. Oppugnauit quoque Rauennam. At Belisarius Patricius reparat interim vrbem, eamque munitionibus circumsepsit: & ciues expulsos redire iubet. Accepto hoc nuncio Totila, cum suo exercitu ad euertendam vrbem redit: cum quo Belisarius congressus, in fugam vertit, vt plures Tiberi demergerentur, quam gladio caderent. Cum autem Belisarius vocatus à Cæsare, Constantinopolim se contulisset, Totila occupat vrbem: nõ autem ita sæuit, vt prius. Audiens autem Augustus Italiæ calamitates, misit Narsen cubicularium suum, cum ingenti exercitu, qui vrbi & Italiæ suppetias ferret. Is autem ad Italiam veniens, cum Longobardis fœdus iniit: & ad Alboin legatos dirigit, quatenus ei pugnaturo cum Gotthis auxilium ministraret. Tunc Alboin per sinum Adriatici maris milites misit, qui coniuncti cum Romanis, magnum iniêre certamen: in quo rex Totila, qui vltra decem annos regnauerat, interficitur, atque ita Italia à Gotthis liberatur: & Longobardos bene honoratos Narseo ad Pannonias remisit. Anno ab vrbe condita 642. ante Christi aduentum anno 110. pugnauerunt Romani contra Cimbros, Teotonas, Tygurinos, & Ambronas, Gallos, atque Germanos, qui Romanum imperium extinguere conabantur, trecenta vtique millia armatorum. Cimbri ortum habent ex Dania, ac reliquis septentrionis regionibus: qui cum per maris inundationem suo solo pulsi essent, ad Danubium consederunt: & inde profecti per Heluetiam, venerunt in Hispaniam. sed expulsi per Celtiberos, venerunt per Galliam, vt ingrederentur Italiam. Mittentes autem legatos ad Senatum, petierunt, vt aliquid terræ sibi daret, quasi stipendium, vt manibus eorum miseorum vteretur. Sed quod nequiuerant precibus impetrare, armis obtinere constituunt. Ventum est ad pugnam: Syllanus, Manlius, Cepio Romanorum duces cum suis exercitibus à Cimbris cæduntur. Manlius consul interfectus est: duoque filij eius cæsi: octoginta millia Romanorum sociorumque trucidata. Maximus tunc Romæ luctus fuit: miseruntque Romani C. Marium & Q. Catulum, qui posuerunt castra ad aquas Sextias, vbi Isara & Rhodanus in se confluunt. Itaque Marius occupatis compendijs, præuenit Cimbros, & compositis ordinibus, committitur pugna, in qua Romani victores euaserunt. Quarto die rursus productæ vtrinque acies in campum, vsque ad meridiem pari discrimine pugnauêre. Post vero meridiem incalescente sole, vsque ad noctem cædes magis quam pugna protracta est. Ducenta millia armatorum cæsa sunt: octoginta millia capta. Relicta sunt in eo loco ex cadaueribus resolutis tot ossa, vt Massilienses posteris annis ex ossibus occisorum macerias circa vineas componerent. Cæterum, Teutones & Cimbri, cum suis copijs Alpium niues emensi; qui enim in pugna ceciderunt, Galli fuisse memorantur, per iuga Tridentina, in Italiam descenderunt: traiectoque Athesi flumine, Romam venire contendunt. Marius haud procul à Verona Cimbros aggressus, die determinato, conferuntur manus: cæduntur ad centum & quadraginta millia Cimbrorum: quadraginta millia capta. Romani milites ex vtroque exercitu Marij scilicet & Catuli, trecenti periêre. Itaque in duobus prælijs 340. millia sunt cæsa, & 140. millia capta: absque innumera multitudine mulierum, quæ se suosque paruulos necauerunt.

Hunni vastant Italiam.

Venetiarũ constructio.

Vandali vastant Italiam.

Gotthi rursus vastant Italiam.

Totila crudelitas.

Spoleti expugnatio.

Belisarius expugnat Totilam.

Narsen.

Alboin.

Totila interficitur.

Cimbri contra Romanos.

Romani à Cimbris cæduntur.

Marius.

Cimbri victi interitus.

Caeduntur Cimbri.

Numerus cæsorum 340000. & 140000 capta.

De Annibale.

ETsi plurimi tyranni, ac ferocissimæ gentes non parum Romam incommodârunt; Annibal nihilominus Pœnus omnes in hoc genere laudis facile superauit. Nam anno ab vrbe condita 534. Annibal expugnauit Saguntum florentissimam Hispaniæ ciuitatem, Romanis amicam, annum ætatis suæ agens 20. Romanorum legatos, qui ad se missi fuerant, ignominiosissime est auersatus. Porro, Annibal relicto in Hispania fratre Asdrubale, Pyreneos montes transiuit, inter ferocissimas Gallorum gentes, ferro viam aperuit: & nono post die, à Pyreneo ad Alpes peruenit, vbi Montanos Gallos superat; qui eius ascensum impedire conabantur. Inter inuias rupes igni, aceto, ferroque viam aperit. Nono post demum die, cum maximo labore ad plana peruenit, cum 100. millibus peditum, & 20. millibus equitum, ac 37. Elephantis. Cognito autem Annibalis ad Italiam aduentu, exercitus Sempronij & Scipionis apud Ticinum Annibali occurrunt: commissoque prælio, Romani pene extinguuntur. Tunc se Annibali multi Itali dedidêre. Cum per Apenninum in Hetruriam transiret, in niuibus magnus hominum numerus, iumenta, & Elephanti pene frigore perierunt. Deinde in Arno fluuio magnam quoque sociorum, iumentorumque partem perdidit. Et Annibal oculum, quo iam dudum in Alpibus æger erat, violentia frigoris, vigiliarumque ac laboris amisit. Paulo post ad Trasumenum lacum, cum Romanis manus conseruit: cæsaque sunt 25. millia Romanorum. Deinde per Picænum iter faciens, apud vicum qui Cannæ appellatur, duos Consules strauit, ac 44. millia Romanorum interfecit. De exercitu vero Annibalis tria millia cæsa sunt, & magna pars sauciata. Fuisset ille dies vtique statui Reipublicæ Romanæ vltimus; si Annibal sua victoria bene vsus fuisset: si ad vrbem euertendam properâsset. Successu autem belli elatus, responsa per interpretes dabat: neminem ciuium suorum ad castra sua admittebat. Desæuit postea in captiuos Romanorum, varijsque supplicijs interfici iussit. Pro testimonio vero victoriæ suæ, tres modios annulorum aureorum Carthaginem misit, quos è manibus interfectorum detraxerat. Inuasit autem residuos Romanos vltima desperatio, vt Italia excederent, nisi Cornelius Scipio tribunus tum militum, idemq; postea Aphricanus, districto gladio prohibuisset, singulis mortem inferre minitans, pro defensione patriæ, omnesq; in sua verba iurare coegisset. Verum mox fortuna vertit se contra Annibalem: nam Claudius Marcellus Annibalis

Annibal pugnat contra Romanos.

Annibal aperit viã inter Alpes.

Victoria Annibalis.

Annibal oculum amisit.

Victoria ad Trasumenum lacum.

Victoria Annibalis ad Cannas.

Scipio Aphricanus.

Fortuna pugnat contra Annibalem.

Annibal Pœnus.

balis exercitum prælio fudit primus. Occiduntur quoque in Hispania à Romanis 25. millia, & decem millia capiuntur: necisa sunt in Sardinia duodecim millia, subactaque est Romanis Sardinia, quam Carthaginenses occupauerant. sicque imminutis fractisque rebus Romanæ reipublicæ, subito Romani spem aliquam habuerunt Annibalem posse superari.

Annibal venit Romam ... ingressus.

Decimo anno postquam Annibal in Italiam venerat, mouit exercitum de Campania versus Romam, incredibili totius ciuitatis metu. accessitque ad portam Collinam. cui cum exercitus Romanus obuiam veniret, circiter nouem millia hominum interfecit.

Scipio cepit Carthaginem Hispaniæ.

Scipio annos natus 24. Proconsulem agit in Hispania: primoque impetu Carthaginem nouam Hispaniæ cepit, vbi stipendii maxima, præsidia valida, copiæ auri argentique magnæ Pœnorum habebantur, & nobilissimi obsides, quos ab Hispanis acceperant. Ibi etiam Magonem fratrem Annibalis captum cum cæteris Romam mitit. Romanis ingens lætitia oritur. Annibal interim frequenter dimicans cum Romanis, victor aliquoties euasit: donec tandem consul Romanus ex eius exercitu octo millibus interfectis, Annibalem cum reliquis fugere in castra coegit.

Q. Fabius expugnauit Tarentum.

Interea Q. Fabius Maximus expugnato Tarento, ingentes deleuit Annibalis copias, atque triginta millia hominum captiuorum vendidit: prædam militibus dispartiuit: pecuniam hominum venditorum ad fiscum retulit. Tum multæ ciuitates, quæ ad Annibalem transierant, rursus Fabio Maximo adhæserunt.

Annibalis frater in Italia interficitur.

Deinde ob desperatas res in Hispania, Asdrubal in Italiam vocatus, & proditus, ab exercitu Romano interfectus est, caputque eius Annibali ante castra proiectum est: fueruntque cum Asdrubale occisa 59. millia Pœnorum: quæ cum Annibali innotuissent, ad Brunos se recepit. Post hæc cœpit Annibal diffidere de belli euentu: contra, Romanis magnus accessit animus victoriæ.

Annibalis summa prudentia.

Annibalis prudentia in hoc potissimum commendatur, quod exercitum habuerit ex diuersis hominibus collectum, in quo tamen nullus tumultus audiebatur, tot annis manens in terra hostium, cum tanta temporum & fortunæ varietate.

Scipio vincit ducem Pœnorum.

Anno 14. postquam in Italiam Annibal venerat, Scipio creatus consul, missus est in Aphricam, vicitque ducem Pœnorum, & ingentem multitudinem interfecit: Syphax quoque dux captus cum infinitis spoliis, Romam missus est. Qua re audita omnis fere Italia Annibalem deseruit: ipse quoque in auxilium vocatus est Carthaginis, quam Scipio vastare cœperat.

Annibal Italiam relinquit.

Ita an. 17. Italia liberata est ab Annibale, quam flens dicitur reliquisse. Legati Carthaginensium pacem à Scipione petierunt: Annibal quoque frequentibus prælijs à Scipione victus, coactus est ipse petere pacem: & ad colloquium mutuum accedere. Vbi cum se diu attoniti admirarentur, atque suspexissent, & colloquium inter vtrosque esset,

Annibal loquitur cum Scipione.

Scipionis conditiones Carthaginensibus non placuerunt; imo iusserunt Annibalem pugnare: commissum maximum prælium: Scipio victor reuertitur 80 Elephanti sunt capti & occisi: Carthaginensium militum interfecti viginti millia & quingenti.

Annibalis thesaurum Scipio diripuit.

Annibal inter tumultum elapsus, Adrumetum confugit: postea Carthaginem venit. Inuenta sunt in castris Annibalis argenti pondo viginti millia, æris octuaginta. Plusquam quingentæ naues in altum productæ, in conspectu ciuitatis incensæ sunt. Scipio iam tunc cognomento Aphricanus, cum ingenti gloria triumphans, vrbem ingressus est. Finitum est autem hoc secundum Punicum bellum post annum 19. quam cœperat. Annibal clam profugit ad Antiochum: sed sequenti prælio cum pro Antiocho pugnaret, nauali prælio victus est à Scipione. Deinde se contulit ad Bithyniæ regem, à quo cum iam per Romanos repeteretur, &

Annib. mors.

iam tradendus esset manibus Romanorum, veneno sibi vitam ademit. Sed de Pœno Annibale satis.

MERCVRIVS.

Conspice maris diffusionem, fluxum fluminum, aeris amplitudinem, ignis celeritatem.

Commentum XII.

DE terræ soliditate, maris diffusione, fluxu fluminum, nonnulla dicta sunt: par est, vt de reliquis duobus elementis simul cum Mercurio aliquid dicamus. Verum, quia posset aliquis ambigere, an quatuor sint elementa, nec ne?

Quatuor esse elementa

Dicamus cum Philosopho, quare sint quatuor; tametsi in primo libro Pymandri de hoc negotio disputauerimus. Secundo de generatione, *tex. com.* 16. 23. Qui, inquit, mox duo faciunt elementa, vt Parmenides; horum media materiam profitentur, vt aerem, & aquam. Et *tex. com.* 34. Quod si eiusque alterum corrumpatur, facile quidem fiet: non tamen eorum generatio reciproca erit &c.

Elementa quatuor.

Quia igitur quatuor tantum sunt qualitates primæ, nempe caliditas, frigiditas, humiditas, atque siccitas, sex modis combinabiles, ipsis in sua simplicitate remanentibus, quorum duo sunt incompossibiles, calidum scilicet, & frigidum, & humidum, & siccum: idque propter eorum contrarietatem.

Sex modi combinationis.

Cum igitur tantum sint quatuor qualitates primæ; hi, vt quatuor sint elementa.

Motus quatuor.

Item, quatuor sunt motus simplices recti, quatuor ergo sunt corpora simplicia rectarum dimensionum. Sane, tantum quatuor sunt loca, quæ à corporibus simplicibus haberi possunt. Consequentia patet; motus enim, à termino ad quem, speciem recipit. Antecedens similiter notum est: duo siquidem sunt loca contraria, quæ maxime absunt ab inuicem: & duo media, quia nimirum quatuor sunt naturæ simplices: quarum quælibet in proprium locum effectiue inclinat atque impellit; etenim leuitas concauum Lunæ petit: quæ quidem leuitas, est forma substantialis ignis.

Leuitas.

At leuitas secundum quid, impellit in locum sursum secundum quid: & hæc quidem est forma substantialis aeris.

Grauitas.

Eodem quoque modo, grauitas secundum quid, in locum deorsum secundum quid, quæ est forma substantialis aquæ: grauitas vero simpliciter, in centrum mundi: & ipsa est forma substantialis terræ. Elementorum ergo numerum, simplicium rectorum, in specie numerum motuum sequi, patet satis. Itaque, si grauitates elementorum eiusdem essent speciei, & leuitates similiter: atque ita ex numeris earum haberetur numerus elementorum. Leuitatis igitur ignis, causa est caliditas primo; leuitatis vero aeris, causa est non caliditas, sed humiditas primo: grauitatis vero terræ siccitas, & aquæ frigiditas primo. Sed *diceret aliquis*: Inter contraria potest esse vnum medium tantum, & plura etiam, teste Philosopho, *4. cal. t. 38.* ergo potest esse vnum tantum elementum medium. Auerroes soluit dubium: Duplex, inquit, est contrarietas: vna quidem circa idem subiectum: diuersum tamen secundum formam: atque ita verum est, posse esse vnum tantum medium. Alia vero contrarietas est secundum subiectum, & formam diuersa: & huic quidem opus est duobus medijs, quorum vnum se habeat vt forma respectu alterius.

Quod sint 4. elementa.

Hac autem contrarietate cum inter se contraria sint elementa; idcirco duo media inter ea inuenire, necesse est. Patet ergo non esse vnum tantum elementum; quia nimirum non est tantum motus vnus simplex rectus, sicut docet Philosophus, *3. cal. t. 55.* Dicamus igitur: vniuersaliter, inquit, dicentes elementum esse vnum, peccant manifeste, vnum enim motum ponunt tantum naturalem in omnibus corporibus, cuius contrarium videtur. Videmus enim quod omne corpus naturale, habet principium motus naturalis. Si omnia corpora sunt eadem, omnia habebunt eundem motum. Et quanto magis corpus fuerit maius; tanto motus illius erit fortior. Ex quo verificatur, ait Auerroes, quod in omni corpore naturali *Auer.* simplici, sit principium alicuius motus naturalis simplicis. & quod necesse sit, vt numerus corporum simplicium, sit secundum numerum motuum simplicium: quis numerus motuum, consequitur numerum suorum principiorum.

Quod non sit vnum elementum.

Hæc ille. Itaque non est vnum tantummodo elementum, alioqui omnia essent aut grauia, aut leuia: cuius contrarium sensus nos edocet. Amplius, est in natura rerum aliquod elementum: ergo sunt plura elementa. propterea quod sunt plures motus simplices, & plura quoque loca. Motus enim simplex corpori simplici est tribuendus, teste Auer. *1. cal. com. 8* Et laborauit, Io. Grammaticus, secundum quod narrauit Alpha; in contradicendo propositioni dicenti: quod omnis motus simplex idem secundum speciem, sit corporis simplicis secundum speciem: ex hoc quod cum in corporibus diuersis secundum speciem, inuenitur vnus motus specie.

Motus simplex corpori simplici conuenit.

Verbi gratia, quia in aere & igne inuenitur vnus motus in specie. Similiter fingit de terra & aqua. Quapropter non sequitur, vt omnis vnus motus in specie, habeat vnum corpus in specie proprium. Et hoc quod dixit, non est ita. Motus enim ignis esset idem sum motu aeris, si moueretur ad eundem locum specie: motus namque vnus specie, est ad locum vnum specie: locus autem ignis necessario differt à loco aeris; & ideo, si aer poneretur in loco ignis; descenderet inferius. Hæc ille.

Alia ratio.

Adde, quod elementa sunt miscibilia: sunt ergo plura, nihil enim sibi inest miscetur, præsertim homogeneum vniforme, & simplex. Item, si esset vnum tantum elementum; profecto secundarum pluralitas materiarum deficeret omnino, & primæ similiter, & consequenter simplicium substantialium formarum. Præterea, alterationis, corruptionisque principium intrinsecum mixtis inest, alioqui corruptioni non essent obnoxia: à principijs ergo contrarijs illud inijt, necesse est. Plura ergo vno sunt elementa, non tamen

3. Elementa non sunt infinita.

Elementa quatuor. men infinita. Sane, mixtorum principia non sunt infinita. alioqui de mixtis non haberetur scientia: 8. *Phys. tex. com.* 75. Transire infinitum, est impossibile, finitas enim vbi possibilis, melior est: 8. *phys. tex. com.* 48. Et 1. *phys. tex. com.* 41. Melius est, inquit, accipere principia finita, sicut fecit Empedocles. 1. *poster. tex. com.* 6. Ratio mixti speciem aliquam præsupponit, ex omnibus quidem elementis compositam, seu quæ potest componi.

2. Item, si essent infinita elementa; essent vtique infinita corpora sublunaria, & sic infinita capacitate: atque ita aliquod elementum infinitæ extensiuæ magnitudinis: quod patet esse falsum ex quarto libro, in quo de infinito disputaui. Profecto, tunc necesse esset, infinita inueniri loca, motus, naturas, & denique infinitum mundum: quæ omnia tanquam absurda in quarto libro iampridem sunt explosa, & à Philosopho. *3. cal. com. 41.* Item, elemento tribui non posset diffinitio, neque generatio; infinita enim vinci non possunt, neque transiri, *2. de gener. tex. com.* 16.

3. Quoniam autem non in infinitum possibile est ire.

4. Adde, quod tunc in vno eodemque corpore simplici, essent infinitæ qualitates; in corpore vero mixto infinitæ contrarietates; vt docet Philosophus *2. de gener. tex. com.* 35.

Non esse duo elementa, neque tria. Non ergo est vnum, nec infinita elementa, nec etiam duo: propterea quod non sit vna tantum prima contrarietas: neque tantum duo loca; neque tria, quandoquidem inter tria extrema tantum, duæ contrarietates primæ, minime conseruari queant. Loca præterea elementis disposita sunt plura tribus: sunt ergo tantum quatuor elementa; quia hæc sufficiunt pro simplici, & composita natura conseruanda. Itaque Philosophus primo cæli elementorum numerum à diuersitate motuum accepit: *Quatuor motus recti simplices.* Quia, inquit, quatuor sunt motus recti simplices, nempe ad medium simpliciter, & secundũ quid, & similiter à medio; ideo quatuor sunt elementa. Et secundo cæli hoc idem ex situ cõtrariorum perquisiuit: Si, inquit, est vnum contrariorum in rerum natura; & reliquum: terra est ergo & ignis: positis vero duobus extremis, duo media inueniri, est necessarium. Et in 3 & 4. *cæli*, per qualitates motiuas, eandem rem demonstrauit, nempe per grauitatem absolutam, & respectiuam, similiter etiam per leuitatem. Quatuor quoque sunt combinationes, *2. de gener. com.* 38. Ex his ergo rationibus Philosophi quatuor esse elementa, patet. Sed *dicet aliquis*: *Ignis elementum dari.* Si ignis elementum esset in sua sphæra; profecto in eo, sicut & in cæteris elementis, animalia viuerent: denique lucem emitteret, viderique posset à nobis. Recitat Philosophus primo metheororum illorum sententiam, qui professi sunt, ignis elementum non dari in rerum natura; sed totum hoc medium interuallum, aeris plenum esse: partem vero aeris cælo proximam, ob sui puritatem, igneam existere magis: ideoque ab aliquibus ignem vocari. Sed aduersus huiusmodi sententiam, Philosophi rationibus fretus, facilis erit mihi pugna. *Arguo* ergo sic:

Rationes. 1. Motus simpliciter sursum est; alioqui non esset motus simpliciter deorsum: igitur, ignis est; proprium enim, & essentiale alicuius accidens, subiecto non existente, minime subsistere poterit: sicuti homine non existente, nec etiam risibile inueniretur. Sed hoc modo se habet motus simpliciter sursum ad ignem: est ergo ignis elementum.

2. Amplius, terra est: igitur ignis. per regulam contrariorum secundo Topicorum: si vnum contrariorum est, & reliquum.

3. Item, leuitas simpliciter est: igitur ignis est, cui hæc leuitas proprie tribuitur.

4. Præterea, combinatio calidi & sicci est possibilis: igitur est ignis. *4. cal. 32.* Auer. sic arguit. Partes ignis, & motus earũ ad superius, demonstrant ignem esse, & suum motum ad superius. Sic, si in vniuersum mare non sentiretur; tunc ex hoc quod videmus, quod omnes fluuij currũt ad medium, sciremus, quod inter aerem & terram, est eius locus. *Partes ignis demonstrant ignem.* Vniuersum igitur & partes cuiuslibet trium elementorum, comprehenduntur sensu in suo loco naturali: partes autem, quæ sunt extra suum locum naturalem, comprehenduntur moueri ad suum totum, scilicet vniuersum. De igne autem comprehenditur nihil, nisi partes: vnde notum est, illas partes moueri ad suum totum existens in loco suo naturali. Et hæc est demonstratio quia, ad probandum aliquam speciem, quæ raro contingit in hac scientia. Addit deinceps rationem, quare ignis non luceat in propria sphæra. Quemadmodum, inquit, congelatio aquæ accidit, non ea quippe ratione, qua est aqua; sed potius qua terreis est mista vaporibus; ita ignis lucet, non quatenus ignis, sed quatenus mistus est terreo denso. At in proprio loco consistens, peregrinam non admittit dispositionem. *4. cal. 32.* Vnde Alexander, teste Auerroe ait, ignem dici æquiuoce de nostro, *2. cal. 91.* & de illo, qui in propria sphæra consistit. Primo quidem, *2. de gen. 21* quia ille est vitæ conseruatiuus: noster vero corruptiuus. Deinde, quia non calefacit, noster autem summe calefacit. Verum, si Alexander essentialem dicat esse æquiuocationem, audiendus non est: quippe quia omnis ignis eiusdem sit speciei: sin vero per accidens æquiuocationem accipiat, verum dicit. Vocatur autem ignis in sua sphæra vitæ conseruatiuus, propterea, quod radij solares è cælo delapsi, ad animantium vitam conseruandam, per sphæram ignis transeuntes, aliquam illius partem secum assumunt, quæ solis calori permixta atque affecta, vim conseruandi habere dicitur. Itaque ille ignis non habet actu calorem, quia nimirum calor, nostro igni sensibilis est accidens, *Quare non lucet, & [illegible]* quatenus est in terreo corpore: ille vero in sua sphæra, est [illegible] calidus. Philoponus: Est, inquit, calidissimus; non tamen [illegible] faceret: tum, quia nostros poros non repleret: tum, quia longissime à nobis abest. Sed *diceret* quispiam: *Obiectio.* 1. ignis ra[illegible] substantiæ existens, alia vincere non potest: ignis [illegible] in sua sphæra non calefacit. Sane, ipse ad mixtionem [illegible] liter descendit: est ergo frigidus & grauis. Add[illegible] ipse non lucet. non ergo calidus in summo. Tenet consequentia, à negatione proprij ad negationem subiecti. Antecedens patet: si enim luceret in propria sphæra, impedimento esset nobis, quo minus cælum & stellas conspiceremus.

2. Amplius, si ignis esset calidus in suo loco naturali, calore suo cuncta inferiora consumeret. Profecto, si esset primo calidus, esset quoque in summo siccus; caliditas namque vniuersam humiditatem absumeret, qua sic absumpta, esset summe siccus, alioqui magis posset exiccari, & rarefieri: & sic igne aliquid rarius, atque calidius.

3. Item, si ignis est primo calidus; tunc ignis caliditate, cætera essent calida: quia, primo tale, est causa alijs, vt sint talia. Consequens est falsum. aer nempe est calidus non primo; non tamen ob caliditatem ignis. Adde, quod tunc calidæ influentiæ, ipsum aliqua calore vi non afficerent. sed ipsum virtute caloris afficiunt, quia est actiuum, approximatum passiuo, non impeditum: ergo quod prius. *Dico*, *Solutio.* ignem in sua naturali sede esse calidum in summo: extra vero eam, non esse; bene tamen ob motum cæli, & ipsiusmet ignis, ac ob rationem luminis sibi à conuexo cæli reuerberati, ad naturalem suæ sedis dispositionem reuocari. *Ad primum* *Ad prim.* negatur assumptum; calefacit enim conterminam aeris extremitatem. *Ad confirm.* cum aliqua vis ignea deorsum descendit, aliqua tunc, ipsius pars à motu cæli rarefacta, inferius depellitur. *Ad aliam confirm.* non est proprium ignis lucere; sed cum alicui rei miscetur; mixtus siquidem aeri, lucet; aquæ vero flammam efficit; terræ autem carbonem. *Ad secundum* 2. negatur consequentia; non enim corrumpit totum aerem, quandoquidem aeri inest potentia resistendi; proinde mutua corruptione inter se decertant. nam sicut interdum ignis partem aeris corrumpit; ita vicissim & aer ignis partem. *Ad confirm.* negetur conseq. quia stat oppositum, non tamen in sua naturalissima dispositione; sed conceditur consequens, neque caliditati conuenit humiditatem simplicem consumere. Admittitur præterea, certum quendam ignem posse magis siccari, rarefieri atque calefieri; sicque certo quodam igne posse esse aliquid rarius atque calidius; ignis nihilominus extranei corporis permixtionem non sustinet, cito illud consumit enim: siccitas autem calorem non intendit, sed fortius actiuum reddit. *Ad* 3. negatur consequentia: 3. est enim ibi æquiuocatio de primo tali. *Ad confir.* summe calido non addunt influentiæ calidæ calorem; partim, quia non sunt intensioris productiuæ caloris: partim vero, quia passum intensiorem calorem non recipit. De numero ergo elementorum & ignis caliditate, hæc habui dicere.

QVÆSTIONIS PRIMÆ
CAP. I.
Quod non sint quatuor elementa.

Combinationes quatuor. QVatuor combinationes primarum qualitatum, vtpote combinatio calidi & sicci, principium est ignis: combinatio vero calidi & humidi principium est aeris: at combinatio humidi & frigidi, aquæ: frigidi vero & sicci, terræ est principium. Elementorum ergo principia sunt combinationes possibiles, quæ se habent vt principia materialia, & vt formæ etiam elementorum. Etenim, si elementa considerentur in fieri, combinationes materialium funguntur dispositionum officio, quibus elementa fiunt. sin autem in facto, tunc profecto combinationes, qualitates sunt, & formæ elementorum. Duo præterea sunt motus in genere, in specie vero quatuor: *Duo motus in genere.* ita & elementa sunt quatuor in specie, duo autem in genere. Adde, quod quatuor sint termini, *Quatuor termini.* in quibus duæ sunt contrarietates: sex modi cõiugationis, quorum quatuor sunt possibiles: duo vero impossibiles. sed qualitates primæ, quatuor termini sunt, in quibus duæ sunt contrarietates, quæ sex modis combinari possunt: quarũ combinationũ duæ fieri non possunt, nempe

calidum

Ignem suo loco esse calidum. *Primum argumentum.*

calidum & frigidum, humidum & siccum: relinquentur ergo quatuor, vtpote calidum & siccum, quæ quidem combinatio igni tribuitur: calidum & humidum, hæc aeri: humidum & frigidum, ad aquam pertinet: siccum & frigidum, combinatio terræ naturæ deseruiens. Verum, *contra* huiusmodi & similis posset aliquis sic *argere*: Ex naturæ combinationum non habetur quatuor elementa esse, sed esse posse; quippe, cum illa ratio non sit de messe, sed de posse.

2\. non ergo sunt quatuor elementa. Amplius, si dentur corpora naturalia, duas sibi qualitates perscribentia; dari quoque possunt corpora, quæ vnam tantummodo sibi qualitatem determinant: quorum vnum erit calidum tantum, aliud vero frigidum, aliud humidum, & aliud siccum tantum, atque ita erunt octo elementa. Sed, alius est quaternarius elementorum numerus, ab his, quæ communiter ponuntur elementa; combinatis siquidem qualitatibus, vna earum naturaliter est prior: dualitatem namque naturaliter præcedit vnitas. Prima ergo corpora, quæ sunt elementa, duas sibi non perscribunt qualitates. Alia ergo sunt elementa ab his, quæ modo vocantur elementa.

3\. Item, si datur caliditas ligans ignem cum aere: & humiditas aerem cum aqua: & frigiditas aquam cum terra: igitur necesse est dari siccitatem sociantem terram cum alio elemento. Valet consequentia; non enim maiorem habet virtutem vna primarum qualitatum in coniungendis elementis symbolicis, quam alia: humiditas quoque non est potentior suo contrario, siccitate scilicet: ergo quod prius.

4\. Prætarea, grauitas, & leuitas, sufficienter diuidunt elementa: non sunt ergo elementa plura duobus.

5\. Item, tres sunt motus simplices: igitur tria sunt elementa; nam tria sunt loca tantum, nempe sursum & deorsum, & medium; & sic tria elementa, quæ

6\. in ea loca naturaliter feruntur. Item, vnum est elementum, quia vna tantum est materia prima: ergo tantum vnum est primum corpus. Reuera, vno iouente principio intrinseco, vnum est etiam principiatum ex illo. Adde, quod accidentaliter vnum elementum ab altero separatur, vt ignis ab aere, vt per magis & minus calidum, & rarum: vnum est ergo elementum. Profecto, materiæ elementorum sunt eiusdem rationis ergo & formæ. Patet consequentia: quandoquidem formæ alterius rationis, potentia indigent alterius rationis; potentia enim specificatur per actum: ergo &c.

Solutio. 1\. *Ad hæc* & his similia, facile est respondere; & ad primum quidem respondet Auerroes: In natura necessaria, inquit 3. *cæli*, non differt possibile & messe. Quare, si quatuor possunt esse combinationes; sunt vtique quatuor elementa: & si quatuor esse possunt elementa; sunt proculdubio quatuor. Elementa esse, præsupposito vniuerso, est necesse, cum ad illius

2\. perfectionem spectent. *Ad* 2. cuilibet elemento duas inesse primas qualitates, est necessarium; alioqui non absque delectu naturarum quodlibet in quodlibet commeare posset, atque transmutari: quia nimirum non in quodlibet aliud elementum in qualitatibus contrarietatem haberet, vt calidum tantum, ad humidum tantum: similiter frigidum tantum, ad siccum tantum. Non essent præterea miscibilia ad inuicem elementa: Mixtio enim præsupponit alterationem miscibilium. vnde consequenter nullum ex omnibus elementis æque primo ad mixtionem concurrentibus, esset mixtum perfectum. *Ad confirm.* licet valeat binarius est ergo vnitas est; non tamen valet, hoc corpus duas sibi perscribit primas qualitates: igitur, necesse est dari vnum corpus, quod sibi vnam tantum determinet. *Dices.* corporibus simplicibus simplices dabentur qualitates; non ergo combinatæ. *Resp.* qualitatis simpliciter combinationem non obstitere, neque etiam remotionem; sed quia iterum simplicitatem tolli per essa qualitatem ex primarum refractione qualitatum resurgentem; cuiusmodi est complexionalis qualitas,

3\. quæ formam mixti naturaliter consequitur. *Ad* 3. negatur vltima consequentia; necesse est enim dari statum; alioqui in infinitum iretur: colligatur enim terræ elementum per ignis siccitatem, quem naturæ author sursum locauit, vt sic e-

4\. lementorum terminaretur ordo. *Ad* 4. quamuis grauitas & leuitas sufficienter diuidant simplex respectum; non tamen in duo tantum; quandoquidem in simpliciter, & secundum quid sit attributa illorum diuisio, sicut ex supradictis

5\. potest esse manifestum. *Ad* 5. Motus circularis elementum nobis minime ostendit, nisi æquiuoce tantum; quia cœlum non est elementum, propterea, quod non est miscibile, sed elementorum principium. sed motus rectus in quatuor diuiditur; atque secundum illam diuisionem habetur numerus elementorum. *Ad confir.* dico, media esse duo, igitur qua-

6\. tuor sunt elementa. *Ad* 6. verum est, esse vnum corpus primum nobilitate, perfectione, causalitate, atq; continentia; non tamen esse compositum ex materia prima: ideoq; consequentia non valet. *Ad confir.* resp. philosophus. Si elementa, loquit, essent eiusdem speciei specialissimæ idem ergo substantialiter esset ignis, & aqua: quod omnibus modis falsum esse, natura ipsa nos edocet. Amplius, vnius transmutatio in alterum esset profecto accidentalis, non autem substantialis. Denique idem esset naturaliter calidum, & naturaliter frigidum; esset enim simul aqua, & ignis: quæ omnia fieri non possunt. Hæc de numero elementorum.

Qualitates primæ. 2. de gen. t. 31.

CAP. II.

Qualitates primæ.

Ostenso elementorum numero, deinceps dicamus, quomodo caliditas, frigiditas, siccitas, & humiditas sint qualitates primæ: quod quidem aperte docetur à philosopho 2. de gen. tex. com. 8. & 6. Principium, inquit, & primum existimantes esse materiam inseparabilem quidem, subiectam autem contrariis. Neque enim calidum materia est frigido, neque hoc calido; sed subiectum amborum. Et est sensus: primum elementarium principium, est materia: secundum vero forma, quæ est contrarietas: tertium vero sunt ipsa quatuor elementa. Materia autem prima nomeratur inter elementaria principia, propterea quod est incorruptibilis atque à formis contrariis inseparabilis: forma vero naturalis, siue ipsa contrarietas, est corruptibilis. Itaque, materia est inseparabilis, & subiectum amborum. Quapropter, primum quidem potentia corpus sensibile, hoc est materia, principium est: secundo autem sunt contrarietates; dico autem, vt frigiditas & caliditas: tertio vero sunt ignis, & aqua, & talia. Ponuntur autem elementa tertio loco; quia cum sint composita ex materia & contrarietatibus; corruptibilia sunt atque generabilia contrarietates vero, non nisi per accidens, quatenus sunt elementorum partes, quæ per se corruptioni sunt subditæ: idcirco minus habent de ratione principij; quia corruptibilitati magis approximant. Contrarietates vero ad principij rationem magis accedunt; quia manent, nec per se corrumpuntur. Empedocles autem asserit, ipsa elementa non esse in substantias transmutabilia; sed tunc non esset mutua alteratio: cuius oppositum sensus ostendunt. Auer. *com.* 6. *de gen.* Empedocles ait, elementa non transmutabilia ad inuicem: & si esset sicut fingit, non esset in eis alteratio, scilicet differentiæ eorum, quæ sunt calidum, humidum, frigidum, siccum. Verum licet contrarietates per se non transmutentur; sunt nihilominus principia: quæ vero sint, & quot, & qualia, quidam supponentes, non assignarunt. Quoniam igitur quærimus sensibilis corporis principia, non perpetui; quærimus ergo principia corporis generabilis, quod est quale; nõ enim fieri potest, vt aliquod corpus sit generabile, & corruptibile, nisi quale extiterit: generatio quidem & corruptio materiæ insunt, quatenus sunt passiones: illud ergo corpus quale sit, necesse est. Adde, quod corpus generabile sit materiale, materiale vero, motũ habet: motus vero naturalis, grauitate fit, aut leuitate; corpus ergo materiale graue est, aut leue: sed grauitas & leuitas sunt qualitates corporis: qualis ergo corporis principia, quærimus. Amplius, corpus quale est sensibile: sensus vero qualitates cõprehendũt: qualitates aũt sensibiles ad tactum spectant, cum sint cæteris communiores: circa quas tactus versatur: Hoc, inquit philosophus, corpus est tangibile: tangibile aũt, cuius est sensus tactus. Manifestũ etiã quod non omnes contrarietates causant principia & species corporis; sed solum quæ secundum tactum: nam secundũ contrarietatem differunt, & secundum tangibilem contrarietatem. Ideo, neque albedo & nigredo, neque dulcedo & amaritudo, similiter autem neque aliarum sensibilium contrarietatum aliqua, facit elementum. Nec potest aliquis dicere, quod contrarietas, quæ est in visu, sit prior contrarietate tactus, sit Auer. non enim quærimus in hoc loco prioritatem secundũ finem & formam; sed secundũ subiectum & materiam, quæ est prioritas secundum naturam. Ipsorum autem tangibilium *com.* 8. diuidendum est primo, quæ primæ differentiæ, & contrarietates. Sunt autem contrarietates secundum tactum, hæ, calidum, frigidum, humidum, siccum, graue, leue, durum, molle, lubricum, aridum, asperum crassum, subtile. Horum autem quidem graue & leue, neque actiua sunt, neque passiua non enim quia in aliud quoddam egerint, vel ab alio patiantur, nuncupantur. Oportet autem actiua & passiua ab inuicem esse elementa: cum misceantur, atque transmutentur inuicem. Calidum autem & frigidum, & siccum, & humidum, hæc quidem quia actiua, hæc autem quia passiua dicuntur; calidum enim id est, quod

Qualitates primæ. *Empedocles.* *Materia primum principium.* *Qualitates primæ sunt principia.* *Qualitates tactus.* *Calidum. Humidum. Frigidum. Siccum. Graue. Leue. Durum. Molle.*

Qualitates primæ. quod congregat cognata: nam disgregare, quod quidem faciere autumant, est congregare cognata; contigit enim alienigena tollere: frigidum vero, id est, quod coniungit, & congregat similiter, & cognata, & alienigena. Auer. *in commentis tex.* Grauitas, inquit, & leuitas non sunt actiuæ neque passiuæ; grauitas enim non inducit grauitatem neque leuitatem: sicut neque nomina earum significant ipsas, nisi secundum motum solum, sine actione & passione. Sed necesse est, vt *Graue & leue non sunt actiua alterationis.* prima contrarietas elementorum sit actiua & passiua ad inuicem: etsi non, nihil accidet ab eis. Itaque graue quidem & leue non sunt actiua, neque passiua alterationis, quia non faciendo, vel patiendo alterationem dicuntur; non enim graue applicatum agit in eo producendo grauitatem. At elementaria principia agant, necesse est, & patiantur ad inuicem: propterea caliditas, humidites, frigiditas, siccitas sunt primæ qualitates; quia ab eis aliæ originem habent, non autem ipsæ ab aliis. *Obiectio. 1.* Verum graua & leue ab aliquibus ponuntur qualitates primæ localiter motiuæ: quia vero motus localis est simpliciter prior aliis motibus in elementis præsertim. alios ergo elementorum motus præcedit: quoniam ipse tempore præcedit substantiam elementi: Motus namque localis est in subiecto, quod est ens in potentia essentiali: quemadmodum ascensus est in eo, quod est ignis in potentia. Qualitates ergo motiuæ sunt simpliciter priores alteratiuis. *2.* Amplius, Commentator *1. de gene. com.* 56. Si calor & frigus, inquit, sunt in eis: igitur & grauitas & leuitas, & durities & mollicies: cum istæ qualitates appareant esse priores inesse corpori, quam illæ. *Solutio. 1.* Ad primum respondet Aristoteles. Grauitas & leuitas sunt posteriora qualitatibus *2. de part. anim. c. 1.* primis. Et Auer. *7. phys. com.* 15. Densitas ait, & raritas sunt apud rerum qualitates, sequentes calidum & frigidum. Am- *2. de gen. t. c. 45.* plius, Auerroes grauitatem & leuitatem importare ait, grauitationem & leuitationem: quæ quidem motus deorsum atque sursum manifestant. & sic posteriora sunt elementis, suas proprias qualitates habentibus. Contrarietas præterea, inter grauitationem leuitationemque, non est prima contrarietas: propterea quod à prima contrarietate posteriores contrarietates fiunt. sed à grauitatione & leuitatione non fiunt posteriores contrarietates; quia grauitatio & leuitatio non sunt actiua, sed contrarietatem tantum significant secundum motum, sine passione & actione, teste eodem *2. de gen. c. 8.* Commentatore ergo. *Ad 2.* probatio consequentiæ Aristotelis, est ea concessis ab antiquis: aut ex eo, quod famosum *2.* erat apud antiquos, & sic loquitur Auerroes: De raro & *Rarum densum. 7. phys. c. 11.* denso, apud antiquos fuit opinio: Rarum & densum esse quosdam atomos, & principia rerum. Contra quos pugnat Auerroes. Et quia, inquit, qualitatum attributarum alterationi, aliæ sunt primæ, vt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas: & aliæ secundæ, & sunt illæ, quæ fiunt ex istis: verbi *Obiectio. 8. phys. t. 55.* gratia Densum & rarum, & color & sapor. Sed *dices*, cur philosophus, raritatem & densitatem affirmat esse prima omnium passionum principia: Et principium, inquit, omnium passionum, est densitudo & raritas; grauitas enim & leuitas, & mollities, & durities, & caliditas, & frigiditas æstimantur esse modi densitudinis & raritatis. Et densitudo & raritas, sunt congregatio & segregatio, per quae dicitur substantia generari & corrumpi. *Solutio.* Auerroes *soluit* obiectionem inibi: asserens motum localem esse priorem generatione, siue rarum & densum sint principia transmutationis, vt dixerunt antiqui: siue humidum, calidum, siccum, frigidum, vt sensit Aristoteles: Principium omnium qualitatum, inquit, apud antiquos est densitas & raritas, æstimant *Opinio antiquorum de raro & denso.* enim quod primæ qualitates, sicut grauitas & leuitas, mollities & duritica, reducuntur ad istas duas qualitates. Et hæc non est opinio Aristotelis: sed intendebat declarare, quod hoc commune est duabus opinionibus, Aristotelis scilicet, qui dicit, quod principia transmutationis sunt quatuor qualitates, caliditas scilicet, frigiditas, humiditas, & siccitas: & opinioni eorum, qui dicunt, quod principium omnium qualitatum sit densitas, & raritas. Et sunt illi, qui dicunt partes esse atomos. Item *7. physicorum com.* 15. Densitas & raritas sunt qualitates sequentes calidum & frigidum. Et 2. *de gen. com.* 15. Et visum est, inquit, quoniam sequuntur raritatem & densitatem propter hoc quod sunt qualitates non actiuæ, consequentes calorem & frigus. Quia autem videmus qualita- *Numerus qualitatū.* tes istius generis, aut actiuas, aut passiuas, aut neutras. Neutras autem impossibile est esse differentias elementorum: actiuas reduci in illas quatuor, scilicet in calorem, frigus, humidum & siccum. Et manifestum est de istis quatuor, quoniam non redduntur ad inuicem: igitur istæ quatuor sunt differentiæ priorum corporum: & cum istæ quatuor non inueniantur nisi coniunctæ; manifestum est, quod numerus corporum, quorum istæ sunt formæ, est secundum compositionem plurium ex istis qualitatibus primis. Hæc ille. Ex quo patet ad mentem philosophi, suique commentatoris raritatem & densitatem, frigiditatem sequi, & caliditatem. *Qualitates primæ.* *Obiectio.* Sed *dices*: Si rarum & densum sequerentur calidum & frigidum; in causa esset, quia rarum sequitur caliditatem, & densum frigiditatem: sed non in omnibus hoc veritatem habet; stat enim aliquid calidius, & densius esse altero: nam cor est calidius & densius pulmone: similiter caro [illegible] est solidior atque calidior, quam sit caro fœmellæ. *Dico*, quod [illegible] tas sequatur caliditatem, quatenus qualitates primæ non sunt commixtæ, & densitas frigiditatem, humiditatem, ac [illegible] tam siccitatem: non tamen est necesse, vt densius sit fr[illegible]ius, *Raritas sequitur calorem.* terra enim densior est aqua, non tamen frigidior, E[illegible] mixtis, non omne densius, est frigidius; potest enim [illegible] ri, vt materia densa, ab aliquo agente superiori, maio[illegible] quam rara materia, recipiat calorem. De molli & duro, idem est *Molle & durum.* iudicium: authore philosopho. Prima contraria sunt, in- *7. phy. t. 14* quit, calidum & frigidum, humidum & siccum. Contraria sequentia ista sunt, durities, mollities. Et 2. de gener. tex. com. 13. Molle est humidi, durū vero sicci. Mollities ergo est ex humiditate durities vero ex siccitate. Itaque, si molle & durū, ad rarū & densum cōparentur, vt dicit Auerroes, densitatem sequitur grauitas, & durities: idque verū est in pluri- *4. phys. 83.* bus; nam interdum rarius est grauius, vt plumbum est rarius; sed tamen grauius ferro. vnde *com.* 15. 2. *de gener.* Vtrum est rarum, & graue: nubes autem densæ & leues. Et 3. *cœli com.* 10. Lapis pretiosus Diaphanus, vt Saphirus, est gra- *Densum & graue.* uis & rarus: non ergo omne densum est graue, licet frigiditas operetur densitatem, grauitatem, quietem. similiter non omne rarum est leue: licet caliditas operetur raritatem. Raritas namque à pluribus potest accidentibus originem habere; quia in accidentibus, non omne quod fit, fit à suo simili. De aspero & leni, Auerroes idem habet iudicium 2. *de anima com.* 117. Ex qualitatibus primis fiunt asperum & durum *Asperum & lene.* Et 2. *de gener. com.* 15. Asperitas est siccitatis, lene autem humiditatis: at quibidem ait, vitrum esse lene, non tamen humidum. Dico, lenitatem ea humiditate esse in superficiali extremitate corporis repertam; quæ humiditas postea in mixto non vincit: lapides in aqua geniti, leues sunt: & duri: ideoque est à Commentatore in commento iam citato dictum, asperitatem vniuersaliter significare siccitatem multam, in superficie rei asperæ: lenitatem vero humiditatem in eius superficie. Quapropter, lapides qui fiunt in aqua, duri sunt, & lenes: & hoc fortasse voluit dicere Alexander: Hæc ille. De grosso & subtili philosophus 3. *cœli tex. comm.* 43. *Grossum & subtile.* Ex raro & paruis partibus fit subtile: ex denso autem & magnis partibus: fit densum. Et 2. *de gener. tex. com.* 10. Subtile inquit, repletiuum est, subtilium & paruarum partium; totum enim totum tangit. subtile autem maxime tale. Manifestum autem, quoniam subtile quidem erit humidi: grossum autem sicci: & rursus, lubricum quidem humidi. Omne ergo subtile, loquit Auer. est humidum. sed non omne humidum est subtile: subtilitas ergo ex humiditate; cum humiditas sit prior ea natura: oppositum vero eius est ex siccitate. Lubricum autem aliquid humidum passiuum est, velut oleum; lubricitas enim est humiditas admixta cum *Lubricum & aridū.* aliquo, quod inducit ai, ait Auer. difficilem diuisionem, & passionem. Omne igitur lubricum, est humidum: non tamen è diuerso. Et cum lubricitas sit ex humiditate: ariditas ergo erit ea siccitate: aridum quidem sicci; aridum enim quod perfecte siccum: quapropter & coagulata sunt propter defectionem propriæ humiditatis. Iam vero & mollia humidis, & dura siccis subiiciuntur. Molle enim est quod cedit in se, nec motatur, quod quidem humida faciūt; *Molle. Durum.* ideoque non est humidum molle, sed molle humidum: durum autem sicci. Durum enim est, quod coagulatum; coagulatum enim siccum. Omne, inquit Auer. tex. com. 15. 2 de gen. molle, est humidum: & non omne humidum est molle: quapropter ea humiditate & siccitate est durities: cū durū est coagulatū: & coagulatū est siccū. Itemque, caliditas, humiditas, frigiditas, siccitas sunt qualitates tangibiles primæ, *Caliditas. Humiditas Siccitas. Frigiditas. 2. de part. anim. c. 1.* authore philosopho. humiditas enim & siccitas, caliditas & frigiditas materia sunt corporum compositorum: cæteræ autem differentiæ eas sequuntur, vt grauitas & leuitas, & reliquæ id genus affectiones; quia primum subiectum, materiam primam videlicet, sibi in quatuor partes diuidunt. Amplius, ipsæ sunt primorum corporum, hoc est, elementorum differentiæ: & ad illas aliæ sensibiles qualitates reducuntur. Denique illæ sunt contrariæ, à quibus nullum alterans vniuocum præsupponitur: bene autem æquiuocum, cuiusmodi est cœlum. Et de his hactenus.

CAP.

Ambæ qualitates non sunt in summo.

CAP. III.

Tex. Philosophi com. 14. 2. de gener. & corrupt.

Philosophus.

Dicuntur autem siccum & humidum multifariam: nam siccum & vdum & humidum opponuntur: atque etiam humectum, & congelatum: sunt autem hæc sicci & humidi eorum, quæ prima dicta sunt.

Text. expo.

Sensus est, sicco opponitur humidum in superficie, & in profundo: & vdum, quod est in superficie tantum humidum. Simili ratione & humido opponitur exsiccatum in superficie: & congelatum, quod est siccum vtroque modo. Quoniam vero vdo opponitur siccum, & vdum quidem est id, quod in summis partibus alienum humorem habet: madens vero id, quod in intimis. siccum autem id, quod humore priuatum est, & caret: non est id quidem dubium, quin vda in humidis sint, & sicca, quæ illis contraria sunt, in siccis, quæ primum locum obtinent. Adhuc autem humectum, & congelatum similiter: humectum quidem enim est, quod habet propriam humiditatem in profundo: congelatum illud est, quod hac ipsa priuatur. Quare, & horum erunt hoc quidem humidi, illud vero sicci.

Vdum. Humectũ.

Humidum in profundo.

Sane, humidum in profundo, est propria, & naturali virtute humidum, vt metalla: humidum vero in superficie, quod alienũ habet humorem. At humidum simpliciter in vtroque, partim natura, partim alienigenam habet humiditatem. Manifestum est igitur, quod cæteræ omnes differentiæ in has primas quatuor reducuntur: hæ autem non amplius in minores; non enim calidum est quod humidum, vel quod siccum: neque humidum quod calidum, vel quod frigidum: nec frigidum & siccum sibi inuicem: nec sub calido & humido sunt. Quare necesse est, has esse quatuor. Quoniam autem quatuor elementa sunt, eorum autem quatuor, sex coniugationes, contraria autem non nata sunt coniungi; calidum enim & frigidum, rursusque humidum & siccum, idem esse non potest; certe quatuor erunt elementorum coniunctiones calidi & sicci, calidi & humidi, frigidi & sicci, frigidi & humidi.

Sex combinationes.

Et hæc ratio consentanea est his simplicibus corporibus, quæ videntur, videlicet igni & aeri, & aquæ & terræ. Ignis quidem enim calidus & siccus est: Aer vero calidus & humidus: nam aer est veluti euaporatio: aqua autem frigida & humida; terra vero frigida & sicca. Ita fit, vt rationi istæ differentiæ primis naturis tributæ esse videantur: & ex earum ratione horum numerus constet. hæc pauloante à nobis dilucidata sunt.

Ignis calidus & siccus.
Aer calidus & humidus.
Aqua frigida & humida.
Terra frigida & sicca
2. de gen. t. 23.

Reliquum est, nunc elucidare, vtrum ambæ qualitates, quas vnum elementum sibi determinat, sint summæ. De quo quidem negotio philosophus loquens dicit singulis elementis vnam tantum in summo qualitatem esse concessam: Sed tamen simpliciter, inquit, quatuor entia vnius vnumquodque est; terra quidem sicci magis quam frigidi: aqua frigidi magis quam humidi: aer autem humidi magis quam calidi: ignis autem calidi magis quam sicci. Vnaquæque istarum, ait Auer. in eodem commento, quatuor qualitatum simplicium, est in vnoquoque illorum in fine. Terra autem sicca magis quam frigida. Aqua frigida magis quam humida: aer vero humidus magis quam calidus: ignis calidus magis quam siccus. 4. metheororum com. 10. idem sentit. Necessarium est, inquit, quod in elementis non sint duæ qualitates substantiales in fine. Quoniam si in igne calor, & siccitas in eo esset in fine, & sic frigiditas, & humiditas in aqua; nunquam temperarentur & admiscerentur ignis & aqua, vt facerent aliquid. Et propter hoc quod siccitas ignis non est in fine, nec humiditas in aqua, potuit esse, quod vnum esset potentius, & ideo admiscent se.

Vnumquodque elementum habet vnam qualitatem in summo.

1. Aristoteles quoque 2. de gener. tex. com. 49. Mixtum, inquit, ex terra & aqua, est etiam mixtum ex aqua & igne; quia aliter illud mixtum esset frigidum in summo: quod quidem veritatem non haberet; si elementum aliquam sibi qualitatem in summo non determinaret.

2. Reuera, nullum elementorum duas sibi primo determinat qualitates: alioqui duo sine ordine, & immediate vnam sequerentur naturam. Quodlibet ergo elementum duas habet qualitates: quarum vnam sibi primo determinet, aliam vero secundo; eandem enim qualitatem duobus subiectis specie differentibus, æque primo conuenire, fieri non potest.

3. Quam ob rem, cum caliditas igni, & aeri conueniat, primo quidem igni, deinde aeri attribuitur: nam si aeri primo conueniret, natura eum in concauo lunæ locasset: vbi velocitate motus cæli, caliditas aptissime conseruatur. Itaque, vnumquodque elementum habet vnam qualitatem in summo: alteram vero remissam: non quidem per admixtionem contrarij; non enim remissio semper fit per contrarij admixtionem: stellæ namque sunt partes nobiliores orbis, teste Commentatore 2. cæli com. 15. & non sequitur, vt remissio fit semper per admixtionem contrarij, sicut dicit Alexander in multis locis. Conuenit etiam huiusmodi ordo iustitiæ distributiuæ, quæ inuenitur in entibus. Quare, cum elementa sint partes vniuersi; maximo ad inuicem ordine, connecti, necessarium est.

Ambæ qualitates non sunt in summo.

Remissa qualitas in elemento.

Dices, Auerroem contrarium dixisse. Ignis, inquit, in actu habet caliditatem, & siccitatem in summo: ambas ergo qualitates habet in summo. *3. cal. c. 67.* Dico, ab Auerroe ibi positam fuisse differentiam, inter elementa suis in locis existentia, in quibus habere dicuntur esse liberum, & in actu. & existentia in mixto, in quo ambas habent qualitates remissas per contrariorum admixtionem. Item, arguit contra Auicennam ambas qualitates in quolibet elemento summas esse docentem: sicut videre est in libro de cœlo ipsius Auicennæ cap. vltimo. At commentator com. 15. super 1. cantic. cantuo. tam Auic. oppositum tenet & defendit.

Auicenna.

Quod quæ [illegible] in summo.

Verum nonnulli aliter sentiendum putarunt, ambas videlicet qualitates in quolibet elemento esse in summo, in naturali dispositione constituto: alteram tamen prius atque essentialius: vtpote ignis est in summo calidus & siccus, sed prius & essentialius calidus, quam siccus. Fauet huic sententiæ illa regula philosophi in posterioribus, vbi ait, quod quando duæ passiones per se competunt vni subiecto; necesse est, vt ordine quodam competant, nempe vna prius, altera vero posterius; nõ enim possunt duo æque primo alicui inesse. Et hoc dixisse videtur philosophus, dum ait: Licet simpliciter quatuor existant; vnumquodque tamen vnum est, ignis enim magis est calidus quã siccus hoc est, prius. Græce siquidem mallon, latine magis, interdũ sonat prius; vt magis calidus, hoc est, prius calidus.

3 de gen. t. 23.

Rationes.

Accedunt ad hæc rationes, quib. ipsorũ sententiã munire student:

1. Si inquiunt, altera elementi qualitas non est in summo, sed remissa; aut per admixtionẽ cõtrarij, quæ perfecto elemẽto in sua naturali dispositione existenti, tribui nõ potest, propterea quod est purũ & liberum ab huiusmodi peregrina qualitate; esset enim mixtum qualitatum: & sic omnia elementa essent symbola, quod est falsum: aut sine cõtrarij admixtione;

2. & tunc etiam minime conuenit simplici elemẽtorum naturæ, in sua dispositione naturali rupta esse, atque remissa.

Solutio.

1. Verum, si bene atque attente philosophi verba considerentur, quæ ab eo dicta sunt facile animaduertere licebit, eum fuisse ipsius mentem, vt quodlibet elemẽtum vnam in summo sibi determinauerit qualitatẽ: alioqui, si æque summæ in quolibet inuenirentur; nulla intercederet vnius cum altero mixtio, atque commercium, par enim in vtrisque esset virtus resistendi.

4. meth. t. 10.

Vnde propterea, quod elementum constat ex duplici qualitate, vna quidem in summo, altera vero remissa: nam quatenus sunt ad inuicem transmutatiua; eatenus necesse est, vt qualitatibus contrarijs participent: quia vero proxima sunt; idcirco in aliqua qualitate communicant. Sane, quatenus ignis aeri proximus est, in caliditate cõmunicant: at quatenus vtrunque agit in alterum, atque transmutatur; siccitate & humiditate decertant. Qualitates ergo non sunt in quolibet elemento ambæ, in summo.

Cur elementa constant ex duplici qualitate.

Quod autem aer sit summe humidus, ex humidi diffinitione patet 2. de gene. tex. comm. 8. quia est id, quod est male terminabile, termino alieno, quod quidem aeri magis, quam aquæ competit.

Aer summe humidus.

Terra autem non est summe frigida propter maximam remotionẽ cœli, à quo largiri frigiditatẽ, grauitatẽ, & quietẽ, dicere videtur Commentator 2. cæli, & mundi, cõmento 94. quandoquidem actus actiuorum fiant in patiente disposito, & aliquis effectus ex diuersis causis exeat, atque procedat. Amplius, illa distantia non est causa sufficiens, sed priuatiua: quod vero dicit Philosophus, & commentator primo Metheororum terram esse frigidissimam, intelligendum est, terræ frigiditatem non esse calori admixtam: non autem aquæ frigiditate maiorem.

Terra non est summe frigida.

Neque ignis est siccior terra, propterea quod eius caliditas consumit humiditatem, quia in eo caliditas non est in actu, vt dicit Alexander, & commentator 4. cæli com. 32. quia nimirum maxima in eo est raritas, & nõ est caliditas combustiua, sicut est in igne nostro, qui est in extranea materia. Sic etiam docent 2. de gener. & corruption. com. 21. Ille autem ignis, quantum ad actum secundum non summe calefacit, ob maximam raritatem. Etenim maxime dimensio, quam recipit materia, est raritas, teste Auer. cum qua stat forma ignis. Bene tamen illa caliditas, quantum ad primum actum, est in summo. Quamobrem, licet omnẽ consumere valeat humiditatẽ; nequit tamen summã largiri siccitatẽ, in causa autẽ est, quia ignis materia, illã capere nõ valet; sed materia quæ stat sub forma terræ. Terra ergo est siccior igne: tametsi siccitas ignis, alicuius humiditatis

Ignis non est siccior terra.

Caldit. ignis in sua sphæra.

2. de an. 97

Siccitas ignis.

per-

Elementorum qualitates.

Permixtione non sit facta remissior. Deus ergo, & natura quoniam omnes formas, & qualitates distribuerunt: quia bonum vniuersi consistit in ordine: vnde qualitates primæ non sunt causæ adæquatæ leuitatis, & grauitatis sicut docet Commentator 3. cæli, afferens illam rationem esse à signo, quod aer magis grauior quam leuior. Amplius, grauitas & leuitas teste Commentatore non sunt eiusdem rationis in mixtis, & in simplicibus corporibus: neque etiam in simplicibus, omnibus modis sunt idem. Quapropter, etsi in simplicibus summa leuitas, summam insequatur caliditatem: summa tamen grauitas, non insequitur summam siccitatem, neque summam frigiditatem. Iis causa autem est, quia caliditas & frigiditas non sunt æqualiter actiuæ: ideoque non sequitur, quod si summa caliditas sit causa summæ leuitatis; quod summa etiam frigiditas sit causa summæ grauitatis. Nec valet, quod solet dici: contrariæ causæ, sunt contrariorum effectuum; quandoquidem contrariæ causæ non sint æqualis virtutis, nec etiam causæ adæquatæ. Summa igitur grauitas insequitur summam terræ siccitatem. Grauitas ergo in simplicibus quandoque humiditatem, quandoque siccitatem sequitur: in mixtis vero alia ratio habetur. Porro, in elementis ambas qualitates contrarias habentibus, vt in igne & aqua, grauitas & leuitas, contrarias causas insequuntur, videlicet caliditatem & frigiditatem. In habentibus autem symbolum, secus res se habet; nam grauitas sequitur aeris humiditatem, aquæ frigiditatem, terræ siccitatem. Ratio autem est, quia elementa eiusdem non sunt rationis inter se, nec etiam compositiua comparata: leuitas vero sequitur ignis caliditatem. Cum ergo frigiditas non sit tantæ formalitatis, seu actiuitatis, quantæ est caliditas; non sequitur, summa leuitas sequitur ad summam caliditatem, igitur ad summam frigiditatem summa grauitas. Frigiditas præterea aquæ, est coniuncta humiditati, cuius interest aliquo modo rarefacere, atque ita impedit summam grauitatem: sequitur ergo summam siccitatem, quæ est connexa frigiditati. *Dices*, aqua est grauior aere: igitur est humidior aere. *sed* nihili valet consequentia; grauitas enim non sequitur aquæ humiditatem, sed frigiditatem, sicut leuitas sequitur ignis caliditatem. *Dices*, summus effectus prouenit à summa causa sed leuitas in summo prouenit à summa caliditate grauitas ergo summa à summa frigiditate proueniet; sic enim contrariorum effectuum erunt contrariæ causæ. *Resp.* licet effectus in vltimo proueniat à causa in vltimo; in simplicibus nihilominus grauitas in vltimo prouenit à distantia, & siccitate in vltimo: atque ita effectus intensus insequitur summam causam. Itaque, quando causæ contrariæ aliquorum effectuum non sunt æque potentes, & suis effectibus adæquatæ, non est necesse, vt pares proferant effectus. Adde, quod grauitas & leuitas in simplicibus non solum actiuas, verumetiam passiuas insequuntur qualitates: ergo quod prius. Sed aliquis posset *contra* prædicta sic arguere: Aristot. est: Elementorum propriissime, sicci quidem terra, humidi vero aqua: aqua igitur est elementorum humidissima. *Respond.* Aristotelem ibi loqui de elementis, quatenus ad mixti compositionem veniunt: in mixtis vero vniuersaliter residentibus, terra & aqua, quoad molis dominium præualent. Secus autem res se habet, si elementa in seipsis considerentur; nam etsi sicut calor generat calorem, & frigus generat frigus, sic humiditas generet humiditatem, & siccitas siccitatem; in generatione tamen mixti alio modo se habent: quia duæ earum reliquis duabus dominentur. Sic docet Commentator. Quomodo ergo singulis elementis singulæ in summo assignatæ sunt qualitates, breuiter dixi.

Causa leuitatis & grauitatis 3. cæli com. 9.

Terra grauis & sicca.

Grauitas & leuitas.

Frigiditas aqua.

4. meth. t. 39.

4. meth. c. 1.

CAP. IV.

Tex. Philosophi com. 17. de generatione lib. 2.

Omnes enim & qui simplicia corpora elementa faciunt; hi quidem vnum, alij autem duo, alij tria, alij quatuor faciunt. Quicunque igitur vnum tantum esse asseruerunt, deinde densitate, & raritate alia generant; his euenit profiteri duo esse principia, & rarum & densum: aut calidum & frigidum. Sunt quidem hæc actiua, vnum tantum subijcitur, veluti materia. At, qui mox duo asseuerârunt, quemadmodum Parmenides ignem & terram, horum media materiam profitentur, vt aerem & aquam; duo siquidem posuit ex parte formæ, ignem & terram, & duo ex parte materiæ, aerem, & aquam, admixta ex duobus extremis. Similiter faciunt ponentes tria principia: medium enim ait Auer. ponunt mixtum ex duobus extremitatibus. Isti enim sunt, qui cum igne & terra, ponunt aerem: & assimilantur Platoni ponenti paruum, & magnum, & vnum; faciunt eum medium mistionem, & fere eadem volunt: nisi quod hi quidem medium, duo diuidunt; ille autem vnum facit ipsum. Plato siquidem teste Philopono, duo quædam supposuit principia, magnum & paruum, & aliud tertium, quod quidem mixturam magni & parui appellauit, materiam scilicet: magnum vero & paruum, formales differentias. Quia ergo medium inter elementa numerauit; ideo tria principia ab eo posita fuisse, ait Philosophus; duo vero à Parmenide, propterea quod media inter principia non extulerit. Circa principium primi libri Pymandri, vbi ex professo Platonis optnio à nobis posita est, de hac re latius, dilucidiusque locuti sumus. Sequitur tex. *Quidam autem statim quatuor dicunt, vt Empedocles sed hic quoque in duo quatuor contrahit. igni enim cætera omnia opponit. sunt que contraria, etiam dixit esse calidum, alia tria frigida sic quatuor in duo contraxit, in calidum videlicet & frigidum* Tex. *Verum ignis & aer, & vnumquodque dictorum, simplex minime est, sed mista: sunt enim simplicibus similia, non tamen eadem. Verbi gratia quod simile igni est, igneum, non ignis: & quod aeri, aereum: similiter autem & in alijs. Ignis autem est superabundantia caliditatis, quemadmodum & glacies frigiditatis: congelatio enim & vstio superabundantiæ quædam sunt: hæc quidem frigiditatis, illa vero caliditatis. Si igitur glacies est congelatio humidi & frigidi: & ignis erit vstio calidi & sicci: ideo nihil ex glacie generatur, neque ex igne.* Sensus est, corpora quæ apud nos simplicia videntur, minime simplicia dicenda sunt; sed illis potius similia: ignis enim purus & simplex est, in quo est excessus caloris: & glacies siue aqua pura in qua est excessus frigiditatis, congelatio namque & vstio superabundantiæ sunt, vstio quidem caliditatis, congelatio vero frigiditatis: hæc autem in aqua pura & igne inueniuntur. Congelatio igitur & vstio pro superabundantia accipiuntur qualitatum in propria naturalique dispositione existentium. & sic à Philosopho intelliguntur: non autem pro ea, quæ in mixtis à nobis conspicitur. Glacies ergo siue aqua pura, est congelatio seu excessus humidi, & frigidi: ignis vero vstio, siue excessus calidi & sicci. Et cum hæc non sint in sua sede remissa, ideo ex illis nullum mistum gigni potest. Sequitur tex. 18. *Quatuor autem existentibus corporibus simplicibus, vtraque duorum vtriusque locorum est: ignis enim & aer, eius sunt quod in extremum fertur: terra autem & aqua illius, quod in medium: extrema quidem atque purissima, ignis & terra sunt: media autem & inuicem mista aqua & aer, atque vtraque vtrisque contraria: igni enim aqua contraria, aeri autem terra; sunt n. hæc ex contrarijs passionibus constituta.* Sensus est, quatuor corpora simplicia duo loca extrema habent: duo vero media. Vtraque vero eorum, quæ sunt in vna dualitate, aduersantur alijs in alia dualitate existentibus. Quæ autem vergunt ad contineos vltimum, sunt contraria vtrisque eorum quæ vergunt ad medium; non quidem simul; sed singula singulis: sic igni aqua aduersatur, aeri vero terra. Hæc autem contraria sunt, non secundum eorum substantias; sed secundum qualitates, ex quibus sunt eorum differentiæ. Tex. 23. *Et licet simpliciter quatuor existant; vnumquodque tamen vno est: terra enim sicca magis est quam frigida: aqua autem frigida magis quam humida: aer autem humida magis quam calida: ignis calida magis quam sicca.* Vnaquæque ergo, ait Auer. qualitatum illarum simplicium, est in vno illorum in fine, sicut præcedenti ex quæstione satis patere puto. Sed *ambiget* aliquis, an caliditas ignis & aeris sint eiusdem speciei specialissimæ: similiter & humiditas aeris & aquæ, & frigiditas terræ & aquæ, & siccitas ignis & terræ. *Ad quod* quidem dicimus, eiusdem esse speciei. alioqui aere in ignem conuerso, ignea & aerea caliditate, ignis esset calidus. Quare, si aerea caliditas corrumperetur, alterius speciei existens; profecto habentibus symbolum, per pauciorum non esset corruptionem facilior transitus: quod plane Philosopho aduersatur 2. *de gener. tex. com.* 24. Cum igitur ab igne & aere qualitates eiusdem rationis inducantur, & ab vniuoco agente fiant; illæ proculdubio qualitates ab vtrisque eorum factæ, 1.
eiusdem erũt rationis: siquidem, si propriissime cõparentur, in specie vtique vniuocantur. Amplius, si hæ duæ caliditates 2.
specie ab inuicem differrent: mixtum igitur erit duplici caliditate calidum; aerea & ignea scilicet. similiter & frigidum; vtraque enim formarum elementorum in mixto conseruatur. Itẽ, tunc octo essent elementa: admissis enimq; 3.
duabus caliditatibus, pari necessitate duæ frigiditates essent admittendæ, omnes enim hæ in mixto habentur: & de humiditate, & siccitate similis erit iudicium: aliter, mixtum conseruari non posset: atque ita octo essent humores, & primæ qualitates, quod est contra omnium Philosophorum sententiam. Duæ præterea non essent contrarietates; frigiditati enim aquæ & ignea aduersaretur caliditas, & aerea, 4.
quod est falsum. Adde, quod si ex duobus elementis tertium

Elementorum numerus.

Parmenides.

Symbola qualitates eiusdem speciei.

Platonis Tria principia.

Empedocles.

In duo contraxit quatuor.

Quid sit ignis.

Apud nos corpora simplicia non dari.

Contraria elementa.

Contrarietas qualitatum.

Qualitates symbolicæ sunt eiusdem speciei.

Symbolæ qualitates eiusdem speciei.

tium conficitur, atque ex igne, & aqua, aer: caliditas ergo ignis, aquæ frigiditatem vincat, necesse est; & humiditas aquæ ignis siccitatem; igitur caliditas ignis, & aeris, & humiditas aeris & aquæ non differunt specie specialissima. Adde, quod ex terra & aere aqua gignitur, siue gigni potest, 1. Meteororum; terra enim frigefacere potest aerem, inter illa ergo est contrarietas, non quidem per diuersitatem existentem inter caliditatem, & caliditatem; sed inter caliditatem & frigiditatem. Patet ergo quomodo huiusmodi qualitates non differunt specie. *Sed contra* prædicta posset hic aliquis arguere:

Argumenta contraria.

Caliditas ignis, & caliditas aeris, formas essentiales specie distinctas consequuntur; differunt ergo specie. Valet consequentia; quia causarum specie differentium, effectus quoque specie differunt.
1. Amplius, caliditas ignis naturaliter
2. inhæret igni, violenter vero aeri; differunt ergo specie. Deinde, leuitas ignis & aeris differunt specie; eorum ergo caliditates similiter se habebunt. Conseq. patet; quia leuitas est effectus caliditatis; antecedens autem perspicuum esse potest; quia leuitas aeris & ignis, ad loca specie differentia
3. inclinat; ergo quod prius. Amplius, igneæ caliditati siccitas est compossibilis, non autem aerea; illæ ergo caliditates differunt specie. Consequentia patet; antecedens probatur; transubstantiato enim igne in aerem, caliditas remittitur, idque per humiditatem. Adde, quod aeris humiditate flamma conseruetur, aquea vero extinguitur; illæ ergo humiditates specie distinguuntur. Tenet consequentia; effectus enim contrarij à causis contrarijs proficiscuntur, vt docetur 4. *Metha.* Simile quiddam videre licet in siccitate ignis & terræ; illa enim cum raritate, & caliditate consistit, hæc vero cum densitate & frigiditate: quæ omnia speciei diuersitatem ostendunt.
4. Iterum, si caliditas ignis & aeris eiusdem sint speciei, & in igne est summa: in aere ergo erit remissa, idque per contrarij admixtionem: atque ita aer non esset simplex, quod si sit simplex, & pura; alterius ergo erit rationis quam caliditas ignis. Sane, in generatione alicuius elementi, quantum de vno contrario inducitur, tantum de alio corrumpitur. sed tota frigiditatis latitudo à generante aquam ex aere inducitur: igitur tota corrumpitur latitudo caliditatis: atque
5. ita aer conuertendus in aquam, esset summe calidus. Præterea, si grauitas & leuitas elementorum specie differunt: qualitates ergo actiuæ similiter se habebunt; illæ enim actiues qualitates insequuntur. Subiecta insuper eorum differunt specie: ergo & eorum propria. Denique, calores differunt, vtpote febrilis, & naturalis: ergo quod prius. *Resp.* ad

Soluuntur argumenta.

primum argumentum, admitto que antecedens: nego vero consequentiam; illis siquidem formis huiusmodi effectus
1. per accidens, non autem per se attribuuntur. *Ad* 2. similiter
2. approbo antecedens: nego vero consequentiam; quia naturalitas & violentia sunt accidentales, non autem essentiales differentiæ. *Ad confirm.* neg. antecedens; omnis enim leuitas conuenit specie cum omni leuitate: similiter & omnis cali-
3. ditas, cum omni caliditate. *Ad* 3. neg. assumptum; neque enim necesse est, in aeris generatione ex igne remitti calorem: siccitati autem non est compossibilis aerea caliditas propter humiditatis connexum. *Ad confir.* flammæ conseruatio ab humido prouenit aereæ substantiæ, quod facile in flammam conuertitur: idque non merito qualitatis tantum; quandoquidem immoderata olei abundantia, flammam
4. suffocet. *Ad* 4. stat siccitas cum calidissimo, rarissimo, & cum frigidissimo densissimo: ideo negatur consequentia. *Ad confir.* elementorum simplicitas, non sequitur accidentia intensa, vel remissa, per contrarij admixtionem; sed potius naturas simplices: non ergo caliditas in aere, est remissior caliditate ignis (vt dixi) per contrarij admixtionem. Ad aliam confirmationem, minor est contingens; potest enim aqua, & sub summe, & sub remisse generari frigiditate: siquidem cum ipsa ex terra, quæ fuit summe frigida, generatur; in esse frigiditatis remisso, eam gigni, minime necesse est: sed cum ex calidis gignitur, bene potest generari in esse remisso fri-
5. giditatis. *Ad* 5. neg. consaq. grauitas siquidem & leuitas sunt formæ substantiales, quæ sunt alterius rationis: quod quidem sentiendum non est de qualitatibus, quod scilicet in elementis alterius rationis similiter se habeant. *Ad* 4. non sunt illæ quarto modo propriæ elementorum qualitates. *Ad* vltimum, non est in illis qualitatibus per se differentia, sed in substantijs; naturalis enim calor, est spiritus bonus: putride vero fuligo, est contra naturam. Quomodo ergo symbolæ qualitates in elementis symbolum habentibus, sint eiusdem speciei specialissimæ, dixi.

CAP. V.

Tex. Phil. 24. com. de generat. lib. 2.

Symbola facilius generentur.

Generatio elementorum.

QVoniam determinatum est prius, in corporibus ipsis simplicibus generationem reciprocam esse: simul autem & secundum sensum videntur generata, non enim esset alteratio; secundum enim tactibiles passiones alteratio est. Dicendum, quis modus reciprocæ transmutationis eorum sit, & vtrum quodlibet ex quolibet fieri possit: aut hæc quidem possint, illa autem non possint. Sensus est, quoniam determinatum 3. est simplicibus corporibus reciprocam inesse generationem; cadit enim sub sensum, calidum ex frigido, & humidum ex sicco generari, & quæ sunt id genus. Sane, si non esset mutua istorum generatio; nec etiam mutua alteratio, quæ secundum tactibiles fit qualitates. sed hoc sensum destruit aliter docentem: est ergo mutua ad inuicem generatio. *Tex.* Quod quidem igitur omnia inuicem apta sunt transmutari, manifestum est, nam generatio in contraria, & ex contrarijs est: elementa enim omnia habent inuicem contrarietatem, cum differentiæ contrariæ sint; his quidem enim vtræque contrariæ, vel-

Generatio fit ex contrarijs.

uti ignis & aquæ. nam hoc quidem siccum & calidum; illud vero humidum & frigidum: his vero altera sola, veluti aeri & aquæ: nam hoc quidem calidum & humidum; illud vero frigidum & humidum. Patet igitur vniuersaliter quodlibet ex quolibet esse aptum generari. Sensus est, contraria ex inuicem fiunt. sed elementa sunt contraria, quia ipsorum differentiæ sunt contrariæ: elementa ergo fiunt ex inuicem: hoc est, quodlibet ex quolibet elemento. *Tex.* 25. Iam autem secundum vnumquodque non difficile est videre, quomodo quidem omnia ex omnibus erunt; differt tamen illud penes velocius & tardius, facilius quoque & difficilius; quæcunque enim habent symbolum ad inuicem, velox horum transmutatio est: quæcunque autem non habent, tarda; quia facilius est vnum quam multa transmutari. Verbi gratia, ex igne quidem erit aer, altero facilius transmutato; hoc enim erat calidum & siccum: hoc vero calidum & humidum: quapropter, si vincatur siccum ab humido, aer erit: rursus autem ex aere, aqua erit, si vincatur calidum à frigido; hoc enim erat calidum & humidum, hoc autem frigidum & humidum. Quapropter, transmutato calido, aqua erit. Eodem modo ex aqua fit terra, & ex terra ignis; vtrumque enim ad vtrumque symbola habet. Aqua quidem enim frigida & humida: terra autem frigida & sicca: proinde victo humido, terra erit. Et rursus, quoniam ignis quidem calidus & siccus est, terra autem frigida & sicca, corrupto frigido, ignis erit ex terra. Elementis, inquit Auer. habentibus communem qualitatem, quæ symbolum appellatur, est facilis transmutatio; quia altera tantum corrumpitur: altera eadem manet: modo vnum, quam plura facilius est transmutare, vt ignis fit aer, corrupta siccitate tantum, & remanente caliditate. Et hæc est facilior generatio. *Tex.* 25. Quapropter manifestum, quod circularis erit generatio in simplicibus corporibus, & facillimus hic modus transmutationis; quia symbolum existit in his, quæ deinceps sequuntur. Sensus est, in simplicibus corporibus, est circularis generatio; quia quodlibet ex quolibet fieri potest: præsertim ea, quæ habent symbolum, puta ignis & aer, aer & aqua, aqua & terra; quia vna tantum superanda est qualitas. *Tex.* 26. Ex igne aquam, & ex aere, & rursus ex aqua & terra aerem & ignem contingit quidem generari; difficilius tamen, quia plurium est transmutatio: necesse enim est, si erit ex aqua ignis, corrumpi & frigidum & humidum. Et rursus, si ex terra aer, corrumpi & frigidum & siccum. Similiter autem, et si ex igne, & aere, aqua & terra, necesse est ambo transmutari. Hæc igitur tardior generatio est. Horum, inquit Auer. quæ contrariantur in duobus, erit per corruptionem harum duarum differentiarum. Verbi gratia; igni enim non fit aqua, nisi per corruptionem caliditatis & siccitatis: & hæc est difficilior generatio. Cæterum, facilior generatio in habentibus symbolum esse dicitur: non quia velocior & tardior penes causam & tempus sit intelligenda, nec valet: Hæc generatio est facilior: ergo in minori tempore; quandoquidem quælibet generatio, est in non tempore, sed penes effectum, cui vna tantum est qualitas superanda: ignis namque facilius in aerem, quam in aquam mutatur; quia cum humiditate est illi pugnandum, non autem cum humiditate & frigiditate. Itaque, respectu eiusdem subiecti, facilius ex symbolo fit symbolum, quam ex contrario contrarium; nam effectus in generatione symboli ex symbolo, est vnequalnes: in generatione vero ex contrarijs, sunt duæ. Modo hic effectus est maior; proinde gene-

Circularis generatio.

Quæ habent symbolum.

Elementa sunt contraria.

Difficilis generatio in non symbolis.

Facilior generatio in habentibus symbolum.

Symbola facilius generantur.

generatio difficilior. Respexit ergo Philosophus, teste Philopono, ad qualitates non quidem corruptas, sed ex corruptione derelictas, quarum vna remanet in generatione ex symbolo: ex non symbolo vero, duæ. Penes, inquit, eandem materiam, nam penes diuersas non est vna; sed duæ potius generationes. Quando ergo in generatione, vna qualitas relinquitur; hæc generatio dicitur minor, & facilior: quando vero duæ; maior & difficilior. Aliqui putârunt vtramque symboli qualitatem in generatione corrumpi, vocari nihilominus faciliorem atque velociorem; quia elementum corrumpendum, minorem habet virtutem resistendi per vnam, quam per duas qualitates. Sed aliud omnino Philosophus in textu sentire videtur: vbi aperte testatur, faciliorem esse symboli generationem: propterea, quod facilius est vnum, quam duo transmutare: penes ergo effectum, non autem penes caussam, velocitatem accepit. Præterea, sicut duorum ad duo; ita vnius ad vnum est proportio. & sicut vnum corrumpitur; ita vnum agit in habentibus symbolum: velocitas ergo est æqualis. Quamobrem ait Auer. velociorem esse generationem symbolam; quia pauciora corrumpuntur. Patet etiam ex textu, quomodo quodlibet elementum fiat ex quolibet elemento, aptitudine vtique & potentia. Sane, elementa bifariam considerari possunt; vno quidem modo quatenus sunt in propriis locis: atque ita elementum non potest fieri immediate, nisi ex sibi vicino: ex remoto autem fit mediante generatione elementi medij. alio modo, quatenus sunt extra propria loca, & sibi inuicem immediate applicata: & sic elementum immediate fieri potest, tam ex vicino, quam ex remoto; extremo enim extremo coniuncto, immediate generatio vnius, ex corruptione sequitur alterius: sic aqua in magnum ignem proiecta, illico

Si in symbolo corrumpitur vtraque qualitas.

Quodlibet fieri ex quolibet.

1. in ignem conuertitur. Itaque, cum elementa sint ad inuicem contraria; vnum vtique agere potest in alterum: fieri ergo potest, vt fortius sibi assimilet debilius: atque ita debilius conuerti in naturam fortioris.

2. Amplius, ipsa elementa materiam habent eiusdem rationis: inuicem ergo transmutantur; alioqui generatio, & corruptio nullo modo caderent in naturam. Cum itaque vnum elementum in alterum præualet, symbolum, aut etiam non symbolum, facta eorum approximatione, impediente casu so extrinseco: dominans, in se conuertit alterum, non quidem totum; alioqui elementorum ordo destrueretur, sed aliquam illius partem. Sane, pugillus terræ in quodlibet aliud elementum transmutari potest, idque immediate; terra namque cum quolibet elemento contrarietatem habet, aut secundum duas qualitates, aut secundum vnam tantum. Si ergo pugillus terræ approximetur aquæ; aqua, quotum humida, in terram aget in siccitate destruenda: inducenda vero humiditate, destructa autem siccitate, terræ forma destruitur; siccitas enim cum frigiditate, est dispositio, à qua terræ forma in materia conseruatur. Ex particula ergo terræ, ob virtutem actionis contrariæ, aqua generetur: si autem pugillus terræ approximetur aeri; caliditate aeris destruente frigiditatem terræ, & humiditate siccitatem, quibus destructis, veluti dispositionibus formam terræ conseruantibus: ipsam quoque terræ formam destructum iri, necesse est; conuenientibus aeris formæ qualitatibus inductis. De aliis quoque elementis similis ratio haberi potest. Cæterum, transmutatio vnius elementi in alterum, facilior dici potest duplici ex causa: nempe aut propter caussas actiuas, quæ sunt qualitates primæ, quibus ad inuicem agunt elementa: aut propter resistentias, quæ fiunt è qualitatibus contrariis, vtpote caliditas resistit frigiditati, siccitati humiditas. Itaque, elementa ex parte potentiarum, vel qualitatum actiuarum, quæ quidem elementa non habent symbolum, cæteris paribus, facilius ad inuicem transmutantur: etenim aqua in ignem, facilius quam in aerem transmutatur: vbi enim est fortior actio, ibi alteratio est facilior, & vnius in alterum velocior transmutatio; transmutantur enim ad inuicem per actionem contrariam, quæ est inter ea ex qualitatibus contrariis. Fortior est ergo actio in non habentibus symbolum; quia per duas agit qualitates, per vnam vero in habentibus: ideo debilior actio, & tardior transmutatio; siquidem citius particula aquæ addita magno igni, in ipsum, quam terræ particula conuertetur. At si elementa habentia symbolum ex parte resistentiæ considerentur; facilior est transitus, & velocior, quia minor resistentia; vna enim qualitate pugnant, alia vero conueniunt. Profecto, terra cum aqua in frigiditate conuenit; dissentit vero siccitate: cum aere autem vtraque qualitate pugnat. Plus ergo vni, quam alteri resistit. Quomodo ergo in symbolica generatione fit facilior transitus, & vnum elementum in alterum immediate verti possit, paucis dixisse me puto.

Quomodo quodlibet elementum potest mutari in aliud.

Generationis symbolica ratio.

Vbi fortior actio.

Ex parte resistentiæ.

CAP. VI.

Tex. Phil. com. 27. de generat. lib. 2.

Tertij elementi generatio.

Si autem vniuscuiusque alterum corrumpatur; facile quidem fiet, non tamen eorum generatio reciproca erit; sed ex igne & ex aqua, tam terra quam aer erit: ex aere vero & terra, tam [illegible] qua. Quando enim aquæ corrumpitur frigiditas, ignis autem siccitas, aer erit; remanet enim huius quidem calidum, huius autem humidum. Quando autem ignis quidem calidum, aquæ autem humidum, terra; quia relinquitur [illegible] huius quidem siccum, huius autem frigidum: similiter a[illegible]m ex aere & terra ignis & aqua. Quando enim aeris corrumpitur calidum, terræ autem siccum, aqua erit; relinquitur enim huius quidem humidum, huius vero frigidum. Quando autem aeris humidum, terræ autem frigidum, ignis, quia relinquitur huius calidum, huius autem siccum, quæ quidem erant ignis. Est tertius modus generationis, ait Auer. vt aliquid illorum generetur ex duobus: cum ex vtroque illorum corrumpetur qualitas contraria illi elemento, & remanet contrarietas propria. Verbi gratia: cum ex igne corrumpitur siccitas, & ex aqua frigiditas; tunc generatur aer; ex igne enim remanet caliditas, & ex aqua, quæ sunt aeris differentiæ. Sed hoc non contingit in omnibus; non enim contingit vnum generari ex duabus, nisi cum illa duo contrariantur sibi in duabus differentiis. Ex igne ergo & aqua generentur terra & aer: & ex aere & terra, ignis & aqua. *Tex. 28.* Confesse autem ad sensum ignis generatio, maxime enim ignis flamma: hæc autem est fumus ardens: fumus autem ex aere & terra. Generatio quidem ignis, ait Auer. ex eis videtur per seorsum; flamma enim non est, nisi fumus accensus, in terra factus: fumus autem est aer & terra. Dicitur autem flamma ignis, quatenus in ea prædominatur siccum, quod habet ex terræ corruptione, & calidum ex corruptione aeris humiditate. *Tex. 29.* In his autem quæ consequenter sunt, non contingit corrupto in vtroque altero elementorum, fieri transmutationem in vllum corporum; quia relinquuntur in ambobus, aut eadem, aut contraria: ex neutris autem contingit generari corpus. Verbi gratia: si ignis quidem corrumpatur siccum, aeris autem humidum, relinquitur in ambobus calidum: si autem ex vtroque calidum, relinquuntur contraria, siccum & humidum. Similiter autem & in aliis. In omnibus enim his, quæ per consequentiam existunt, hoc quidem idem, illud vero contrarium. Sensus est secundum Auerroem: ex duobus elementis symbolum habentibus, fieri non potest; vt aliquod tertium elementum generetur: quoniam quando ex vno aliqua differentia corrumpitur, & ex altero alia, puta, corrupta ignis siccitate, & aeris humiditate, remanebit vtriusque caliditas. Ex vna autem qualitate tantum elementum constare non potest. Si vero caliditas in vtroque corrumpatur; remanebit vtique in igne siccitas, & in aere humiditas, contrariæ differentiæ: ex quibus elementum aliquod conflari non potest. *Tex. 30.* Quoniam quidem ergo omnia ex omni generentur, & quomodo ex inuicem transmutatio generetur, dictum est: hoc est, declaratum est. quot modis potest omne generari ab omni: & quomodo fieri non potest, vt vnum à tribus generetur, & vnum à duobus symbolum habentibus; sed ex duobus minime symbolum habentibus. Cæterum, si elementa considerentur, quatenus propriis virtutibus agunt; profecto ex duobus elementis contrariis, tertium non gignetur; non enim aget ignis in aquam, quin humiditatem simul & frigiditatem eius corrumpat. Etenim, si vnius dominium obtinet qualitatis; & alterius etiam, pares sunt enim: ignis ergo in aquæ corrumpenda, vtrisque illius qualitatibus corruptis, ignem, & non tertium elementum generabit. Contra, si aqua præualuerit in ignem; similiter se habebit: at si elementa considerentur, quatenus stellarum sunt qualitate disposita & affecta; sic certe temperantur, vt ex duobus elementis contrariis tertium generetur. Verum, *contra prædicta* sic posset aliquis arguere. Ex terra non potest immediate ignis generari: non ergo quodlibet elementum immediate in quodlibet elementum mutatur. Antecedens patet: ab extremo enim non fit permutatio ad extremum, nisi per medium: sicut ex albo non fit permutatio ad nigrum, nisi per mediũ colorem. sed terra & ignis sunt duo extrema elementa. ex terrà ergo non generetur ignis, nisi aqua prius genita, & aere. Sane, si ex elemento fit elementum: vnum ergo contrariũ fit, & producitur ex suo contrario, quod est falsum. Consequentia patet, quia elementa sunt contraria: falsitas consequentis probatur; vnũ enim contrariũ, alterum corrumpit: non ergo fit ex suo cõtrario. Antecedens est *1. Phys.* Conseq. patet.

Tertium elementum ex duobus.

Tertius modus generationis.

Flamma.

Fumus.

Ex symbolis elementis non generatur tertium.

Quare ex symbolis non fiat tertio generatio.

Virtute cælesti fit tertium elementum.

Argumentatio contraria.

Tertij elementi generatio.

patet. Amplius, si quis diceret, licet vnum contrarium corrumpat alterum quoad formam, non autem quoad materiam: quia vero vnum elementum fit ex alio, quatenus sui oppositi formam corrumpit, propriamque in materiam inducit: nihil ergo argumentum concludit. Contra, iuna
2. elementum ex elemento nullo modo fieret: si enim ex elemento fieret, in suum oppositum corruptum elementum conuerteretur: sicut dum ex frumento fit panis, conuertitur in panem. sed elementum corruptum in elementum nequaquam conuertitur, quia materia non conuertitur; intransmutabilem etiam dicit esse primus liber Physicorũ. nec forma conuertitur, quia corrumpitur ab agente opposito. Nullo ergo modo elementum ex elemento fieri potest. Dixeris, quod licet materia in elementum oppositum non conuertatur, nec etiam forma; fieri tamen dicitur elementum ex elemento, quatenus forma oppositi elementi in materiam introducitur. *Contra*, tunc enim non esset generatio elementi ex elemento; quoties enim ex ente in actu, fit ens actu, non est generatio simpliciter: 5. phys. sed si ex elemento fit elementum, ex ente actu, fit ens actu: quia elementum, ex quo fit, iam est actu. Non ergo elementi ex elemento est generatio simpliciter. atque ita quodlibet non
3. fit ex quolibet elemento. Item, si ex duobus elementis generatur tertium, hoc est, si ex terra & aqua per virtutem ignis generetur aer: plura enim non dantur: ignis certe aeris dispositionem causare non valet, humiditatem scilicet: propterea quia est calidus & siccus: similes ergo dispositiones causabit. Quare, si nequit humiditatem producere, quæ est aeris dispositio; nec aerem etiam. Quod si *dixeris*, non esse necesse, aerem, vt tertium elementum producit; sed posse ipsum ignem generari in specie, qui est elementum tertium distinctum ab aqua & aere. *Contra*, quod ignis non potest generari ignem, vt tertium elementum ex terra & aqua; alioqui in igne duæ essent qualitates in summo gradu. Valet consequentia: Si ignis enim ex terra & aqua produciti ignem: terræ ergo, approximatus, solam frigiditatem corrumperet; hac enim sola cum terra pugnarat. Manebit ergo siccitas terræ, vt dispositio ad formam ignis. Sed siccitas terræ: est summa qualitas terræ: summa ergo siccitas in igne seruetur. Duæ ergo qualitates in summo gradu haberentur in igne. *Dicis*, terræ siccitatem non esse æque intensam, sub forma ignis existentem, ac sub forma ipsius propria. *Contra*, tunc enim cum siccitate ignis staret gradus humiditatis: quod est absurdum: cum forma namque in summo gradu non existente, stare potest aliquis gradus formæ oppositæ; siquidem cum caliditate vt octo, stat frigiditas, vt duo. Si ergo
4. siccitas ignis non est in summo; stabit aliquis gradus humiditatis. Amplius, ex duobus elementis non habentibus symbolum, non potest generari tertium; quia vel vtrumque est æque potens: vel alterum potentius reliquo. Si primum: ergo non agent, nec patientur ad inuicem. Si tanta, inquit phil. est resistentia patientis, quanta est potentia agentis; inter ea non est actio: atque ita non generabitur tertium elementum. Si vero potentius: conuertat ergo debilius in
5. se; & sic tertium ab eis distinctum minime generabitur. Iterum, agens in primo instanti generationis existat, necesse est: alioqui aliquid generaretur sine generante; siquidem in primo esse tertij geniti elementi, duo elementa corrupta sunt, à quibus tertium elementum generatur. Adde, quod agens generans non corrumpitur in instanti generationis: nam prius naturaliter desinit agere in extrinsecum, quam seipsum defendere; maiori enim opus habet virtute ad agendum in extrinsecum, quam ad resistendum. Si ergo in hoc instanti corruptum est agens; admisit vtique virtutem
6. extrinsecum mutandi: quod quidem contingeret, si duo elementa tertium gignerent. Item, agens corruptiuum per se non habet virtutem in suam materiam agendi; alioqui posset seipsum corrumpere: quod quidem contingeret in hoc casu: quandoquidem quodlibet elementorum duorum, seipsum in tertium conuerteret. Profecto, agens in agendo speciei suæ metas non transgreditur: aliter plus perfectionis in causato quam in causa inueniretur: quod quidem aueniret, necesse esset, si ex duobus minus perfectis elementis, tertium vtroque perfectius generaretur: nempe ex aere, & terra ignis, à quo & aeris caliditas, & terræ siccitas vinceretur. ergo quod prius. Præterea, si ex igne & a-
7. qua terra generari potest, aquæ frigiditate ignis vincente
2. gen. t. 27. caliditatem, & ignis siccitate aquæ humiditatem: ignis ergo agendo in aquam, eam non calefaceret; quod pro absurdo habetur & impossibili. Adde, quod tunc ignis cale-
Solum. arg. 1. faceret quidem aquam, eam tamen non exsiccaret; eius namque caliditas aquæ frigiditatem vinceret: aquæ vero humiditas, ignis siccitatem. *Resp.* ad primum arg. sententia illa veritatem habet in motu locali; non enim fit transitus lapidis à cælo ad terram, nisi per aerem medium. Stante igitur igne in sphæra sua, & terra in loco suo deorsum; nunquam ex terra immediate ignis generaretur. sed proposi-
2. tum philosophiæ ante à nobis declaratum est. *Ad 2.* Elementum ex quo fit aliud, dupliciter consideratur: primum quidem secundum se, & sic est actu; deinde quatenus eius materia est in potentia ad formam oppositi elementi; atque ita est ens solum in potentia: quemadmodum aqua in se est actu: ignis vero in potentia; in materia enim aquæ nondum est ignis, potest tamen esse. Itaque non fit elementum ex elemento, quatenus est in actu in se consideratu; sed potius quatenus est in potentia forma elementi generandi, in
3. materia elementi corrumpendi. *Ad 3.* considerata ignis siccitate non in summo, stare potest cum ea aliquis gradus humiditatis: considerata vero ignis caliditate in summo; minime: ignis enim proprium est, exsiccare & calidi consumere humidum. *Ad 4.* vnum est potentius reliquo, idque
4. dupliciter: primo quidem vltra mediam latitudinem, puta quod sit vnum potens, vt 9. & alterum vt 2. vel 3. & sic proculdubio potentius, in seipsum conuerteret debilius: secundo autem, quando potentius est circa mediam latitudinem, nempe in proportione sesquialtera; vt vnum sit potens, vt 6. alterum vt 4. Et sic non est necesse, vt potentius, in seipsum vertat debilius. Præterea, si elementum dominaretur elemento secundum vtramque qualitatem; tunc proculdubio, sic ageret in aliud, vt in seipsum conuertere posset. At quando vna tantum qualitate præualet, altera qualitate symbola existente; tunc secundum proportionem agit maioris ad minus; quamuis alterum ad se non conuertat: quia nimirum secundum qualitates embas neutrum alteri dominatur. Agente igitur igne caliditate in aquæ frigiditatem, & aquæ humiditate in ignis siccitatem; ignis vtique calefaceret, non autem exsiccaret aquam. *Ad 5.* 5.
Duplex est agens, principale quidem & instrumentale. Rursus, agens principale est duplex: vnum certe, quod sibi reseruat virtutem agendi: & aliud alterum dans virtutem ad agendum. Porro, agens instrumentale, vt maneat vsque ad instans eductionis formæ, minime est necesse. Principale quoque quod virtutem largitur alteri, non est necessarium existere; pater enim generans dedit spermati virtutem genitiuam: proinde fieri potest, vt in instanti generationis, instantis pater non superfit. sed agens principale, quod virtutem actiuam sibi reseruat, est cælum, quod semper adest. Cum igitur illa duo elementa instrumenta sint ad tertium elementum producendum, & generatio illius tertij sit æquiuoca potius, quam vniuoca. quæ ab alio eiusdem speciei generatur siue fit; sufficit illa duo elementa, tanquam instrumenta, ad tertij generationem concurrere. *Ad confirm.* argumentum supponit falsum, nempe vim actiuam tertij elementi esse principaliter in duobus quæ corrumpuntur.

Agens principale duplex.

Ad 6. Negatur sequi oppositum illius assumpti: vnum enim 6.
ex duobus elementis aliud alterat, non autem seipsum, sed alteratur ab altero: ideoque nullum illorum elementorum in tertium se conuertit: sed cælum vtrunque conuertit, vnius ab altero materiæ præparatiuis disposita. *Ad confirm.* generans in vniuoca generatione, intra suam speciem agit; quia nimirum genitum est eiusdem speciei specialissimæ cum generante. At vbi generatio fuerit æquiuoca; tunc affectus est alterius speciei, siue rationis à generante. proinde, si effectus minoris extiterit perfectionis, quam sua causa; tunc profecto infra suam speciem generans dicitur egisse. si vero maioris, vltra speciem. Concedo igitur assumptum, nec illius oppositum sequitur: quandoquidem genitum nobilius esse instrumento, nullum inde absurdum sequatur: duo vero elementa, vt instrumenta concurrunt ad generationem tertij. *Ad 7.* Concedo primum consequens; ignis enim in illo casu secundum caliditatem perdit suam vim: licet vincat aquam secundum siccitatem. *Ad confirm.* concedo consequens: siccitas namque est caliditatis effectus per accidens, non autem necessarius: tametsi interdum fiat, vt in mixto caliditas subtilior, ipsum humidum euaporare faciat: & sic in mixtione dominentur partes siccæ, quæ prius non dominabantur. Hæc dixi de tertio elemento, quomodo ex duobus conficitur: posthac dicemus de alijs rebus aliquid.

Cælum agens principale.

De Aere.

QVÆSTIONIS SECVNDÆ CAP. I.

De Aere, Tex.com. 9. 1. Metheororum.

Philosoph.

PRime quidem igitur dubitabit vtique quis circa vocatum aerem, quæ eius natura constituenda sit in mundo ambiente terrã, quemq; locum, atq; ordinem teneat, si cũ cæteris elementis conferatur. Postquã aliqua dicta sunt, quæ ad elementorũ cognitionẽ spectare videbantur; posthac dicamus aliquid de aere, eiusque motationibus, idque secundum Aristotelis doctrinam, qui de rebus naturalibus mirifice disputauit. Mouet

Anaxagoras.

autem philosophus quæstionem propter Anaxagoræ sententiam, qui putauit spatium è cælo ad terram, aerem dici; cælum vero ipsum, ignem. Quam ob causam quærit philosophus, quæ sit aeris natura: & quomodo à quolibet elemento specie distinguatur. Est autem aer magis humidus

Aer magis humidus quam calidus. 7. phys. t. 29.

quam calidus 2. *de generatione tex. com.* 23. Aer, inquit, est magis humidi quam calidi. Ex quo patet, vt dixi, vnam qualitatum summam in singulis elementis inueniri. Susceptiuum, inquit philosophus cuiuslibet accidentis non est contingens; sed vnum vnius primum: ideoque 2. *de gener. tex. com* 23. ait: Sed tunc simpliciter quatuor entia vnius vnumquodque est: terra quidem magis sicci quam frigidi, aer vero magis humidi quam calidi. Fauet etiam huic sententiæ Commentator 4. *cæli com.* 39. Omnes, inquit, conueniunt in hoc, quod humiditas in aere sit maior quam caliditas. A-

Alexand. Philopon.

lexander quoque atque Philoponus 2. *de gener tex. com.* 9. affirmant aerem esse humidiorem aqua, ex diffinitione humidi 2. de gener. humidum est, male terminabile termino proprio, quod quidem proprius aereo quam aqueo humido conuenit. *Com.* 4. *cæli* 39. Aer est humidior cæteris elementis. & per illam partem humidam descendunt fulmina, idem 23. 2. *de gen. & 4 metheor. com.* 10. *& in primo lib. cantica canticorum com.* 15. Quod vero 3. cæli com. 67. aliud dicere

Auicenna.

videtur, loquitur ad mentem Auicennæ: non autem secũdum propriam sententiam. Idem quoque sentit Alexander *in primo met. cap.* 4. quod vnumquodque elementum habe-

Aeris humiditas.

at vnam qualitatem in summo. Vnde, licet aer sit aqua humidior; non humectat tamen corpus sicut aqua; quia corpori sicut aqua non applicatur: imo desiccat corpora, quo magis est calidior. Cæterum, aeris humiditas est duplex, qualitatiua in substantia aeris radicata, & hæc est aeria naturalis: alia est humiditas substantialis aeri permixta, vtpote vapor aeri permixtus: quæ quidem humiditas ab aqua eleuata, per aerem disseminatur, aut à superiori parte distillatur. Ex his ergo patet, aerem non esse frigidum, sed natura

Aer non est frigidus. 1. meth. c. 4.

calidum, & humidum: propterea quod violenta esset aeri frigiditas. Porro, aeris regio in tres partes diuiditur in superiorem igni conterminam, mediam, & inferiorem: superior calida propter ignis commercium, motusque cælestis vicinitatem: inferior similiter propter radiorum reuerberationem. media vero frigida propterea, quod radiorũ reflexio, atque reuerberatio ad eam non pertingit. Accenditur autem magis aer ex stellis accedentibus ad punctum

Humiditas aeris non aduentitia.

zenith, ex quibus fortior fit impressio. Habet autem aeria regio hæc inferior humiditatem sibi aduentitiam, à vaporibus sibi immissam: media vero frigiditatem, non quidem sibi naturalem, sed extrinsecus comparatam: nam si suæ relinqueretur naturæ, calidus vtique esset, sed propter continuam quasi exalationum, seu vaporum mutationem, inibi se volutantem, & commouentem, frigida regio nominatur. Est ergo aer summè humidus, deinde calidus. non au-

Argumẽta contraria. Galenus.

tem frigidus. Sed quispiam *dubitaret*. Si ita res se habet, cur Auer. 4. *metheororum* ait: Sicci quidem terræ, humidi autẽ aquæ. & Galenus primo farmacorum: Aqua est magis humida quam omnis res. Et in lib. de complexionibus: Non

2\. potest dari animal summe humidum sicut aqua. Adde, quod hyems est humidior vere, quæ aquæ attribuitur, ver autem aeri: aqua ergo est humidior aere. Denique aqua humectat, aer vero exsiccat; cutis namque nostra ab aere tacta riget, similiter panni humidi in aere expositi exsiccantur:

2\. ergo quod prius. Amplius, humiditas separari potest ab aere, non autem ab aqua: non ergo aer est primo humidus; nam quæ primo insunt, non sunt à subiecto separabilia.

3\. Item, Aer leui infrigidatione mutatur in aquam: ipse ergo non est calidus. Insuper, nullam sibi caliditatem describit; quia indifferenter se habet ad calidum & frigidũ: & quodlibet illorum celeriter recipit: non ergo est natura calidus.

Solu arg. 1.

Resp ad primum argumentum, licet aqua ob suæ substantiæ densitatem fortius operatur humectando quam aer; ipsa tamen remissiorem habet gradum humiditatis. siquidem aqua calida, maiore afficit calore manum tangentis quam flamma, tametsi minus sit calida. *Ad dictum* Auer. ipsemet negat hanc consequentiam: talis effectus hoc operatur in corpore: ipse ergo est talis naturæ. Proinde, ait, Non gra-

2. de anim. 105.

duantur apud medicos res secundum suas complexiones in se; sed secundum comparationem earum ad corpus humanum. *Ad* sententiam Galeni similiter est respondendũ;

Aqua quo[illegible] tur summe humida.

dicit enim aquam esse summe humidam, ob [illegible] fectum in humectando, quem efficit aqua in rebus co[illegible]poreis: non autem propter intensiorem gradum. *Ad* [illegible] confirm. negatur assumptum; quamuis enim hu[illegible]ditas hyemis sit humidior extensiue, quia plures pluuiæ in [illegible] cõtingunt; non tamen intensiue: neque in aqua [illegible] in hyeme maiorem experimur humiditatem, quam [illegible] a, quæ ex aere labitur in vere. *Ad aliam* confirm. quod aer exsiccat,

Ver humidum.

in causa est stellarum qualitas; qua aer affectus, corpora nostra afficit, & disponit. *Ad* 2. Humiditas ab aqua non separa-

2\. tur, propter fortiorem humiditatis resistentiam existentem

Humiditas in aere secundum essentiam.

in corpore denso: ab aere vero faciliter propter debilem siccitatis actiuitatem existentem in corpore humido: vnde humiditas secundum essentiam est in aere: secundum autem apparentiam est in aqua, quia nimirum sensui euidentior est aquæ humiditas: proinde in animalibus humiditas aerea est conuenientius pabulum caloris naturalis, quam aquæ humiditas. Itaque, humidum aeris dicatur formale, aquæ vero materiale. siue aeri subtile, aquæ autem grossum. quod quidem intelligendum est ex parte subiectorum; vt inter illas humiditates sit accidentalis distinctio, non autem essentialis inter illas qualitates. *Ad* 3. cum aer sit substantiæ

3\. subtilis, debilis est ad resistendum: ad recipiendum vero facilis: ideoque negatur conseq. Etenim facilis passio à frigido, aliquando fit à frigido; nonnunquam à frigiditate rei naturalis: interdum à raritate porositatum corporis: sæpe à subtilitate substantiæ, sicut est in proposito. Quare, etsi calefactio sit aeri naturalis; frigefactio nihilominus est contra illius naturam. *Ad confirm.* Aeris indifferentia sumi potest ab

Aeris grauitas & leuitas.

eo, quod sibi naturaliter determinat: & tunc negatur assumptum; propterea quod caliditatem sibi determinet: aut certe sumi potest a modo substantiæ facile passibili & tunc neganda est consequentia, licet antecedens concedatur: sed de his hactenus. Deinceps loquemur de aeris grauitate & leuitate. Philosophus 4. *cæli com.* 30. Sua, inquit, in regione omnia grauitatem habent præter ignem: etiam aer: signum autem est, quoniam plus trahit inflatus vtre vacuo. Commentator 4. *cæli com* 30 *&* 39. Elementa media proprijs in

Rationes. 1.

locis, licet sint grauia & leuia; magis tamen grauia; aer enim descendit à regione ignis: à terræ vero & aquæ regione ascendit: est ergo grauis & leuis in loco suo medio. Item, sagitta propulsa mouetur sursum, & deorsum in aeris loco: Aer ergo & sursum trahit, & deorsum impellit: igitur gra-

2\. uitatẽ habet & leuitatẽ. Amplius, detur lignũ, cuius elemẽta sint æqua, aere duntaxat excepto, elemẽtis in plũbo existẽtibus; addatur deinde ligno magna aeris pars, cæteris paribus existentibus, proculdubio lignũ citius plumbo descendet, idque ob aeris grauitatem. Patet hoc etiam in vtre vacuo &

3\.

4\. pleno: nam plenus magis trahit. Adde, quod aere subterposita remota descendit naturaliter: superposita vero ablata, præter naturam ascendit: plus ergo habet grauitatis, quã

5\. leuitatis. Insuper, pars leuissima animalis, vtpote spiritus, est grauis non quidem ratione terræ, quia omni ex parte est aereus: ergo quod prius. Annotat Auer. duos Themistij

Themistij rationes.

errores, quorum vnus erat: media elementa non facilius ascendere, quam descendere, sed pari facilitate ad illud se habere: alter vero, quod elementa media, in suis proprijs locis non sint grauia, neque leuia. Si, inquit, sunt grauia; tũc in eorum locis violenter quiescerent; omne enim graue, deorsum naturaliter descendit. Fauet huic sententiæ textus: Cum igitur, inquit, fiat ex aqua aer, & omnino ex graui le-

1\. ue, eo ipso sursum venit, & non vlterius fit: sed illic est. Quare aer cum ponitur in regione aquæ, vel terræ, mox leuis efficitur: cum autem in proprio loco collocatur, mox stat, & nullo modo mouetur. Adde, quod tunc solus ignis in suo

2\. loco naturaliter consisteret. Signum quoque positum de vtre, nihil valet: quandoquidem vter grauis sit, ob suæ pellis grauitatem, aut propter aeris condensationem descendat. In soluendis Themistij rationibus, Auerroes duplici vtitur distinctione: nempe, grauitatem vno modo posse accipi pro qualitate; qua illa elementa grauia, & leuia esse dicuntur: alio vero modo pro dispositione, quatenus sunt deor-

Grauitas pro facilitate descẽdendi.

sum potius quam sursum: non quidem simpliciter, sed propinquorum elementorum remotione facta, atque ita grauis est facilitas descendẽdi, sic enim spiritus animales, cũ sint aerei, facilius descendunt, quam ascendunt; hæc siquidem

De Aere. dem pulsa mouantur. Deniq; cum aer sit magis humidus quam calidus: est ergo magis grauis quam leuis. Posset aliquis huiusmodi sententias sic ad inuicem conciliare, distinctione prius posita: scilicet, vt grauitas accipiatur pro qualitate, qua aliquid dicitur formaliter graue: & pro actu secundo, quo graue dicitur actu moueri deorsum: sic viuere ... pro esse, & pro operari. Tunc dici potest, elementa media in suis sphæris esse leuia formaliter atque grauia, actu vtiq; primo, non autem actu secundo, de quo Themistij rationes loqui videntur. Auer. 3. cæli com. 39. Grauitas, inquit, mediorum elementorum suis in locis, est maior leuitate eorum. Patet à signo: quia in alio vociferans, aut sonans, longiua auditur, quam si in imo loco id faceret. Quam ob caussam, in sublimibus locis, huiusmodi instrumenta collocantur, in quibus aer est subtilior, & à vaporibus magis liber, ideoque magis mobilis. Aer ergo secundum mentem philosophi, & Auerrois, est magis grauis, quam leuis.

(margin: ...naliter leuia & grauia.)

Argumenta. 1. *Sed aliquis* posset *contra* sic arguere: Si elementa haberent grauitatem & leuitatem, duas vtique haberent formas substantiales, nempe grauitatem & leuitatem, quæ profecto elementis propter illorum simplicitatem tribui non possunt. Quare, aut ambæ elementis non insunt, aut certe non sunt formæ elementorum substantiales.

2. Item, si aer plus habet grauitatis quam leuitatis: magis ergo descendit quam ascendit; graue enim natura descendit. Atqui aeris proprium est ascendere: non est ergo natura grauis: nam in aliquo loco habentia grauitatem, ibi violenter quiescunt: in sua ergo regione aer violenter quiesceret (ad omne violentum non est perpetuum: aer ergo non esset perpetuus: atque ita vniuersi ordo destrueretur. Adde, quod si grauitas & leuitas sint substantiæ; vnde profluunt ex primis qualitatibus? Item, aqua facilius ascendit quam aer descendit: non ergo

3. aer est magis grauis quam leuis; alioqui citius descenderet, quam aqua ascenderet: aqua namque ingrediens salem super aquæ superficiem pulsam, sursum erigit: aer vero in ea inclusus, non descendit: sicut dicit Commentator. ergo

4. Cal. 39. 4. Cal. 27. Solu. arg. 1. quod prius *Resp.* ad primum, grauitatem & leuitatem in medijs elementis inueniri secundum quid, non autem simpliciter. Simpliciter, inquit, neutrum horum graue aut leue; sed per comparationem: atque in forma substantiali aeris, est plus grauitas quam leuitas. Dices: Igitur forma substantialis aeris inclinat deorsum secundum quid, in quam etiam aqua inclinat. Dico: Aeris conditionem, siue naturam aquæ, conditioni comparatam, plus leuitatis habere: ad sæ vero, plus grauitatis; pari namq; impulsu aeri illato ad sursum, atque deorsum; deorsum facilius mouebitur; 4. *cæli com. 29. & 39.* Quam ob caussam, ait ibi Commentator, aeris impulsi motum sursum, violento proximiorem esse.

Grauitas comparatiua. 2. *Ad 2.* Quamuis aer ratione motus magis ascendat; maiorem tamen habet facilitatem descendendi, quia grauior, quam leuior. *Ad confirm.* quæ sunt grauia, ac etiam, vt ita dicam, grauitantia, veluti terra in aere; in ibi violenter locate consistunt. At quæ sunt grauia, non autem grauitantia, sicut est aer in sua sphæra; nequaquam violanter in sua regione detinatur, tametsi facile deorsum impelli possunt. *Ad aliam confir.* forma substantialis elementi, vt dicitur 4. *cæli com.* 40. primis ex qualitatibus caussalitatem habet: & locus est caussa elementorum. Causa, inquit Auer. motus ad superius & ad inferius, est forma corporis: & caussa formæ est locus: & caussa loci, est corpus sphæricum. Itaque differentiæ substantiarum, sunt accidentis. neque id erit absurdum; quandoquidem elementa esse diminutum habeant. In animalium autem formis, accidentia caussata sunt, & non caussa, Huiusmodi autem accidentales differentias aliæ substantiales differentiæ præcedunt: quę ab earum formis substantialibus sumuntur.

Aer est grauis non grauitas.

3. *Ad 3.* aer aclafactus, ait Alexander, ex contactu aquæ frigidæ frigescit, atque ita condensatur: & sic minorem occupat locum: vnde & aqua ipsum insequitur ad vacuum extrudendum. Sed ab Auerroe pro caussa secunda accipitur: nam prima apud eum, est aer calefactus naturaliter, & quodammodo ignitus, qui naturaliter ascendit, locum quo ascendendi aquæ relinquit. Quomodo ergo aer sit magis grauis, quam leuis, dixi.

CAP. II.

De Cometis.

Cometa quid. Dilucidatis aeris proprietatibus, eiusq; loci adistinctis; loquamur deinceps de his, quæ fiunt in prima eius parte: & in primis de Cometis, qui crinitæ stellæ appellantur. Vnde Lucanus.

lib. 1. *Ignota obscura viderunt sydera nocte, Ardentemq; polum flammæ caloque volantes. Obliquas per inane faces, crinemq; timendi: Syderis & terris mutantem regna Cometem.* De caussa huius, non paruæ fuit inter antiquos controuersia. Nam quidem dixerunt, nempe Anaxagoras & Democritus, Cometam, cælestem habere materiam, quia nimirum acie oculorum vtriusque interuallũ percipere nequiuere. Anaxagoras, inquit philosophus, primo metheororũ, & Democritus, aiunt esse Cometas Symphasim errantium stellarum; quum propterea, quia prope veniunt, putantur se inuicem tangere. Alij, id est, Itali, siue Pythagorici dixerunt esse stellam erratam cum cauda, siue coma: quam sententiam secutus est Seneca, asserens Cometam esse stellam motu, & lumine ab alijs distinctam. Alij vero Cometam esse ratum mixtam, ex parte quidam cælesti, & ex parte elementaria. pars quidem cælestis, est stella, quæ à regione humorem attrahit. elementaris vero humor sursum attractus. Huius autem sententiæ fuere, qui sub Hippocrate Chio, & discipulo ipsius Æschylo extiterunt. Verum omnibus his, inquit philosophus, accidit dicere impossibilia. Primo quidam igitur dicentibus, quod Cometa sit vnus ex numero planetarum, nam multi visi sunt extra circulum zodiacum: deinde & plures ex vno facti sunt sæpe.

(right margin: De Cometis. Causa cometis. Anaxagoras. Democritus. Itali. Seneca. Hippocrates. Aristoteles.)

1. Primam rationem contra primam opinionem, secundam vero contra secundam, Auerroes affirmat esse directam.

2. 3. Arguit postea contra Æschylum & Hippocratem: Adhuc, inquit, etsi propter refractionem comam habent, sicut aiũt AEschylus & Hippocrates, oporteret apparere aliquando sine coma, quia moueri potest extra solem: non solum septentrionem versus, vbi dicunt comam habere; sed ad alia quoq; loca: atque ita aliquando visa fuisset in alijs locis sine come. Ex eo enim quis est erratica, & à sole deficere potest in multa loca; contingere potest, vt interdum sine coma conspiciatur, præsertim secundum illorum sententiam, qui aiunt, non nisi in septentrione comam habere posse. Aiebat namq; Hippocrates & AEschylus Cometem fieri non posse, nisi in septentrione, extra tropicum cancri, & sola duntaxat decurrentes inter arietem & cancrum, quasi prope cancrũ. Contra Hippocratem. At ergo philosophus Cometem fieri posse extra septentrionem, & sole existente prope capricornum: etenim magnus Cometes factus est, paruam ante terræ motum, qui fuit in Achaia, quo multæ vrbes corruerunt: parum ante inundationem loci eiusdem. Ortus autem fuit in æquinoctiali versus austrum, ibique longo tempore fulsit. Cometes Achaia. Athenis autem Archonte Eucle Molonis filio, in regione Aquilonari Cometes ortus est mense Ianuario, cum sol in brumæ solstitio esset. Cometes Athenis. Asserit deinde philosophus hypeceume facile quidam inflammabile, non autem cito extinguibile, Cometis materiam esse; est enim multum, & densum, ac debita proportio agentis ad ipsum. Denique continue exhalatio priori deperditæ succedit. Materia cometis. Hanc autem philosophi sententiam posteriores secuti sunt omnes: nempe Alexander, Auicenne, Auer. Algazeles, Albumasar, Ptolemæus. Hæc de materia Cometis. Agens. De agente autem dicit idem philosophus, esse aliquod igneum, cui obiter occurrit exhalatio: mouens vero exhalationem, esse calorem solis; Sole nemque terram calefaciente, exhalatio eleuatur: quæ obuiam veniens alicui igneo, mox accenditur, fitque Cometes. Addit Albumasar in libro de magnis coniunctionibus, Martẽ, non quidem simpliciter, sed illis annis dominãtem, in quibus trium sunt superiorum coniunctiones. Albumasar. Præterea, si in aliquo anno quapiam fuerit superiorum coniunctio planetarum, & Mars eius anni Dominus; eodem quoque anno Sol & Mars exhalationes afferent, ex quibus Cometes exurgat. Regnante Marte fit cometes. Adde, quod si superiorum coniunctio nulla extiterit; Marte nihilominus dominante, cometes videbitur; si aut per corpus, aut per radios in aereis seu terreis signis fuerit, luna vero in aereo constituta: potissimum vero id fiet, si eius erit Mars Dominus signi, quod Iupiter tenet in anni principio. In libro vero de floribus: Fit, inquit, Cometes, quoties in annuis reuolutionibus, aut coniunctus, aut oppositus est Saturno: potissimum, si cauda draconis Saturnum hostiliter pulset, vel Saturno fuerit coniuncta. Hæc ab illo de caussa particulari dicta sunt. Ptolemæus in lib. apotelesmatum, à luminariũ ecclypsibus proficisci arbitratus est: præsertim si Mars aut Mercurius ecclyptici signi dominator fuerit. Ptolem. Hæc de agente Cometis. Forma autem substantialis ipsius, est forma ignis; aut secundum alteram opinionem, est forma terræ; per hanc enim reponitur in prædicamento substantiæ, & in aliqua specie eiusdem prædicamenti. Forma cometis. Si vero est accidentalis; sic à Plinio, & ab Astronomis plurimæ numerantur: Aristoteles aut à figura recta, aut à figura circulari numerauit; nempe à rotunditate comæ vel à longitudine exhalationis. Porro, finis Cometis est duplex, generationis scilicet, & genitι: generationis quidem, est substantialis forma Cometis, qua in specie Cometis collocatur: rei Finis cometis.

De Cometis. vero genitæ finis, est expurgatio terræ, decus vniuersi vel salus hominum, secundum aliquorum sententiam; vt scilicet homines illo signo admoniti, causant sibi à malis operibus. sed præcipuus finis Deo notus est, cuius nutu, huiusmodi Cometæ, & aeris accensiones solent aliquando contingere. *Generatio cometis.* De generatione Cometis dicendum nobis est, vnde, & quomodo fiat: pro cuius rei declaratione scire nos oportet, ignitas impressiones per exhalationis impressiones generari: quarū aliqua traiecta appellatur, aliqua vero exusta. *Stella cadens.* Traiecta quidē generatur stella cadens: cum .n. ad mediā aeris regionē peruenerit, ab illius pulsa frigiditate, traiicitur atq; ita generatur. Verum ex exusta exhalatione, impressio ignea fit, & quidem duplex: altera quidē successiua, nēpe cuius pars prime inflāmata, & extincta: secunda deinde inflāmeta, & similiter extincta: tertia similiter se habebit, & sic consequenter, quousq; tota penitus exusta sit: & quæ huiusmodi sunt, *Stellæ volantes.* stellæ volantes appellantur. Altera vero perduret: prima nanq; illius pars accensa non extinguitur, parte secunda accensa; sed ad finem vsque perseuerat exustionis: & talis vocatur Cometes. *Differētia generales cometis.* Cæterum, differentiæ generales Cometis plurimæ numerantur: quarum prima est, quod aliqui Cometæ parui, aliqui vero magni sæpe visi sont.

1. Deinde differont figuris; nam alij recti, alij vero circulares apparent.
2. Colore præterea dissentiunt, quippe qui & rubei videntur, & squalidi.
3. Item, alij sublimiores, alij vero inferiores,
4. & in septentrione, & in austro.
5. Præterea, alij per se, alij in stellarum frontispicijs.
6. Sexto, alij in autumno, alij in vere, bis enim temporibus calor sofficit ad exhalationem eleuandam: æstate vero minime, propterea quod maior est resolutio, quam exhalationis generatio: hyeme propter caloris debilitatem, generari non potest.

Tempus durationis. Ptolemæus ait, interdum apparere ecclypsis tempore: septem continuos dies perseuerat: aliquando octuaginta, teste Plinio: alij sex mensibus, minimum spatium, circiter horam. Denique, aliqui eodem modo semper se habent: alij vero in continua sunt mutatione. *Locus cometis.* Locus autem Cometis est duplex: vnus physicus, alter astronomicus: *Locus physicus.* physicus vero est vltima superficies corporis continentis: atque ita physice loquendo voluit philosophus aliquam Cometen prope cęlum collocari, propter alicuius syderis attractiuam virtutē: aliquem vero in inferiori parte regionis aereæ. *Locus Astronomicus.* Locus vero astronomicus, alius est verus, alius apparens, verus autem est, linea exiens à centro terræ, transiens per centrum Cometis, quæ terminatur ad aliquod punctum primi mobilis. apparens autem, est linea exiens ab oculo, transiens per cētrum cometis: terminaturque ad aliquod punctum in primo mobili: vel est punctum terminans. *Motus cometis.* Motus quoq; cometis est ab ortu ad occasum: & ab occasu ad ortum. & quidem celerior motu alicuius planetæ eodem modo se mouentis. Eo namq; anno, quo Carolus Gallorum rex Siciliam ingressus est, Cometes inclinante se iam die, in occasu apparuit: non multis post diebus in ortu, antequam sol exurgeret, visus est. Mouetur præterea à septentrione in austrum secundum latitudinem, extra, & intra tropicos, saltem secundum locum apparentem. Sic apparuit anno 1506. 3. Aug. Insuper mouatur sursum: aliquando deorsum: & è contra: Multis ergo motibus mouatur. *Causa motus.* Causa vero motus, quo mouetur ab ortu ad occasum, est aer, cui insidet Cometes: qui quidem aer, mouetur ad motum primi mobilis. Habet etiam motum ex cælesti virtute, sub qua oritur; vnumquodque enim nascitur sub cælo, suaq; cælesti dote donatur: proinde cometes ex sua genitura sic disponitur; vt huiusmodi motibus moueatur. Itaq; Cometes quatenus est quoddam mixtū, mouetur ab elemento prædominante; quatenus vero cælesti virtute donatur, ad influxum illius naturaliter mouetur. *Significatio cometis.* De significatione Cometis, varia est apud antiquos de hoc negotio sententia: de qua disputare non intendo, cum multa dicantur, à quibus fides Catholica maxime abhorret: communiter autem aiunt prætendere *Siccitates.* siccitates, terræ motus, ventorum afflatus, bella, principum mortes, sectarum euentus, sterilitatem, penuriam, famem: de quibus nonnulla exempla poni possunt. Anno 1472. in Germania Cometes apparuit in opposito libræ habens caudam graduum fere 30. ad occidentem directam; paucis post diebus stetit in ariete, mutauitq; caudam ad orientem prope Pleiades. Quem quidem secutæ sunt epidemiæ magnæ, æstas feruentissime, ingentia sicenas, & quibusdam in regionibus ignis è terra erupit. Anno 114. Comete facto, in Galatia tres vrbes corruerunt: similiter in oriente, multæ vrbes horribili terræ motu perierunt. *Terræ motus.* Eodem quoq; modo 377. post Cometen factus est terræ motus quasi per totum orbem: quo mare suum locum egressum est: & multarum insularum vrbes corruerunt. Cometes quoq; significat maximos ventorum flatus, teste philosopho. *Ventorum flatus.* ventos vero huiusmodi comitantur marium inundationes, regiones operientes: casus magnorum lapidum de cælo: arborum atq; vrbium ruinæ. *Bella.* Dicunt quoq; Cometen protendere bella, tyrānides, nouos ritus, discordias, vltiones, prædas, furta, vindictas, pireticas rapinas, mutationes regnorū, incendia, rebelliones, & quæ sunt generis eiusdem. Anno 448. Comete assiduo micente, Attila primus Gothorum Imperator, magnam Italiæ, & reliqui orbis partem deuastauit. *Valentinianus.* Anno ab hoc Comete tertio, Valentiniano Imperatore a suis Romæ interfecto, Maximus imperium inuadens, occupauit. *Gothi.* Anno à Comete sexto, Gothi ingenti exercitu Hispaniam inuadūt; & anno 7. Seuerus, anno quatuor Rauennæ tyrannidem vsurpauit. Anno 722. duobus Cometis apparentibus, non multo post tempore Leoprandus Longobardorum rex Romam obsidet. *Longobardi.* Sarraceni præterea in Hispaniam nauigant, eiusq; prouinciæ partem occupant. *Sarraceni.* Anno Millesimo, viso Comete, Otho Imperator *Otho Imp.* cum Gescente Patricio, qui Romæ principatum occuparat, conflixit, eumq; occidit. *Henricus.* Anno quarto à Comete, Henricus *Arduinus.* cum Arduino, imperium occupante, acerrime pugnans, vicit. Anno 1097. apparente Comete in occidente, non multo post tempore Gothfridus Ierosolymam cepit. Dicūt quoque nonnulli, mortes principum per Cometen demonstrari. Anno 1264. pluribus diebus Comete apparente, die quo extinctus est, Vrbanus obijt. *Mortes principū.* 589. cum per mensem apparuisset, Patricius Hexarchus moritur, & cum pluses alij principes. *Vrbanus Papa.* Anno 814. horribili Comete viso, eodem anno Romæ Imperator obijt. Anno 384. apparente Comete, Constantinus moritur. *Constantinus.* Affirmant etiam nouæ doctrinæ euentus ostendi: tribus Cometis Neronis tempore apparentibus Romæ, tunc ibidem Petrus & Paulus euangelizabant. *Sectarum euentus.* 589. eum per mensem Cometes visus: & anno ab illo quarto Mahumetus in Arabia nascitur. Anno sexto à Comete, Britannia ad Christi fidem conuertitur. 1097. in occidente Comete apparente, Cistercienfis religio exoritur: primumque eius Cœnobium fundatur. Cæterum, an stellæ vim aliquam habeant in actus humanos, in quarto libro diffuse ostendi. De causa autem significationis sic loquuntur Peripathetici. *Causa significationis.* Ex Cometis impressione aerem affici, ex quo sic affecto illa generantur, nempe spiritus calidiores, adusti, cholerici, & ad mala procliues. Est præterea signum multarum exhalationum, quarum quædam intra terræ viscera conduntur, ex quibus terræ motus oritur: aliæ vero in infera aeris regione, quasi à media repulsæ, in ventus commeant. Cometes præterea cum Martis & Mercurij nuntius sit, ea prætendit, ait Ptolemæus, quæ ad Martem & Mercurium spectāt. *Colores cometis.* Porro, aiunt Astrologi, quod si Cometes sit versicolor, Cometis dominator sit Mercurius, eiusq; prætendit effectus: si roseus, Venus: si igneus, Mars. si aureus, Iupiter: si niger aut plūbeus, Saturnus: & sic per singulos distributus Planetarum colores, atq; distinctus, singulos prænuntiat cuiusque Planetæ effectus. *Locus cometis.* De loco vero Cometis sic aiunt, in ea terræ regione effectus prætendere, ad quam caudæ apex Cometis dirigitur: Quia ignea, inquiunt, semper ad locum suæ minaræ prospectant. In vniuersum autem in ea suos prætendunt regione effectus, in que quidem videntur. *Tempus cometis.* Quod si tempora matutino appareat; citius exurget, quod demonstrant: si in ortu, primis quatuor mensibus: sin autem aduesperascente die, tardius. Hæc de Cometis. De lacteo autem circulo locutus sum lib. 4. propterea supersedeo labori.

CAP. III.

De rore, & pruina.

Ros. POst hec dicendum nobis erit de aquearum impressionum virtute: quæ quidem secundum essentiam per se eiusdem sunt speciei. Differunt vero per accidens: & inprimis de rore, quæ est tenuissima impressio; est enim humor, qui sereno tempore cælo fluit, serena nocte, non gelu, neque ardoribus, neque ventis flantibus. *Aristot.* Aristoteles primo Metheororum dixit fieri ex vaporatione modica; quum pluuia ex largo vapore progeneretur. *Apuleius.* Apuleius libro de mundo: Ros nocturnus humor, quem serenitatis tenuitas spargit. *1. Georg.* Virg. *Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.* Gignitur itaque ex vapore debiliter calido, grosso, & humido, in infima aeris parte, per frigus nocturnum condensato, & in aquam resoluto. Cadit autem frequentius circa crepusculum. tunc enim aeris infima regio est frigidior. Cum autem vapor de humido aereo, quod viscosum est & dulce, multum habuerit, & in rorem resolutus, herbis adhæserit, adueniente solis calore, decoquitur

De Rore, & pruina.

Manna.

Ros vapor subtilior.

quitur; aquositateque consumpta ad modum albæ farinæ, aut sacchari in folijs relinquitur, & Manna dici solet. Ex tali autem rore epar opilatur: & sic oues rorem pascentes, moriuntur. Quod vero ros sit vapor cæteris subtilior, rarior, & minor; vel ex hoc maxime patet, quod celerius à sole resoluitur, & consumitur. Arist. 1. *Meteor.* Quantum vero de die ex eo euaporat, si non sublatum fuerit ad eam, quæ eleuatur à suam, propter paucitatem ignis, id est, calidi sursum ducentis. & iterum deorsum latum, cum infrigidiatum fuerit nocte vocatur ros & pruina. Est autem ros, inquit Auer. subtilis pluuia, irrigans herbam, & non mollificans terram, à leui caliditate exsiccabilis: pruina vero subtilis, & pauca nix, admodum farinæ herbam albificans, quæ à paruo solis aspectu eliquescit.

Pruina.

Efficiens ergo roris & pruinæ, iuxta Arist. Auer. Alexandri sententiam, est calidum, diurnum, in ipso causatum à solis motu diurno, ab ortu in occasum; sol enim ab ortu in occasum decorrens, de die vapores eleuat, atque sursum attrahit. Est etiam frigidum nocturnum: sole namque decurrente sub terra ab occasu in ortum, vapores eleuati, ob noctis frigidum constipantur; atque in aquam roridam, seu pruinam conuertuntur. Causa ergo efficiens, est calidum diurnum eleuans, & nocturnum frigidum inspissans: causa vero materialis, est communis vapor à calido diurno eleuatus, habens parum caloris, modu generationis, vt dixi, est vapor debilis de die eleuatus, & frigiditate noctis affectus, mox descendens per modum roris, siue pruinæ.

Causa efficiens rorum, & materialis.

Ros siquidem fit, ait Philos. 1. *Meth.* cum concretus fuerit in aquam vapor: & nec sic fuerit æstus propterea, quod aut locus calidior, aut hora sit, vt exsiccetur sursum ductus, neque sic frigus, vt ipse vapor congeletur; fit enim ros in temperie, & in locis temperatis; pruina vero è contrario.

Quando fit ros.

Sane, licet aqua, quoad dispositionem, media sit inter vaporem, & pruinam; non transit tamen vapor prius in pruinam, quam fuerit conuersus in aquam sensibilem. Itaque, congelabila est vapor, & aqua secundum substantiam, non tamen aqua sensibilis: ideoque in aquam verti potest sensibilem post congelationem sui. Palam est ergo, quod vapor, ait Philosophus, fit calidior aqua; habet enim eleuantem adhuc ignem. quare amplioris frigiditatis est ipsum congelare, etenim vapor dum eleuatur, habet exhalationem sibi commistam, & radiorum reflexione exsiccatur; ideoque est calidior aqua, à qua fit, siue eleuatur: quam ob causam pro congelatione vaporis in pruinam, plus frigiditatis adesse necesse est, quam si in rorem conuerti deberet.

Tempore tranquillo.

Fiunt autem ambo & serenitate, & tranquillitate; non enim eleuabuntur, non existente serenitate. neque vtique constare poterunt vento flante. In causa autem est, quod quando non est tempus quietum, vapores roridi non eleuantur, sed crassiores potius, & calidiores, atque pluuiosi: vento autem flante, roridi vapores conflari non possunt. signum autem est, quod fiant hæc, quia non longe suspenditur vapor; nam in montibus non fit pruina.

In montibus non fit pruina.

Causa autem vna est quidem hæc; quia sursum ducitur ex concauis, & humidis locis. Quare, caliditas sursum ducens onus maius suis viribus; non potest ipsum eleuare ad magnæ altitudinis locum; sed prope dimittit iterum. Adde, quod aer existens in alis, dissoluit consistentiam. Loquitur Philosophus de montibus, quorum summitates proximæ sunt secundæ regioni aeris, in quibus hæc minime fiunt: tum quia vapores eo loci minime ascendunt: tum etiam propter ventorum flatum, qui inibi quodammodo perpetuo viget.

Flante austro fit ros.

Fit autem ros vbique flante Austro, non Borea: præterquam in Ponto, vbi flante Borea fit: Austro vero spirante, minime. Similiter temperie quidem fit, hyeme autem non fiet. Auster autem temperiem facit: Boreas vero hyemem, quæ exhalationis extinguit caliditatem. Pro Austro autem accepit auram mitem, & quietam, à meridie venientem; quæ quietis & placatis spirat temporibus. In Ponto autem Auster non sic facit temperiem, vt fiat vapor; quia nimirum inibi non est temperatus: Boreas vero propter frigiditatem, calidum congregat, quare multo plus euaporat: frigiditate autem noctis superueniente, quod euaporauit, in rorem transit.

Quando fit ros in Ponto.

Euaporant putei Boreales.

Simile quiddam videre est in puteis, alijs in regionibus existentibus, qui in Borealibus euaporant: nam Borea frigido puteum circumcingente, calidum putei congregatur; quod agens in aquam effumare eam facit. Verum, Borealia per se extinguunt caliditatem, antequam constet aliqua vaporum multitudo, licet per accidens aliquibus in locis contrarium contingat. In Australibus autem congregatur vaporosa exhalatio, ob quietam atque temperatam aurã spirantem, & huic rei fauentem. Causa materialis, ex qua pruina conficitur, est vapor tenuis; crassior tamen vapore, quo ros constare dicitur.

Pruinæ generatio.

Fit autem ille vapor à calido solis, & stellarũ, de die huiusmodi vaporẽ eleuante, atque sursum agente. Generatur deinde à frigido intensiori, frigidiori roris, quod quidẽ vaporem cogit eleuatum, eumque in pruinam conuertit. Sane, frigus in generatione pruinæ vaporem calidũ, nõ modo in aquã resoluit, vti fit in generatione roris; verũ etiã resolutum congelat.

Causa efficiens.

Pruina, à perurendo dicta, quod fruges, & virgulta perurat. Ex rore gelido nascitur: nec fit nisi immoto aere, & sereno. Cic. 1. de nat. deorum. Pars obriguerit niue, pruinaue longinquo solis abscessu.

Tempus.

Fit autem pruina tempore veris, & autumni, de nocte & die: modo assint, quæ ad illius generationem spectant. Generatur in infima aeris regione, vt volunt Arist. Auer. & Alexander. Quod vero non fiat in media aeris parte, vel ex hoc potest esse manifestum, quod in altis locis minime inuenitur, nisi vbi sunt aquæ, è quibus in die possint eleuari vapores. Quare, etsi in aliqua mediæ regionis parte, conueniens frigiditas inueniretur, ad pruinam conflandam; vapor nihilominus pruinosus, priusquam locum illum conscenderet, à noctis frigido condensatus, in pruinam verteretur. Itaque, tenuis vapor immediate ab excessiua noctis frigiditate spissatus, in pruinam transit.

Locus.

Sed dices: Inspissatio est passio aquæ. Negatur, potest enim vapor immediate inspissari, conuertique in nubem, vel in niuem, aut in pruinam, & nequaquam prius in aquam: non potest tamen congelari, nisi fuerit actu aqua.

Inspissatio.

Congelatio.

Cæterum, licet pruina sit exsiccata, semper nihilominus habet partem vnctosam, atque viscosam: ideoque descendens adhæret folijs, & pilis barbæ, & similibus. Quamobrem, pruina triduo apparente, pluuiam futuram prænũtiat; indicat enim vapores maiores fieri, ex quibus mox pluuia sit secutura. Tempore veris apparens, arbores pullulantes exurit, propter quod ex pestilentibus aquis vapores illi coacti sunt; ideoque perdunt erumpentes arborum gemmas. Hæc de rore, & pruina dixisse sufficiant.

Exurit arbores.

CAP. IV.

De nubibus.

NVbes fiunt ex crassiori vapore, quam ros & pruina: non tamen ita crasso, vt fit aqua; maiori enim opus habet frigiditate, si in pluuiam sit conuertenda: siquidem maior spissitudo, est maioris frigidi effectus. Causa vero agens disponens, est calidum solis, & stellarum eleuans vapores. Agens vero generans, est frigidum intensum, quod occurrens vapori à caligine eleuato, illum vtique maiori condensatione inspissat, quam sit pruina.

Causa materialis.

Agens disponens.

Agens generans.

Fit autem sub loco mediæ regionis, parum infra locum, in quo fit pluuia: ideoque non statim in pluuiam conuertitur. Vel dici potest, eundem locum pluuiæ possidere; non tamen cito pluuiam fieri; quia non tam cito eius calidum extinguitur.

Locus.

Nubes, licet sint rore grauiores; non tamen descendunt, propter calidum annexum, quod congelationi maiori repugnat. Accedente postmodum maiori frigido, & ipsius calido deficiente, in pluuiam conuertitur, & ita ad terras dilabitur.

Quando non descendit.

Cæterum, etsi nubes pluuiam præcedant, contingit nihilominus interdum, sine aliqua nube præcedente, pluuiam fieri; contingit namque tempore æstiuo aerem condensari à frigido, vel ab aliquo influxu frigido, & sic pluuiam descendere.

Celerius autem fiunt tempore æstiuo, quam hyemali; quia materia vaporosa sursum petens, ob magnam infimæ regionis caliditatem, quæ vndique illam circumstat, per antiperistasim celeriter inspissatur: quia vero in hyeme minor antiperistasis fit; hac de causa materia tardius congregatur.

Celerius fiunt æstate.

De nubium autem significatione sic aliqui loqui soliti sunt: Nubes rubræ, inquiunt, circa occasum, ventos prætendunt, atque serenitatem; nuntiant enim vaporem illum à solis calore aduri posse, ac sic tandem in ventum resolui.

Prognostica.

Nubes rubra.

Præterea, nubes septentrionales sunt serenitatis nunciæ, maxime hyeme; significant enim materiam paulatim resolui, & procul à nobis pelli. Similiter concauæ nubes.

Nubes septentrionales concauæ.

Nubes autem nigræ, pluuiam protendunt, maxime, quæ veniunt à meridie, vtpote à loco humido.

Nubes nigra.

Nubes vero, vt vellera sparsæ, & plurimæ in ortu, aquam in triduo; aquosæ sunt enim.

Nubes sparsa.

Præterea, nubes, quibus altissimorum montium cacumina teguntur, quia crassorum copiam vaporum significant, qui nequaquam à solis calore decoqui possunt, hac ratione, & ipsæ quoque futuræ pluuiæ indicium ostendunt. Quid ergo sit agens, locus, tempus, & natura nubium, breuiter dixi.

De pluuia.

CAP. V.

De pluuia.

Materia pluuiæ. De pluuiæ materia sic inuenimus probatos locutos fuisse Philosophos, nempe aerem, vaporem, nubem pluuiæ materiam esse, aut esse posse: à quolibet enim istorum pluuia fieri potest. Ex aere quidem sine vapore fieri potest aqua; quodlibet namque elementum (vt paulo ante dictum est) immediate in aliud elementum verti potest. Ex vaporibus, qui maxime accedũt ad aquæ naturam: ex nubibus, vt communis est omnium sententia. Porro, materia nubis est minus crassa, quam sit materia niuis, & grandinis. grando enim & nix, fiunt à materia terrestri magis: & opus est illis intensiori frigido, quã pluuiæ. Adde, quod citius pluuia, quam nix & grando dissoluitur: hæc de pluuiæ materia. *Agens disponens. Agens generans.* De agente vero disponente, sic loquimur: Si per vaporum eleuationem à corporibus humidis pluuia fiat, agens disponens, est calidum cæleste, vapores ad mediam eleuans aeris regionem. Quod si sit agens generans; tunc proculdubio erit frigidum mediæ regionis aeris, à quo materia iam adducta, condensatur atque inspissatur: Quando vero pluuia fit sine vaporum eleuatione, vtpote per aeris ingrossationem; tunc mediæ regionis frigiditas est agens disponens, & generans, infrigidans enim aerem, in vaporem conuertit: & maiori frigiditate accedente, tandem in pluuiam resoluit. *Locus generationis pluuiæ.* Eo autem in loco fit pluuia, vbi nubes fiunt: nam quia in loco effectus fieri debet, in quo est eius materia præsens. Pluuiæ præterea non fiunt in montibus sublimibus, quia nec etiam nubes eo ascendũt. Omni præterea tempore pluuia fieri potest; quoniam omni tempore vapores à calido cælesti ad mediam aeris regionem eleuari possunt maxime autem circa finem autumni, *Tempus pluuiæ.* & principium veris, quandoquidem tunc temporis vapores plures fiunt; calidum siquidem potens est in eleuando, non autem in consumendo: & plures in hyeme, quam in æstate; calor namque æstiuus eleuat, & consumit: in hyeme *Vbi pluat.* autem minime. Quamobrem, temporibus, & locis frigidissimis pluuiæ non fiunt, quia vapores non fiunt: etsi fiant in locis, & temporibus calidissimis, à calore resoluuntur. Ex quo perspicuum esse potest, quare in vna regione magis, quam in altera pluat; quia earum vna est humidior, & temperatior altera: ideoque vapores plures fiunt, ex quibus *In Ægypto sub polis nõ pluit.* pluuia conficitur. In Ægypto non pluit propter æstum: sub polis vero ob intensum frigus. Plerumque autem pluit, quã ningit, vel grãdinat; quia terra pluuia madefit, è qua sic disposita rursus vapores eleuantur, qui in pluuias conuertuntur: cum vero ros & pruina fiunt, non sic ab eis terra afficitur; verum euaporet. Interdum è cælo labitur quædam *Magna inundatio.* magna inundatio, ita; vt ex vase aqua fundi videatur: in causa autem est, quod nubes tota abscessu calidi, in aquam conmeat: proinde tota simul ruit, non absque multarum iactura atque dispendio rerum: *Membra læsa sentiunt pluuiam.* membra quoque læsa præsentiunt pluuiam; quia nostra corpora à continente aere alterantur, celerius vero membra imbecilliora, magisq; passiua. Cum vero ante pluuiam vapores moti aerem altereut; membra debilia sic ab aere affecta, aliquid patiuntur, sicque futuræ pluuiæ signum ostendunt. Aliqui anni sunt pluuiosi; *Plus in vno quam in alio anno pluit.* quia maiores in illis eleuati sunt vapores: propterea, quod frigidiores stellæ dominabantur: aliqui vero sicci, propter contrariam dispositionem in illis inuentam. Æstiuæ pluuiæ impetuosiores: quoniam tempore æstiuo aeris caliditas est maior, quæ à vehementiori nubis frigido extrusa, *Signa pluuiæ ex Sole.* maiori impetu ad terram dilabitur. Signa autem pluuiæ secuturæ, aliquando ex sole colligi possunt; nam quando sol est pallidus, aut fuscus suo in ortu; eius diei pluuiam enuntiat: si vero in occasu, noctis secuturæ. Color namque ille ex pluuialium vaporum inter nos, & solem interpositione, seu interiectu producitur, qui illis maxime temporibus soliti sunt exurgere, & in altum ferri. Sol præterea si magnus oritur, aut occidit, idem prætendit: accidit enim ei illa magnitudo propter aerem crassiorem, qui futuram pluuiam denuntiat. *Halo solis.* Halo circa solem quando diu hæret, pluuiam denotat; fit enim roridis, & pluuiosis vaporibus interpositis. *Parahelius.* Parahelius circa solem vnus, vel plures, est magnum pluuiarum signum, non enim fit, nisi ob pluuiosos vapores, in quibus solis radius relucet. *Nubes vt trabs.* Quando sol lucet in ortu, & super illum nigra, vel lõga nubes apparet instar trabis magnæ, si cito euanescat, indubia diuturnam pluuiam prætendit: in occasu vero apparens, nocturnam: sin autem diu manserit, *Iris.* terrestreitatem: atque ita erit sterilis. Iris sereno tempore apparens, aquam nuntiat: post pluuias vero serenitatem, teste Ptolemæo; habet enim aliquid calidi & frigidi pluuiosi. Quare, cum sereno tempore apparet, nuntiat futuram vaporum eleuationem, post vero pluuias apparente, signat temporis serenitatem, vtpote vaporum humiditatem à calido cælesti esse consumptam. Sol concauus, aut maculosus, vel sub nube oriens, aut occidens, est pluuiosus. Si die tertia ante coniunctionem, vel oppositionem Luna nigra visa fuerit, aut spissa; pluuiam prætendit. Plures halones circa lunam idem denuntiant. *Halo Lunæ.* Luna quarta si nigra fulserit, pluuias dicit: eius si cornua obtusa fuerint; certius [illegible] præsagit. *Luna quarta.* similiter plena luna nigra: in causa autem est vaporum pluuialium interpositio. *Stellarum signa.* Stellæ quoque si apparuerint sicut & luna, eiusdem pluuiæ sunt nuntiæ: Aselli qui sunt in cancro, vix in sereno apparent, ait Ptolemæus, quin pluuias denuntient; occultantur namque à vaporibus pluuiosis interpositis. Animalia minus occupata, atque habentia corpora imbecilliora, temporum mutationes præsentiunt. *Cantus galli.* Itaque gallus in prima noctis parte cantans, vel prope solis occasum, indubie nuntiat atq; præcinit pluuiam futuram: ardea super nubes volans: grues in aere fugam agitantes: vacca in cælum suspiciens, & captans naribus auras: hirundo circa lacus volitans: ranæ in limo querulæ: *Animalia pluuiam ostendẽtia.* formica oua extollens: coruorum agmen è pastu rediens, alis perstrepens: fluuiales aues, derelictis vndis, prata quærentes: asini sibi aures fricantes. oues plus solito nimis pascentes: muscæ nimis mordentes: cornix supra petram crocitans, maxime si petra fuerit in aqua: picus cum summo mane ourat in hyeme. Hæc & his similia, futuræ pluuiæ ostenduntiodicium. In hyeme matutina tonitrua: in æstate vespertina, vel meridiana, similiter vespertinæ coruscationes ante tres dies pluuias prædicunt. Idem præsagiunt motus nemorum, scintillatio olei in lampadibus ardentibus: falx nigra quæ secuit herbas: halo circa lumen candelæ: paleæ eleuatæ volitantes, & folia similiter. *Serenitatis signa.* Sunt autem serenitatis signa: rubedo vespertina circa solem apparens inter occidendum, siue cum occidit; significat enim vapores eleuatos de die, rursus labi de nocte: cum enim sol fit prope terram, & illi interponantur inter nos & solem; quasi in terra esse videntur: potissimum signum rubedo apparens post pluuias; *Sol limpidus.* sol purus limpidus nullis nubibus opertus, cum exoritur: *Luna pura.* luna in plenilunio limpida, pura; luna tertia splendida; halo circa lunam, paulatim decrescens & clarus: stellæ maiores de more splendidæ, & puræ apparentes; *Grues.* grues quidam volantes cum non redeunt, noctua de die cum in tempestate canit: vespertilio volans extra domum, cum foramen exierit: bos supra sinistram ancham iacens: in pluuiis cum splendor apparet in Borea. Hæc & similia, visa sunt serenitatis signa.

CAP. VI.

De Niue.

Materia niuis. Materia niuis, est crassior materia pluuiæ, minus vero crassa materia grandinis; nix enim citius quam grando, & tardius quam aqua dissoluitur: ex crassiori ergo materia constat. Itaq; omnis materia, est nubes propter calidum distractum, ad magnam congelationem deducta, quæ de aereo multum quidem, de terreo vero parum habet. *Agens disponens.* Agens disponens, est calidum ab humidis corporibus vaporem eleuans, ad locum generandæ niuis. *Agens generans.* Agens autem generans, est frigidum agens in vaporem, non subito totam illius caliditatem expellens, sed paulatim potius: frigiditate siquidem loci, calidum vaporem extrudere incipiente, & non totum simul: paulatim calor remittitur, ipsa qua frigiditas nõ remanet, sicut erat intensa. Quoniam vero frigiditas paulatim remittitur; idcirco non valet illam materiam congelando indurare: ideoque remisse congelando, niuem generat: proinde mollis est; *Nix mollis.* quippe, quæ à tanto frigore non est congelata, à quanto & grando. *Frigiditas grandinis maior.* Frigiditas ergo quæ efficit grandinem, est maior, vtpote, quæ subito expellit calidũ in nubibus inclusum: non quodlibet ergo excellens frigus est causa efficiens niuem; sed excellens frigus per aerem dispersum. Si enim esset vnitum & excellens; induraret, & sic grandinem faceret. Locus niuis generandæ apud Philosophum *in 1. metheor.* est medium mediæ aeris regionis, in quo putat non posse tantam frigiditatem fieri, quæ posset grandinem indurare. In altissimis namq; montibus, quorum cacumina mediam aeris regionem attingunt, sola nix, non autem grando visa est. *Locus generationis niuis.* Locus ergo generandæ niuis, est sublimior loco, in quo grando generatur. Non posset, inquit Auerroes, grando fieri, nisi frigidum fortificaretur per antiperistasin à forti calido, quod quidem in infima regione inuenitur. Quod si infrigidatio excellens ab alto repulsa occurrat vapori, in loco pluuiæ existenti, illum subito auget, vnde nix prius, quam aqua generabitur: atq; ita in loco pluuiæ potest nix generari. Præ-

terea,

De Niue.
Medium aeris.

terea, aqua descendente à media aeris regione, à caliditate circumstente per antiperistasim vniri potest, etque ita frigiditate aucta, remisse aque congelatur, & nix efficitur. Amplius, in frigidissima hyeme fieri potest, vt frigiditas aliqua intensa deorsum deprimatur, quæ occurrens aquæ pluenti, priusquam descendat, in niuem conuertit. Sed hæc raro & per accidens contingunt. Aristoteles vero loquitur de niuis generatione, vt in pluribus. Modus autem generationis naturalis à Philosopho describitur: Quamuis, inquit, condensatio vaporum, per quam fit pluuia, congelationem præcedat, ex qua fit nix; non enim fit transitus de extremo ad extremum sine medio; ad generationem tamen niuis, aquæ siue pluuiæ generatio nequaquam præcedit. Magna igitur frigiditate vigente, vapores prius congelantur; quam in guttas vertantur. Itaque, cum niuei vapores ad locum generationis venerint; illic à frigiditate loci condensantur: & quidem prius congelantur, quam in aquam variantur; non enim aqua est medium transitus, sed condensatio: siquidem aliquid congelari potest, etiamsi actu aque non sit; modo condensatum sit, & aqua secundum substantiam. Tempus generandæ niuis (vt communis est omnium sententia) est finis autumni, & principium veris: in his enim temporibus media regio frigiditatem fortem dispersam habet; ideoque in æstate nix non descendit. Est autem nix alba; quia fit ex materia diaphana ad lucem disposita: lux namque tali materiæ incorporata, niuem efficit albam. Adde, quod frigiditas valde intensa, agens in materiam humidam, albam illam reddit, frigiditas enim est mater albedinis, maxime si necessarias conditiones habuerit: vnde homines septentrionalem ac frigidam plagam incolentes, albi sunt: è contra, qui in contraria regione versantur. Porro, nix mollis est, propterea quod aliqua ipsius caliditatis pars, quæ prius erat in nube niuosa, in ipsa remanserit; ideoque non est omnibus modis dura: duritia vtique à cali caliditate repulsa. At caliditas in materie grandinis vndequaque à frigido extrusa, materia illa abscessu caliditatis indurata, in grandinem transit. Nix magis in montibus, quam in planis, aut in vallibus fit, & conseruatur, montes enim sunt plurimum vaporosi, vtpote qui in suis cauernis calidos vapores capiunt: aptiorem ergo præstant materiam niui generandæ. Viget prætarea in montium verticibus frigiditas magis dispersa; quippe qui à radiorum reflexione longa absunt. Itaque, tum materiæ, tum agentis præsentia, in montibus nix melius, aptiusque conseruatur: vnde & in quibusdam montibus perpetuo nix perdurat: nam priusquam vna soluatur, altera redit. Hac ratione fit, vt in montibus nix, in planis pluuia descendat; viget siquidem in vallibus caliditas, qua nix liquescit, & in pluuiam conuertitur. In æstate quoque si nix in media aeris regione generetur, suo in descensu liquefit, descenditque vt pluuia. Niuem prætendit cælum quadam albe obscuritate obductum; prius enim quam nix descendat, nubes, ex qua nix est generanda, dispergitur in aera: quæ, quoniam multum habet lucis, & frigiditatis; idcirco cælum, & obscurũ apparet propter nubes, & album propter lucis frigiditatisque commercium. Idem præsagit nubes magna alba: aer turbidus clara turbatione, cum etiam calidior est solito: quod quidem contingit propter calidum, quod de nube expellitur. Si temporibus opportunis nix ceciderit; magnam affert terræ fœcunditatem, propterea, quod materia niuis multũ habet de terreo bene calido, aereo ammixto. Calidum autem illud paulatim egrediens, materiam liquefacit: atque ita ob bonam permixtionem terram fœcundat, seminibusque pabulum optimum præbet. vnde annus fertilis & abundans prædicitur.

Tempus generationis.
Nix est alba.
Nix est mollis.
Nix in montibus.
Nix in planis.
Signa niuis.
Cælum album.

CAP. VII.

De grandine.

Materia grandinis.

Materia grandinis est vapor cæteris crassior: quippe qui de terrestri habeat multum, de aereo autem parum. Nonnunquam profecto in grandinis globis, & puluis, & pili, & minuta ligna, & paleæ inueniuntur: quod quidem signum est, à magno calore materiã illam sursum attractam, seu pulsam fuisse. Rarara, materia illa est cæteris calidior, vtpote nubes de calidissimo exorta vapore. A calido ergo agente, atque disponente ad locum generationis sui eleuata est & ab agente generante, nempe à fortissimo frigido genita: quod quidem ita valet frigiditate; vt omnem prorsus extinguat, atque absorbeat materiæ illius caliditatem. Vnde fit, vt cæteris aqueis impressionibus grando frigidior sit; est enim ab eius materia tota caliditas, virtute frigidi subito, & simul expulsa; ideoque & reliquis durior. Cæterum, cum frigiditas nubis paulatim crescat, gradum prius pertingit, in quo particulas nubis in labrote-

Agens disponens.
Agens generans.

ras conuertit: illo autem aucto ab antiperistasi, ad gradum deuenit, in quo guttæ descendentes per interualla continentiæ nubis conuertuntur in grandines. In altis autem montibus, grando non fit, nec etiam in minoribus. generatur ergo in infima aeris regione. In montibus autem sunt terras vapores ex illorum visceribus prodeuntes, qui sursum eleuati, sicut in niuem, ita & in grandinem conuerti possent. Assunt prætarea venti, à quibus nubes deferuntur; posset ergo nubes grandinosa moueri in directo montis, & inibi in grandinem conuerti. Verum nihilominus est in illorum montium verticibus ventos non inueniri, qui tertiam aeris regionem attingunt. Fiunt autem grãdines in regionibus multæ serenitatis; quandoquidem non fiant, nisi serenitate præcedente. Etenim vapores, qui in huiusmodi regionibus multiplicentur, sunt certa valde calidi, ideo grãdini generandæ aptam exhibent materiam. Quam ob causam, magis in regionibus calidis, quam frigidis grandines fiunt; regio enim calida est serenior, materiamque grandinosam ministrat, vtpote crassior, atque terrestrior cæteris. regio vero frigida contrario modo se habet. Non fiunt autem in extremis regionibus calidissimis, propter virtutem resolutiuam in illis dominantem. neque in frigidissimis, propter vaporum defectum. Grando, etsi omni tempore fieri possit; maxime tamen in vere, & autumno; eo enim tempore plus viget euaporatiuum: & calidum mediæ regionis, sufficit ad antiperistasim administrandam, efficiendamque. Est autem grando circa suum centrum durior, quia frigidior: circa vero circumferentiam mollior, quia calidior. Præside constellatione, quæ aeris mutationem denuntiat; potissimum Saturno existente in signis, & locis ipsius cæli frigidis, & Mercurio apparente in hyeme, consueuit grando descendere. Nubes erecta in montium verticibus, quadam quasi alba pellicula colorata, grandinem futuram denuntiat. Similiter, quando quibusdam nubibus stantibus, aliæ super illas feruntur: Apes in serenitate procul non euolantes: lupus vlulans in plania & culta loca in tribus diebus, idem nunciat: lupus, & omne animal syluestre ad culta loca se recipiens; Starnæ vel Perdices, si mane coadunatæ euolauerint: anseres clamantes cum volant, & circa cibum pugnantes: si passer aut hirundo alba apparuerit, nigra vero pluuiam: coruus permutans voces multas; cornices ab Austro volantes: oues cum mane coeunt; boues magis quam consueuerant comedentes, & postea super dexteram iacẽtes: mures saltantes & stridentes; terræ viscera multa visa; flammæ, vel fauillæ nigræ. Hæc & similia secuturæ grandinis prædicunt aduentum. Grandines fructibus obsunt, tum abscindendo, quæ magnæ sunt: tũ etiã cum paruæ extiterint illos mortificando; sunt. n. frigidissimæ frigiditas vero, est naturæ inimica: proinde non solum fructus destruũt, quos inuenerint; sed etiam futuri anni secuturos. Grando penuriam illius anni designat, & futuri; siquidem grandinosa frigiditas, est summa & valde mortificatiua. Aqua tamen nec ex liquefactione grandinis, terræ viscera ingrediens, seminarium terræ calidum sua frigiditate mortificet. Prætendunt præterea grandines in ea regione, in qua fiunt, iumentorum morbos & hominum; fructus siquidem & herbæ quæ nascuntur post grandinum aduentum, sunt crudi & indigesti, denique & insipidi: quare animalibus omnibus nocent. Philosophus primo libro metheor. Est, inquit, grando Crystallus, siue gelu: & aqua hyeme congelatur: grandines autem primum quidem, ac maxime vere congelantur, & autumno oriuntur: deinde æstate: hyeme vero rarius, & cum minus viget frigus. Grando in eo loco oritur, in quem prope à terra vapores feruntur, in locis magis temperatis. Absurdum est autem coagulari aquam in eo loco, qui sursum est, siue in media regione, siue in infima; quia non potest nubes coagulari in grandinem, antequam fiat aqua; coagulatio enim est passio aquæ: nec potest nubes prius in aquam conuerti, & postea in grandinem congelari: alioqui, si nubes prius fieret aque, & deinde congelaretur, aqua aliquo tempore staret sursum eleuata: & sic graue suæ naturæ derelictum, non descenderet. Ad hanc quæstionem sic quidam respondebant. Licet, inquiunt, nubes prius conuertatur in aquam, quam in grandinem; non tamen in magnas guttas, sed in stillas, quas psecadea Græci appellant: stillas vero congelari: & sic congelatas coadunari ad inuicem, & congregari ad formam, & magnitudinem grandinis. Respondet philosophus: Etiamsi, inquit, hæc omnia fuerint vera; non videtur fieri posse, vt sic congelatæ ad formam grandinis continuentur, nam congelata continuari, seu copulari non possunt, quemadmodum humida, mistorum enim copulatio, est humiditas. Accidit autẽ, ait philosophus, in valde altis montibus non fieri grandinem. Itẽ, aliquando

De grandine.
Modus generationis.
Locus grandinis.
Serenitas præcedens.
Regio calida apta grandini.
Tempus grandinis.
Signa grandinis.
Apes.
Lupus.
Starna.
Anseres.
Hirundo alba.
Grandinis dona.
Sterilitas anni.
Iumentorum mors.
Philosophus.
Quod non fiat in media regione aeris.
Psecades.
Humiditas causa mistionis.

De corruscatione.

De Grãdine.

visæ sunt nubes delatæ cũ sonitu multum prope ipsam terram, vt terribile videntibus, & audientibus, tanquam futuro aliquo maiori: aliquando autem & sine sono. Visis talibus e nubibus, grando fit multa, & magnitudine incredibilis, & figuris non rotunda. Propterea non multa fit latio ipsius; tanquam prope terram facta coagulatione.

Sonus grãdinis.

Sane, grandines impetuosæ motæ in aere, sonum efficiunt. & tanto maiorem, quanto ipsæ maiores extiterint. Ad hæc accedit motus exhalationis calidæ & frigidæ siue siccæ; quæ eo tempore coarctatur intra nubes, ab earum scilicet frigiditate; hæc enim petens exitum, scidit nubem, & causat sonitum. Aliquando visæ sunt sine sono: vel quia non motæ per aerem, vel quia non est exhalatio intra illas recondita.

Quare non est sphærica.

Non est autem sphærica ipsa grando, vt dicit philosophus, & Alexander; quia congelatio facta prope terram, non multo tempore ab aere calido grando cogi, seu circumdari potest: idcirco tam breui tempore formam sphæricam induere nõ valet. Amplius, si grando fit à parte mediæ regionis supremæ, quia illa est cæteris frigidior. magnæ ergo grandines in illa fierent. Tenet consequentia; quia maius congelatum à fortiori fit congelante: fortius vero congelans, est frigidius. sed consequens est falsum, quia magnæ, non sphæricæ. Hoc autem signum est, quod grando fit congelata prope terram:

Figura minores.

latæ enim de longe, propterea, quia feruntur diu: circulares fiunt, figuræq; rotundæ, & magnitudine minores. Illud ergo perspicuum est, non ex eo grandinem cogi, quod in superiorem locum, qui sit frigidus, nubes repellatur. Quoniã vero, antiperistasim siue calorem & frigus inter se omni ex

Antiperistasis Frigidi & calidi pugna.

parte confligere cernimus, ob eamq; causam æstate interiores partes terræ obrigescunt, & hyeme calent; hoc etiam in superiori loco fieri putandum est. Itaq; æstiuis mensibus, ac temporibus, frigus, quod intus inclusum sa opponit calori, qui vndiq; imminet, interdum aquam celeriter ex nubibus elicit, interdum grandinem: ob eamq; causam æstiuis diebus, & multo maiores quam hyeme, guttæ cadunt; maiores .n. vi, & impetu descendunt labunturq;, cũ sint densiores: densiores porro cadunt, propter concretionis celeritatẽ. quæ

Anaxagoras.

fit contra, ac Anaxagoras censet. is enim, cum in frigidum aera ascendit, hoc ei euenire dicit. nos autem, cum in calidum delabitur, atq; id tum maxime contingere, cũ in maxime calidum defluit. Cum autem frigus etiam magis in intimas partes à calore compulsum resistit; aqua orta cogitur, fitq; grando. Quod tum deniq; vsu venit, cum celerius concretio existit, q̃ aqua cælo cadat. Si enim tanto temporis interuallo deorsum feratur, & ingens vis frigoris breuiore coget; nihil obstat, quo minus tum eum in aere suspensa sit, cogatur; si modo breuiori tempore fiat concretio, quam

Alexand.

deorsum feratur. Delatio aquæ, inquit Alexandar, deorsũ in tempore fit, & congelatio in tempore. Si ergo tempus congelationis, minus est tempore delationis; accidit aquã adhuc sursum existentem congelari, priusquam descendat. Huic assitipulatur visus; in temporibus enim maxime frigidis, videmus aquam descendere deorsum à tectis, quæ tamen, priusquam descendat, in glaciem vertitur. Potest ergo dici, gradinem fieri in media, vel in insima regione, vbi nubes pati potest antiperistasim: nec sequitur, graue stare sursum quiescens, quia nubes conuertuntur ad aquam: aqua vero priusquam descendat, congelatur. Sequitur *textus*: Et quanto vtiq; propinquius, & subito simul tota magis fiat congelatio, & aquæ labroteræ fiunt, & guttæ, & grandines

Vis rationis Aristotelis.

maiores; propterea quia breui ferũtur loco. Sensus est: quo grando in locis nobis proximioribus generatur; eo in calidioribus: proinde maior caliditas aeris circumstantis fit in nube, ex qua grando gignitur, maiorq; antiperistasis: ex quo frigidus intra nubes conclusus, maior atq; fortior redditur: & coagulatio simul tota, & velocior, ac maiores guttas ha-

Quare aliquando grando est parua.

bens. Quanto ergo grando, seu gutta in loco nobis vicinio- ri generatur; tanto vtiq; maior ad terram dilabitur: siquidem non minoratur in descensu, nam si alioqui remote veniret, in longo descensu; ab aeris caliditate partes angulares liquescerent & sic paruæ & rotundæ fierent.

Guttæ magnæ.

Guttæ præterea aliquando magnæ descendunt; quia nimirum in delatione, ob breue descendendi spatium, diuisionem sui non sustinent: atq; ideo magnæ existunt: Et non crebræ guttæ, q̃ magnæ cadunt propter eandem causam; Guttæ, inquit, magnæ, vtpote labroteræ non cadunt crebræ; sed inter guttã, & guttam magnum tempus intercedit. in causa est, quia descendunt per breue spatium; prius enim descendunt, quam aliæ fiant. Sequitur *tex.* Minus autem in æstate fiunt, quam vere & autumno fiunt: magis tamẽ quam hyeme; quia siccior aer est æstate: in vere autem adhuc humidus: in autumno iam humectatur propter aduentum futuræ hyemis.

Grandines fiunt circa maturationem fructuum.

Fiũt autem aliquando & circa maturationem fructuum grandines, propter eandem causam. Sed *dicet* aliquis, in æstate est magna caliditas. potest ergo esse magna antiperistasis, atq; ita tempus opportunum grandini generandæ. Item, hyeme multi vigent vapores: ergo quod supra. *Dic.* generationi grandinis opus esse materia, vtpote vapore. & agente, nampe forti antiperistasi. Quoniam vero in æstate materia raro fit; ideo raro grandines fiunt. In hyeme vero licet adsit materia; deest nihilominus antiperistasis: propterea ista non contingunt, at in autumno, & vere, vtrisq; præsentibus grãdines copiosissime descendere solent. Hæc de materia grandinis, & agente efficiente dicta sunt.

Agens iuuans grãdinis generationem.

De iuuante deinceps loquuturi: Confert, inquit, adhuc ad celeritatem coagulationis, & præcalefactam esse aquam, quod accidit in autumno, & vere, & æstate; aqua enim calefacta citius infrigidatur. In Æthiopia & Arabia æstate ingrauascunt imbres, & nõ hyeme, & frequenter eadem die: ob calidum vtique magnum nubes circumdans. proinde nubes magnam patiuntur antiperistasim, sicq; ingrauescũt imbres, & eadem die sæpe quidem. vnde licet vapores ex imis partibus non eleuetur propter vehementiam æstus; eleuantur nihilominus, inquit Alexander, ex montibus altis, qui illis in regionibus habentur.

Imbres in Æthiopia, & Arabia.

De pluuia quidem igitur, & rore, & niue, & pruina, & grandine. propter quam causam fiant, & quæ natura ipsorum sit, satis dictum habeo.

QVÆSTIONIS TERTIAE

CAP. I.

De corruscatione.

De aliis aeris impressionibus locuturi, de corruscatione loqui decreuimus, de qua philosophus 2. *meth.* abunde differit:

Philosoph.

De corruscatione inquit, & tonitruo, adhuc autem & de typhone, & incensione, & fluminibus dicamus. Etenim horum omnium idẽ principium existimare oportet: siquidem quæ extrusione in nubibus generatur, aut est tonitruũ, aut ventus, aut corruscatio, aut fulmen, tametsi corruscationis species esse dicatur.

Tonitruũ.

Tonitruum autem fit exhalationis extinctione: corruscatio vero exhalationis inflammatione: ventus exhalationis extrusione: fulmen exhalationis calidæ, & siccæ à lateribus nubis violenta extrusione.

Corruscatio quid sit.

Porro, corruscatio non est paruarum aquarum splendor guttarum in nube existentium, vt quidam volunt, alioqui in qualibet nube corruscatio appareret, quandoquidem in qualibet nube huiusmodi guttæ inueniantur. Corruscatio præterea non est formaliter ignis præexistens, & inclusus intra latera nubis; frigiditate enim nubiũ extingueretur omnino. Corruscatio quoq; non est astrorum fulgor: alioqui tempore sereno, corruscatio appareret: quippe cum eo tempore sydera magis fulgeant. Insuper, corruscatio, non est exhalatio calida & sicca sola sine permixtione humidi, aliter esset ventus. Denique, non est exhalatio calida & sicca humido vnctoso permixta; ex tali enim fiunt discursus syderei.

Materia corruscationis.

Est igitur materialis causa corruscationis, exhalatio calida, & sicca nubibus permixta:

Causa effectrix.

effectrix vero, est commotio, atq; agitatio talis exhalationis, ad nubium latera percutiens.

Modus generationis.

Modus autem generationis est talis: cum exhalatio calida & sicca permixta vaporibus nubilosis, simul cum illis sursum fertur, stellarum solisq; virtute eius subtile euolat ad vltimam aeris regionẽ, quæ calida est: eius vero crassum, & corporeum nubibus permixtum, simul concurrens in loco nubium, intra nubis latera includitur. Inclusum vero circumdatur à frigido nubis, & sic per antiperistasim vnitur, atq; magis inspissatur, ita vt eius caliditas magis vigoretur. Vigore aũt concepto, atq; agens in propriã materiam. calefacit magis, subtiliat, atque rarefacit; proprium .n. calidi est, rarefacere Quamobrẽ ignitur & inflammatur.

Tonitruũ.

Quia vero magis rarefacta, ampliorem locũ petit, ex tali fractione laterum nubis fit sonus, qui dicitur tonitruum. Itaq; corruscatio est exhalationis inflammatio ex forti agitatione ipsius intra latera nubis producta: vnde fit, vt materialis illius causa sit exhalatio inflammata: effectrix vero, fortis illius agitatio, quæ fit in nubis ventre; hæc .n. adeo subtiliat, vt inflammet.

Corruscatio fortis.

Exhalatione igitur existente forti, cũ raritate & debilitate laterũ nubis, corruscatio erit fortis & magna: sonus v. paruus; sonus enimq; fortis fit, quia percutiens, & percussum sunt valde densa.

Parua corruscatio.

Corruscatio aũt parua fit, qñ exhalatio est debilis, & rara cum fortitudine, & densitate laterũ nubis, apparet .n. tunc, veluti lux per pannũ scissum: sonus aũt ob hãc causam paruus est, imo sine corruscatione transit aliquando, cũ videlicet exhalatio est valde debilis: latera v. nubis valde obscura & dẽsa, ita, vt frangi nõ possint. Densioribus præterea existentib. nubib. cũ

exhala-

De corruscationis. exhalationis densitate, atque fortitudine in ventre nubium inclusæ, multa fit, & valde tonitruose corruscatio; valde enim obsistit percussum percutienti. Ex quo patet, quare *Corruscationis multa.* corruscatio parum tempora duret; materia siquidem ipsius cito resoluitur: deinde exiens de angusto ad amplum locũ, *Quare corruscatio parum tempore durat.* adeo dispargitur; vt visum terminare nequeat. Sunt autẽ multæ corruscationum species, quarum vna generis nomine corruscatio tantum dicitur: & hæc quidem ad terram non *Corruscationis species.* descendit: alia vocatur incensio, cuius aliqua pars ad terras venit, ignitione aerem colorante: alia vocatur fulmen. Magnatum corruscationum tempora, plurimæ capiuntur anguillæ; tunc enim aquæ cauernorum, in quibus illæ *Corruscationis effectus.* condebantur, redduntur amaræ, & insipidæ, illarum pabolo minime accõmodæ: idque propter exhalationum ad illas descensum, quo fiunt lutosæ, ac proinde suis pulsæ cauernis, in laqueos incidunt absconditos. Eo præterea tempore herbæ, & flores arescunt; aucta namque exhalatione cum corruscationibus herbæ exsiccantur & flores. Cæterum, exhalatio cum sit ignea; deorsum propellitur: nubes siquidem, vt plurimum, in supera parte deosior est, propterea quod per illam magis appropinquat ad frigus intensum, & excessiuum. Aliquando vero exhalatio lateraliter scindit nubẽ; quia infera pars ascensu vaporum aliquando fortificatur: *Tonitrus sine fulmine.* prohibet autem nihil. interdum superam nubis partem exhalatione scindi: cum scilicet fit tonitrus sine fulmine. Vapores, & exhalatio, eundem loci finem habent, nempe mediam regionem, ad quam simul & eodem tempore conueniunt; non tamen simul incipiunt eleuari: sol namque prius vapores quam exhalationem eleuare incipit: quia vero vaporum eleuatio est tarda, vtpote materia crassa, & grauis: ascensus vero exhalationis velox; tenuis enim est materiæ *Exitus exhalationis.* & leuis; ideo exhalatio prius eleuatur, ad vltimum postea ad eundem locum perueniunt. Exhalatio in ventre nubis inflammata pro inflammationis ratione egreditur; exhalatione siquidem tota simul ignita, totum etiam simul egreditur; sin autem per partes, quæ prior est tenuior succedenti, similem quoque eandem modum tenebit: hinc videmus eandem nubis partem sæpe tonare: successiue vero exhalatio, & ignitur, & egreditur. Quod si exhalatio accensa *Exhalationis colores.* multum subtilis exiterit; alba lucide apparebit, non enim vehementem habet flammam, sed subtilem: ideo cadens supra corpora, non comburit illa; quoniam ob suiraritatem, paruam habet actiuitatem. Sin autem exhalatio accensa fuerit minus tenuis; corruscatio apparebit citrina: si exhalatio magis spissa, glutinosa, corruscatio videbitur rubea: *Rubea. Vt carbo.* si multum densa, atque cum crasso humido valde permixta, apparebit rubicunda, sicut carbo: & cadens supra corpora, consumit: quam dicunt vates, esse sterilitatis indicium: si fumosa & nigra, ac valde terrestris, hæc apparet nigra, & in *In lapidem conuertitur.* lapidem conuertitur: quæ dicitur fulmen, de quo postea. Hæc extracta sunt ex philos. 2. *meteo.* Exhalatione, inquit, duplici existente, hac quidem humida, illa vero sicca. Sup- *Duplex exhalatio.* ponit duplicem exhalationem, humidam scilicet, & siccam: deinde mixtum ex vtrisque, potestate vtrasque habens: tertio tale mixtum posse constare in nubem, altera illarũ prædominante: quarto, nubes in superiori parte sui, spissiores, *Nubes est frigidior in superiori parte.* & frigidiores esse; ex enim parte deficit calidum in nube: & qua ea parte disgregatur à nube versus tertiam aeris regionem, illic necesse est, nubem consistentem frigidiorem, ac densiorem esse, propter calidi siue calidæ exhalationis defectum. Ad hoc accedit, quod nubes secundum superiorẽ partem sui, proximior est regioni aeris mediæ: in illa ergo frigidior & spissior. *Dices,* nos videmus fulmina, & id genus moueri deorsum, quæ tamen calida sunt. *Ad hos* respondet philosophus, illa non moueri secundum eorum naturam; quandoquidem vnumquodque eorum natum sit ferri sur- *Artificiales fulgures.* sum, sed extrusione potius ad contrarium densionis. Vnde pyreties, id est, artificiales fulgures, qui tenentur in digitis, mouentur ad contrarium locum ei, in quo digiti sunt, ex quibus extruduntur: etenim hi pondus habentes, feruntur sursum. Hæc de corruscationis natura, modo, atque ordine sint dicta.

C A P. II.

De Tonitruo.

Tonitruũ. Separate quidem igitur caliditas, In superiorem locum disspargitur, inquit philos. lib. 2. *meteo.* Quæcunque autem sicca exhalatio intercluditur in transmutatione aeris, qui infrigidatur; hæc conuenientibus nubibus segregatur: Vi autem lata, & offendens ad cõtinentes nubes, facit percussuram, cuius sonus vocatur tonitruum. Sensus est: cum nube, quæ inspissatur in media regione, duplex est exhalatio: altera calida leuior, & rarior, quæ nube derelicta, in superiorem spergitur locum ibique aut euanescit, aut in flammam vertitur: altera vero exhala- *De Tonitruo.* tio crassior & remissior, quasi grauior recluditur in nube *Duplex exhalatio.* cum inspissatur, quæ patiens antiperistasim à frigiditate nu- *Leuior. Grauior.* bis, fortificata, offendit latera nubis ipsam continentis scin- *Causæ effectiuæ.* dique illã in scindendo vero sonat, qui quidẽ sonus tonitruũ dicitur. Causæ ergo tonitrui effectiuæ sunt percutiens, & percussũ: percutiẽs quidẽ, est exhalatio calida & sicca in nube cõclusa: percussum vero est ipsa nubes, quæ scinditur. Quoniã igitur tonitruũ proficiscitur ex percutiente exhalatione & nube percussa: qualis ergo erit proportio exhalationis percutientis ad percussam nubem; talis profecto proficiscetur sonus: & quia plures sunt proportiones, ideo plures tonitruorum species. Non ergo quælibet exhalatio in ven- *Quando exhalatio facit tonitruum.* tre nubis inclusa, tonitruum efficit; illa enim aut percutit, & non scindit: aut percutit & scindit: aut neque percutit, neque scindit: vltima tonitruum non facit; interdum enim latera nubis adeo sunt debilia, vt sine sono scindantur. Si itaque exhalatio fortis, latera nubis fortiter percutiens, illa scindere *Tonitruũ obtusum.* non valet; tonitruum efficit obtusum, tumultuosum & graue: si vero sciderit, & quidem difformiter, & interrupte; tonitruum reddit scissiuum: si vno ictu sciderit, tonitruũ facit impetuosum: si scindit via resolutionis, tonitruũ reddit crepatiuũ: si debiliter, tonitruum facit sufflatiuum: at si non sciderit, ob sui debilitatem, sed intra nubem extinguatur; tonitruum cum stridore efficitur, velut ferrum ignitum cũ *Tonitruo corruscationes.* extinguitur. Ex quo perspicuum esse potest, aliquando corruscationem præcedere tonitruum, vtpote quando contingit, materiam aliquam prius inflammari ob fortem antiperistasim, deinde tota nubis latera agitari; sic enim tonitruũ via naturæ, corruscationem sequitur. Interdum vero to- *Tonitruũ sequitur corruscationem.* nitruũ corruscationem præcedit, & quidem tempore manifesto: vtpote quando illa exhalatio prius fortiter agitaretur, quatenus nunc hoc, nunc illud nubis latus, & demum post longum tempus accenderetur; tunc enim via naturæ tonitruum corruscationem præcedit. Interdum corrusca- *Corruscatio & tonitruũ simul.* tio & tonitruum simul sunt; quando nimirum contingit tonitruũ fieri in loco propinquo: tunc aliquando contingit, nubem satis prope gigni: quæ quidem tonitrua sunt valde periculosa; quoniam fulmen celeriter frangendo deorsum mouetur. Corruscatio aliquando diu facta videtur prius: deinde tonitruũ auditur, licet simul facta sint; auditio enim per species sit minus intentionales quam visio: hac de causa citius videtur quam auditur. Porro, materia tonitrui & corruscationis est eadem; exhalatio enim vt inflammata, est corruscationis materia: ipsa eadem, vt diuersimode percutiens, est causa tonitrui. Fit autem, inquit philosophus, percussura eodem modo, vt comparatur maiori minor passio, in flamma fit sonus, quem vocant alij quidem Vulcani *Vulcani risus.* risum, alij Vestæ, alij minas horum: fit autem, cum exhalatio in flammam conuersa fertur, ruptis & exsiccatis lignis; sic enim & in nubibus facta spiritus segregatio, inspissitudinem nubium offendens, facit tonitruum. Reuera triplex in igne fit sonus: scintillatus, quo scintillæ generantur: crepitus, quo spiritus exitum quærens, lignum erumpit: alius fit in flamma, quæ est risui similis, hic enim fit, quando secundum aliquod tempus continuum, circumstantem locum flamma percutit: percutiendo sonum facit, risui similem; conuersa enim exhalatione in flammam ruptis lignis, tali motu mouetur, ac risui similem reddit sonum. anus dicunt *Lignum loqui.* lignum loqui. Cæterum, Vesta, vt dicunt poetæ, fuit Saturni filia ex Ope, quæ pro terra aliquando accipitur, eo quod rebus omnibus vestiatur, seu quod vi sua stet. Ouid. *Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.* Interdum ponitur pro igne *lib. 6. Fast.* Ouid. *Nil aliud Vestam quam viuam intellige flammam*; quia *Vesta dea.* ignis sit a flammæ dea. Vnde virgines Vestales inextinguibilem ignem asseruabant, qui si forte fuisset extinctus, accensa per fomites ex sole flamma, puris & exiectis, non hominum manibus e accensus, ignis eliciebatur. Fuit etiam hoc nomine virgo perpetua, cui Vestales virgines sacrificabant. Vulcanus Deus, quo ignis significatur, canusque per aera vo- *Vulcanus Deus.* lat; volat. n. flamma & cãdida est. hinc & Mulciber appellatur, quod ferrum mulceat; fingunt enim poetæ hunc fuisse Deum, & Iouis ex Iunone filium, qui faber Ioui fulmina contra gigantes fabricauerit. Fabulæ interpretatio est, quod Vulcanus fuerit ignis inuentor, quo beneficio ab Ægyptijs Deus creatur. Cum enim arbor ictu fulminis in mon- *Inuentor ignis.* tibus conflagrasset, ligna propinqua hyberno tempore flamma sunt comprehensa. Quã ea re Vulcanum calore lætatum, deficiente igne, addidisse illi nouam materiam dicunt, & eo modo continuato igne, alios homines conuocasse ad eius aspectum, tanquam à se reperti. Non temere ergo antiqui illum flammæ fotum, Vulcano

fing

De Tonitruo.

sius Vestæ dedicarunt. Sed *dicis*, crepitum ignis esse similiorem tonitruo, quam risum Vulcani. *Dico*, Vulcani risum fieri eruptis lignis; non enim moueretur exhalatio post cõuersionem eius in flammam, nisi lignis eruptis: ita tonitruũ fieri eruptis nubibus: quod ergo ipsius eruptione fit, Vulcani risum præseferre videtur. Sequitur *Tex.* Omniformes autem soni fiunt, & propter varietatem nubium & propter intermedios ventres, quatenus continuitas deficit spissitudinis. Tonitruum igitur hoc est, & fit propter hanc causam. Sensus est, omniformes fiunt soni ob duas quidem causas, nempe ob varietatem nubium, & intermedios ventres, qui sunt intra nubes, quatenus continuitas spissitudinis deficit. Adde differentiam exhalationum nubem percutientium, sicut dictum est. Hæc de tonitrui natura sint dicta.

Varietas tonitruorum.

CAP. III.

De Fulmine.

Quid sit fulmen.
Non omne fulmen percutit.

Fulmen est exhalatio calida & sicca, à lateribus nubis violenter extrusa, cum impetu vel incendio. Fulmen ergo non est semper lapis; alioqui semper vulneraret, cuius contrarium experientia docet. Itaque non quodlibet fulmen inferiora percutit, ob tenuem vtique exhalationem, cuius resolutio præuenit eius casum ad terram. Ea ergo sola exhalatio facit fulmen vulnerans, quæ crassa est, sua enim crassitie resolutioni plurimum resistit, ita vt ad terram cadere valeat, priusquam resoluatur. Exhalatio autem, quæ in lapidem conuertitur, est fulmen, siue lapideum fulmen. & illa est viscosa, crassa, terrestris, valde decocta atque causta: quippe quæ in nigrum, vel rubrum lapidem vertitur. Forma vero lapidis est, vt sit acutus altera ex parte, propterea quod ad eam vapor primo inclinabatur, cum decoqueretur, hic enim cadens de nube, penetrat muros, animalia, & arbores, sicut rei gestæ indicia docent. Exhalatio autem de nube cedens, quæ in lapidem non inspissatur, sparsa de nube effunditur, quæ quidẽ propter nubis frigiditatem per antiperistasim de nube extruditur. Quia vero cum magno impetu lapidem mouet, qui generatur in nubibus, sicut pilam, quę repercutitur projecta. Cecidit aliquando cum tonitruis ferrum, & omne metalli genus; aliquando, vt Auicenna narrauit, cecidit corpus vituli, mortui tamen. Horum causas physici dixere, esse diuersas proportiones partis siccæ cum humida. Ex his ergo sequitur, exhalationem, quæ est fulmen, si plus calida quam impetuosa extiterit, superficiales partes absque interiorum læsione alterare atque afficere; ob modicum enim impetum, diu in superficialibus partibus moretur: proinde calidiorę sine corporis vulnere, sine penetratione totius corporis pilos combussit: si autem multum impetuosa extiterit, & corpora quibus occurrit, fuerint dura; ad minutas partes illa frangit, velut in arboribus experientia frequens ostendit. At vbi hæc exhalatio æqualiter se habebit ad vtrũque, alterat vtrque & vulnerat. Cum igitur fulmen non semper cum lapide descendat; propterea philosophus disputans de tonitruis, lapidis non meminit. A Peripatheticis triplex fulmen distinguitur: vnum quidem quod dissipat: aliud vero quod vrit: tertium quod obtenebrat. Porro, fulmen, quod obtenebrat, tenuem habet flammam; tenuis exhalationis est enim: quod vero dissipat, materiam habet crassam. quare non valens penetrare, dissipat & frangit. vrens vero, rebus quas ferit, plurima relinquit ignis indicia. Sunt autem plurimi istarum rerum effectus: magno siquidem cadente tonitruo, vina in doliis, & subuertuntur, & corrumpuntur. Imo, authore *Plinio*, dolia exhauriuntur intactis opertmentis, nulloque alio vestigio derelicto. In causa vero est, quod putrefactio sit quædam propriæ atque innatæ extraneatio caliditatis. exhalatio quoque calida cum sit & sicca, & subtilis, magno impetu descendens, per poros transit dolij ad vini substantiam, eius propriam & innatam caliditatem alterando, quam cum à propria ipsius natura diuerterit, illico corrumpit. Aliquando præterea dolium fulmine percussum frangitur, stante nihilominus vino, & non se effundente. In causa autem est exhalatio, quæ cadit cum fulmine, ignea enim cum sit, vinum circumcirca crusta vestit, instar pellis, quæ vinum retinens, non effunditur. De cæteris autem liquoribus simile potest esse iudicium. Verum, animal, vinum, & similia fulmine icta, venenum sapiunt; exhalatio namque sicca adusta, & vrens, multas vini partes, vel animalis humiditates per viam suffocationis, aut prohibitæ transpirationis redditur venenosa; ideoque sapore & odore sulphurea sunt omnia. Quapropter, bibens aut vescens huiusmodi; aut demens redditur, aut cito moritur. Ex veneno siquidem derelicto hæc virtus proficiscitur; vnde fit, vt animalia venenosa fulmine icta, à suo corrigantur veneno, corruscationis enim exhalatione humor venenosus extinguitur, paulatimque cum fulminis exhalatione euanescit. Oua quoque gallinarum illo tempore, aut franguntur, aut sterilia fiunt; exhalatio namque illa, quæ est corruscatio, cum oua ferit, si crassa fuerit, illa frangit: si tenuis, penetrans per poros, spiritum genitiuum in albumine contentum dissoluit: & sic oua redduntur sterilia. Amplius, coruis ignem deferre videntur per aerem: nam cum corruscationibus, multæ interdum igneæ impressiones fiunt, quibus deorsum extrusis, coruorum obtutus inflammetur pariter, & obtunditur: quapropter rubra illa aspicientes ignita, quęsi carnes insectantur; sicque ore ignem ferre videntur. Fulmen præterea interdum corporis, & femoris pilos vrit, reliquo corpore illæso remanente: interdum alterat corporis colorem tantum. aliquãdo interficit, & nullum vstionis apparet vestigium: interdum vero apparet. In linguis percussionis relinquitur signum, vnde & albissima fiunt. Omne præterea percussum fulmine, caput vertit contra fulminis impetum. Arbor insuper fulmine icta, astulas euulsas contra fulmen erigit. Hyeme & æstate, teste Plinio rara fiunt fulmina, contrarijs de causis; hyeme enim densatus aer crassiore corio inspissetur, nimirisque restratum exhalatio rigens ac gelida, quicquid accipit ignei vaporis, extinguit. Vere autem & autumno crebriora fiunt fulmina, corruptis in vtroque æstatis hyemisque causis: crebriora autem spectantur, sole decurrente per sagittarium, & hanc ob causam poetæ sagittarium appellant, quod eo tempore Iuppiter sagittas emittat. Inde fit, vt in Scythia, & Ægypto huiusmodi fulgura minime fiant: altera nimio frigore, altera autem calore, illa non habendo, hæc autem exhalationem consumendo. Qua de causa in Italia crebra fulmina fiunt, quia nimirum mobilior aer, mitiore hyeme, & æstate nymbosa, semper quodam modo vernat, & autumnat. Tonitrua hyemalia & matutina prætendũt aquas: æstiue vero, si vel meridie, vel vespertina sint, idem enunciant. Corruscationes vndecunq; fiant, inde aquam vel ventum iudicant. & vespertinæ similiter; si ab Austro corruscauerit, aquam vel ventum nuntiat: Zephyrus corruscans ad Boream, tempestatem vel aquã protestatur: æstate vespertinæ corruscationes confestim ante tres dies aquas ostendunt. in autumno corruscationes, quæ à Borea sunt, aquosæ declarantur. Quando in anno fulmen magna ædificia elidit, præcipue templa, frugum inopiam atque sterilitatem præsagit, maximeq; fructus sui temporis. Plinius *lib. 2. c. 55* Ex ijs, inquit, *quæ terra gignuntur, lauri fruticẽ non tacidit aut ledit fulmen. nec vnquam quinq; altius pedibus descẽdit in terrã.* Ideo pauidi altiores specus tutissimos putant, aut tabernacula è pellibus belluarum, quas vitulos marinos appellant; quoniam hoc solum animal ex marinis non percutiat sicut nec ex volucribus aquilam, quæ ob hoc, armiger huius teli fingitur. Inter Terracinam, & ædem Feroniæ, turres bellicis temporibus desiere fieri, nulla nõ earum fulmine diruta. Quem ob causam maiores nostri in domibus laurum plantare consueuere. Tyberius Imperator, tonante cælo coronam lauream suo capiti imponabat; quoniam, vt inquit Suetonius, fulmine afflari negatur id genus frondis. Narrant boni authores corallum contra fulmen valere: lapidem quoq; qui cum fulmine cecidit, si in ostro suspendatur, domum à fulmine præseruaturum: dormientes quoque & prægnãtes nequaquam fulminari. hæc physice dicta sint: Catholici vero sanctiora, ac veriora dicunt. Aqua benedicta plurimum contra fulminum ictus valet. campanarum sonitus: & his similia. Hæc de fulmine dixi. De halo autem cum Arist. 3 *meth.* pauca dicamus. Ipsius halo, inquit, apparet sæpe circulus totus & fit circa solem & lunam, & circa splendentia astrorum. Adhuc aũt non minus nocte q̃ die & meridie quam sero: diluculo autem minus, & circa occasum. Hæc ille. Halo, quẽ nostri coronam lunæ appellãt, totum circulum habet: iridis vero semicirculũ. Fit circa solem lunam, & sydera notabili quantitate splendentia; quia emittunt radios ad nubẽ ipsius superpositã, è qua ita refrengitur, vt halo appareat. Omni tẽpore anni apparere potest, modo nubes apta colligatur inter stellam, & nostrum aspectũ. Verũnamen magis autumno; tunc. n. nubes apta magis viget, in hyeme aũt propter nimiam nubium densitudinẽ, transparentiam radiorum prohibentem, æstate vero ob nimiam caliditatem, nubem rarefacientem, vt radios refrangere nequeat, minus apparere potest: magis autumno quam vere, quoniam vernalis nubes propter frigiditatem ea hyeme præterita derelictam, densior est, quam autumnalis, ideoque refractioni ineptior. Magis autẽ apparet de nocte circa lunam, quã interdiu circa solẽ, propterea quod luna tẽperatam habens caliditatẽ, vim exercet in humidis.

I apis fulmineus. — *Forma lapidis.* — *Cecidit corpus vituli mortui.* — *Quare philosoph. non meminit lapidis.* — *Fulminis species.* — *Fulminis effectus.* — *Frangitur dolium, & non effunditur vinum.* — *Fulmine ictum est venenosum.*

De Fulmine. — *Oua gallinarũ fiũt sterilia.* — *Oculi coruorum obtunduntur.* — *lib. 20.* *In quibus temporib. fiant fulmina.* — *In Italia crebriora fulmina.* — *Signa tonitruum & corruscationum.* — *Remedia contra fulmina.* — *Laurus nõ læditur.* — *Corallũ.* — *Dormientes.* — *Halo quid sit.* — *Tempus.* — *Magis circa lunam*

Minus

De Iride. *Materia.*

Minus autem in occasu ac ortu apparet; quoniam tunc vapores crassiores sunt, ita, vt radiorum refractioni apti non sint. Itaque, halo est circulus circa lunam, aut aliud astrum apparens, qui fit vapore in raritate, & densitate mediocri, diametraliter inter astrum, & visum nostrum interposito, super quem lumen astri incidens, ipsum in medio distingit, in extremitatibus radijs refractis, ob vaporis densitatem, in quibus colores videntur debiles tamẽ. *Colores.* Eadem ex causa colores varios in aere cernimus: maxime autem puniceum circa solis ortum, vel occasum. Similiter & virgas coloratas in nubibus discontinuis videmus. In nocte quoque voragines, & hiatus in cælo videre nos dicimus; cum eadem in vapore, cuius medium densius est, propter longiorem distantiam contingant. *Soles plures.* Soli autem si nubes à latere obiectæ fuerint, ex reflexione plures videntur: sic speculo aquæ immerso cum solis stellæ cernuntur, tametsi secundaria sit solis imago.

CAP. IV.

De Iride.

Quid sit iris. IRidie, inquit Philosophus *tertio meteor.* nunquam fit circulus: neque maior semicirculo decilio. Et occumbente quidem, & oriente, minimi certe circuli: maxima autem portio. Eleuato autem magis; circuli quidem maiores, minor autem portio. Hæc ille. *Iris est fœdus.* De Irida cum Philosopho locuturi, paulo altius huius rei materiam auspicabimur. Iris ab εἴρειν, quod est nuntiare. Nam Poetæ deorum nuntium fingunt: Virg. *Irim de cælo misit Saturnia Iuno.* Est autem arcus tricolor in nube rorida, & concaua ex resplendentia Solis oppositi apparens. Nubes siquidem rorida ob continuas guttulas satis tersa atque polita, ad instar speculi se habet: proinde ipsum solem præsaferre ob paruitatem guttularum non valens, ex radiorum reflexione, *Colores.* quosdam colores repræsentat: quemadmodum ex resplendentia solaris luminis per vitrum aqua plenum, in opposito parte a videntur. Etenim nube densiore existente, fortior fit reflexio, videturque color puniceus; albũ *Puniceus.* enim visum per nigrum, rubeum, siue puniceum apparet: nube vero rara existente, fit reflexio debilis, & viridis color cernitur: at si rarior extiterit, reflexio erit debilior, apparebitq; color alurgus purpureus: color vero glaucus, ex iuxtapositione viridis, & punicei generatur: ideoq; iride deficiente, puniceus comeat in glaucũ. Sunt, inquit Philosophus, quidam colores, quos pictores facere non possunt, hoc est, phantasticos, & ex duobus coloribus resultantes: quosdam autem ipsi miscent. Puniceus autem, & viridis, & alurgus, non sunt mixti: Iris autem hos habet colores pro veris, & *Colores veri.* non ex phantastice resultantes. Color vero inter puniceũ & viridem, est flauus, qui phantasticus appellatur. Tex. *Parelij. Virga.* Parelij autem & virgæ fiunt ex latere semper, & neq; desuper, neq; ad terram, neq; ex opposito, neq; etiam nocte; sed semper circa solem: adhuc autem, aut dum ascendit, aut dum descendit semper: secundum plurima autem ad occidentem: dum autem in medio cæli est, raro, vt in Bosphoro aliquando accidit; per totam enim diem simul orientes duo parelij permanserunt vsque ad occasum. Hæc ille. Accidentia narrat, quæ circa virgas parelios contingant. Est autem *Color virga.* virga lines quædam perpendiculariter ab ea cæli parte, quæ est ad latus solis descendens, in qua facit angulos rectos. Color vero huius loci aut pallidus, aut fuscus, aut trisectus *Pallidus.* est, vt color iridis. Pallidus quidem ob subtile aqueũ, quod in vaporibus existens, illustratur ad palloram: fuscus vero propter frigus opprimens, atque condensans ipsos vapores, in quibus solis radij obfuscentur: trisectus vero coloribus iridis; quoniam vapores qui à nube ad terram diffunduntur, in quibus radij solis suscipiuntur, secundum rarum & densum, diuersi ac dissimiles apparent. Parelij, latine imagines solis, vel solea vnde parelus, quasi alter sol. *Parelij imagines solis.* Est autem vapor à latere solis collocatus, refractis ab ipso solis radijs apparens, veluti alter sol. Fiunt, inquit Philosophus, ex latere solis semper, non desuper ad solem, neq; ad terrã, seu directa sub sole. Neque ex opposito ad solem, ad ortum scilicet, vel occasum: ex quo patet duo esse latera solis, vnũ quidam boreale, quod ad nos vergit: alterum vero australe, *Latera solis.* & illud tendit ad Æthiopas, vel ad Antipodes. Duæ etiam *Duæ contrarietates.* sunt contrarietates solis: ante scilicet & retro. Sole ergo tenente cæli medium, ante dicitur occasus, retro vero ortus. Parelij ergo fiunt ex latere solis semper australi scilicet, aut boreali. *Quæ refrangunt.* Refrangitur autem visus: ab omnibus videtur planis: horum autem est, & aer & aqua. Aqua quidem cum est rara: aer vero cum est spissus: huiusmodi quoque sunt nubes, caligo, nebula, & id genus. Lumen autem, teste Alexandro, refrangitur, quod exiens à corpore lucido, in oculum *De Iride.* tendit; colores vero mouent diaphanum illuminatum, aliquo modo illud colorando. *Visus ab aere refrangitur.* Visus autem refrangitur ab aere, spisso, seu crasso existente, aut permixtione exhalationis terrestris, & crassæ, aut inspissatione facta à frigido; vtrouis enim modo aer inspissatus accedere videtur ad opaci naturam, cuius est prohibere multiplicationem visus, vel luminis secundum rectum. Potest etiam radius visualis refrangi, non quidem ab aere spisso, sed sua in dispositione existente, propter visus debilitatem: qui non valens penetrare aerem spissum, eo veluti speculo vtitur. Propter visus, inquit, debilitatem, sæpe etiam sine inspissatione, fit refractionem. Qualis ægritudo accidit Antipheronti Oretano *Antiphero.* debiliter videnti, qui sibi ipsi occurrere videbatur, vt vbiq; suam imaginem cerneret. Patiebatur hoc, quia visus refrangebatur ad ipsum; sic enim debilis erat, & tenuis adeo ob infirmitatem; vt & speculum fieret propinquus aer, & non posset repellere, sicut qui longe est & spissus. Philosophus In lib. de somno ait, in melancholicis humoribus, qui de vno organo sensitiuo mouentur ad aliud, idola in memoria existentia, ad exteriora sensoria ferri, non solum in somno; verum etiam in vigilia. Humor igitur melancholicos, ad or- *Humor melancholicus fert imagines.* gana aliquando exteriora motus, diuersas affert secum imagines: quoniam vero accidit interdum, vt propriam imaginem sensorijs exterioribus offerat; propterea Antipheron propriam imaginem conspexit. Sic Caius Cassius inter pugnandum in campis Philippicis, Cæsarem minabundum vidit. *Alexand.* Alexander: Erat, inquit, super pupillam Antipheronis humor, siue spiritus innaturalis crassus, & per totum diffusus, qui alterando visum interius, ægritudine tenuam & debilem fecit, vt aliquod extrinsecum, velut imaginem propriam reputaret. Hac de causa promontoria à mari auulsa videntur: & spirantibus ventis australibus, naturam magnitudines, montes: & arbores, maiore, quã sint, esse videntur. Visus quoque ab aqua maxima refrangitur; sunt enim quatuor, ex quibus refractio fieri potest: nempe *Visus ab aqua refrangitur.* aer, aqua, nubes, rorida caligo: fit autem maxime refractio ab aqua: deinde à nube rorida: postea ab aere spisso, & caligine: sed à caligine magis, è cuius refractione fit halo: fit igitur refractio maxime à nube incipiente, hoc est, quæ incipit aqua fieri: nubes enim rorida, quæ fit ex guttulis, est magis speculum, quam caligo, ex qua fit halo: ideoque magis re- *Quomodo nubes fit speculum.* frangit visum. Itaque ad colores iridis formandos hæc sunt necessaria: vt scilicet incipiat pluere: vt aer in nubibus existens consistat in rorationes, & guttulas, quæ sunt parua specula: tamen, vt non pluat: postremo, vt sol aut aliquod corpus fulgidum, ad oppositum nubis diametraliter ponatur. His ita stantibus, nubem ipsum primo speculum fieri necesse est: ab illa deinde nube refractionem ad fulgidum oppositum; tertio illius fulgidi obiecti in vnoquoque speculo, quod est paruum, & ad sensum indiuisibile coloris emphasim, non figuræ: in iride ergo est coloris, & non figuræ cor- *In iride est coloris apparitio.* poris apparitio. Cæterum, nihil refert ad rei rationem, si iris appareat in reliquijs, siue in pluuiæ principijs: modo aer sit *Duo necessaria ad iridem.* ad guttulas conuersus, quæ (vt dixi) sunt specula. Itaq; duo tantum simpliciter sunt necessaria ad iridem efficiendam: quorum alterum est corpus fulgidum: alterum ipsa nubes. Ex parte autem solis, vt sit ad oppositum nubis diametraliter: ex parte vero nubis, vt sit rorida, hoc est, ex multis guttulis aggregata. Color autem in iride in tanta apparet magnitudine, tametsi parua sint specula, in quibus apparet astri color, & non figura; quia ex illis guttulis fit secundum sensum vna continentia, quæ propter loci distantiam vna videtur magnitudo. & ita vnus color, qui, quoad sensum, ex omnibus illis coalescit. Quare, quoniam contingit hæc accidere, cum se habeant hoc modo, & sol & nubes, & nos sumus in medio ipsorum, erit propter refractionem emphasis quædam, quæ quidem & tunc videtur, & nõ aliter se habentibus, iris facta. Ad quatuor, nempe corpus fulgidum, nubem, diametralem oppositionem fulgidi, & nubis: quintum addit, vt scilicet visus noster sit inter solem & nubem; *Quintum addit.* tunc enim & non alio modo videtur iris facta. Quod igitur iris sit refractio facta visus ad solem, manifestum est: quapropter ex opposito semper fit: halo autem circa ipsum. Differt autem iris ab halo colorum varietate; nam iris fit à *Differt iris ab halo.* nube aquea, & de longe fit refractio: situs autem oppositus est longissimus: halo vero fit de prope, & ab aere albiore secundum naturam. Itaque, halo est circa fulgidum, iris vero ad oppositum. Iris multos habet colores: halo pro maiori parte vnum. Iris longe abest à fulgido; quoniam in diametro situm habet: halo autem minime; inter nos enim, & fulgidum est. Hæc autem de causis iridis dicta sunt à nobis breuiter.

CAP.

De Iride.

CAP. V.

De coloribus Iridis.

Colores iridis.

DEinceps cum Philosopho de iridis coloribus verba faciamus: Apparet, inquit lib. 3. *Methe.* fulgidum, per nigrum, aut in nigro. Differt autem nihil, puniceum; videre autem licet, & viridium lignorum ignem, quod rubeam habeat flammam, propterea quod fumo multo mixtus sit ignis, fulgidus existens, & albus. Et per caliginem & fumum sol apparet puniceus. Hæc ille. Fit, inquit, color puniceus, corpore existente fulgido,

Color puniceus.

quando videtur per medium nigrum, aut fuerit in medio nigro collocatum. Etenim color fulgidi est albus, medij vero niger: albo vero nigro mixto, inde puniceus resultat medius color: quare, apparebit rubeus. Apparet id in igne, qui licet sit albus, in nigro, hoc est, in flamma visus, rubeam prætendit imaginem: similiter & sol, in caligine videtur puniceus. *Tex.* Quapropter iridis quidem refractio prima,

Prima circumferentia iridis punicea.

talem videtur habere colorem; à guttis enim paruis fit refractio: quæ autem ipsius halo minime. Prima, (ait) ac maxima iridis circumferentia, est punicea; adsunt enim omnes causæ, vt pote fulgidum nigrum, per quod tale fulgidum videtur: tale igitur fulgidum, nigro illius circumferentiæ mixtum, puniceum videtur; à guttis enim paruis, quæ nigræ sunt, fit refractio; & ita color speculi miscetur colori fulgidi. In halo autem minime; tum quia speculum non est ita nigrum, vtpote aereum, album, & rarum: tum quia halo, est fulgido propinquior, & sic radius fulgidi fortius incidit in speculum. Amplius, vt plures colores appa-

Quare halo non habeat varios colores.

reant, opus est, vt nubes in guttas paruas conuersa diu remaneat, quæ neque dissoluatur, neque penitus in pluuiam migret. At nubes, quæ est circa solem, diu stare non potest; siquidem crassa si exstiterit, mox à calore solis, in nubem mutabitur nigram pluuialem: si vero rara, ab eodem calore in continentem aerem dissoluetur: atque ita sub forma speculi diu permanere non poterit: hac de causa halo plures ac varios colores habere non potest. Secus autem se habet nubes iridis; quippe quæ diametraliter abest à sole; ideoque in illo intermedio est longa mora, vt non tam cito calor solis per antiperistasim consumat roridam nubem. Apparet

Iris circa lucernas.

quoque iris circa lucernas, vt plurimum australibus existentibus, sitque hyeme. Maxime autem manifesta fit, humidos habentibus oculos; horum enim visus, cito propter debilitatem refrangitur: fit autem ab humiditate aeris, & ab euaporatione à flamma defluente & mista. Tunc enim fit speculum, & propter nigredinem, fumosa enim est euaporatio illa. Sensus est, ad illam iridem producendam, omnes propemodum causæ præsto sunt: tempus hyemale, ventus auster, aer humidus, flammæ euaporatio, quæ illi aeri commista, speculum aptum reddit: quare eo tempo-

Differentia inter vtramque iridem.

re sæpe hæc contingere solent. Aliquid tamen interest inter vtramque iridem; nam iris lucernæ apparet purpurea: solis vero punicea, quoad primam saltem circumferentiam. Lucernæ præterea lumen, non album, sed purpureũ apparet; est enim visus paucus, & debilis, qui refrangitur in iride lucernæ: & speculum refrangens, est nigrum, crassum, atque fumosum: at fulgidum visum per valde nigrum

Iris in aqua maris.

apparet purpureum, hoc est, rubeum, obscurum. Remi præterea postquam percussam aquam maris sursum sustulerint, in minutissimas guttas deducunt, expansamque ad modum speculi, soli opponunt: ad quam cum inciderit radius solis, refrangitur, apparetque iris, potissimum si ad latus maris, vbi fit percussio, vmbra extiterit: ex cognitione

Iris tricolor.

autem puniceicoloris, alios intelligere possumus. Est autem iris tricolor: nam alius color est insensibilis: Prima, inquit, exteriorem puniceam habet; à maxima enim peri-

Puniceus.

pheria, plurimus incidit visus ad solem: maxima autem quæ extra: contigua autem, & tertia proportionabiliter. Hæc ille. Sensus est, à sole ad ipsum visum fit maior refractio, quæ fortius alterat visum: fortior autem alteratio colorem facit puniceum, qui profecto ipsi, quod refrangitur lumini, est proximior. Contigua autem peripheria, quæ media est, & tertia, quæ est vltima, proportionabiliter colorem habent puniceum: nam cum à secunda peripheria

Viridis.

debilior fiat refractio; color in ea videbitur obscurior, & sic viridis apparebit. In tertia autem cum color erit adhuc multo obscurior, quia minor refractio fiet, alurgus videbitur. A minori autem, & maiori peripheria non fit refra-

Alurgus.

ctio, per quam coloris visio fiat sensibilis. Illa quia fortior, nullum præter aeris calorem facit; hæc, quia debilior, præter illum minime alium colorem apparere facit. Quare, inquit, si quæ de colorum phantasia dicta sunt bene; necesse est, & tricolorem esse ipsam iridem, & his coloribus colo-

rari. Xanthus apparet, propterea quod secus se inuicem appareant, puniceum enim iuxta viride, album apparet. Sensus est, xanthus, hoc est, flauus, siue citrinus color apparet

De Iride.

Flauus.

quidem, non ex visus refractione, seu luminis; non enim esset iris tricolor, ait Alexander; sed ideo apparet, propterea quod secus inuicem puniceum, & viride appareant: puniceum enim iuxta viride prospectum, album apparet, hoc

Quartus color.

est, tendens ad album, quale est flauum aut citrinum. *Tex.* signum autem huius est, quoniam in nigerrima nube, maxima pura fit iris. Accidit autem tunc puniceum videri magis xanthum esse. Est autem xanthus in iride color inter puniceum & viridem: propter nigredinem igitur eius, quod in circuitu est nubis, totum ipsius apparet, quod puniceum

Resultat ex puniceo & viridi.

est album; est enim ad illa album. Sensus est, quod color flauus resultet per contrapositionem ad nigrum, vel ex hoc maxime patet, quod in nube nigerrima tres solummodo colores videantur: puniceus enim color, ob nubis nigredinem, non rubeus clarus, sed flauus apparet. Et iterum, marcescẽte iride propinquissime, cum soluatur puniceum, nubes alba existens adiuncta secus viride, permutatur in flauũ, non in viridem colorem, qui magis tendit ad nigrum. Cæterum, quatuor metheorologicas emphases in sublimi aeris regione fieri asserit philosophus; nempe iridem, halo, parahelium, & virgas: quæ quidem ex refractione luminis

Colores the fiebant ex refractione luminis ad visum.

facta à nube, ad nostros oculos perueniunt; visio enim non fit, teste Auer. 2. *de anima*, per extramissionem, alioqui color non esset per se visibilis. quippe qui non per rationem sibi intimam, sed per radium visualem sibi extrinsecus accedentem, videretur. Et reuera, visio non fit transmittendo; nam sensus patitur à sensibili, excellens enim sensibile corrumpit sensum: quod quidem minime fieret, si sensibile, non ageret in sensum. Sane, sensibilibus abeuntibus à nostris sensibus, memoriæ, & idola remanent rerum: sensibilia ergo mouerunt sensus. In sensus agunt ergo. Iterum, quibus sunt oculi humidi, parua visibilia maiora videntur: in 1.

causa autem sunt illorum imagines, quæ illorum oculis imprimuntur; quæ crassos humores reperientes, crassæ ipsæ 2.

quoque apparent; secus autem res se haberet, si visio extramittendo fieret; siquidem debilis cum esset, non maiora, sed minora visibilia redderet: debiliter visum, apparet obscurũ, & paruum: ait Philos. 3. methcor. Sed *dubitabit* aliquis: quomodo huiusmodi sint in medio, & lumen etiam, intentionaliter, an realiter. *Ad quod* dici potest, aliquam formã esse realiter in aliquo subiecto, posse dupliciter intelligi: nẽpe, ibi esse absque intellectus operatione, & hoc modo lumẽ rea-

Quomodo lumen sit realiter in medio.

liter esse in medio: alio modo, quando est in eo, non quidẽ vt alterius rei similitudo, & ita lumen non est in medio; necessario enim lumẽ est in medio, vt lucis similitudo. Etenim si lumen esset in medio, non quidem vt lucis similitudo; tũc & lux & lumen cũ viderentur, facerent speciem in sensu: & ita lux non videretur per lumen, sicut per propriã speciem; quod plane ab omnibus reijcitur. Lumen ergo est realiter in medio, quia non per operationẽ intellectus, & intentionaliter; sed vt lucis similitudo. Lumen aũt refractum, si refrangens sit coloratum, secundũ superficiem, aut profundũ, est principium phantasiæ coloris alterius; proueniet .n. color ille ex præsentia luminis, in perspicuo per opacũ terminato, diuersimode tamen; nam ex multo lumine, & pauco opaco, fit phantasia albi coloris: ex multo autem opaco, & pauco lumine, phantasia nigri coloris: phantasiæ autem mediorum pro proportionibus medijs: colores autem iri-

Colores iridis esse veros.

dis sunt veri; illud enim quod visus iudicat se apprehendere per se, & primo; proculdubio est color secundum veritatem; sensus enim non decipitur circa proprium obiectũ. 1.

sed in apprehendendis iridis coloribus, & huiusmodi, sensus iudicat se apprehendere: sunt ergo veri colores, quos se apprehendere iudicat. Item, in iride sunt veri coloris prin- 2.

cipia; est enim ibi perspicuum terminatũ per opacũ ratione materiæ; lumen existens actu, ratione formæ; ergo quod prius. Itaque, colores iridis sunt veri colores, in nube naturaliter verè existentes: tametsi esse debile, ac imperfectũ habeant; nã color aliquando luminis præsentiã, in perspicuo per opacũ terminato consequitur; aliquando vero principia corporis intrinseca, ipsa sc. miscibilia in mixto existẽtia, esse permanẽs habentia, & absolutũ. Color ergo, qui ex lu-

Sunt veri colores.

minis præsentia in opaco terminato causatur, habet esse debile, nõ constans & permanẽs: at color ex principijs intimis causatus, habet esse permanẽs & perfectũ. Itaque, colores huiusmodi nõ ex solari refractione prodeunt; cũ luminis .n. refractione, adest mixtio luminis cũ opaco. Nũ sunt quoque ite veri, sicut illi, qui ex intimis mixti corporis causantur principijs; sũt tamẽ veri, causati ex mixtione luminis cũ opaco. Qui a

Alia quæstio.

vero nõ habẽt esse permanẽs sicut & illi, idcirco ex quocumque

situ

 fito indifferenter videri non possuot. Alii dicunt, emphases istas posse accipi dupliciter: formaliter, & obiectiue: & formaliter quidem esse species lucidorum corporum: obiectiue vero colores illorum, & non nubium. Sunt ergo (secundum istorum sententiam) lucidorum corporum colores emphastice repræseneati per species à nubibus ad oculos refractas: quæ ideo emphastice illos repræsentare dicuntur; quoniam non pure, sed speculorum colotibus commissæ refrangontur. Res est magnæ caliginis, ita vt vnusquisque valeat in hoc negotio abundare in sensu suo. Cæterum, quomodo fiant colores, & visio, alibi Deo authore dicemus. Ee de iride hæc dixisse sit satis.

QVÆSTIONIS QVARTÆ

CAP. I.

De ventis.

De ventis posthac loquamur, de quibus Philosophus 2. *metheor.* diserte copioseque disputat: De spiritibus, inquit, dicamus, sumentes principium quod dictum est à nobis iam prius. Sunt enim duæ species exhalationis vna quidem humida, altera autem sicca. Humida quidem pluentis aquę, sicca vero spirituũ principium est. Hæc ille. *Materia venti.* De materia ventorum nulla prorsus inuenitur inter Philosophos controuersia, asserunt n. eam esse exhalationem terrestrem tenuẽ: nam crassa quæ in terræ visceribus conditur, est terræmotus materia. Nec tenuis, quæ vnctoso ac pingui humido permista; hæc enim traiectionũ, ac stellarum discurrentium materia est; sed quæ pingui humido vacet: nam permista humido aquoso, licet humido pingui careat, est nihilominus coruscationum materia. *Quid sit calida & sicca exhalatio.* Venti ergo materia, est exhalatio terrestris, tenuis, carens pingui & aquoso humido, subtilis effecta ac calefacta, & exsiccata à sole & à stellis: est ergo huiusmodi exhalatio calida & sicca. vnde quamuis terrestris exhalatio sit frigida & sicca; in venti tamen descriptione ponitur calida: quia nimirum per eam ventus est describendus qualitatem quæ tunc illi actualiter inest. At in vento reperitur exhalatio actu calida, vtpote per solis stellarumque actionem calefacta: est igitur ventus exhalatio calida & sicca, quæ impetuose à frigiditare mediæ regionis propellitur, aerem ad magnam distantiam fugans. *Forma venti.* Cæterum, ventus dupliciter considerari potest. vno quidem modo, quatenus est quoddam mistum substantialiter in propria specie constitutum, & sic forma venti est quædam forma mixti imperfecti, cui specificum nomen non est impositum, per quam ventus est tale mixtum in propria specie constitutum; sic enim & cætera mixta formas substantiales habent: altero autem modo sub ratione venti, quatenus vnus ventus differt ab altero, non quidem substantialiter, sed accidentaliter differentia motus: & *Motus localis.* sic forma venti est motus localis, quo ventus ex aliquo regionis puncto, ad suum oppositum mouetur; huiusmodi *Causa finalis venti.* enim motu venti inter se specie distinguuntur. Finalis autem causa venti est duplex, generationis quidem est eius forma, quæcunque illa sit: rei vero genitæ, est bonum vniuersi. Causa autem effectrix est sol, teste Philosopho 2. *metheor.* Lato, inquit, sole circulariter, & cum quidem appropinquauerit, caliditate eleuantẽ humidum: longius autem facto propter infrigidationem consistente, iterum sursum ducto vapore in aquam, propter quod hyeme magis fiunt aquę in nocte, quam die. Existit autẽ in terra multũ ignis, & multa caliditas: & sol non solum supernatans, terræ humidum trahit; sed etiam terram ipsam desiccat calefaciens. *Causa effectrix ventorum & pluuiæ, est sol.* Sensus est, sol æstiuo tempore trahit vapores, illosque sursum conseruat: non quidem in vaporum, sed in aeris formam, in quem mutantur: hyeme vero sub forma pluuiæ deorsum demittit. Sol etiam suo motu fumum efficit; etenim cum terra multum ignis atque caliditatis virtute contineat, sicuti mare multum humiditatis. sol autem non solum humidum terræ supernatãs trahit; sed etiam terram ipsam exiccat calefaciens, & in fumum conuertit. Itaq; quo *Vapor.* tempore vapores eleuat; & fumos etiam, qui iterum redeunt: verum, quia vapores non vna, sed diuersis formis vestiti, ad terram descẽdunt, nempe sub forma pluuiæ, roris, & pruinæ; sic etiam exhalatio sub forma ventorum, tonitruorum, & huiusmodi. Solis igitur motu vtraque exhala*Exhalatio.*tio eleuatur & redit. Exhalatio igitur vaporosa, pluuiarum; fumosa vero ventorum principium est. Exhalationem autem differre necessarium est, & solem: & eam quæ in terra est, caliditatem hoc facere, non solum possibile est; sed etiam necessarium. Sensus est, ventus differt à pluuia. & fumosa igitur exhalatio à vaporosa; effectus enim sunt oppositi, ventus scilicet & pluuia. Quoniam autem aer est altera species ab vtraque exhalatione; perspicuum est illa non esse idem, sicut quidam aiunt, eundem aerem motum ventum *Ventus non est aer motus.* esse: consistentem autem, siue inspissatum iterum aquam. Profecto, aer constat ex his exhalationibus secundum alteram qualitatem, puta ex exhalatione, fumosa sicca, & calida, & ex vapore frigido & humido. Ab vtrisque autem differt secundum alteram qualitatem. & conuenit etiam; est enim aer humidus & calidus. *Alia opinio.* Alij dixerunt aerem esse ventum tantum, non ventum, & aquam, vt primi: Aer, inquiunt, est ventus à certo terræ puncto, vtpote Boreas à septentrione, & Auster à meridie. Sed absurdum est, vt aer iste circumfusus, vndequaque motus, ventus nominetur, nam sicut fluuios existimamus, non qualitercunque esse aquæ fluentis, neque si habeat multitudinem; sed oportet fontanum esse, quod fluit; sic & de ventis se habet. *Fluuij & venti similitudo.* Mouebitur enim vtiq; magna multitudo aeris ab aliquo magno casu, non habens principium, neque fontem. Oportet ergo aerem esse motum ab aliqua exhalatione, veluti ab aliquo fonte, siue principio. Alexander asserit venti generationem cum fluuij productione cognationem habere. Sicut, inquit, paruæ partes aquæ, in diuersis terræ partibus genitæ, cum ad aliquem locum decliuiorem confluunt, fontem constituunt, qui fluuij origo est, cui in itinere per concaua loca aliæ aquę coniunguntur, quæ ab aliis fontibus descendunt, & sic fit fluuius magnus, ad mare decurrens; sic diuersæ partes exhalationis, à diuersis terræ partibus eleuatæ, sursum colliguntur ad aliquem vnum locum, à quo repulsæ, ventis originem tribuunt & principium. Itaque causa effectrix *Media regio causa effectrix ventorum.* vniuersalis est sol: aeris vero media regio, ventorum causa proxima; sua enim frigiditate exhalationem accedentem procul pellit. Quam ob causam, ipsamet est generationis ventorum causa, siue locus; idem enim est locus pluuiarum, *Locus generationis ventorum.* & ventorum. Siquidem ventorum materia est rarior atque leuior ea, ex qua pluuiæ generantur: crassior vero atq; grauior illa, ex qua traiectiones, & discursus fiunt. Hunc locum duobus millibus à nobis distare, Ptolemæus affirmat. locus autem generationis ventorum per accidens, est montium concauitas in quibus contingit inueniri frigidum pellens, & exhalationem calidam & siccam. atque aliquod calidum, à quo huiusmodi exhalatio eleuetur. Frigiditas igitur mõtis, huiusmodi exhalationem propellens, ventum producit. In montibus ergo potest ventus gigni, per accidens tamen. Itaque, quæ sit materia, forma, finis, causa effectrix, ac generationis locus per se. & per accidens, patet satis. Materia enim est exhalatio calida & sicca, tenuis sine vnctoso, & humido: hoc idem à Philosopho docetur 2. metheor: Testantur, inquit, facta dictis; quia enim continuo quidem, magis autem & minus, plus & minus fit exhalatio, semper & nubes, & spiritus fiunt secundum tempus vnumquodque, vt apta sunt. *Anni pluuiosi & ventosi.* Quia autem aliquando quidem vaporosa fit multiplicior: aliquando autem sicca, & fumosa, quandoq; quidem pluuiosi anni sunt, & humidi: interdum vero ventosi & sicci aliquando igitur accidit fieri & siccitates, & imbres multus simul, & secundum magnam & continuam regionem aliquando autem & secundum partes; quia nimirum in vna eius parte fit siccitas, in altera imber simul. Nam sæpe regio in suo ambitu, siue circulo, imbres tempori conuenientes accipit, & quidem multos: in eiua vero medio siccitatem: aliquando autem contrario modo se habet. *Quare in vno loco vigat ventus, & non in alio.* Causa autem, cur aliquando passio huiusmodi, vniuersam regionem occupat, & quidem, vt plurimum, est, quia partes cum sint prope, propter paruitatem regionis, similiter ponuntur ad solem nisi aliquod diuersum, vtpote mons, sylua, vel stagnum, impedimento extiterit. Quin imo aliquando secundum hanc quidem partem exhalatio sicca facta est amplior, quia mihi locus est suæ generationi aptior secundum aliam vero eiusdem regionis partem, fit magis vaporosa, ob eandem rationem. In vna ergo eademque regione, pro exhalationis diuersitate, atque partium, potest esse imber & ventus. Vtraque etiam pars in vicinam commeat regionem, vel sicca exhalatione in propria regione permanente, humida abeat in regionem propinquam: aut ad aliquem locum remotum à spiritibus propulsetur: aliquando autem hæc quidem mansit, contraria autem idem fecit. Et accidit *Exemplum corporis.* hoc sæpe sicut in corpore, si superior venter siccus, inferiorem contra disponit. Et hoc sicco existente, humidum esse superiorem, & frigidum. Sensus est, si locus in quo epar est, fuerit siccus; stomachus erit humidus per antiperistasim: ab epatis enim siccitate stomachum circundantis, humiditas stomachi augetur: plerumque enim fit, vt qui epar calidum habent, frigido sint stomacho. frigiditate quidem stoma-

chi, à calido epatis coadiunatur, atque ita fit fortior. Etsi venter inferior fuerit siccus, superior vicinus erit humidus; crescit enim superioris humiditas per antiperistasim inferioris: Sic, inquit, accidit circa loca pati antiperistasim, & exhalationes permutari. Quod autem hæ duæ exhalationes sint distinctæ, ex hoc patet, quod pluuia cessante, surgunt venti. Adhuc, inquit Philosophus, post imbres ventus fit, in illis locis, in quibus erant geniti imbres; cum enim pluerit in aliqua regione, terra desiccatur, tum à calido, quod est in ipsa; non enim pluuia illud penitus extinxit: tum à sole & stellis. Hæc autem desiccatio, est venti corpus, & origo; nam hac surgente, venti dominantur & surgunt: post imbres ergo ventus; illis enim contrarijs existentibus, contrarij quoque sequuntur effectus. Item, ventis sedatis emergunt pluuiæ: sedationis profecto causa, est exhalatio calida, quæ à terra attollitur, & in superiorem partem fertur: vbi inuenta media aeris regione frigida extinguitur, ipsa in nubem conuersa, ex qua fit aqua. Cessantibus ergo ventis, emergunt pluuiæ. Amplius, & cum in eundem locum, ad quem compulsi erant venti, nubes compelluntur, & ad ipsas nubes mediæ regionis frigiditas antiperistificabit, illas circuendo aqua fit. & ita descendens siccam exhalationem infrigidabit: sicque ea ventis fit aqua propter easdem causas. Iterum, quod ex fumosis exhalationibus fiant venti, perspicuum esse potest vel ex hoc; quia maximi venti fiant à septentrione, & à meridie, propterea, quod ibi plurimum fit exhalationis huiusmodi Sol enim non transit super apicem eorum, qui illas colunt regiones; sed ad illa loca accedit, & ab illis recedit. Super occasus autem, & ortus semper fertur, propter hoc nubes consistunt in lateribus. Et fit accedente sole ad austrum, & Boream exhalatio humidi; quippe qui valet humidas exhalationes eleuare, non autem resoluere: ideo abscedẽte sole in contrarium locum, aquæ, & imbres emergunt. Ideo, propter lationem quidem solis, quæ est ad tropicos, & à tropicis, & æstas fit, & hyems. æstas quidem, quando aqua & vapores sursum eleuãtur: hyems vero cum aqua fit iterum, & cadit. Quoniam autem plurima quidem aqua in his locis est, in quæ vertitur, & à quibus auertitur sol: hæc autem sunt, & quod ad arctum est, & quod ad meridiem: vbi autem plurimam aquam terra suscipit; ibi plurima erit exhalatio, sicut ex viridibus lignis plurimum fumi. Exhalatio autem hæc ventus est; rationabiliter vtique hinc fient plurimi, & principalissimi venti. Quomodo ergo fit duplex exhalatio, & quomodo venti, & pluuiæ fiant, dixit Philosophus.

Cessante pluuia surgunt venti.

Ventis sedatis emergũt pluuia.

Venti magni Septentrio & Auster.

Tempora anni.

CAP II.

De motu venti.

POstquam venti audiuimus causas; deinceps audiamus illius motum, de quo multa dicta sunt ab an-
1. tiquis. Quidam enim arbitrati sunt; ventorum materiam dissimilarem esse, & tenuem quidem, locum superiorem petere, crassam vero inferiorem. Cum igitur vna impediatur ab altera, ad latus obliquumque exhalatio moueri compellitur. Exhalationi præterea sursum
2. motę medium frigidum occurrit, à quo pulsa iterum deorsum mouetur ad calidam regionem, è qua iterum ob illius caliditatem sursum eleuatur: sicque vnus motus alteri aduersatur. Cum igitur motus venti non fit penitus sursum, nec etiam similiter deorsum: ad latus ergo fit, necesse est.
3. Adde, quod Iupiter (secundũ Astronomorum sententiam) aquilonares ventos, & quidem salubres moueat: Sol orientales: Luna occidentales: Mars meridionales. Adhæc accedunt signorum triangularitates, ea namque quæ est Arietis, orientales concitat: Tauri vero meridionales. & sic de reliquis simile erit iudicium. Ventos igitur ita moueri aiunt, quoniam exhalationes à terra eleuatæ, ita mouentur. Auer. Auicenna, & Alexander affirmant, exhalationem, quæ est materialiter ventus, vltra mediam aeris regionem moueri non posse, ab illius vtique frigiditate repulsam, & deorsum remissam. Verum, ad terram vsque minime pertingit: primo quidem propter calorem, qui obuiando, illam subleuat: deinde propter exhalationem nouam, quę continua sursum mota, priorem ad terrã reuerti non patitur: exempli gratia, exhalatio, quæ est materialiter borea, vltra mediam aeris regionem non attollitur, vtpote ab illius frigiditate depulsa: neque ad terram vsque redit, nouarũ ascensu exhalationum impediente: ad latus ergo compellitur: non quidem aquilonis, ob nimiam illius frigiditatem: ad austrum ergo propulsabitur, continuatque motum versus eum locum, ad quem cœpit impelli; eius namque naturæ aer est, vt propria in regione, ad eum locum motum continuet, ad quem cœpit moueri. Adde, quod exhalatio si consideretur, vt corpus tali frigiditate affectum, deorsum naturaliter descendet; frigidum enim est generatiuum grauitatis: sin autem, vt motiuum est solis stellarumq; instrumentum; sic illud mediæ regionis frigidum ad latus oblique tortuoseque exhalationem mouebit. Itaq; non mouet eam deorsum; propterea quod huiusmodi motus obuiet particulari naturæ rei motæ: nec omnino circulariter; pugnat enim contra naturam illius frigidi, quod est mouens particulare. Mouet ergo exhalationem motu mixto, obliquo scilicet, ac tortuoso, qui quidem motus corpori tribuitur, quod à diuersarum naturarum agentibus gignitur. Amplius, generans dat vento formam, & accidentia, quæ formam consequuntur, quorum vnus est motus; mixtum siquidem in media regione, ab ipso generante qualitatem recipit, qua mouetur motu, suæ speciei conuenienti, atque conformi: vnde etsi generans remotum, motu circulari moueatur; genitum tamen habere potest qualitatem, qua moueatur motu sibi conuenienti ab vtroque agente; generantia enim simul coniuncta possunt esse virtualiter talia, ratione contraria ei, qua sunt formaliter talia; potest enim frigidum calefacere, licet caliditas aduersetur frigiditati actuali, qua illud est tale. Sic piper, quod est actu formaliter frigidum, virtualiter calefacit. venti ergo motus non est à medio, neque ad medium; sed ad latus: vnde à philosopho vocatur latio obliqua: Latio, inquit, obliqua ventorum est, & non sursũ neque deorsum; exhalatione enim facta, quæ est ventorum substantia, & materia, venti spirant circa terram, propetius superficiem in rectum, vtpote ab ortu ad occasum, aut à septentrione ad austrum: vel è contra: aer autem, teste Alexan. est in circuitu supra circumferentiam altissimorum montium, consequiturque lationem cælestem: exhalatio vero fumosa, quæ est tota ventorum substantia, illum motum pro posse imitatur: non omnino ergo illum sequi valet. vnde & lateraliter mouetur. Dici quoque potest aerem sequi exhalationis motum, qui est ventus, non autem ipse aer: sequitur autem aer motum exhalationis, ne detur vacuum, in rerum natura. Sed vnde mouetur ventus lateraliter: sursum vtique; quia nubes, quæ sursum est, antequam in terra ventus percipiatur, lateraliter mouetur: principium igitur motus venti, est sursum. Motus quidem enim sursum est, ait philosoph. & cõtingit præuenire eũ venti motum, qui fit deorsum, quando aër euidens scilicet aut nubes, aut calidum sursum fuerit; videmus enim nubem moueri, & in terra ventum non sentimus. Significat enim principium venti, quod motum est, euidenter ventum prę-uenire: quasi sursum ipsis habentibus principium; non etiam posset nubes prius sũmoueri, nisi ibi ventus prius esset. Soluit autem hanc philosophus quæstionem: Quoniam, inquit, ventus est multitudo quædam siccæ ex terra exhalationis mota circa terram; palam est, quod principium motus venti, quo mouetur in latus, fit sursum: principium vero generationis, & materiæ ventorum, deorsum in terra. Qua quidem tenderit exhalatio, quæ ascendit, inde est causa illius motus lateralis. sed exhalatio descendit ad latus prius per partem superiorem: ibi est ergo causa sui motus. Quod si dixeris motum venti manare à motu cæli: contra, latio corporum cælestium, quæ sunt longius à nobis domina est terræ; illam alterat enim: non autem domina est ventorum, ita, vt motu cælestium venti moueantur: venti ergo non mouentur motu circulari. Et simul exhalatio de inferiori loco sursum fertur: locus ergo inferior est principium motus sursum: & non motus lateralis principium. Amplius, omnis effectus circa suam originem magis apparet. sed motus lateralis, in parte superiori magis apparet: ibi ergo est sui motus origo: materia autem ventorum ex terra est, & huiusmodi etiam generationis principium. Quod autem pluribus exhalationibus secundum modicum venti fiant, sicut fluuiorum fontes fiunt humefaciente terra, patet in operibus, hoc est, reipsa; fluuij enim vnde fluunt, minimi omnes sunt: procedentes autem, aliorum fontium accessu, validi fiunt ita quoque & venti, vbi primum spirant, tranquilli sunt, & parui: deinde paulatim alijs exhalationibus collectis, validi fiunt, & magni. Hæc ille. Hoc negotium de motu venti ab Aristotele non satis explicatum habemus. Sed dubitabit aliquis, vtrum motus ad latus sit vento naturalis: ad quod dici potest, quod si ventus pro exhalatione accipiatur, ad latus nequaquam naturaliter mouebitur: si vero vt ventus tali qualitate affectus, sic motus lateralis, est illi naturalis; ferrum namque vt ferrum, non mouetur naturaliter ad Magnetem; sed vt tali Magnetis qualitate affectum.

Causa motus.

Signorum triangularitates.

Ventus mouetur ad latus.

Motus venti est mixtus.

Generans dat vento motum.

Piper.

Latio obliqua ventorum est.

Principiũ motus lateralis.

Sursum.

Deorsum.

Motus venti non est à motu cæli.

Ventus fiunt sicut fluuij fiunt.

Motus est vento naturalis.

rum. Si inspexeris ergo propriam exhalationis naturam, non est ei naturalis; exhalatio enim natura superiorē locum petit: est vero ille naturalis, bono vniuersi inspecto: quo fit, vt vnum contrarium excludat alterum. Sed de motu venti satis.

Ventorum natura.

Deinceps loquamur de ventorum naturis, quæ crases à Græcis, à nostris complexiones vocantur. in quo quidem negotio hæc sunt obseruatu digna, nēpe ventos diuersimode intelligi posse: atq; pro huiusmodi diuersitate, singulis quibusq; qualitatem esse tribuendā. Sane, si quoad substantiam venti considerentur; proculdubio, venti omnes sunt natura frigidi, & sicci; ventus enim est exhalatio terrestris, quæ est substantialiter terra frigida & sicca.

Calidi & sicci.

Si vero quoad eorum qualitates, per quā ventus est talis actu naturaliter, ita omnes venti sunt actu naturaliter calidi & sicci; ventus enim materaliter, atq; substantialiter, est exhalatio eleuata à sole, à quo habet caliditatem non repugnantem siccitati: ideoq; in ea actu remanet caliditas & siccitas, virtualiter autē frigiditas.

Calidi & frigidi.

Si vero venti considerentur quoad qualitates accidentales, sibi extrinsecus aduenientes, nempe ratione aeris, qui cum exhalatione mouetur; sic à philosopho duæ assignantur ventorum cōplexiones, aliquos scilicet calidos, alios vero frigidos esse. Auer. vero ait, australes calidos & humidos, aquilonares frigidos & siccos, orientales vero & occidentales inter hos medios, quasi temperatos. Ex aeris vero lociq; qualitate, vnde venti spirant, insunt illis huiusmodi complexiones accidentales: ea nāq; participant, qua aer afficitur. Quæ ergo sint ventorum complexiones, quiq; ipsorum motus, breuiter dixi.

CAP III.

Causa mouens atq; sedans ventos.

Sol est causa præparans.

De causa venti sedante atq; mouente, vna propemodum est omnium sententia, à sole scilicet ventos sedari, atq; commoueri: Sol, inquiunt, ventis materiam præparat, quandoquidem ab eo fiat & sicca & calida exhalatio, quæ est causa necessaria, sine qua ventus esse non potest. Effectrix vero causa, vt dictū est, est mediæ regionis frigiditas, à qua illa exhalatio pellitur, non quidem totalis; nam necessaria est caliditas, siue frigiditas lateraliter pellens. Sol præterea quando intenso calore regionem afficit, ventorum materiam dissoluit; quippe qui exhalationem generari non patitur. Similiter, cū remisse calefacit; frigiditas enim in terræ superficie sparsa, obstruit poros terræ, prohibetq; exhalationē & fieri, & eleuari: quod quidem nequaquam contingeret, si tēperatus adesset solis aspectus.

Sol commouet & sedat ventos.

Itaq; sol commouet sedatq; ventos: commouet, inquam, materiam præparando: sedat vero, aut nimium, aut remisse calefaciendo. Eodem quoq; modo & pluuia se habet: nam si pluuia sua magnitudine exhalationem vicerit; illā prorsus extinguet: si vero modica extiterit, ventos augebit, materiā vtiq; illis præparando. Cum enim exhalatio calida & sicca, inquit Alexander, supra pluuiam plenariū dominium obtinueris; pluuiam ad sui naturam conuertit: si vero pluuia fuerit moderatæ ebullitioni apta, terra vero valde sicca;

Pluuia mouet & sedat ventos.

tunc nouos ventos commouebit: terra siquidē valde sicca existente, è qua nihil effumare poterat, nihil effumat sine humido: moderata pluuia superueniēte, illi cum fit ebullitio, è qua exhalatio valde fumosa surgit, ventorū vtiq; nutrimētum, & origo. Pluuia ergo posse nouos ventos generari, & genitos sedari, constat satis.

Frigus commouet ventos.

Frigus præterea si fuerit intensum, & sine pluuia terram comprimendo purificabit; sic exhalationi viam aperiet: si vero non ita intensū, exhalationes extinguit, dum illas comprimens, eleuari non sinit, aut generari. Si vero fuerit mediocre, & quidem cum humiditate, terræ poros obstruens, ventos omnino eliminabit. Quod si fuerit paruum, terræ poros oppilare non poterit: & proinde ventos minime sedabit. Patet ergo quomodo sol, pluuia, frigus, ventos cōmouere atque sedare valeant.

Mathematica ratio-nes.

Cæterum, si ita res se haberet, proculdubio omnes anni essent æquales; cum enim idem sol semper perseueret, moueatq; materiam ventorum, quæ post illius eleuationē, atq; repulsionem, sic ventorū materia coniuncta: omnes igitur anni essent ventosi & tranquilli. Pro huius ergo rei absurditate euitāda, aliā ventis causam addiderunt, cuius accessu anni dissimilares fiunt. Cum sole, inquiunt, accedat, necesse est, reliquarū virtus stellarum, siue planetarum, quæ nouis cum sole vel luna configurationibus, vel inter se etiā configuratis, & dispositis, annos ventosos, & tranquillos efficiunt.

Ex varietate planetarum varietas ventorum.

Quoties, aiunt, Iupiter fuerit lunæ coniunctus, noui venti nascuntur: & quoties luna cancrū peragrat, venti mouentur: quod si luna Iouem petierit in cancro, sine dubio venti palam spirabūt. Item, lunæ cum Mercurio configuratio idem faciet: cum Saturno, ventos nigros efficiet: cum Ioue salubres: cū Marte calidos igneos: at cum sole existente in ventoso signo, calidos & pessimos. Item, si sol fuerit in capricorno, & luna in scorpio vel capricorno, tauro aut virgine, frigidissimos vētos concitabit. Idem eueniet, sole existente in aquario & Saturno in opposito, luna alterum horum respiciente: Saturno autem retrogrado existente in signo terreo, & Marte similiter se habente, venti sedantur. Hæc longa obseruatione Mathematici didicere: quibus puto in hac sciensia esse credendum. Porro philosophus 2. *metheor.* de hac re ita loquitur: Sol inquit, sedat, & commouet ventos. Debiles quidem & paucas existentes exhalationes exterminat ampliori calido: & quod in exhalatione minus est, disgregat.

Duobus modis sol sedat ventos.

Sensus est, dupliciter sol sedat ventos: debiles quidem exhalationes exterminando suo ampliori calido: & quod in exhalatione minus calidum est, disgregat, omne enim magis calidum minus calidum extinguit. 1. Ponit deinde secundū modum: 2. Sol inquit, ventos fieri non permittit; exhalationis generationem præueniendo vt dixi: adhuc autem ipsam terram præuenit exsiccans, antequam facta fuerit congregatio simul tota: sicut in multum ignē, si modicum inciderit vstibile, præuenit sæpe priusquam fumum faciat exustum. Textus est satis clarus:

Orionis ortus.

Propter quod circa Orionis ortum maxime fit tranquillitas vsque ad Ætesias & Prodomos. Ortus Orionis fit, sole tenente geminos; tunc enim per solis occasum, in ortu Orion videtur. in 4. lib. de hoc sydere locuti sumus:

Triplex ortus.

ortus autem triplex numeratur: cosmicus scilicet, quo stella oritur summo mane āte solis ortum: alius Chronicus, quo stella oritur post solis occasum: & iste quidem duplex, aut ex parte orientis, vt pote quando sole occidente, stella apparet in oriente: & hoc modo Orion parum antē Ætesias & Prodomos oritur, sole enim tenente geminos, & occumbēte, Orion de nocte cum sagittario, ex parte orientis oritur: atq; ita ait philosophus fieri tranquillitates, ab Orione vsq; ad Ætesias, & Prodomos, quia aquilonares venti sunt.

Prodomi.

Prodomi dicti præcursores, quod ortum caniculæ dies circiter octo præcedant.

Æthesiæ.

Ætesiæ quasi annui, ἔτος enim annus est, ex omnibus enim ventis, hi statis per singulos annos spirant temporibus: nempe post ortum canis, & versiones æstiuas: aut ex parte occidentis, & sic Orion oritur fere in principio autumni, sole enim occidente cum libra, prope occidentē post solis occasum, Orion videtur: & ita ait philosophus circa hunc ortum Orionis, qui est in permutatione temporis, turbationes fieri.

Orion magna stella.

Orion inquit Alexander, est imago composita ex multis stellis, ideo occupat magnam partem cæli, & sic ortus eius, & occasus pluribus diebus durant; nō enim totus simul, aut occultatur, aut apparet: propterea à philosopho vocatur indiscretus, & difficilis, & occumbens, & oriens; quia in permutatione tēporis accidunt, & ortus æstate aut hyeme. Est enim cælestis imago, quæ vt homo depingitur ense subcinctus, dextera clauā tenens, occasum respiciens, & cum tauro decertans.

Orion indiscretus.

Cum igitur Orion in principio autumni oriatur, indiscretus dicitur; quia indiscrete commouet vētos, vt pote nunc ad dispositionem temporis præcedentis: nunc autem ad dispositionem consequentis. Permutationes autem turbulentæ propter indeterminationem sunt. Ætesiæ autem flant post versiones, & canis ortum. & neq; tunc, quando maxime prope fuerit sol: neq; quando longe. & diebus quidem flant, noctibus autem cessant.

Ætesiarum tempus.

Ætesiæ ergo non fient, quando sol fuerit maxime prope, nempe in cancro neque quando fuerit maxime lōge, in capricorno scilicet. Causa autem est, quoniam prope quidem existens præuenit exsiccans, antequam fiat exhalatio. Cum autem abscesserit modicum, mediocris iam fit caliditas, qua te congelatæ aquæ, quæ erant in montibus septentrionalibus liquescunt, & terra exsiccata, & à propria caliditate, & à sole, quasi turgescit, & exhalat.

Ætesiæ non fiunt sole existente in cancro.

Itaq; Ætesiæ non fiunt sole existente in cancro; tum quia præuenit exhalationum generationem: tum etiam quia nondum à terra septentrionali exhalationes eleuauit; disposuit enim, & non liquefecit. Quare, etsi fortior sit caliditas in cancro respectu moræ; respectu tamen terræ, est minor propterea quod non remouerit dispositionem contrariam, nec niues liquefecerit, sed disposuerit.

Ætesiæ nocte deficiunt.

Nocte autem deficiunt: quia congelatæ eliquescere cessant, propter frigiditatem noctium: nihil autem exhalat congelatum aut siccum sine humiditate, sed calefactum exhalat. *Dubitant* autem quidam, propter quid Boreæ quidem fiunt continuo, quos vocamus Ætesias post æstiuas conuersiones; Austri autē quomodo non fiunt post hyemales. *Respondet.* Se I habet, inquit, rationem; fiunt enim quidem qui vocantur Leuconoti opposito tempore. non

Leuconoti.

sic autem fiunt continuo, propter quod latentes faciunt inquirere Leuconoti: albi Austri non fiunt sic continuo, & ordinate, vt Ætesiæ; fiunt enim sole aquarium, & pisces te-

Ponentes. *Æthesiæ sunt ordinatæ.* *Ornithiæ.* *Ornis auis.* *Tempus quo spirāt.* *Non flant continue.* *Finis ornithiarum.*

nente, appellanturque venti albi ; quia ipsis spirantibus, magna viget aëris serenitas. Incipiunt autem flare leniter, cum hirundines ad nos redeunt: vulgo dicuntur ponentes, quod vires ponāt, sole occumbente : cum autem non fiant ita fortes & ordinate sicut Ætesiæ, dubitationis inquisitionem augent. Ætesiæ autem ordinate fiunt, quia aquilo spirat à locis, quæ plurimum habent aquæ atque niuis: quibus liquefactis à sole post æstiuas versiones magis, quam sole existente in illis spirant Ætesię. Sic enim & ęstus fiunt sole existente in leone, non quando sol maxime appropinquauerit ad arctum; sed cum ampliori tempore illa loca calefecerit: adhuc autem prope, scilicet in leone, vel virgine : calor ergo est maior, sole non valde elongato; sed prope existente. Similiter autem, & post hyemales versiones flant Ornithiæ: etenim hi Ætesiæ sunt debiles : minores & tardiores Ætesiis flant. Austri Græca Ornithiæ, eo tempore spirant, quo nouę aues ad nos veniunt : ornis enim Latine auis, & apud nonullos qualea vel Coturnices ; 70. enim die incipiunt flare, sole scilicet tenente piscium fere medietatem, vtpote decimum gradum. At Æthesiæ post versiones ęstiuas spirare pro magna sui parte incipiunt trigesimo die, sole vtiq; tenente leonem. Quod verū non ante istud tempus Ornithiæ spirent, probat philosophus: Longius, inquit, sol abest à tropico æstiuo, è quo Ornithiæ spirant, ideoque minus inualescit eius calor, illaque loca sufficienter calefacere nequit. Cum ergo incipiunt Ornithiæ; sol aliquo modo recessit à capricorno, & pro parte cæpit ad cancrum accedere obseruatio autem docet sole ingrediente pisces, Ornithias fieri serius post brumam Ornithiæ, quam Æthesiæ post æstiuas versiones spirant. Non continui autem similiter flant; quoniam in superficie, atq; debiliter segregantur, hoc est, à terra non plene humectata separantur; propterea quia sol nondum appropinquat. Hæc autē cum magis congelata sint, maiori indigent caliditate: propter quod interpollate isti spirant, paruam habentes materiam, quousque vtiq; iterum in versionibus æstiuis flauerint Ætesiæ: terminus ergo Ornithiarum, est noua spiratio Ætesiarum ; quia ventus debet aliquis semper esse : Vult inquit, quam maxime continue huc semper flare ventus; omnis enim species perpetuitatem quærit. Itaque Ornithiæ ad tempus Ætesiarum, non quidē præcise terminātur; sed circa illud tempus cōplentur, eo quod sol est in tropico æstiuo, & exhalationes iam factas resoluit : præoccupat vero futuras. De ventorum autem causa sedante, atq; mouente, tanta dicta sunt.

CAP. IV.

Ventorum numerus.

Venti principales. *Subsolanus.* *Auster.* *Fauonius.* *Aquilo.* *Eurus.* *Vulturnus.* *Auster.* *Nothus.* *Euroauster.* *Austroafricus.* *Zephyrus.* *Aphricus.* *Chorus.* *Septentrio.* *Circius.*

Quatuor sunt venti principales, à quatuor mundi plagis orientes: quorum quilibet duos habet laterales, fiuntq; numero duodecim. Oriens scilicet, habet Subsolanum calidum, & siccum, Eurum, & Vulturnum; sed Eurus Austro est proximus. Vulturnus vero Aquiloni. Auster seu Nothus calidus & humidus, habet à latere proximo Euro, Euroaustrum : ex altero Aphricum austrum, contiguū Africo vel Libyco. Zephyrus seu Fauonius frigidus & humidus, habet a parte dextra Aphricum, siue Libycum: à leua Chorum. Septentrio, vel Aparctias frigidus & siccus : à dextris Circium : à sinistris Boream vel aquilonem. Hi duodecim venti mundi globum suis flatibus circumagunt. Subsolanus autē dicitur, qui sole oriente subnasci videtur, Græce ἀπηλιώτης, ἀπὸ τοῦ ἡλίου, id est, à sole. Eurus, eo quod ab eo, id est, ab oriēte spiret, cuius halitu flammeo fructus vruntur. Vulturnus ab oriente hyberno spirat. teste Plinio lib. 2. cap. 47. dictus à vulturis volatu, quod alte resonat. Lucretius: Altitonans Vulturnus & Auster fulmine pollens. Auster ab hauriendo aquas vocatus; crassum enim aerē facit, & nubila nutrit. Græce dicitur νότος ἀπὸ τῆς νοτίδος, hoc est, ab humiditate: Is iste rudum aerem corrumpit, Euroauster dictus, quod ex vna parte habeat Eurum, ex altera Austrum. Austro Aphricus, quod coniunctus sit hinc inde Austro & Aphrico. Zephyrus flat ab occasu æquinoctiali aduersus Eurum, quasi zoiferos vitam ferens, vel quia fert quæ sunt ad vitam: eo sane vento plantæ omnes germinant, & pullulant. Aphricus à propria regione nomen accepit; in Aphrica enim initium flandi sumit. Chorus, græce argestis, contra Aquilonem flat : vocatus Chorus, quod ipse ventorum circulum claudat, & quasi chorum faciat. Septentrio dictus à circulo septem stellarum, quę vertente se mundo, resupinato capite ferri videntur, Circius dictus, quod omnia turbet ac circum vertat, nulli violentia inferior. Lucanus: Solus littora turbat Circius. Aquilo à vehementissimo volatu instar Aquilæ sic dictus, gręce Boreas: flat ab ęstiua, & solstitiali plaga: vel quod aquas stringat, & nubes dissipet. Boreas, quod ab hyperboreis montibus spiret. Hæc illi dixerunt. Sed arguet aliquis: Aut ventorum numerus censendus est, pro materię conditione, aut pro formæ, & locorum quātitate. sed cum materia sit vna specie, numero autem infinita: venti ergo sunt vnius speciei, numero vero infiniti. Similiter, omnes venti sunt eiusdem formæ, quia eiusdem exhalationis specie, locorum conditione idem cōtinget: Cum enim puncta sint infinita, per quæ transeunt venti; ipsi quoque erunt infiniti. Ad hæc quidam dixerunt ventos esse duodecim pro numero signorum zodiaci: quæ cum sint numero 12. venti quoque eodem numero clauderentur. Dicuntur quatuor venti tantum, propter quatuor mundi partes principales duo autem ob primas qualitates, quibus actu sunt tales. Tria autem sunt signa orientalia, nempe aries, taurus pisces: tria occidentalia, libra, scorpius, virgo: tria septentrionalia, cancer, gemini, leo: tria meridionalia, capricornus, sagittarius, & aquarius. Si inspexeris, inquiunt, duo æquinoctia, & duo tropica, sunt quatuor principes: si quatuor combinationes qualitatum, quatuor etiam numerantur nam alij sunt frigidi & sicci, septentrionales scilicet alij calidi & humidi, vtpote australes alij calidi & sicci, vt orientales: alij frigidi & humidi, vt occidentales. Porro, istorum sententiæ Aristoteles obsistit maxime 2 metheoror. asserens plures vētos à parte aquilonis fieri posse : non ergo pro numero signorum zodiaci venti numerantur. Idem à parte orientis, tres fieri dixit: alium videlicet, vbi sol oritur, quando ingreditur arietem, nempe in ortu æquinoctiali; alium in oriente æstiuo: tertium in oriente hyemali. Posuit postea inter Aparctiam, & orientem æstiuum, oriri vnum medium, Mesem scilicet : totidem quoque posuit oriri ex parte occidentis: Igitur qui oritur in oriente æstiuo, tauri signo minime correspondet: nec signo geminorum, qui oritur in oriente hyemali: nec etiam piscibus, & aquario ventorum ergo numerus non respondet numero signorum: de aliis etiam simile potest esse iudicium. Amplius, 12. signa tenent 12. mundi partes. sed secūdum Aristotelem, quot venti sunt apud nos; tot etiam apud Antipodas: sunt ergo venti numero viginti quatuor : Ptolemæus præterea quatuor signorum triangularitates distinguit, secundum quatuor ventos principales : non autem asserit ventos esse duodecim, secundum numerum signorum. Itaque Aristoteles ab oriente tres ventos posuit, & totidem ab occidente: quibus addidit duos tropicos: ex parte septentrionis duos collaterales, & vnum inter meridiem & ortum hyemalem; & sic omnes apud Aristotelem sunt numero 11. Ab alijs negatur, situs ventorum positus ab Aristotele: quod forrasse longa obseruatione aliud repeaperint. nec valet: Transit infinita puncta: infiniti ergo sunt venti, non enim sufficit regio puncti materiæ venti præparandę: magna sit terræ regio, necesse est, vt exhalationem sufficientem præparare queat. Vt autem, quod dictum est, manifeste pateat, philosophi verba adducere curaui. Essendi inquit, plures ventos à locis, qui sunt ad arctum, quam ab his, quæ sunt ad meridiem, causa est, & quia habitabilis ad hunc locum; & quia multo plus de aqua, & niue reponitur in hac parte propter illa sub sole, & sub illuslatione sunt. Quibus in terra liquefactis, & calefactis à sole & terra; necessarium est ampliorem, & ad plurimum locum fieri exhalationem propter hanc causam: Sensus est, hæc nostra terra habitabilis, supponitur ad hunc locum, hoc est, pro maiori parte habitationum, habet plus materiæ, ex qua venti generantur: ideoque plures venti in ea sunt, quam in alia parte opposita. Sunt autem, ait, dictorum ventorum Boreas quidem, qui que Aparctias est, principalissimi, & Trhascias, & Meses, Aquilo. Zephyrus, id est, Fauonius, Argéstes, id est Chorus, Aphricus, Auster, Libonotus, Phœnicias, Euronotus, Subsolanus, Eurus, id est Vulturnus, Cecias, qui Subsolani & Boreæ communis est ad austrum vero, tum is qui hoc nomine proprie appellatus à meridie flat, tum Aphricus, referuntur ad Subsolanum, tam is qui ab exortu æquinoctiali, quam Eurus, id est, Chorus. Phœnicias vtriusque est particeps. Zephyrus, quidem Fauonius, & Natiuum, & Eurum continet: generali autem nomine alij Aquilones appellantur, alij Australes Fauonij vero aquiloni attribui solent; frigidiusculi enim sunt, quod spirent ab occasu, & austro Subsolani, calidiores enim sunt, quod ab ortu prodeant. Distincti ergo frigore, calore, & tempore, his nominibus nuncupati sunt. Cæterum, ventorum potentissimi, septentrionales habētur, atq; australes; in septentrione enim, teste philosopho, & Alexādro, terra est magis exhalationi apta, ob nimiā magnitudinē, quā terra ortus, seu occasus. Locus vera

Aquilo. *Boreas.* *Quod sint plures duodecim.* *Quatuor.* *Duo orientalia.* *Aries.* *Taurus.* *Pisces.* *Occidentalia.* *Libra.* *Scorpio.* *Virgo.* *Septentrionalia.* *Cancer.* *Gemini.* *Leo.* *Meridionalia.* *Capricornus.* *Sagittarius.* *& Aquarius.* *Ptolemaus.* *Venti xi.* *Aristoteles posuit ventos xi.* *Plures venti in aquilone.* *Nomina ventorum aparctias.* *Ventorum potentissimi.* *Aquilo.*

De vẽtis. Auster. vero vnde spirat Auster, est capacitate, & magnitudine latior cæteris: hac de causa, vterque ventus cæteris præstat potentia spirandi. Per accidens autem contingit, teste Auerroe, Subsolanum, seu Zephyrum maiores esse, ob regionis alicuius conditionem. *Quare potentissimi.* Adde, naturalissimum esse, vt suum corrumpentium quælibet res deuitet, atq; abhorreat. quoniam vero exhalatio à calido resoluendo corrumpitur, à frigido extinguitur. Cum autem Aquilo frigore, Auster vero calore valeat: vtriusque locum veluti sui corruptionem machinantem, exhalatio fugiens, vehementiam, atque celeritatem huiusmodi spiritibus incutit. *Auerr.* Auerroes: Licet, inquit, exhalationes plures, atque maiores sint in ortu, & occasu, quam in septentrione, & austro, illę tamen conuertuntur in pluuias. Alij dixerunt, Austrum & Aquilonem, ideo potentia vehementiaq; spirandi cæteris spiritibus, seu ventis antecellere; quod oriens & occidens sint loca sicciora, ideoque exhalationi minus congrua: Aquilo vero, & Auster contrario modo se habeat. Hęc de numero, & potentia ventorum, dixi.

CAP. V.

De temporibus ventorum.

Lib. probl. part. 15. probl. 4. Spirant mane & vespere. Temporibus mediis spirare ventos asserunt physici: proinde philosph. asserit, ventos solitos esse spirare mane, & vespere; in meridie enim ob magnam solis caliditatem, venti cessant: in media vero nocte propter maximam frigiditatem, extinguuntur. Quare mane & vespere spirant; sunt enim hæc tempora quasi media in toto naturali die In eleuatione solis. venti surgunt deinde augeri, siue minui consueuerunt. *Æteſiæ. Prodomi. Auster.* Æteſiæ spirant vigesima die post æstiuam versionem. Prodomi, octo dies ante canis ortum: Auster post versionem brumalem septuaginta dies. Hyeme venti circa auroram spirant æstate vero circa occasum hyeme à parte orientali, & mane. æstate à parte occidentis, & sern. *Zephyrus. Apeliotes.* Zephyrus circa occasum spirat: Apeliotes, hoc est, subsolanus circa ortum. Zephyrus spirat vere & autumno, maxime tamen vere.

Oriens.

Cecias greco, Leuante, Subsolanus, Apeliotes, Scirsco, Vulturnus, Eurus,

Septent.

Aperctias. Septentrio, Tramentana, Magistro, Chorus, Argestes.

Occidens.

Poncate, Fauonius, Zephyrus, Libege, Aphricus, Mezogiorno, Auster, Nothus.

Autũnus serenus quid significet. Antiqui ex vnius temporis dispositione, naturam alterius annotarunt. & quidem ex ventis: Autumnus, inquiunt, serenus, ventosam, & quidem multam prædicit hyemem. Si ante quartam diem, lunę cornua non apparuerint, vento Faunnio flante; totus mensis hyemalis erit. Si Æteſiæ, qui tempotales borei dicuntur, multo tempore flauerint, & autumnus est ventosus; tranquillam hyemem nuntiant. Sin autem autumnus est tranquillus, vẽtosa hyems erit. Quando primæ lunæ rectitudo inclinatur; erit mensis borealis: quando vero deorsum fuerit; mensis australis. Per rectitudinem philosophus intelligit cornua recta in libro de signis temporum. venti occidentales cito sedantur: orientales vero diutius durãt. *Qui v neti diutius durant.* Boreæ plerumq; numero impari desinunt; propterea quini, seteni, atq; noueni sunt Austrini vero numero pari gaudent. teste philosopho in libro iam dicto. *Iupiter præest septentrioni.* In causa dicunt esse Astronymi Iouem, qui cum septentrioni præsit, diurnus est, & masculinus. Mars vero cum præsit meridiei, nocturnus est. denique venti, qui à Ioue cõcitantur, magis masculescunt, & ita desinunt numero impari, qui masculinus est numerus. *Lib. de ani.* Si in conceptione quoq; fœtus, inquit philosophus, septentrionalis ventus spirat; natus erit masculus: sin autem meridionalis, fœmella. Venti, qui surgunt de die, diuturniores sunt his, qui surgunt de nocte. vnde Aristot. *26. part. probl. Venti diurni longiores.* Nocturnus borea, non videbit diem tertium. Etenim in die venti ex magna atq; forti causa emergunt: in nocte vero à debili. Cum autem tercius sit prima dies critica; iure nocturnus tunc primo desinit. Amplius, venti plerumq; cum sole, & oriente luna incipiunt. Sin autem oriente sole, & luna non cessant, qui moti fuerunt; ad plures dies spirare solent: propterea 26. particula ait: Si ab aurora flare incipiunt, durant magis. Item, luna diminuta, magni surgunt venti, teste philosopho in lib. de signis temporum; à causa namq; fortissima incipiunt. *Austri ortus. 26. part. probl. 18.* Auster non incipiens, sed desinens, imbrem affert. Arist. Quoniam incipiente aer adhuc calidus est, cum è loco calido spiret: in processu vero temporis refrigeratus in aquam melius consistere potest.

De vẽtis. Borea. Rursus, auster incipiens quidẽ, paruus fit, finiens vero magnus: Borea vero contrario modo se habet; incipiens quidem magnus fit finiens vero paruus. Quoniam, inquit philosophus omnes venti in medio sunt fortissimi: quia vero borea propter vicinitatem sentitur vsque ad finem; idcirco in fine debilis videtur. *26 part. prob 38. 44 Ventorum significationes.* Auster vero, quoniam procul spirat; vsque quo fortificatur, sentitur: cum vero deficit, non sentitur: ideo in fine fortis videtur; verus enim illis finis est prope ipsum medium, tametsi alius nobis videatur. Auster siccus incipiens, desinit humidus, Eurus subsolanus aquosus est, tenues aquas ferens. Humidi sunt maximi Chorus, & Circius Argestes, & Boreas grandinosi, atque niuoli. Calidi, Auster, Zephyrus, & Eurus.

Humidi.	*Calidi.*	*Sereni.*	*Aquosi.*
Lips,	Auster,	Aparctias.	Eurus.
Cecias,	Zephyrus,	Thrascias.	
Apeliotes.	Eurus.	Eurus.	
Sicci.	*Frigidi.*	*Corruscarij.*	
Argestes,	Meses,	Aparctias, Argestes,	
Eurus.	Aparctias.	Thrascias, Meses.	

Philosophus *26 part problem* 42 Melius comedimus, inquit, atq; digerimus Borealibus flantibus. quam australibus, quia frigidiores sunt. 41. In Austrinis, homines inualidiores lese reddunt. *Part. 1. problem* 24. 49. Austri licet, & inaquosi febriles sunt. Et eadem particula *problem.* 23. & 51. Euro flante, maiora videntur omnia: & sic visiones læduntur, quatenus obscurissimum aerem ventus ille efficit. *Septentrio est masculinum.* Lib. de generatione animalium. Conceptiones, quæ septentrionalibus ventis flantibus, fiunt, masculescunt; contrahunt enim huiusmodi venti humores, ne quo minus ad alia mẽbra fluant: tussim tamen efficiunt, propter pectoris exsiccationem: membra ad operandum inepta reddunt, quia neruos contrahunt aliusque generis eiusdem sunt impedimento, flores, vites, & arbores lædunt. humores exsiccant: pulmonem sua siccitate dilacerant. *1 part problem 20.* Galenus, Temporum & ventorum mutationes. morbos generant, aut dissoluunt & determinant, & faciunt. *Hyems pluuiosa.* Quare, si venti septentrionales hyemem occupauerint. ver autem austrini, & pluuiosi: æstas proxima, grauis erit febribus; atque ophthalmiis. Si hyems austrina fuerit, & pluuiosa: ver autem siccum, & aquilonium; & ver & æstas morbos afferent, & molestias. Si æstas sicca & aquilonia extiterit; autumnus e. aduerso humidus, atq; austrinus; hyeme proxima, dolores capitis fient, cancitas, tussis, quæ demum in phthysim euadent. *Æstas borealis* Si æstas borealis & sicca, & autumnus etiam; flegmatici & mulieres illo tempore bene se habebunt. Hæc de ventorum significationibus dicta sunt. Dicamus deinceps de signis ventorum. *Signa ventorum.* Philosophus in libro de signis temporum, & Ptolemæus ab animatis ventos annotarunt. Anates quatientes, ventum prædicunt. Canis voluens se in terram, magnum ventum præsagit. Ericius eo loco in quo habitat, duo foramina facit, alterum ad boream, alterum ad austrum: quodcunque obstruit, inde ventum sentit: & si vtrumque obturauerit, magnum ventum agnoscit. Telæ arenarum multæ, quando per aerem feruntur, ventum nuntiant. *Octo signa.* Octo signa ab illustribus authoribus obseruata sunt primum quod obseruatur; (vt Ptolemæus inquit) die tertia ante coniunctionem, 1.
vel oppositionem, vel dimidiationem Lunæ: & si rubra, & subtilis apparuerit, videaturque quasi moueri, ventorum flatum præsagit: idem post coniunctionem, vel oppositionem, vel dimidiationem est obseruandum. Secundum, 2.
quod obseruatum est à Plinio. si luna quarta rubicunda fuerit. Tertium, luna plena fulgens, circa se orbem habens, ex 3.
qua parte orbis splendet, inde ventum indicat venturum. Quartum, si ante ortum solis nubes rubescant. Quintum, 4. 5.
sol occidens rubet, ventosus est. Quod si post occasum solis in occidentali plaga, nubes rubeæ, vt carbones accensi apparuerint, certum ventorum signum præseferunt. Idem ostendit sol ruber, vel puniceus; si ante eius occasum talis videatur; præsertim si magnum tempus ante occasum intercesserit, aut tota die sic perstiterit. Sextum; si post occasum 6.
solis nubes in occidẽte in longum extendatur versus septẽtrionem, aut versus austrum: & multum rubicundæ appartant, & inter eas cælum clarum videatur; infra tres dies proculdubio, ventus spirabit. Septimum à stellis sumitur. si 7.
apparuerint maiores solito, & lumine, & quantitate, præcipue aselli, qui sunt ad presepe. Octauum à Plinio ponitur, 8.
somnium hominum si fuerit de auibus. *18 lib. c. vl.* Amplius, si austro flante, à borea corruscauerit, citius cessare consueuit. Stellæ currentes per aerem, ventum ostendunt, quia à vento feruntur, ait Philosophus & prius illic ventus est, quam apud nos; ideo vnde stellæ feruntur, inde exurgent venti. *part 26. probl. 18.* Æstate, vbi corruscationes & tonitrua; inde ventus fortis spirat.

De vẽtis. *Locus austri.* *2. metheor.* *Antipodes.*

Hæc & similia, sunt signa ventorum. Cæterum, de loco austri, vnde spiret, sic loquitur Philosophus. Auster, inquit, spirat à terra Æthiopum, quæ est æstiuæ versioni subiecta; voluit enim alterum boream spirare ad Antipodas ab eorum polo, qui nõ peruenit ad nos. Imo illa habent austrum, qui spirat à versione hyemali, quæ illis est æstiua, & peruenit ad eos. Habent quoque cæteros ventus, sicut & nos. Nostri autem venti spirant à partibus 11. vel 12. orizontis nostræ terræ: nullusque venit ab aliqua parte orizontis terræ antipodum. In causa autem est, quia sol ad illorum terram, terræque orizontem similem habitudinem habet: inde fit, vt quut apud nos, tutidem apud eos ventos generet. Auster, inquit Philosophus ab æstiua regione flat, & non ab altera vrsa; nam cum regionis, quæ habitari potest, duæ partes sint: vna quæ ad superiorem verticem siue polum, qui est super nos, pertinet altera, quæ ad alterum, & ad meridiem, figuramque tympani imitetur; (talis enim terræ habitabilis figura est) hanc illius figuram ductæ ex illius medio, & centro lineæ diuidunt: duosque conos efficiunt: quorum vnus quidem habet basin tropicum, alter vero eum circulum, qui nobis totus semper apparet apicem autem in medio terræ. Eodem autem modo ad inferiorem polum, alij duo coni terram secant. Hæ autem solæ habitari possunt, non intra solstitiorum orbes: neq; enim vmbra ad septentriones diffunderetur: nunc autem inculta sunt ante loca, quam vmbra vel deficiat, vel ad meridiem mutetur. Ea autem, quæ septentrionibus subijciuntur, præ frigore inculta sunt. Sensus est, Auster ab æstiuo solstitio flat, non à polo meridionali, vbi est altera vrsa: qui Antipodibus eleuatur. Vt hoc autem clarius redderet, totam terram diuidit ad diuisionem zonarum cæli: quarum prima meridionalis appellatur, secunda Capricorni: tertia torrida quarta Cancri quinta septentrionalis. His quinq; in terra correspondent, quarum duæ non sunt habitabiles propter frigus, polares scilicet: torrida non est habitabilis propter æstum. Duę vero quæ sunt sub tropicis nempe zona, quæ subijcitur zonæ Capricorni, & quę Cancri, ob aeris temperiẽ habitabiles sunt. Supponit deinde terrã, q̃ nos habitamus, circũ circa lineas habere: ex parte ortus scilicet, & occasus: ex parte terræ torridę, & poli septẽtrionalis. sunt ergo partes terrę tympanicę. De terra quoq; Antipodũ simile potest esse iudiciũ, quibus meridionalis eleuatur, veluti nobis polus septentrionalis, habet enim conũ in centro, & basin in zona Capricorni. Quælibet ergo pars terræ habitabilis, erit tympanica. Itaq; ex centro terræ, quod est in medio mundi, exeunt ductæ lineæ altera ad tropicum Capricorni: altera ad polum meridionalem: & aliç duç similiter exeunt ex eodem centro versus nos ad cælum: quarum altera vadit ad Cancrum, altera ad polum nostrum. Quæ si voluantur circa terras habitabiles, nempe illæ duæ circa suam, & hæ nostrę circa nostram; tympanicæ figuræ relinquentur: quia nimirum lineæ istæ hoc pacto hinc inde ductæ in centro terræ duos conos efficiunt, ratione saltem distinctos. Porro, alter illorum basin habet, spatium Cancri, quod ab illis duabus describebatur lineis. Alter vero spatium Capricorni: Et faciunt, inquit, hæ terræ diuisiones: quia quot lineæ, tot diuisiones faciunt. His descriptis, concludit suum intentum: Hæ, inquit, duæ solæ habitari possunt: Media, quæ est inter tropicos, est inhabitabilis; alioqui vmbra non esset ad arctum eorum, qui habitant. Consequens est falsum: quia si homo moueretur versus torridam, antequam perderet vmbram, quæ erat versus septentrionem, inuenit loca, quę prę magno æstu habitari non possunt: minus ergo zona torrida habitari potest. Vult ergo Philosophus duas esse terræ partes, quæ bene & ordinate habitari possunt: nostram scilicet, & quam colunt Antipodes. Hoc Aristoteles dixit per coniecturam, teste Alexandro, quia sol eodem modo se habet ad illam, sicut ad nostram. Nostris autem temporibus, ex longa nauigantium experientia rei veritas cognita est; quod nimirum regio illa habitatur. Quam ob causam ridiculose scribunt nunc periodos terræ, ait Philosophus, dicentes figuram terræ habitabilis esse circularem; voluerunt enim terram habitabilem circumcirca, totam habitari posse: quia à polo ad polum circuendo, & ab ortu in occasum girando, hoc, inquit, est impossibile, & secundum apparentiam, & secundum rationem. Etenim ratio ostẽdit, quod ad latitudinem quidem determinata sit, quia non per totam lineam, quæ est ab vno, ad alterum polum est conueniens habitatio: circulo autem copulari contingit hoc est, ab ortu ad occasum, est habitabilis propter aeris temperiem; non enim excedunt æstus & frigus secundum longitudinem, sed secundum latitudinem: Hæc de signis, & significationibus ventorum.

Auster flat nõ ab altera vrsa (margin, beside "Auster, inquit Philosophus…") · *Regio habitabilis.* · *Polus antipodum.* · *Quinque zonæ.* · *Partes terræ tympanicæ.* · *Duos conos* · *Media regio est inhabitabilis.* · *Error geographorum tempore Aristot.* · *Longitudo.* · *Latitudo terræ.*

CAP. VI.

De loco Austri.

TErra non premitur nimio ardore, aut frigore in longitudinem; sed in latitudinem, ita, vt sicubi maris vastitas non prohiberet; tota pedibus peragrari posset: & hoc ipsum in nauigationibus, itineribusque pedibus conficiendis animaduerti licet; longitudinis enim & latitudinis magna est distinctio. Nam quod à columnis Herculis vsque ad Indiam pertinet, eo quod ab Æthiopia vsque ad Mæotim, & ad extrema Scythiæ loca, maius quam quinque ad tria sint: si quis nauigationum atq; itinerum rationem habeat, quantum earum rerum certa exploratáque cognitio hauriri potest. Atqui vsq; ad incultas terræ partes eam, quæ habitatur in latitudinem, cognitam habemus. etenim altera pars vltra inculta est, quod frigore rigeat. altera quod vratur calore. Quę autem vltra Indiam, colũnasque Herculis sitæ sunt, eę propter mare coniungi minime ita videntur; vt tota sit continens, terraque habitetur. Quoniam necesse est aliquem locum eandem habere rationem ad alterum polum, quam is, quem nos incolimus, ad eum qui supra nos est, habet; non est id quidem dubium, quin eadem ratione cum cętera alia, tum ventorum situs respondeat. Itaque quemadmodum hic Aquilo est; sic etiam istis ab vrsa illorum locorum ventus est quidam, qui huc peruenire non potest; quando quidem ne noster quidem Aquilo ad omnem terrę partem, quę incolitur, peruenit; est enim Aquilo quasi Apogion spiritus, id est, à terra flans spiritus, siue ventus, & illic desinens; ideoque terræ habitator ventus: semper enim est prope terram: ideoque à vulgaribus terranei venti appellantur. Quare, licet habitatio hæc posita sit ad vrsam, quasi polo nostro vicina: & idcirco in illa plurimi Boreæ spirent, quasi diuersi in diuersis terræ partibus; hic tamen deficit, longe ergo minus ad illos peruenire potest. Etenim non peruenit ad mare australe, quod est extra Lybiam sed quemadmodum hic Boreæ & Austri flant ex aduerso, sic ibi Euri & Zephyri ex aduerso sibi succedentes semper spirant Zephyrus quidem ex occidente: Eurus vero ex oriente Itaque nautæ, qui illa loca enauigant, loco Boreæ, Euro vtuntur & Zephyro. Igitur, teste Alexandro, apud Antipodas non solum est ventus, qui velut alter Aquilo a polo spirat qui illorum capitibus supereminet; sed qui venit ex aduerso, puta ex hyemali versione. Quod quidem igitur Auster non sit ab altero polo spirans ventus, manifestum est. Quoniam autem neque ille est Auster neque is qui ab Hyberno solstitio exoritur, præsertim cum aliũ etiam à solstitio æstiuo flare oporteret, quandoquidem ita proportio seruabitur: nunc autem nullus est, vnum enim ex illis locis flare constat, necesse profecto est Austrum esse ventum eum, qui flat à loco eo, qui calore vritur. Is autem locus quod solem proximum habet, aquis & pabulis caret: seu neque aquas habent, neque nomas, quæ propter liquefactionem à sole procuratam, Æ tesias efficiunt; sed quia idem multo vastior, longeque ac late vehementior, maior & calidior quam Aquilo, faciliusque huc ille, quam hic illuc penetrat. Quę horum ventorum causa sit, quamque inter se rationem habeant, dictum est. Intellexit, inquit Alexander per nomas. loca niuosa, atque congelata: ex quorum liquefactione, herbæ oriuntur. Posthac loquamur de ventorum contrarietate: Primum, inquit Philos. hoc positum sit, siue supponatur, contraria loco ea esse, quæ plurimum loco distant: quemadmodum ea specie contraria, quæ specie plurimum differunt. Plurimum autem ea loco inter se distant, quę media linea, quę diametros dicitur, inter se absunt.

Philosophus. · *Terræ longitudo maior.* · *Terra inculta.* · *Auster non venit ad nos.* · *Apogij* · *Boreæ & sepe noti venis ad mare australe.* · *Auster non est ab altero polo.* · *Zona torrida.* · *Nomæ* · *2. meteor.* · *Qui venti sunt sibi contrarij.*

Venti contrarij.

Meridionalis Nothus	———	Septentrionalis Boreas.
Zephyrus occidens æquinoctialis	———	Apeleotes ortus æquinoctialis.
Eurus ortus hyemalis	———	Argestes, Olimpia, Sciron occidens æstiuus.
Cetias ortus æstiuus	———	Lips occidens hyemalis.

Venti non contrarij.

Aparctias.

Thrascia	———	Mese.
Anominum	———	Phinicia.

Thrascia medius est Argesti, & Aparctiæ, Mese, Cecie, & Aparctię: Thrascia autem & Mese, non sunt contrarij: quia diame-

De terræ motu.

diametraliter non absunt: Mese enim esset contrarius, si spiraret ex latere aduerso meridionalis Nothi, puta supra Anominum, & Thrasciæ supra Phiniciam. De Anomioo quoque & Phiniciа simile est iudicium. De ventis igitur, & de ipsorum generatione, & accidentibus, hæc dixi.

QVÆSTIONIS QVINTÆ

CAP. I.

De terræmotu.

2. meteor.

CONgruum esse puto, nos deinceps de terræmotu disputationem texere: causa enim, authore Philosopho huius passionis annexa huic generi est: siquidem causa terræmotus, generationis ventorum causam consequitur. Sunt autem de eo tria tradita, & à tribus nam & Anaxagoras Clazomenius, & ante eum Anaximenes Milesius prodiderunt: & his posterior Democritus Abderites. Anaxagoras quidem ait æthera natura sua in sublime ferri, eundemque cum in inferiores terræ partes, & cōcauitates inciderit, eam mouere. Putauit enim terram esse raram, & valde spongiosam: in superiori vero parte, quam nos incolimus, ob imbrium ad eam descensum, coniunctam atque compactā: in inferiori autem parte antrosam. Amplius, à superficie terræ, quam nos habitamus, cœlum versus, sursum appellauit: à superficie vero opposita deorsum. Addidit aërem, qui est sub superficie terræ, huic nostræ opposita, suapte natura moueri sursum: cum autē non possit sursum libere ferri propter superficiem, quam nos habitamus, quæ est compacta, & aditum exeundi non præstat; inde fieri, vt motus aer intra terræ viscera, eam quatiendo tremere faciat. Ad hanc quidem sententiam, ait philosophus. Nihil forte oportet dicere, tanquam valde simpliciter dictam: deorsum enim locus est, ad quem grauia feruntur: sursū vero, ad quem leuia: sed ex omni parte grauia ad terram feruntur: & eodem modo leuia versus cœlum. Amplius, si terra esset lata atque plana, vt dicit Anaxagoras, eundem profecto omnes haberent orizontem, quod est plane falsum: nobis enim translatis de polo ad polum, & de ortu ad occasum, nouus orizon semper offertur: in causa autem est, quia terra est sphærica & gibborosa. Item, Anaxagoras contra seipsum pugnat; dixit namque terram manere in aëre, & supernatare quoddammodo, propter ipsius latam figuram: nunc vero, quati & moueri sursum ab vna parte, cum impellitur. Ex hac præterea Anaxagoræ sententia, reddere rationem non valemus accidentium, quæ in terræmotu contingunt, cur scilicet in aliquibus locis, & temporibus, hæ res euenire soleat. Democritus autem censet terram quæ aquæ sit plena, cum aliam aquam pluuiamque recipit, ab ea moueri. Etenim amplior facta solito, cum concauitates plus aquæ capere nequeant, aqua vim inferente, fit terræmotus. Insuper, pars terræ inferior exsiccata, humiditatem à parte superiori attrahit, quæ à superioribus ad inferiores partes ruens, illis concussis, terræmotum facit. Hanc Democriti sententiam, veluti puerilem, sua non reputauit responsione dignam: tum etiam quod ex sua ipsius sententia falsitas illius manifesta fieret. Anaximenes verò terram ait, cum madet & exsiccatur rumpi, ab iisque fragmentis quati, quæ incidant. Id autem accidere potest propter siccitatem, terram enim prius humefactam, à sole & stellis exsiccari contingit, & ita demum rumpi. Etenim exsiccatio partes rumpit constringendo: ex his ergo ruptis fragmentis in alteram terræ partem incidentibus, terræmotum atque concussionem fieri affirmat. Propter humiditatem quoque simile potest esse iudicium; humiditas enim relaxat: & relaxando partes terræ abrumpit, & sic cadentibus partes inferiores concutiunt. Soluit Philosophus has Anaximenis rationes. Si, inquit, ita res se haberet, frequentius terra esset subuersa, siue subbysata, vt ita loquar. Præterea, quare in locis similiter dispositis in humiditate & siccitate, in vno fit terræmotus, in altero autem minime; huius rei rationem non habuit Anaximenes. Amplius, ii qui in hac sententia sunt, concedant necesse est, terræmotus rarius semper oriri, terramque ipsam ad extremum desituram moueri: præsertim cum id, quod impletur, eam vim, & naturam habeat. Tamdiu, inquit Alexander, decidit quamdiu partes inferiores concauæ repleantur, & totum æquetur. Cum autem terræ concauitates sint finitæ: tanto igitur tempore fuissent repletæ: atque ita nullus penitus inueniretur terræmotus. His igitur confutatis atque explosis, suam inserit philosophus sententiam: *Cum, inquit, perspicuum sit, terræmotum ita fieri non posse; necessarium est, quod & ab humido, & à sicco fiat exhalatio: necesse est, his existentibus fieri terræmotum; est enim terra per se quidem sicca: propter imbres autem, habens in seipsam humiditatē multam: quare & à Sole, & ab eo, qui est in ipsa igne calefacta, magna vis ventorum, & foras erumpit, & in illius visceribus hæret. eaque, interdum tota continuatis impetu foras erumpit: interdū intus tota fluit: nonnunquā vero etiam diuiditur.* Terræmotus ergo causa materialis, est ipsa terra quæ mouetur formalis vero est modus, quo motus ille terræ inest. & is quidem multiplex; nam alius quidem est agitatiuus, ad dexterū & ad sinistrum alius subuersiuus, quo terræ pars inferior fit superior: alius perforatiuus, quo in ipsa pori fiunt, nō tamen magni: alius tremulus, quatenus instar membrorum trementium ipsa tremet alius ruinosus, puta quando superior terræ pars ruit in profundum alius impulsiuus, quo superior terræ pars à suo naturali situ procul pellitur alius vectiuus, quādo superior pars ab inferiori vehitur: alius denique eleuatiuus, atque depressiuus, quo terræ superficies modo eleuatur, modo deprimitur huiusmodi sunt modi formæ terræmotus. Finalis autē causa generationis terræmotus, est ipse motus: rei vero generatæ est bonū vniuersi. Causa effectiua est duplex: vna quidē vniuersalis & præparans, radii videlicet solis & stellarum, à quibus terra exsiccata, exhalatio generatur, & in visceribus, & in superficie terræ in visceribus quidem, quatenus ibi generatur, & per illa mouetur: in superficie vero, quatenus è superficie terræ eleuatur, & in eius concauitatibus recluditur per antiperistasim nocturno frigore. Alia est causa efficiens, quæ quidem non est quælibet exhalatio à superficie terræ sursum petens, nec in terræ concauitatibus reclusa, quæ est multum permixta humida; est enim materia fontium, per condensationē ipsius à frigido: nec est aer intra terram reclusus; nam talis per condensationē à frigido factam, in aquam conuertitur: nec ignis sub terra reclusus; propterea quod est causa incinerationis, & adustionis. nec etiam aqua; alioqui in loco fontiū fieret terræmotus, & sine aqua nunquam: atqui multi terræmotus cum cinerum emissione visi sunt fieri nec ipsa terra, alioqui quilibet terræmotus esset depressiuus. Est ergo vera particularis causa terræmotus exhalatio calida, & sicca, multum de terrestri crasso participans: aut in visceribus terræ genita. & per illa mota: aut in superficie, & postea reclusa. Hæc autem exhalatio pro sui augmento & decremento. aliisque conditionibus accidentibus, puta terræ dispositione resistentia, porositate, diuersas efficit terræmotus species; nā si exhalatio parua extiterit, existentibus lateribus speluncæ fortibus, de latere ad latus mouetur. sicque fiet terræmotus agitatiuus. cum vero fuerit multa, & violenter commotiua; erit terræmotus subuersiuus: dispersa vero existente terræ quoque superficie non æqualiter dura, nec æqualiter compacta, fiet terræmotus perforatiuus. Cum vero hæc exhalatio fuerit debilis, terraque valde grauitans, exhalatio vero totam terram mouere non valeat, erit terræmotus tremulus. Ruinosus autem fit. terræ seu montium fundamenta aqua corrodente, aut igne terram comburente. At cum exhalatio ob noctis frigiditatem, exeundi aditum non habet, & in profundum terræ secundum rectum mouetur; tunc terra deprimitur, sine fractione deinde redit sursum, & sic fit terræmotus impulsiuus. Quod autem exhalatio huiusmodi sit per violentiam aliorum corporum motiua, 2. *meteor.* Philosophus ostendit: *Necesse est inquit, & quod ad plurimum aptum est moueri, & quod vehementissimum, maxime tale esse.* Vehementissimum quidem ex necessitate, quod citissime fertur; percurrit enim maxime propter velocitatem. ad plurimum autem natum pertransire id est, quod per totum ire maxime potest. tale autem est subtilissimum. Quare siquidem spiritus natura talis fuerit, maxime corporum spiritus erit motiuus. Etenim ignes quando cum spiritu fuerit, fit flamma, & fertur celeriter. Non igitur aqua, aut terra causa est, sed ventus terræmotus: cum accidit, vt in eius visceribus fluat, id quod foras exhalando erumpit. Itaque, maxima ex parte maximi terræmotus tranquillo coriuntur tempore; nam cū exhalatio continuatur, fere principii impetum subsequitur, ita vt vel intus inclusa simul, vel foras toto impetu feratur. *Maximi, inquit, terræmotus fiunt in tranquillitate*, quia exhalatio simul consistēs, tota mouetur quo prima pars eius ex aliqua particulari causa determinauerit motum. Quapropter, aut intus tota mouetur, prima parte incipiēte se moueri: aut tota extra, prima parte similiter se mouente: Ad naturā n. elementi spectat, vt totum vnum, & continuū, primæ partis motum sequatur. Tex. *Quasdā autem fieri terræmotus etiā vento flante nihil irrationabile est*; videmus enim aliquando simul plures flare ventos, quorū cum alter intra terram fertur, vento extante terræmotus futurus est. sed horū minor vis, & impetus existit; propterea quod

Tria de motu tradita.

Anaxagoræ opinio de terræ motu.

Soluit philosophus sententiam Anaxagoræ.

Democriti opinio.

Anaximenis opinio.

Soluit rationem Anaximenis.

Alexander

Opinio philosophi.

De terræ motu.

Materia terræ motus.

Forma terræ motus.

Finalis causa.

Causa præparans.

Causa efficiens.

Vera causa terræ motus

Terræ motus agitatiuus.

Subuersiuus.

Perforatiuus.

Tremulus.

Ruinosus.

Impulsiuus.

Exhalatio subtilissima.

Maximi terræ motus fiunt in tranquillitate.

Terræ motus cum vento.

De terræ motu. eorum principium & causa distracta sit. Itaque, terræmotus
qui fiunt ventis flantibus in aere, debiliores sunt; quoniam
exhalatio, quæ est principium & causa ipsorũ, in duas par-
Terræ motus in nocte maiores. tes diuisa est: quarum altera intus, altera extra spirat. Plures
quoq; ac maiores terræmotus noctu existunt: qui autem in-
terdiu, meridie oriri solent. quod meridies fere sit pars diei
omnium tranquillissima, præsertim cum sol tum cum ma-
ximam vim habet, exhalationem in terram dissipet. & me-
ridie maximam habeat: noctesque sunt diebus tranquillio-
res, propter solis absentiã; ideò, tum in terræ visceribus huc,
atq; illuc ventorum impetus fertur, quemadmodum refu-
xurus in contrariamq; fluxus partem fieri solet: sed prima luce
maxime, quod tum venti flandi initium soliti sunt facere.
Sic igitur intus contingit permutari principium ipsorum,
sicut Euripus, tunc terræmotum maiorem atq; diuturnio-
Euripus. rem facit. Euripus, locus est inter Eubœam, & Atticam, se-
pties in die vndas absorbens, & septies euomens. Cæterum,
Quare fiant terræmotus in nocte. in nocte, vt dicit Philosophus, fortiores fiunt terræmotus;
nã terra infrigidata atq; humectata noctu propter solis ab-
sentiam, prima luce, ob solis aduentum aër incipit calefieri
circa terram: frigidum ergo terræ ad præsentiam contrarij
fortificat calidum internum terræ, quod est exterioris ex-
halationis principium. quod quidem instar Euripi ad intra
ex aliqua particulari causa permutatur, propter scilicet
multitudinem exhalationum, terræmotum efficit fortio-
rem. Tex. *Adhuc autem, & circa loca talia potissimum fiunt terræmo-*
Terræ motus in Achaia. *tus, in quibus mare maxime fluctuat, vel regiones raritates, & concauita-*
tes quasdam habet. Itaq; in Hellesponto, in Achaia, & Sicilia, & in ta-
libus Eubœæ locis existunt maxime; videtur enim penetrare sub ter-
ram mare, ob eamq; causam Therma quæ ad Ædepsum præfunt, ex ti-
terunt. In ijs autem locis terræmotus fiunt propter angustias locorum:
ventorum enim vehemens fluxus, qui quidem ex terra efflat, & ir-
Regiones spongiosæ. *rumpere natura vi solet, obiecta impetu, motum magnum tum haben-*
tis, in terram iterum repellitur. Regiones etiam omnes quæ raritatibus
& concauitatibus abundant, cum magnam vim ventorum recipiant,
Ver. Autumnus. *crebrius quati solent, & vere & autumno maxime: & in pluuiosis, &*
in siccis præcipue fiunt propter eandem causam; hæc enim tempora ma-
xima ventorum vi exagitari solent: maxime cum æstas astu, hyems
gelu vacuitatem motuum & impulsionum afferant, quod hyems ni-
mium frigida sit, arida nimium æstas: atq; in siccitatibus quidem aer
ventorum plenus est; est enim tum denique siccitas, cum plus expiratio-
nis aridæ, quam humidæ excitatur. Pluuiosos autem terræmotus exi-
stunt, quod & maior vis exhalationum in eius visceribus innascitur,
Fiunt terræmotus. *& angustioribus locis recipitur, eaq; expiratio in angustiorem locum*
compellitur, cum terra concauitates aquis tum refertæ sunt. Cum e-
nim superior esse incipit, quod magna vis in paruum locum conclndi-
tur, ventus ipse & eruptione, & impetu suo grauiter impedit. Hæc
Philosophus. Et est sensus, terræ spongiosæ multum exha-
lationis recipiunt, quæ maris, aut nbuarum accessu, exitum
appetentes, terram quatiunt, ac tremere faciunt. Ver præ-
terea & autumnus, multam exterius exhalationem afferũt,
qua sic existente, si ob aliquam causam contingat interius
Æstate & hyeme rari terræmotus. fieri, magnus fiet terræ motus. Æstate vero & hyeme licet
fieri possint exhalationes interius, raro tamen fiunt: pro-
pterea quod non fiant exhalationes exteriores. In annis etiã
In annis siccis. siccis, quando dominatur exhalatio sicca, & aër similiter
siccus, fiunt terræmotus; quoniam venti augentur, quibus
nictis, nonnulli ob aliquam causã particularem recludun-
tur: & sic fiunt terræmotus. Fiunt quoq; terræmotus in an-
nis pluuiosis; in visceribus enim terræ maior fit exhalatio,
quibus repletis ex aqua pluta, in arctiorem locum exhala-
tio compellitur: fluens vero intus fortiter, offendens terrã,
In annis pluuiosis. illam quatiendo mouet. Itaq; in annis siccis fit terræmotus
ex ventorum ad extra generatione, & illorum ad intra ac-
cessu: in pluuiosis vero ex exhalatione intrinseca per anti-
peristasim facta, quæ postea locorum angustia mouetur per
viscera ex amplioribus, ad angustoria loca & sic efficit ter-
ræmotum; dictum est enim superius frigiditate circum-
dante calidum terræ fortificari per antiperistasim: fortifi-
catum vero exhalationes facere. Quid ergo sit terræmotus,
& quomodo, & vbi fiat, dixi.

CAP. II.

De signis terræmotus.

Signa terræmotus. PLurima ab authoribus ponuntur signa terræmo-
tus: quorum vnum a sole acceperunt, quando vi-
1. delicet sol est caliginosus; eo n. die vapores à terra
2. exire incipiunt, qui solem obfuscant, ac sanguineo
alterãt colore. simili quoq; colore afficitur luna, ob eandem
vtiq; causam. aliud signum est lunæ, & solis ecclypsis præser-
3. tim autem solis, quandoquidẽ sol supra terrã, luna vero sit-
per aquas potentior sit: tertiũ signum ab auibus accipitur,
quæ super terram diu manere non audent; sed sæpius ex vno
ad alium conuolant locum; habent n. capita valde aërea, & *De terræ motu.*
à cœlesti influxu mutabilia: sic enim gallus sentit mutatio-
nes horarum. vnde Anaximenes ex volatu auium terræmo- *Gallus sentit mutationes horarum.*
tum prædixit: quartum signum, est aquarũ turbatio in pu-
teis maxime naturalibus, vel salsedo, vel alius sapor: id au-
tem contingit propter exhalationes per terræ venas exeun- 4.
tes. Hoc signo Pherecides, authore Plinio, terræmotum præ- *Pherecides, lib. 2. c. 81.*
dixit. Nauigantes quoq; sentiunt non dubia coniectura, si-
ne flatu intumescente fluctu subito, aut quatiente ictu in-
tremunt vero & in nauibus posita, æque quam in ædificijs,
crepitumq; prænuntiãt. Est & in puteis turbidior aqua, nec 5.
sine odoris tædio. quintũ tranquillitas; cum n. futurus est
terræmotus, vniuersa ventorum materia congregatur, atq;
intra terræ viscera recluditur. Hoc signu omnes propemo-
dum vtuntur, potissimũ cum post vastosum ventum subi-
to succedit: sextum signum stantes in naui, cum aliquid ma- 6.
nibus apprehenderit, illud tremit sine vento, & fluctu: in
causa autẽ est, quoniam nonnullæ exhalationes leues è terræ
visceribus exhalare incipiunt, quæ leuem tremorem effici-
unt. septimum, est maris tumor absq; vento & fluctu; exha- 7.
latio enim iam sub mari ascendere incipit, quæ aquæ mista
illam sursum eleuat, atq; pellit: octauum, soni auditi quorũ 8.
aliqui similes sunt sono aëris præ nimio vento sonantis; ca-
uernarum namq; multitudo, in quibus exhalatio est, valde
dilatatur & hic quidem sonus in principio motus materiæ
fit: alij vero sunt sibillatiui, exit enim materia cum impetu *Soni diuersi.*
per angustas terræ rimulas, & hi in terræmotus augmento
sentiuntur. alij collisiui, ob vehementem scilicet durorum
corporum commotionem, qui quidem in ipso terræmotu
fiunt. alij fractiui; quia nimirum exhalatio iam obstacula
frangere incipit, amplius enim retineri non potest ideoq;
in fine sentiuntur nonum signum fuit Anaximandri, nebu- 9.
la scilicet sterilis, longa, gracilis, alba ad modum lineæ con-
stituta versus occasum: decimum signum fuit Calistenis, ni- 10.
mirum ante terræmotum columna ignis in aëre inspecta;
multa enim in terra materia existente, eaq; ad supremam a-
ëris regionem ascendente, inflammatur, & propter motum
columnæ formam accipit. vndecimum est præapparẽs Co- 11.
meta, sicut apud Achaiã, quo ibidem apparente, simul fuit
terræmotus, & fluctus. *Oporteret autem intelligere,* inquit Philo-
sophus, *quod sicut in corpore nostro, & tremoris & pulsus causa est*
spiritus intercepta potentia: sic in terra ventum idem facere & terra-
motum alium esse veluti quasi tremorem: alium quasi pulsum. Et quem-
admodum sæpe cum vrina reddita est, sequitur in corpore tremor qui-
dam, quod is inferens spiritum extrinsecus in partes interiores penetret;
sic eadem in terra fieri. Sensus est, quemadmodũ omnium mo- *Exemplum motus corporis.*
tuum nostri corporis, tremoris & pulsus præternaturalium
scilicet causa est virtus, siue potentia spiritus, ventositatis
scilicet, quæ intra meatus nostri corporis intercipitur, &
mouetur; ita necesse est intelligere, intra terrã à ventosa ex-
halatione similia fieri, nempe similes præternaturales mo-
tus. Præterea, sicut in corpore nostro tremor aliquando fit
per intrusionem venti ad interiora, vt exemplo vrinantiũ
patet, nonnunquam quia intus fit ventositas; sic etiã in ter-
ra aliquando terræmotus fit per ventorũ intrusionem, &
per ventositatis genituram, quæ in terræ visceribus fit. Tex.
Quam autem vim spiritus & ventus habeat, non solum ex ijs quæ *Potentia venti.*
in aëre eueniunt perspiciendum est, ubi propter magnitudinem aliquis
hæc talia fieri posse existimabit, sed etiam in corporibus animantium:
nam & thetani siue rigores & spasmi, seu neruorum distentiones mo- *Philosophus.*
tus quidam sunt spiritus: quæ quidem tantum habent virium; vt si *Spasmi.*
multis simul conentur vim afferre motui ægrorum, superare non pos-
sint: ita in terra fieri, vt magna paruis comparem intelligere debemus.
Harum autem rerum signa nostro etiam sensu obseruata sunt; iam e- *Exemplum procellæ.*
nim locis quibusdam terræmotus extitit, qui non ante desijt, quã ven-
tus qui motum attulerat, supra terram eruptione perspicue facta, pro-
cellæ instar prodijsset. vt etiam nuper ad Heracleam ponti vsu venit: & *Heraclea insula Æolis.*
antea in Hiera insula, quæ vna est ex Æolis insulis; in hac enim terræ
pars intumuit, & ascendit velut montis magnitudo cum sonitu tandẽ
autem erupta exiuit vehemens ventus, scintillas cineremq; secum ra-
piens, Liparamq; vrbem, quæ haud procul aberat, cineribus aspersam, *Lipara.*
funditus euertit. peruenitq; ad nonnullas Italiæ vrbes: atq; etiam nunc
vbi illa euomitio fuit, cernitur. Nam ignis qui in terra oritur, hanc es-
se causam putandum est, cum ipse spiritus impulsus incenditur, diuiso
prius in paruas partes aëre. Sensus est. Causa ignis, qui in prædi-
cta insula, & in alijs locis extitit, exhalatio fuit quæ scilicet
percussa ab aliqua interiori terra, & quasi velocitate sui
motus distracta, & rarefacta, primo accenditur, ipso aere,
siue exhalatione dissecta atq; distracta in paruas partes; hæc
enim cum sic accensa extra propellitur, fit ignis. Itaq; putat *Ignis exhalationum.*
philosophus his in locis genitam exhalationem motus ce-
leritate rarefactam accendi: quæ vrendo, & calefaciendo
terram, in cinerem vertit. Trogus *lib.* 4. aliam rationem ad-
didit:

De terræ motu.

dit. Sicilia, inquit, terra est cauernosa, & fistulosa, quia sit, vt ventorum statibus pateat: vbi ignis concipitur, intrinsecus sulphur habetur & bitumen. vbi ventus per spiramenta cauernarum incubuit diu luctans, concipitur, sic Ætnæ (*Ætna.*) durat incendium. Atqui nō semper per ventorum subingressum incendium fit; sed interdum per generationem ventorum intrinsecam, vt asserit philosophus. Vesuuius (*Vesuuius.*) quoque cauernosa præsefert antra adustis lapidibus plena, vt facilis cōiectura sit, ea loca quondam arsisse; sed cessante materia, flammas defecisse. Alio signo probat philosophus (*Philosophus.*) ventum fluere sub terra: *Fluere*, inquit, *ventum sub terra, ex ijs etiam quæ in eadem insula eueniunt, perspici potest; cum enim Auster flaturus est, ante denuntiat; sonum enim reddunt ea loca ex quibus eæ flammæ siue exsufflationes erumpunt, propterea quod mare iam propellitur a longe, & ab eo id quod ex terra exculari debet, introrsus cōpellitur. Qua autem parte mare infunditur, ea sine terræmotu resonat, propter & locorū amplitudinē, subiens enim in immensum diffunditur, & aeris impulsi paucitatem.* (*Sonus terræmotus signum.*) Sensus est, quando ventus Auster debet spirare, antequam spiret, & ad insulas perueniat, prænuntiatur eius aduentus; nam loca, ex quibus exhalationes erumpunt, sonum edunt: proinde nautæ cum præsenserint oras huiusmodi locorū resonare, Austri præsagiunt aduentum. (*Austri aduentus prænoscitur.*) Mare siquidem à longe prius ad insulas ab austro propellitur, antequam ipse ad illas peruenerit: prius enim mouet mare è regione, ad illas insulas, vigorem namque habet in maria suæ regionis: deinde auctis viribus ipse sequitur. Porro, exhalatio, quæ in illis locis extra versabatur, à vi maris compulsa, intra terræ viscera redire cogitur. maris quoque aduenientis frigiditate coacta, frangitur aer, ac varijs modis resonat. Hæc est causa sonorum Ætnæ (*Sonus Ætnæ.*), & plurium locorum, in quibus aliquando auditi sunt soni de subterraneis locis. Non fit autem terræ motus ob huiusmodi exhalationum coactionem, siue intrauersationem, propter locorum amplitudinem. Philosophus: *Adhuc autem fiere solem caliginosū, & obscuriorem sine nube:* (*Sol caliginosus.*) *& ante matutinos terræmotus aliquando tranquillum cælum, magnumq; rigor, eam causam quā dixi, confirmant; nam & sol caliginosus, obscuriorq; fit, necesse est: tum cum ventus se in terram recipere incipit, qui quidē aerem dissoluit atq; dissipat. Et prima luce tranquillum cælum ac frigidum. tranquillum enim vacuumq; à ventu fere illud esse oportet, quod in terræ visceribus quasi refluxus quidam ventorū existat, idq; ante maiores terræmotus sæpius; ventus* (*Tempus quietum.*) *enim qui ad partem fertur, partem in visceribus terræ in lasus diffunditur; sed simul agitatur, plus virium habeat, necesse est. Frigus autem accidit, quod exhalatio, quæ per se calida est, intro cōuertitur.* Sensus est, sol obscurus apparet propter aeris inspissationem, tempore namque terræmotus omnes propemodum exteriores exhalationes intrauersantur: proinde aer suo calore priuatur, ac frigidus redditur, spissus & obscurus; calor enim, qui cum exhalationibus in aëre erat, ipsum aerem calefaciendo, puriorē reddebat. alia patet. Sed dices, ventus aquilo est frigidus, & est exhalatio non ergo omnis exhalatio est calida. *Respondet* philos. Omnes ventos (*Omnes ventos esse calidos.*), inquit, sunt natura calidi per accidens vero frigidi. vt Aquilo moueas aërem septentrionalem multū, & frigido vapore plenū: sic etiam spiritus per os exsufflatus, is n. è proximo calidus est, vt apparet, cum aspiramus, quanquam non æque percipitur propter paruitatem: de longe autē frigidus propter eandē causam, quam in ventis valere dixi: *Deficiente igitur in terra tali potentia, continuum propter humiditatē vaporosus defluxus frigus facit, in quibus locis accidit fieri hanc passionem.* Sensus est, deficiente in terra tali potētia, calida scilicet exhalatione, continuus defluxus, qui vaporosus est propter humiditatem, hoc est, aër, qui continuus est terræ, & aquæ, ob continuum humiditatis defluxum, frigus facit. non quidem vbiq; sed his in locis, in quibus accidit hanc passionem fieri, quæ terræmotus appellatur; non enim vbique frigiditas fit, sed in ea regione, vbi exhalationibus depauperatur. (*Nubecula subtilis. Terræmotus in nocte.*) Tex. *Eadem autem causa est eius significationis, quæ interdum terræmotus solet antecedere, nam aut interdiu, aut post occasum nubecula tenuis ostenditur porrecta & longa, vt lineæ longitudo, quæ in rectū ducta sit, vento deficiente propter migrationem, istiq; mutationem.* Sensus est, quando de nocte venturus est terræmotus die præcedente, aut paulo ante occasum solis, serenitate existente, nubecula subtilis apparet, exhalatione enim deficiente ab illa, propter mutationem ex aëre ad viscera terræ, vaporosus aer, qui erat exhalationi admixtus, pauca admodum exhalatione sibi relicta frigiditate continentis inspissatur in nubeculam, calidæ vtique exhalationis defectu. Diffunditur autem hæc nubes terrā versus in longum, & in rectū propter materię, siue exhalationis motum. (*Quare illa nubecula est oblonga.*) Etenim cum exhalatio, quæ à nube segregatur, in terram secundum rectum ab ea sit propulsa, nubes similiter per eiusdem loci rectitudinē diffunditur. Ex quo patet nubeculam illam oblongam, quasi de cœlo ad terram videri. Tex. *Simile quoq; accidit & in mari circa littora; tum enim fluctuū impulsu effunditur & redundat; tum ad modum dorsi & inflexi fluctus qui ad littora franguntur, reddi solent: cum autem tranquillū est mare, propter exiguam effusionem, tenuit & recti.* (*De terræ motu: Exemplum ex mari.*) *Quod igitur mare in terra, id ventus in aeris obscuritate, & caligine efficit. ita, vt cum cælum ventu vacat, nubes quæ aeris quasi fluctus est, ad modum rectæ tenuisq; relinquatur.* Sensus est, cum cœperit mare fluctuare, propterea quod venti intrauersantur, agitantque mare; inde crassę & distortę valde erumpunt. crassę quidem multitudine exhalationum aquam eleuantium: distortæ vero, quia impetuosę & celeriter motę. At quando tranquillitas mari dominatur, caliginosa expulsa exhalatione, inde subtiles fiunt & rectę. Quando ergo in aere inuenitur tranquillitas, ventosa exhalatione remota, recta & subtilis omnino relinquitur exhalatio, ac si nubecula sit aeris eruptio, siue vnda. Tex. *Propter hæc autem, & circa eclypses lunæ aliquando contingit fieri terræmotum, cum enim incipit lunaris defectus, calidum luminis terræ iam deserit proinde aer infrigidatur. quem exhalationes abhorrentes in terræ viscera recedūt: vnde fit vt inde terræmotus erumpat.* (*Eclypsis Lunæ terræmotus ostendit.*) *Fiunt itaque etiam venti ante eclypses sæpe; siquidem venti fiunt in principio noctis, luna defectum in media nocte venturum denunciant: qui quidem venti achronici hoc est, tempestiui appellantur.* Quod si prima luce futura erit eclypsis, media nocte venti exurgent; lunare (*Venti ante eclypsim.*) namque calidum tabescit, quando luna ei loco proxima erit, in quo futurus est ipsius defectus, qui quidem est caput, siue potius cauda draconis; eo enim in loco vmbram ingreditur luna: verum ante id temporis, calidum luminare vētos abigebat, ne in aerem irruerent quo deficiēte, venti exoriuntur, à quibus aër concutitur, & mouetur. Remisso itaque calore, quo aer detinebatur & quiescebat, rursus pellitur, oriturque ventus paulo maturius, cum serius defectio sequi debeat. Ante autem lunæ defectum mouentur venti, quando luna per sex horas ad vmbram appropinquante, sol à nostro declinat hemisphærio, aut declinauit omnino: ideoque dictum est ab Aristotele, interdū ista contingere. Hęc pauca cum philosopho de signis terręmotus dixisse sufficiat.

CAP III.

De portentis terræmotus.

MVlta terræmotus portenta antiqui obseruauere *Portenta.*
philosophi: quorum primum est, vrbium atque op- 1.
pidorum ruina, & magna hominum periclitatio:
secundum, nouorū fontium generatio, antiquo-
rum vero corruptio; motu enim terrę antiquis scaturigini- 2.
bus obturatis, nouæ ob terræ aperturam, generantur. ter-
tium, effusio maris super terrā, faciens aliquando catacly-
smum: pulsū profecto mare à Borea, & instar magni montis 3.
in sublime coactum, Borea quiescente, ab Austro in terram
propellitur: vnde fit, vt terram sua magnitudine obruat:
quarum: quartum, est nouorum montium generatio, teste
Plinio lib. 2. eleuantur n. ab exhalatione partes terræ, qui- 4.
bus sic remanentibus mons congeritur: quintum, diuisio
montiū à terra. sic Sicilia auulsa est ab Italia, & Hispania ab 5.
Aphrica: sextum vrbium incineratio: Plinius, *Tebera Ca-* 6.
saris principatu, inquit, 12. *vrbes Asiæ vna nocte terræmotu prostratæ* *lib. 2. c. 84.*
sunt. septimum, est mors, seu mortalitas animantium, ma- 7.
xime ouiū, exeunt namque vapores crudi, fœtidi, quibus aer
inficitur, & pascua. octauū, est pestis hominū, ob eam pro- 8.
fecto causam, quod fructus, aer, & animantia tabo corru-
pta sunt: vnde & mors hominum sequatur necesse est. *Nero-* *Seneca.*
na temporibus, inquit Seneca, *accidente terræmotu in Pompeiana* *Mors ouiū.*
regione gregem ouium mortuum fuisse. hominum etiam magnā mul-
titudinem. huius argumentum accipitur à puteis longo tem-
pore opertis, quos si quis introierit, illico moritur. sūt enim
illic carentia euentationis genitæ qualitates lethales, quæ
mox necant introeuntem. nonum est sterilitas, quæ contin- 9.
git ob caliditatem, & venenosas qualitates propter vredi-
nem quoque, quæ terræ motum consequitur. Posthac cum
philosopho loquamur de terræmotus accidentibus. Cū in-
gens, inquit, *terræmotus futurus est, non continuo, nec semel qua-*
tiendi finem facit. sed primum vsq; ad dies quadraginta sæpe progredi-
tur: deinde etiam ad vnum annum, & biennium ijsdem in locis denun-
tiat. Magni autē terræmotus, causa est ingens vis ventorum, figuraq; *Quanto tempore durent.*
locorum, per quæ feruntur. Vbicunq; enim ventus refertur, nec facile
penetrat; ibi & vehemēter quatiat. & coerceatur necesse est in angu-
stijs. non aliter atq; aqua in corpore quæ elabi non potest. Itaq; quem-
admodum pulsus in corporibus nostris non repēte, nec cito desistunt sed
sensim vna cum morbo ipso; sic perspicuum est principium, à quo ex-
halatio orta est, ventique impetus atque impulsus, non statim omnem
materiam consumi, à qua ventus is, quem σεισμὸν, id est, terræmotum
vocamus, originem habet. Tamdiu igitur necessario quatit, quo-
ad horum reliquiæ consumpta sint: quanquam id tam leuium
faciant,

De terræ motu: *faciant, & ad eum finem, dum minus sit exhalatum, quam quod plane mouere possit.* Sensus est: Causa terræ motus longioris, est exhalationis magnitudo, atque terræ dispositio, per quam

Quare diu durant. decurrit exhalatio. Exhalatio præterea si multa fuerit, atque crassa, multo eget tempore, atque agitatione, vt minuatur, & spiret, præsertim si aditum exeundi paruum inuenerit, & obstructũ. Quare, necesse est, vt diutius luctans, intra ipsam moretur. Tex. *fiunt autem & spiritus sonos, qui sub terra fiunt, & ante terræmotus, & fiunt terræmotibus iam aliubi facti sunt sub terra.* Etenim, sicut percussus aër omniformes emittit sonos; sic & aer ipse percutiens, omniformes potest facere sonos; nam nihil interest, vt aer ipse sit percussus & percutiens, quandoquidem omne percutiens in percutiendo repatitur; siquidem percutiens est physicum corpus, quod quidem in mo-

Boni sub terra. uendo mouetur. Adde, quod percutiẽs per contactum percutit: in percutiendo ergo repatitur. sed aer sub terra percutit; offendit enim solidas terræ partes: omniformes ergo

Philosophus. emittit sonos. Tex. *Motum porro sonus præcurrit quod tenuis sit, minutissimisque partibus constet. & quod facilius omnia, quam ventus soleat peruadere: cum autem minor est, quam vt mouere terram præ*

... causa. *paruitate possit; mouere quidem eam non potest nec impellere: quia autem offendit ad solidas, & concauas moles, & omniformes figuras; omniformes emittit sonos, adeo, vt nonnunquam terra, quemadmodum prodigiorum scriptores confirmant, mugire videatur.* Idem confir-

part. 25. prob. 20. mat Aristot. *lib. problem.* In paludibus, inquit, quę iuxta flu-

Bomugi soni. mina sunt, fiunt soni, qui vocantur bomugi, quos fabulantur esse sacros dei tauros. Itaque, exhalatio huiusmodi, quæ sonum reddit, est minor quam terram possit mouerę, rara atque apta ad meatus terræ penetrandos. Deoique, cum illos pertransit. partes terræ solidas offendit, & concauas, variis modis figuratas: ideoque varios sonos emittit; videmus n.

Terram mugire. alium sonum emittere tubam, alium cytharam, alium fistulam. alium denique grauis, ordinum & organum, pro differentia concauitatum in figuris: similiter se habet exhalatio. Ponit deinde philosophus tertium accidens, nempe inũda-

Inundatio regionis. tionem regionis: *Quin etiam, inquit, aquæ interdum terræmotu vique sunt erumpere; non tamen propterea motus aqua causa est: sed siue summa terræ parte, siue ab infimis partibus ventus eas afferat; is est qui motum affert: sicuti vndarum effluuium venti, non ventorum vndæ causa sunt. aliter in isto pacto huius effectus causam, terra tribuere licebit. quandoquidem non minus atque aqua euertitur. & quasi conuoluitur, dum quatitur ac mouetur; effusio namque quædam euersio est: sed vtraque, terram causa est. vt materia tamen, patiuntur enim. & non agunt: ventus autem, vt principium est.* Sensus est, ex terræmotibus multę aquæ apparuerunt, quæ in visceribus terrę delitescebant, à vi ventorum solutis visceribus, atque repagulis, quibus detinebantur, foras venerunt. In qua quidem actione, aqua, & terra materiæ, ventus vero efficientis munere fun-

Cataclysmus. gitur. Tex. *Vbi autem vna cum terræ motu inundatio euenit, venti qui intra se contrarij spirant, causam afferunt: quod tum demum fit, cum ventus qui terram pellit, mare, quod ab alio vento fertur, omnino repellere non potest: propellens autem, & coarctans ad vnum, magnum pelagus congerit, tunc enim necessarium est, victo hoc vento, simul totum pulsum à contrario spiritu erumpere; & facere cataclysmum, siue inundationem.* Sensus est, aliquando terræmotu factus est cataclysmus, contrarijs namque ventis luctantibus, puta Austro & Aquilone, Aquilo vero mare ex littoribus in altum adducens, in montem magnum cogit. victo autem Aquilone ab Austro, mons ille aqueus in terram propellitur, cuius effusione sequitur regionis inundatio. Tex. *Id quod in Achaia quoque vsu venit; illic enim ex parte Auster, illinc Aquilo flabat. Cum autem cœlum ventus vacaret, ventusque intus flueret, vna cum inundatione terræmotus aliquãdo extitit: eoque magis, quod mare, et vento qui subterra hinc illucque pellebatur, nullum compendium, sed obsistendi locum præbuit. Cum enim vim vltro citroque inferrent; cum ventus terræmotum effecit, fluctus inundationem.* Sensus est, extra in mari re-

Achaia terræ motus. gionis Achaiæ Auster præualens dominabatur: Boreas vero in Achaia non dissimiliter segerebat. victo deinde Borea, mare, quod ab eo in altum submotum fuerat, Austro eum impellente, in Achaiã rediens, plurimam partem illius regionis occupauit. interim ventus intra terram conclusus, terrã quatiens commouit: eoque magis quo post inundationem aditum exeundi mare ei obstruxeret. Ponit deinde philoso-

Differentia inter terræmotum & ventum. phus discrimen inter terræmotum & ventum: *Terræmotus, inquit, fiunt secundum partem terra, & quidem paruam: venti vero, licet non fiant super istã terram; fiunt tamen secundũ magnam illius partem* in causa quidem est; quia terręmotus fieri nequeunt, nisi multis exhalationibus congregatis, quæ prius sparsę ni-

Siccitas nõ est vniuersalis. hil virium habere poterant. Sic & siccitates, & imbres fieri solent; non enim fit siccitas vniuersam terram exurens, nec similis inundatio. hæc siquidem cum ex excessu exhalationum fiat, sol vero in vniuersam terram æqualiter non agat; non videtur fieri possę, vt siccitas vniuersalis, sit terræmo-

tus atque cataclysmus. Et *terræmotus, inquit, fiunt per hunc modũ: venti autem non.* Nam etsi tum venti, tum etiam terræmotus, De terræ motu. à sole principium accipiant, illud in vnum congregante, diuersimode tamen: exhalationes siquidem ex quibus venti fiunt, ita à sole principium accipiunt in vnum; vt in diuersa venti spirent: exhalationes vero, ex quibus fiunt terræmotus, vt in vnum coeant: *Hi quidem, inquit, in terra principium habent, vt ad vnum omnes compellantur; sol enim non similiter potest illas exhalationis diffundere: sublimes vero exhalationes quas congregat in vnum, vt vnà cum eis illis faciat, vtque in diuersa loca fluant, magis diffundere valet*: In causa est, inquit Alexãder, quia terra est Alexander de difficili mobilis: opus est ergo multa exhalatione, in vnum coacta, vt moueatur. At ventorum exhalationes in vnum reducuntur, non quidem vt in vnum ventum migrẽt; sed potius, vt ad diuersa loca fluant; quandoquidem parua exhalatio aërẽ mouere possit: principium ergo acceperunt à solis latione secundum differentias locorum. Deinceps declarat species terræmotus, dicens: Quandoquidẽ igitur Species terræmotus. fuerit multus ventus, mouet terram, vtique vt tremor ad latus. Existit autem raro, ac certis quibusdã locis, quasi pulsus quidã sursum deorsumque agitatus. Itaque, rarius hoc modo quatit, quod non facile ita magna vis causæ concurrere valeat: præsertim, cum multis partibus soleat superare, ea quæ in longitudinem patet exhalatio, eam, quæ in altitudinem prõtenditur. Sensus est, quod autem motus tremor ad Motus ad latum. latus fiat sæpius, in causa est exhalatio, quæ congregatur ad longitudinem, de ortu scilicet in occasum, multo maior existens ea, quæ est à profundo, hæc enim congregatur ad primam crustam terræ, quam sol facile penetrat. Terræmotus Vepulsus. vero, qui fit, vt pulsus, vtpote ab imis ad summa, est difficilior, propterea, quod sol illa loca non penetret, atque periculosior sit, vbicunque enim talis terræmotus extiterit; in summis terrę partibus multitudo lapidum cernitur, eorum instar, qui in caldariis ebulliunt nam cum huiusmodi terræmotus fuit, Sipelus, & ager qui Plegręus dicitur, ac Liguria, Ager plegreus. euersa sunt funditus postremo, insulas in medio Ponti, siue maris existentes, ad illas confert, quæ prope terram iacent. In insulis, inquit, quæ pleno mari alluuntur, & cinguntur, Discrimen insularum minus terræmotus existit, quam in ijs, quæ continenti sunt finitimæ; maris enim vastitas illas exhalationes infrigidat, & sic reddit immobiles. deinde grauat suo pondere, vt exire nequeant: tertio, vim illis infert humectando. Frigiditate igitur, pondere, atque humiditate insulæ, quæ pleno mari alluuntur, raro terræmotu quatiuntur. Maris, inquit, vasti- Insulæ mari non subiacent terræ motum. tas expirationes tum refrigerat, tum pondere suo cohibet, atque coercet. Mare etiam exagitatum à ventis; fluit, & refluit, & non patitur terræmotum. nec insulæ, quæ in illius medio sunt positæ, quandoquidẽ sint tanquam maris partes. Adde, quod magnum occupet locum, & ex hoc, & nõ in hoc exhalationes fiunt. at eæ insulę, quæ continenti vicinæ sunt, pars quædam sunt continentis. Hæc de terræmotu, philosopho authore, in vnum digessimus. Reliquum est, vt ad sapientissimum Mercurium redeamus, qui admonuit suum Tatium, vt aeris amplitudinem suspiceret: & ex his quæ in eo fiunt, Deum optimum maximum intelligeret.

DE ELEMENTO IGNIS.

MERCVRIVS.

Ignis actam celeritatem, astrorum cursus, cœli rapidam velocitatem, ô felicissimum spectaculum, ô beatissimam visionem; siquidẽ vno luminum motu, seriem mundi totius comprehenderes: immobilem factorem concitum, latentem quoque perspicuum cerneres.

Commentum XIII.

STudiose quærit sapientissimus Mercurius, suum Tatium ad Deum cognoscendum erigere, Text. expo. ex his quæ videntur, ad inuisibilium contemplationem transmissum. Enumeraui, inquit, tibi tria elementa, ex quorum cognitione & eorum, quæ in illis fiunt, Deũ intelligeres. Superest, vt ignis elementũ tibi depingã, quá velox sit illius motus, quamue actionẽ in hæc inferiora habet: astrorum quoque cursus: cœli rapidã velocitatem. *Optarẽ tibi fili hoc bonũ, vt feliciter videres hoc felicissimũ elementorum spectaculum, ac beatissimã [illegible] visionẽ; siquidẽ vno luminũ motu, seriẽ totius mũdi cõprehenderes.* Sensus est, vno tãtum diuinorum luminum radio illustratus, Vnus radius diuini ratu. totius mundi ordinẽ comprehẽderes. Sane, quemadmodũ sufficit visui nostro vnus radius solaris, vt cernere valeat, suoque fungatur munere videndi; omnes enim radios ferre non

De Igne.

re non potest: quippe qui aciem eius obtunderent, & à luce omnino deducerent, illius proportione destructa, & substantiæ conditione funditus euersa; ita plane, imo melius, atque sublimius se habet diuinitatis radius, ad nostram intelligendi capacitatem. Si semel respexerit, vnico suorum luminum motu, instruit intelligentem, ita, vt semel tetigisse, docuisse sit. Conspiceres Deum immobilem, quia est suum esse ideoque nescit moueri; quia nescit immutari, qui enim mouetur, de loco ad locum pergit: etsi non corporis gressu, mentis tamen actione, quia nimirum aliter se habet modo hic, quam prius. At qui omnia replet, & nulli deest, nulliusque indigus, & à suo statu moueri non potest: quomodo non erit immobilis? In primo Pymandri de hac materia disputasse me memini. Et ne quis desiperet, putans Deum ita esse immobilem, vt otio torpeat: *Animaduerte*, inquit, *factorem esse immobilem*; propterea quod à suo esse dimoueri nequeat, nullamque subire potest transmutationis vicissitudinem: *omnia tamen concite peruadentem*, omnia penetrantem; quippe, qui omnia, quæ sunt extra ipsum, in seipso habeat: & per seipsum cognoscat, penetret, & gubernet. *Latentemque quoque perspicuum cerneres.* Appellat Deum latentem, propterea, quod oculis non pateat mortalium; sed mundo corde cernatur. Hic, quem mortales & rudes latere putant, sese conspicuum omnibus reddit, ita, vt manibus palpari possit: sic superius dictum est fol. 109. Verum, par est, vt posteaquam de tribus elementis locuti sumus, de quarto etiam, nempe de igne aliquid loquamur, de quo paulo ante à nobis dictum est, ignia elementum esse in rerum ordine. Sapientissimus quoque Mercurius hoc idem constantissime tuetur, ignem inserens elementorum numero: quod profecto minime ab eo fieret; si hoc elementum numero elementorum deesset, & in rerum ordine non haberetur. Et in Asclepio idem confirmat. *De cælo*, inquit, *cuncta descendunt in terram & in aquam, & in aerem: ignis solum, quod sursum versus feratur, viuificat: quod deorsum, ei deseruiens.* Plato in Timæo: *Vt igitur*, inquit, *hic mundus esset spectabilis, atque tractabilis, & sine igni videri nihil potest, nihilque sine solido tangi, & solidum absque terra nihil: idcirco operis huius exordio Deus ignem primo terramque creauit.* Et iterum in eodem libro: igne hinc euolante, quippe cum non sit ei in vacuum exitus, proximus aer pulsus mobilem adhuc humorem in ignis sedem impellit, ipsique ipsum commiscet. Est ergo secundum Platonem, supra elementum aeris ignis sedes. Et iterum Igni, inquit, sæpe miscetur aquæ pars tenuis, atque humida quæ ab igne destituta, ab aere quoque deseritur, cogiturque in seipsam: & si supra terram id contigerit, grando fiet, &c. Plotinus *Ignis præter cætera corpora*, inquit, *pulcher; quoniam situm elementi in alijs consecratur, speciei obtinet ordinem; nempe, & cæteris eminentior est: & omnium subtilissimus, quasi incorporeæ naturæ propinquus: solus ipse non suscipit alia, cum ipsum alia capiant; calefiunt namque alia, ipse vero non suscipit frigus. Præterea, colores ipse primus habet: cætera vero ab hoc colorum speciem accipiunt.* Philosophus: *Si igitur, ait, est aliquid, quod omnibus eminet, vt & ignis videtur in ipso aere sursum latus: aer autem quiescens patet hoc ad extremum ipsum ferri: quare nihil grauitatis ipsum habere potest; subesset enim alteri. Quod si hoc esset; aliquid aliud esset profecto, quod ad ipsum extremum moueretur, quod super omnia quæ feruntur, collocaretur. Nunc autem nihil esse videtur: ignis ergo nihil grauitatis habet.* Et est sensus quod omnibus supereminet, est omnium leuissimum simpliciter. Ignis omnibus superfertur; alioqui alicui alteri non superfertur, quod est falsum: ignis ergo omnibus supereminet, & supra aerem sursum latus: tale ergo corpus ad ipsum extremum fertur. Et primo metheororum: Ignis est in superiori elemento igni autem aer continuus est: quare propter motum prohibetur congregari in aquã: Ignis contiguus est cœlo: aer vero igni: cœlum ergo rapit ignem, vt sibi contiguum. Ignis vero aërem. Ex his ergo sententijs perspicuũ esse potest, ignis elementum, inter cœlum, & aërem contineri. *Sed aliquis dubitabit*, an ignis moueatur motu diurno: & in primis dicet. Corpus naturale in proprio loco quiescit. sed ignis in concauo lunæ, est in proprio loco: ibi ergo quiescit, & non mouetur. Sane, aut motus cœli diurnus est igni naturalis, aut præter naturam: vnius siquidem corporis secundum speciem, vnus speciei est motus naturalis. sed igni naturalis est motus à medio: non ergo illi naturaliter conuenit motus circa medium. sin autem est ei præternaturalis: ergo accidentalis, & ita perpetuus esse non potest. Dici potest, ignem, & supremam partem aëris moueri à cœlo naturali continuatione copulata, virtute vtique primi motoris vnita; virtus quippe primi motoris sese deorsum extendit, ad ea vsque corpora, quæ non impedita circulo moueri possunt. sed ignis est huiusmodi mouetur ergo motu diurno. *Ad primum* argumentum dico, mobile, quod ad aliquem locum mouetur, non simpliciter in eo quiescere, sed solum eo motu non moueri, quo prius ad eundem locum mouebatur. *Ad 2.* ille motus non est naturalis igni, neque præternaturalis, sed non naturalis: aut est naturalis naturalitate communis virtutis, qua cuncta mouentur. Non est ergo pure per accidens, nisi secundum propriam naturam: est autem per se communi natura. Cæterum, calorem fieri non solum ex motu & ex sole; verum etiam ex igne in eodem libro aperte confirmat: *Videmus*, inquit, *motum, quoniam potest disgregare aerem, & ignire, vt & lata liquefacta est videre sæpe.* Id igitur quod est fieri æstum, & calorem, sufficiens est efficere & solis latio; velocem etenim oportet non longe esse. quæ quidem igitur astrorum velox quidem est, longe autem minime: quæ vero lunæ, deorsum quidem, tarda autem: quæ autem solis, ambo hæc habet sufficienter. Motus ergo cum lumine, & loci vicinitate, est causa caloris. Addit: *Et quia ambiens ignis per aerem spargitur frequenter motu, & fertur violentia deorsum.* aër ergo calefit ex motu, ex lumine, & ex igne; cœlum enim suo motu sæpe pellit non parum de igne, & deorsum mittit. vnde aër calidus efficitur. Quam ob rem ait Alexander, quando est coniunctio Saturni, & Martis in signo, in quo Mars præest, suo motu non paruas ignis partes deorsum descendere cogit. Addunt præterea nonnulli Astronomi ita magnam fore astrorum coniunctionem; vt ipsum ignem in terram depellat, qua vniuersus orbis ardeat, atque exuretur: stellæ autem non sunt formaliter calidæ; si enim orbes essent ignei; suis vtique motibus inflammarentur: atque ita in regione cœlesti esset discursus stellarum, qui quidem fit in suprema regione aeris, in qua quo citius mouentur exhalationes; eo citius ignescunt. Signum, inquit, est sufficiens, quod qui sursum locus est, non sit calidus, neque ignitus & discursus stellarum, quæ in nocte videntur, in eo non fiant, sed deorsum in regione aëris. Adhuc autem sol, qui maxime quidem videtur esse calidus, non rubeus, aut igneus, qui profecto color igneis calidisque conuenit corporibus: at color albus sua quidem albedine propinquat ad lumen, qui quidem color nõnunquam frigidis inest corporibus, vt niui scilicet: quod si in ortu, seu occasu igneus interdum appareat, in causa est exhalatio crassa, sicut dictum est. Tex. *His autem determinatis, dicamus cur in cælo flamma accendi videantur, & stellæ, tangi, & quæ à nonnullis vocantur faces atque capræ: hæc enim idem sunt omnia, ex eademque causa, sed magnitudine ac paruitate differunt: horum quidem talium que in alteram, tale est principium; cum enim à sole terra calescit, exhalationem necesse est fieri, non vnam nec simplicem, vt quidam putant, sed duplicem: vnam quidem in qua plus vaporis inest; alteram in qua plus spiritus: hanc autem quam vaporem appellat, eius quidem humidi corporis quod est in visceribus terræ, & super terram esse oportet. atque ita illa exhalatio, quæ ex humidis eleuatur, est humida quæ vero est ipsius terræ, quæ est sicca, fumosa & sicca: vapor ergo humidus; quia ab humidis subtollitur: fumus vero siccus, quia à siccis sed fumosa est calidior, & leuior: ideoque tertiam aeris regionem, igni conterminam attingit altera vero humidior & grauior.* Huius autem duplicis exhalationis duplex causa numeratur: nempe sol causa efficiens, & materia ipsa elementa; ex siccis namque & humidis corporibus vnum fit aggregatum, quod à philosopho terra nominatur. Quia vero duplici natura constat, duplex ex eo emergit spiratio: ex humida, vapor: ex sicca, exhalatio: & hæc quidem sublimiorem, illa vero inferiorẽ petit aeris regionem. Quia vero exhalatio ad supremum aeris locum contendit, qui est calidus, & siccus: vapor vero inferiorem, qui est calidus & humidus: ex consimili causa patet corporum ordo primum quidem est sub circulari latione, quod calidum est & siccum, ignis videlicet elementum, pro igne & exhalatione accepit. non tamen eodem modo. elementum, enim calidum & siccum proprio nomine ignis appellatur. exhalatio vero impropriè ignis appellatur: Innominatum, inquit, est & illud commune, quod est in omni fumosa disgregatione, quia nimirum caret nomine proprio. attamen quia necessarium est, tale corpus maxime aptum vt exuratur, exuri; ideo vtimur nominibus, & sub hac natura est aer, nempe sub igne. Tex. *Oportet autem intelligere velut hypecauma, siue successionem, quam modo igneum nominauimus, per extremam globi, siue sphæræ, quæ terram ambit, pertinere: vt quouis paruo impulsu, sæpe fumi instar, incendatur; est enim flamma aridi spiritus feruor.* Sensus est, secundũ Alexandrum, exhalatio non est ignis actu; sed in proxima potẽtia. vltimũ hypecauma, quod modico motu circulari, quo mouetur aer supremæ regionis, accenditur, sicut fumus cum extinguitur flamma. Porro, flamma est ardor, siue incensio sicci spiritus, materiæ calidæ, & siccæ scilicet: hypecauma vero est ipsa materia facile inflammabilis. Quæ igitur talis constantia, hoc est, quæcun-

Margin notes:

Deus immobilis. — *Deus latens.* — *Ignis elementum esse.* — *Asclepius.* — *Plato.* — *Ignis sedes.* — *Grando.* — *lib. 6. enn. 1. c. 3.* — *4. vel c. 32.* — *Ignis omnibus supereminet.* — *Quare ignis non mouetur motu diurno.* — *Soluuntur argumenta.* — *De Igne.* — *Motus cæli est naturalis igni.* — *Ignis fertur deorsum.* — *Futura conflagratio.* — *Sol albus non igneus apparet.* — *Faces. Capra.* — *Exhalatio duplex. Sicca. Humida.* — *Ignis primum elementum.* — *Exhalatio dicitur ignis.* — *Fumus.* — *Flamma.* — *Hypecauma.*

[De Igne.] quacunque ergo ex parte hæc talis res conflata opportunitatem nacta sit, cum orbis agitatione, cui subiecta est, impellitur; ea potissimum incendi solet. *[Causæ accensionis.]* Causæ ergo istius accensionis sunt, ipsum hypecauma, & motus circularis. modus vero quo generantur, pro aptitudine partium quæ inflammantur, disponitur: causa vero formalis, est illamet, quæ est ipsius ignis: finalis vero, vt ignis generetur, qui ad mundi perfectionem pertinet: finis vero, qui est ab extra, vt ipse mundus expurgetur: vnde *[Seneca.]* Seneca in quæstionibus naturalibus: *In magna, inquit, tempestate apparent quasi stellæ velo insidentes, quas iuuare tunc periclitantes existimant, Castoris & Pollucis numine, quibus pluries apparentibus, tempestas sedatur.* *[Accensionum differentia.]* Differunt autem ignitarum impressionum generationes, quæ in suprema aeris regione fiunt: primo quidem ipsius hypecaumatis partium positione, & situ: deinde multitudine atque paucitate; siquidem hypecauma latitudinem, & multitudinem habens æqualiter, & à motu circulari fuerit accensum, sæpe videtur, vt flamma accensa veluti in campis ardens stipula; si autem hypecaumati plus longitudinis, quam latitudinis insit, videri possunt pali siue stipites accensi, vel *[Sydera volantia.]* torres, & eges, hoc est, capræ saltantes, & sydera volantia. Aliquando autem ignitę fiunt impressiones: non tamen in suprema aeris regione; sed à frigore, in media aeris regione existente; etenim aere à frigore illius mediæ reginnis constantiore, atque crassiore effecto, calidum vstæ exhalationis extruditur, segregatur, atque inde inflammatur: atque ita ad latus mouetur. Itaque, huiusmodi vstarum exhalationum latio, traiectioni potius, quam vstioni similis esse *[Quomodo fiat accensio.]* dicitur. Sed *dubitabit* vtique aliquis, vtrum velut sub lucerna cum posita sit exhalatio, id est, fumus, ita vt superna lucerna sit accensa, & inferior extincta, & fumus extinctæ, ad lucem superioris accensæ pertingat, accendatur: tametsi visus non discernat, inter ignem accensum, & accendentem; quia nimirum mirabilis est huiusmodi velocitas ignium, in diuersis partibus exhalationum existentium; quippe, qui etsi successiue accendantur: ob nimiam tamen velocitatem ab oculis discerni non possunt. Similis certe est traiectioni non ei tamen, quæ in alio, atque alio corpore fit; propter vtique talium generationem, cuius causa non diuersi, sed vnus ignis apparet. An eiusdem corporis sint tales discursus, an scilicet idem corpus sit à principio mo-*[Soluitur quæstio. Exhalatio fit successiue.]*tus vsque in finem: *Ad quod* quidem dici potest, tales impressiones dupliciter fieri posse: aut successiue, vt exemplum lucernarum docet: aut subito, veluti flamma, quę in fulmine fit. Itaque, quando flamma fit successiue, nobis vno motu nihilominus moueri videtur: at quando fit subito, & ita apparet, & est rei veritas. Videtur itaque, ait, propter ambo, id est, vtroque modo moueri; quia existente eodem corpore, & non existente: quędam enim fiunt successiue sic, vt à lucerna superiori accensa, flammam fieri diximus. *[Fit subito.]* & quædam, quia expelluntur deorsum, traijciuntur, quasi subito fierent: veluti ex digitis traijciuntur fulgures. Quare, & in mari, & in terra videntur hæc sydera cadere, & nocte & die, & serenitate existente. Deorsum autem traijciuntur, vt in pluribus; propterea, quod coagulatio, hoc est, nubes, vel aer mediæ regionis inspissatus, exhalationem extrudens, deorsum traijcit. Est enim aer velut nebula illa sua *[Traijcitur exhalatio.]* spissitudine grauis, grauis autem naturæ interest pellere deorsum. Hac de causa, & fulmina deorsum cadunt, vtpote ab illo aere graui traiecta, atque depulsa, quorum generatio non est successiue facta exustio; sed segregatio ab expulsione effecta. Fit igitur hæc expulsio à nube frigida graui: nam calidum suapte natura, sursum euolat: inuento tamen ab eo frigido, deorsum quasi pulsum traijcitur. Impressio ergo ignita his duobus modis fieri potest, successiue scilicet, & subito, sicut iam dictum est.

Qvaestionis Primæ

CAP. I.

De exusta & traiecta exhalatione.

[Exusta.] POstquam audiuimus ignis elementum esse, & igneas in eo fieri figuras, operæpretium erit deinceps describere, quonam modo exusta & traiecta exhalatio fiat. *Quæcunque igitur magis*, ait Philosophus, *in supremis loca consistunt; exusta fiunt exhalatione, nempe, per generationem partis post partem vsque in finem: quæcunque autem demissius, in media videlicet aeris regione, vel saltem prope, vt pote occursu nebulæ, aut aeris sereni & frigidi, hæc fiunt segregata, hoc est,* *[Traiecta.]* *traiecta exhalatione; propterea, quod humidior exhalatio, vapor scilicet, est concreta & frigida, ideoque deorsum tendit, quia est grauis, inspissata, & deorsum facit calidi traiectionem.* Deorsum itaque *[De Igne.]* tendit traiecta exhalatio, tum quia est grauis, inspissata atque congregata: tum quia frigidum fugit, tanquam sibi contrarium. *[Causa motus cadentium syderum.]* Disputat deinceps Philosophus de causis motus syderum cadentium: *Propter positionem*, inquit, *exhalationis quouis modo contingat, nempe quouis modo posita sit exhalatio secundum altitudinem & latitudinem: sic feruntur aut sursum, aut deorsum, aut ad latus.* Et est sensus, propter positionem exhalationis, id est, hypecaumatis, quouis modo ponatur, sic cadentia sydera feruntur. Plurima autem horum syderum ad latus feruntur: cuius causam affert: *Quia*, inquit, *duabus feruntur lationibus: violentia quidem deorsum, natura vero sursum:* *[Latio obliqua.]* ideoque omnia secundum diametrum, hoc est, oblique secundum latus feruntur: proinde discurrentium syderum plurima latio obliqua fit: cum enim neutra vincente feruntur; videntur plerunque ferri motu ex sursum, & deorsum motu composito: quod plane est ad latus secundum diametrum moueri. Omnium itaque horum causa, vt materia quidem, exhalatio est: vt autem mouens, aliquando quidem eorum causa est latio, quæ sursum, vtpote eorum, quæ in suprema aëris regione fiunt: aliquando aëris concreti densitudo, nempe quæ fiunt infra tertiam regionem aëris, quæ traijciuntur ab aëre frigido. *[Locus vniuersalis ignitarum exhalationum.]* Porro, locus vniuersalis, in quo ista fiunt, sub Luna continetur, non enim, vt vulgares putant, sydera cadentia in corporibus cœlestibus numerari possunt; in cœlo namque formaliter istæ passiones, impressionesque nequaquam inueniri possunt. *Omnia ergo hæc*, inquit Philosophus, *sub Luna fiunt, eorum celeritas declarat, eum similitudinem in ijs, quæ à nobis iaciuntur, perspicere possumus, quæ quoniam nobis vicina sunt, celeritate stellas, Lunam, & Solem videtur longe multumq; superare.* Sed *dubitabit* aliquis non temere, an ignitæ impressiones naturaliter generentur, atque moueantur. *Ad quod* quidem dici potest, eorum genera-*[Ignitæ impressiones naturaliter generantur.]*tionem naturalem esse; nulla enim species fit à casu, teste Auer. 8. phys. sed huiusmodi impressiones in aliqua rerum naturalium specie continentur: earum ergo generatio est naturalis. Item, quorum principia, ex quibus constant, sunt naturalia: & composita quoque similiter se habebunt. sed ignitarum impressionum principia sunt naturalia, nempe exhalatio, vt materia, & motus, vt agens; ergo quod prius. Omnis præterea generatio est naturalis, in qua forma naturaliter vnitur materiæ. sed ignitæ impressiones ita se habent: naturaliter ergo generantur. *[Naturaliter mouentur.]* *Ad* 2. dico cum philosopho, & Alexandro, impressiones ignitas moueri naturaliter bifariam intelligi posse: nempe alias quidem esse ex exusta exhalatione compositas, successiua generatione productas: & hę quidem localiter non mouentur, nisi motu aëris, in quo sunt, qui profecto motu diurno mouetur. hæc quippe sicut generantur; ita etiã corrumpuntur. horum præterea generatio cum ab vno extremo incipiat, quoad vsque ad aliud pertingat, licet à nobis plene discerni non possit, propter loci distantiam, profecto secundum locum eas moueri, necesse est: alio modo quædam impressiones fiunt ex traiecta exhalatione: quarũ motus sursum est naturalis secundum formam, illarũ forma ignea existente: motus vero deorsum violentus, vtpote formæ contrarius. Patet ergo quomodo & naturaliter generentur, & naturaliter quoq; moueantur. Sequitur tex. *Multæ autem rerum species, ac imagines interdum nocte serena in cœlo concreta conformataq; cernuntur: vt hiatus, vt fossæ. vt colores cruenti, quarum etiam eadem est causa.* *[Varia forma ignita.]* Cum enim aër superior ita concrescat, vt ignescat, ardorq; nonnunquam talis existit, vt flamma ardeat, interdũ quasi faces, ac stellæ traijciantur; non est mirum, si idem aër concretus varijs coloribus præditus sit. Loquitur Philosophus de his, quæ fiunt per colorationem tantum: Videntur, inquit, in cœlo nocte serena multæ species, vt chasma, hoc est, hiatus; & bothynus, vorago, siue fouea, & sanguinei colores: causa autem horum est eadem; non enim differt flamma à phantasmate, nisi quia phantasma excolorata tantum constat exhalatione: flamma vero excolorata & accensa. *[Color sine accensione.]* Exhalatio namq; cum vertitur in flammam, coloratur & accenditur: potest ergo colorari, & non accendi. cum enim eo vsq; aër sursum est; vt ignitio fiat ex illo; nullum erit absurdum, si idem aër constans, hoc est, eadem exhalatio, vel idem aër exhalationibus constans, sine accensione multis *[Causa colorum.]* coloribus coloretur; potest enim colorari, absque eo, quod accendatur, vt dictum est. Cæterum, causa colorum est refractio luminis diminuti ab ipsa exhalatione inter nos, & lucidum interposita. refractio vero duobus indiget, lumine scilicet diminuto, ad exhalationem multiplicato: & aëre, siue exhalatione inter nos, & lucidum interposita, tale lumen, cum quadam transparentia refrangente. Quoties igitur exhalatio turbida superat lucis transparentiam, color *[Color niger]* niger

De igne. Calor niger. Albus. Rubeus. niger apparet: è contra, si transparentia exhalationis turbulentiam vicerit; color albus fit: at si transparentiæ & turbulentiæ proportio fuerit æqualis; rubrus, & sanguineus color in cælo apparebit; apparet autem de nocte, quod lumen tunc sit remissum, quod ad exhalationem diffunditur: in cælo vero nos videre putamus, propterea, quod inter cælum & exhalationem sensus distantiam non percipit in sereno tempore, quod tunc exhalationes adsint, nubibus sensus nostros minime occupantibus. Per densius igitur transparens minus lumen, & eius refractionem, aer omnifarios colores suscipit, *Phœniceus.* maxime phœniceum & purpureum. quod hi potissimum ex ignei albique temperatione existunt, permistis secundum appositiones: per igneum exhalationem, & per album lumen remissum intellexit: hunc autem ex albo & igneo permistis secundum superappositiones, proportionatis scilicet; quoties namque lumen remissum, ad turbidam exhalationem diffunditur, purpureus color emergit. *Purpureus.* Est autem purpureus, color sanguinis; nam purpura conchilium est, de cuius sanguine fit color ille. Album enim turbido plerumque facit rubrum, veluti orientia astra & occumbentia, si cauma, siue vredo fuerit: veluti quando Sol est in Leone: tunc enim astra rubra apparent: eo namque tempore inter solem & nos exhalationes ponuntur, propterea sol rubens apparet similiter in ortu & occasu. Et per fumum phœnicea apparent, rubra scilicet exhalatione interposita. *Obiectio.* Sed *dices*, omne refrangens est speculum, & in omni speculo apparet imago, siue figura eius obiecti; quod in illo refrangitur. si ergo exhalatio stellarum lumen refrangit; in ea vtique stellarum apparerent figuræ. quod rei veritas minime comprobat. *Solutio. Duplex speculum.* *Resp.* atque dico duplex esse speculum: alterum quidem obiectum diminute refrangens, quod quidem colores, non figuram obiecti repræsentat: veluti fumus quoties stellarum lucem refrangit: & hoc est, quod à Philosopho dicitur. facit autem & refractionem, cum speculum fuerit tale; vt non figuram, sed colorem suscipiat: alterum vero non est transparens, ideoque & colorem obiecti, & figuram repræsentat. Exhalatio autem se habet ad modum speculi primi, non penitus opaca; sed aliquo modo transparens. Cur vero huiusmodi colores in cælo non longo tempore durent; in causa est, constantia exhalationis velox, quæ scilicet cito euanescit. *Hiatus.* Hiatus, quos Græci chasmata appellant, ex obscuro & nigro proficiscuntur; album namque disruptum & distinctum ab obscuro & nigro, facit aliquam apparere profunditatem: in causa autem, cur aliquando ex hiatu excidunt torres, & ardentes stipites aliquando vero sine horum *Torres. Stipites.* emissione fiant, est aer denigratus, quando in medio magis congregatur. Sic enim aere constricto, calidum intra ipsum reclusum, propter constrictionem augetur: & sic velut torris accensus excidit, & in ima descendit: cum vero non fuerit ita intense concretus; hiatus videtur. *Multoties*, inquit, Philosophus, *ex talibus & tali excidunt; quando congregatur aer magis. concretus autem, nempe sufficienter, non ita musca hiatus videtur. Omnino autem in nigro albū multas facit varietates, vt flamma in fumo.* Per album Philosophus intelligit colorem corporis luminosi, lumen scilicet: & per nigrum colorem ipsius aeris exhalationibus pleni. Die autem sol prohibet hæc sua *Phœniceū.* luce videri, maiore lumine minus obfuscante. Prohibet etiam alios colores fieri, excepto phœniceo, nigro scilicet; hunc enim nō prohibet fieri vna cum albo. Alij autem propter similem colorationem non apparent. De discurrentibus quidem astris, & ignitis, adhuc autem, & de talibus phantasmatibus, hæc dixisse, authore Philosopho, satis debet esse legenti.

MERCVRIVS.

Quod si per ea etiam quæ terra sustinentur fragili, & quæ profunditate conduntur; Deum artificem inuestigare volueris; age fili, circumspice humani corporis opificium, cuius admonitione perdisce, quis tam pulchræ imaginis conditor, quis oculorum pictor; quis nares auresque tornauit, quis labia distendit oris.

Commentum XIV.

Hominis opificium. SVmmo studio, summaque diligentia Mercurius contendit, vt Dei notitia omnibus innotescat, præsertim suo Tatio tantopere Deum scire cupienti: Si, inquit, ô fili; sat tibi non est, ex elementorum naturis, & eorum, quæ in ipsis geruntur, Deum scisse, adhibeo tibi, atque tuos ob oculos po-

no, magnum spectaculum, hominis scilicet opificium, mirabili Dei fabricatum sapientia. Ex cuius quidem pulchritudine, quis tam pulchræ imaginis conditor sit; te intellecturum puto. *De corpore hominis.* Sane, quia hominis anima actuare debebat corpus ad suas operationes exercendas; illud temperatissimum sortitum est, cæloque simillimum, vt cælestis animi muneribus fungi pacatius posset. Hanc vero temperantiam *Corpus imbecille.* necessario sequitur imbecillitas; complexio enim in qua nimis excedit calor, vix à calore & frigore læditur: nam calor ingens remissiores calores exuperat, & impetum frigoris frangit. At si in aliqua complexione frigus excellat, nō quælibet frigiditas extrinseca, inuecta percipitur, & æstum facile tolerat: similiter vbi humiditas, aut siccitas præualet. Ergo, *Complexio hominis imbecilla.* quia necessaria homini complexio temperatissima, omnium terrenorum; consequens fuit, vt imbecilla esset corporis humani natura: nam vbi quatuor qualitates consona temperatione miscentur; quæcunque noua qualitas aduenit, excedere cogit aliquam ipsarum quatuor qualitatum: vnde Auicenna ait, humani corporis constitutionem esse *Auicenna.* temperatiorem, quàm vel sit vnquam, vel esse possit omnino [illegible] etiam virtutum dispositione congrua, quibus [illegible] turque, & hoc pro intellectionis opere, meliusque [illegible] actionibus exercendis. vnde Plato in Timæo: *Plato.* *[illegible] potuisset tam solidum facere corpus, vt ab externo minime [illegible] sed voluit facere, vt speculationi esset paratius.* Addit Auicenna: Si obduruisset homo vt lapis; nō potuisset loqui. *Quare est imbecillus* Am[illegible], placuit authori nostro optimo, sacerdotes suos, qui in [illegible] sacris superioribus cantant, manere ibi semper eosdem: quoniam propter loci felicitatem, sine labore vitam 1. agunt: in terris vero sacerdotes suos diuturnas moras tra- 2. here noluit; quoniam non debetur labor perpetuus, aut longus his, qui sedulo Deum laudant: ideo, dimittit huc eos quotidie, ac reuocat, vt per successionem continuam fiat in terris, quod fit per eandem vitam in cælis. Præterea, cum fecisset hominem Deus propter se, & patriam celestem; conueniens fuit, vt quotidie ad eam suspiraret: quod non faceret, nisi continuis incommodis afficeretur, atque vexaretur: 3. vnde Lactantius de opificio hominis: *Qui*, inquit, *queruntur* *Lactantius* *de hominis fragilitate, id potissimum queruntur, quod non sempiternus atque fiat.* *Queruntur*, inquit Seneca, *diuinorum munerum ini-* *Seneca.* *qui æstimatores, quod non mole corporis æquemus elephantes, velocitate ceruos, leuitate aues.* Vix sibi quidam temperant, quin eo vsque impudentius prouehantur, vt naturam oderint quod infra deos simus. Profecto, quicquid nobis negatum est, dari non debuit: si enim immortalis esset homo, & non imbecillis potius, non egeret indumentis, nec domibus: quid opus esset igitur sapientia Palladis, & igne Vulcani? Accepit igitur *Sapientia hominis.* sapientiam, vt aduersus nocentia fragilitatem suam muniat. Feret præterea homo insolentissimus, si fragilis non esset: 4. probatur. Nam fere iura omnia humanitatis, quibus inter nos cohæremus, ex metu, & fragilitatis conscientia oriuntur: nam imbecilliora animalia congregantur: vt quoniam viribus se tueri nequeunt, multitudine tueantur. at fortiora solitudines appetunt; quoniam robore viribusque confidunt. Quamobrem, qui hominem, inquit Philosophus, non bene, sed deterrime omnium animalium constare aiunt, quia nudum, improtectum, atque inermem creatum referunt, non recte ij sentiunt: cætera enim animalia vnum *Animalia habent vnum auxilium.* auxilium habent, idque nullo modo valent permutare, sed quasi calceata semper dormiunt, nec vestitum vnquam deponunt. at homini multa habere auxilia licet, atque subinde mutare Bestias facile finitis instrumentis instruxit, quibus determinatas actiones phantasiæ, ad certum quiddam natura. directe exequerentur. At quum homo infinitis actionibus, per infinitam cogitationem faciat; non congruit ei ad illas peragēdas natura infinita propugnacula, vel instrumenta suppeditare: sed dum mentem manumque dedit; artes omnes atque instrumenta concessit. Item, non dedit il- 5. la, quoniam noluit tam delicatam corporis nostri disposi- *Mentem pro instrumentis dedit.* tionem deformare: nam si homini ferinos dentes, aut cornua, aut vngues, aut caudam, aut varij coloris pilos dedisset, quis non videat, quam turpe animal futurum esset homo? cortex siquidē ambit arborem: penna tegit volucrem: piscem squama operit; lana ouem induit: pilus iumenta, & feras vestit: concha testudinem excipit: ebur elephantem iacula timere non facit. Nec tamen sine caussa factum est, quod cum singula animalia arma habeant naturæ suæ, secum nata; solus homo inermis nascitur, & nudus; oportuit enim, vt illis quæ sibi præuidere nesciunt, natura consuleret. homini autem ex hoc etiam maior experiendi occasio præstaretur; cū illa, quę cæteris naturaliter data sunt, propria sibi ratione inueniret: multo enim magis nunc enitet ratio hominis hæc eadem inueniendo, quam habendo claruisset.

De corpore hominis. Ingeniosa fames.

Nec sine ratione prouerbium sonat, quod ingeniosa fames omnes excuderit artes. vnde, quemadmodum diuersis animalium generibus diuersas natura defensiones, ad tuendã propriam vitã, salutemq́ constituit, vt leonibus vires, ceruis cursum, canibus venationes, aquatilibus natationem, volatilibus volatum, ita hominum generi in cunctis huiusmodi defensionibus, cæteris animantibus minori, rationem tradidit, quasi donum quoddam, quod cunctis facultatibus illis æquipolleret: vnde fit, vt cuncta nostro subsint imperio: nam equi celeritas in nostra cadit emolumenta: canum pugnacitas hominem tuetur & sic singula animantia homini famulantur. Adde, quod solus homo, teste Philosopho *lib. 4. de partibus animal.* animalium omnium erectus est: quoniam eius natura atq; substantia diuina est: officium autem diuini, est intelligere atque sapere: quod non facile esset, si vasta corporis moles assideret: pondus enim tardiorem reddit mentem, & sensum communem. Itaque, erectus homo duabus ex causis; tum quia est animalium perfectissimus, acceditque plurimum ad cœli qualitatem, tum, quia proportione corporis calidior est alijs omnibus: calidi vero proprium est, in erectum tollere. Animalia vero reliqua medio se habent modo; quoniam minus ad cœli qualitatem accedunt, minusque habent caloris exigentiæ. Est & alia huius rei ratio à fine sumpta: nam surrecta hominis figura, ostendit supernarum rerum hominem spectatorem esse, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animalium pertinet. *Cum statuisset Deus*, inquit Lactantius, *solum hominem facere cœlestem, hunc ad cœli contemplationem erexit bipedemque constituit, scilicet, vt eadem spectaret, vnde illi origo est.* Propterea Ouidius ait: *Os homini sublime dedit.* Et Plato in Timæo: *Vnde primus animæ datus est ortus, inde diuina vis, caput, radicemque, & originem nostram pendentem suspendens, totum dirigit corpus.* Mercurius quoq; *Generatio hominum*, inquit, *ad diuinorum est operum cognitionem, testimoniumq́, naturæ ad imperandum omnibus quæ cœlo teguntur: ad cœlestium: diuersum suspiciendum: ad potestatem DEI, & naturæ progressum contemplandum.* Recte ergo dictum est à Mercurio, Deum ex hominis opificio cognosci posse, & quidem excellenter. Per ea inquit, *quæ terra sustinentur fragilia, & quæ profunditate conduntur*: hoc est, per hominem, qui omnium est animantium fragilissimus, atque nobilissimus, & magnæ diuinæ sapientiæ profunditate conditus. *age fili, circumspice humani corporis opificium, cuius admiratione, & spectaculo, perdisces sapientiam artificis: quis oculorum, t-ctor?* Quis, inquit, depinxit, deditq́ homini duo lumina ita pulchra? *Ex omnibus*, inquit Plato in Timæo, *suis partibus, primi lucifera oculorum orbes construxerunt, hac causa fundati. Ignis certe, illius qui non vrit quidem; sed illuminando suauiter diem inuehit mundo, participes oculorum orbes dij fecerunt. Intimum siquidem nostri corporis ignem, huius ignis germanum, syncerumque per oculos emanare voluerunt. in quibus lenis congestusque vis ignis huiusmodi fit; sed per eorum duntaxat solidiorem angustamque medietatem ignis purior euolet, crassior vero cohibeatur. Itaque, cum diurnum lumen applicat se visus radio, tunc ea duo inter se similia concurrentia; neque commista, quæ oculorum acies diriguntur, illum visum iam domestici corporis cohærent spectem: vbicunque videlicet tam intimi, quam externi luminis fit concursus. Totum igitur hoc propter similitudinem, passionem eandem sortitum, cum quid aliud tangit, vel ipsum ab alio tangitur; motum huiusmodi ad corpus omne, perque id ad animam vsque diffundens sensum efficit, qui visus vocatur. At postquam in noctem discesserit cognatus ignis, visionis radius euanescit; nam in aerem sibi dissimilem erumpens, permutatur, atque extinguitur, cum nullam habeat cum proximo aere communionem, vtpote ignis splendore carente. Salubre palpebrarum tegmen dij oculis machinati sunt, quibus obductis, vis illa ignis intime continentia tegminis coercetur, compressaque interiores motus perfundit & mulcet, quibus relaxatis atque mollitis, quies oritur. Rerum optimarum (vt arbitror) cognitionem nobis oculi attulerunt; nam hæc quæ de mundo disputantur, nunquam inuenta essent, si neque sydera, neque sol, neque cœlum aspicere potuissetis. Cognitio vero diei ac noctis ab oculis orta, fecit, vt dinumeratione quadam, mensium, annorumque ambitus metiremur: tempus cognosceremus: vniuersa naturæ ordinem scrutaremur: quibus ex rebus philosophiam adepti sumus. Quo bono nihil vnquam maius mortalium generi datum est, deorum munere, neque dabitur. Hoc igitur maximum oculorum beneficium esse dico, minora alia prætereo.* Hæc Plato. Ex quo percipi potest, quis ignis sit oculis cognatus: quisque sit finis, cuius gratiâ ab omnium parente Deo hominibus oculi donati fuit. Idem quoque 1. metheor. Philosophus sentire videtur: *Et maxime*, inquit, *aliorum qui est per ipsos oculos; non enim solum vt agamus; sed vt nihil agere debentes, ipsum videre præ omnibus vt dicam, alijs eligimus.* Visus ergo præfertur alijs sensibus, propter administrationem, quam homini exhibet; vnde homo sapit & intelligit. Et libro de natura animalium

Statura hominis. *Homo spectator superum.* *Lactantius.* *Ouidius.* *Plato.* *Mercurius.* *Text. expo.* *Oculi hominum.* *Plato.* *Oculorum ignis.* *Visus.* *Palpebra.* *Quies.* *Cur oculi dati sunt hominibus.* *Philosophia magnum bonum.*

primo, cap. 9. *Oculi duo*, inquit, *quorum partes, superior, inferiorq́, palpebræ appellantur: humor oculi interior, quo videmus, pupilla est: quod eam ambit, nigrum dicitur: quod postremo nigrum circumdat, candidum siue albugo. Candidum oculi magna ex parte simile in omnibus est. at quod nigrum dicitur, variat, alijs enim atrum, alijs admodum cæsium, alijs fuluum, alijs caprinum, quod morum optimorum indicium est; & ad cernendi claritatem primatum obtinet. Cæsius color est valde albus, qualis inest noctuæ: sunt fului oculi leonum, qui aurei coloris. Solus ergo potissimum animalium homo numerosa oculorum varietate notatur, cum cæteris in suo singulis genere color sit vnus, equis exceptis, qui interdum oculis proueniunt cæsijs. Sunt oculorum alij grandiores: alij parui: alij modici: qui optime habentur: item alij admodum prominentes: alij conditi, siue intus collocati: alij modice, hoc est, temperate siti. Qui conditi sunt, clarissime cernunt: modicus tamen situs nota morum est optimorum. Et aut nimium se aperiunt celeriter, & claudunt: aut rigidi, intentique constant: aut modice, seu temperate nutant. Et hi vetam laudabilium morum habent, qui mediocriter conniuent: reliquorum alteri impudentiæ, alteri inconstantiæ indices sunt.* Hæc Philosophus sapienter descripsit.

De corpore hominis. *Palpebra.* *Pupilla.* *Varia pupilla.* *Varietas oculorum.*

CAP. II.

Quis nares, auresque tornauit?

Mercurius.

PRosequitur Mercurius, alias humani corporis partes explicare: *Quis*, inquit, *nares tornauit?* Sunt autem nares propriè latiores nasi partes, atque foramina, in quibus sunt spiracula, per quæ odor, vel spiritus nare non desinit. Etenim, supra nasum in cerebro est olfactus organum, ne facile possit à contrarijs offendi. Sunt autem duæ carunculæ instar mamillarum concauæ, & spongiosæ, versus cerebrum suspensæ, habentes cooperculum, quod aeris inspiratione, respirationeq́; clauditur atque aperitur. Huiusmodi autem organum, vt omnes odores capere valeat est naturæ calidum, ac omnium odorum expers. Porro, in homine ob cerebri magnitudinem, cuius complexio est frigida, virtus olfaciendi, maximam sui patitur iacturam. Quamobrem noe aper auditu excellit, lynx visu, simia gustu, vultur olfactu, & aranea tactu. Cæterum, à corpore odorifero, calore resoluente, odor per medium diffunditur ad nares vsq;, ibiq; inspiratione attractus, & reserato cooperculo, ad carunculas pertingit, ad quas rami vnius nerui à sensu communi exeuntis protenduntur: per quos spiritus olfactiuus, ad speciei rerum odoris delatus occursum, immutatur, fitq; olfactio confusa. Verũ, anima ad spiritus regressum excitata animaduersa illius ob varias species immutatione, sese ad obiectũ conuertit vnde illæ species emanarunt, atq; ita ipsum assimilationis via secernit, atq; diiudicat. Odor namque in principio realiter per fumalem euaporationem per medium transit: circa vero organum non realiter, sed per species diffunditur; siquidem spiritus olfactibilis, ob sui spiritualitatem, non nisi à speciebus immutatur: sensibile enim supra sensum positum non sentitur. Itaq; olfactus est potentia sensitiua apprehensiua odoris per nares, aëre vel aqua mediante. Obiectum vero olfactus est odor, qui quidem est passio digesti in humido, alteratiua olfactus de potentia in actum. Proinde siccitate terrestreitati coniuncta, vi caloris in humido digesta, qualitas gignitur, qui odor appellatur. Id autem late videre licet in pomis, in quibus siccitas terrestris, in humido calore solis digeritur, quo ad vsq; pomum odoriferum fiat. Odorum igitur principia sunt siccitas in humiditate, & calor agentis quæ quidem in harmonia, & proportione variantur nec semper eodem modo concurrunt: hinc variæ odorum species generantur, nempe aromaticus, salsus, amarus, acutus, acetosus, stypticus, ponticus, vnctosus, dulcis, insipidus, siue fœtidus. Plato in Timæo: *In madefactione*, inquit, *quorundam, vel putredine, vel liquefactione, vel euaporatione gignuntur odores: Cum enim in aerem aqua, vel aer in aquam transit, in medio istorum odores fiunt, omnisque odor aut fumus est, aut caligo. Sed horum quod ex aere mutatur in aquam, caligo: quod vero ex aqua in aerem, fumus. Duo sunt ibi nomina manifesta, suaue scilicet & molestum: hoc quidem disturbat violatque omnem eam capacitatem, quæ à summo capitis vertice ad vmbilicũ protenditur. illud vero eandẽ mulcet, & amico quodã ingressu naturalem eius seruat habitũ.* Hæc Plato. Philos. *Pars*, inquit, *fauci nasus est, qua meatũ præbet spiritui: aerẽ enim ea parte reddimus & accipimus.* Itaq;, licet secundum Philosophum, aer & spiritus idem sint subiecto; differunt tamen. nam spiritus nominatur, quatenus anhelatur aër vero quatenus elementum tenue est, quod animantia spirantia refrigerat. Sequitur, sternutamentũ quoq;, quod flatus vnius

Nares. *Organum olfactus.* *Modus olfaciendi.* *Olfactus.* *Obiectum.* *Odor.* *Species odorum.* *Plato.* *lib. 1 hist. anim.* *Sternutamentum.*

De corpore hominis.

vniuersi eruptio est, id est, aëris attracti expulsio tota simul per nares facta, signũ augurale vnum ex spiritibus sacrum. Verum, spiratio principaliter fit per pectus, non tamen sine naribus; siquidem vna pars aëris per pectus, minor vero pars per nares spiratur. Porro, inspiratio & expiratio, per gurgulionem, siue guttur fit, quod est canna pulmonis: non de parte aliqua capitis, at gurgulio per medium pectoris pertendit: spiratio ergo principaliter fit à pectore. Sed datur viuendi facultas, etiam si desit spiratio, ait Philosophus, olfactus, id est, sensus odoris, hac eadem parte subministratur. Sane, viuunt pisces, & exanguia, quæ non spirant. Mobiles esse nares natura voluit, nec sicut aures immobiles, sua naturali compositione; mouentur enim nares dilatatione & constrictione, aures autem humanæ nullo modo. Pars nasi quæ cartilago est, inter septum est, inter scilicet nasi & eius carnem: quæ autem meatus inane, vacuum & non vnus meatus; nasus enim bipartito distinctus est tramite, idcirco habet duos meatus inanes. Recte ergo dictum est à sapientissimo Mercurio: *Quis tornauit nares?* hoc est, ad tornum cauauit, & poliuit. Est autem tornus instrumentũ fabrile, quo ligna, ebur, & reliqua huiusmodi polita redduntur. Sequitur tex. *Quis etiam tornauit aures.* *Est autem auris* teste philosopho primo de historia animalium, *pars capitis, qua audimus, non qua spiramus; errat enim Alcmaeon, qui capras spirare per aures credidit. Auris autem partis exterioris, cui nomen auricula, pars altera, quæ superior est, innominata, a Theodoro pinna vocatur, propterea quod est pars auriculæ summa. Altera quæ inferior, labus dicitur, hoc est, fibra. Tota autem ipsa auricula ex cartilagine, carneque constituta est. At pars interior naturam habet similem cochleæ, in os desinentem. Est enim pars interior auris tortuosa anfractibus cochleæ similis, & in os desinens: talis autem est figura ossis in aure interiore, qualis est ipsa auricula, quæ exterius cernitur. Os igitur auriculam, quæ est exterior pars auris, imitatur: in quod vltimo, quasi in vltimum vasculum sonus deuenit. Porro, ab osse petroso ad cerebrum, nullus est meatus; ne videlicet aer frigidus cerebrum ingrederetur: imo pannus est ante ossis petrosi structuram, ne sonus ingressus cerebrum commoueretur: at in oris palatum vsq; semita pertendit, & vena de cerebro descendit eodem. Itaq; semita ab osse petroso venit, & vena de cerebro descendit, quasi callis veniens in palatum oris: proinde ab aure ad cerebrum nullus patet accessus: a cerebro autẽ ad palatum, est, & callis, & vena. Aures hominis immobiles sunt. Nam eorum, quæ sensum obtinent audiendi, alijs auriculæ sunt, alijs desunt, meatusq; ipsi audiendi patent, vt ijs, quæ penna aut cortice, squamaue integuntur. At ea, quæ animal generant, omnia auriculas habent, excepto vitulo marino & delphino & similibus. Vitulus autem marinus meatus continet manifestos, vice aurium qua audit. At Delphinus audit quidem, sed nullis cauernis, quæ vicem præstant aurium. Cætera animalia suas mouent auriculas. Situm aures hominis eundem in orbe quo oculi obtinent, hoc est, sunt circulares sicut & oculi.* Hęc philos. propterea dixit Mercurius: Quis *aures tornauit?* nempe circulares fecit. Est enim auris cartilaginosa, vt fortitudine sua sit semper patula, tortuosa vero, & anfractibus ornata; ne extrinseca, & auditui inimica quoquo modo subito ingressa, ipsum dolore & damno afficerent. In profundo auris os quoddam est porosum, siccum, & durum: in quo rursus pellicula quædam, quam alij meringam, alij timpanum auris vocant, connaturali aëre repleta, soni speciebus prorsus vacans, vt omni sono similis fieri possit. Medium audiendi est aër, vel aqua: in vtroque enim constituti sonum percipimus. Porro, à cerebro neruus quidam protenditur, & paululum progressus bifurcatur: cuius rami singuli ad singulas aures descendunt: spiritum auditiuum ad timpanum vsque deferentes; quique speciebus soni aërem inclusum pulsantis, immutatur, illisque configuratus regreditur: ad cuius regressum, anima excitata, animaduerteos ipsum immutatum, ad obiectum conuersa, à quo species illæ prodierunt, ipsum discrete percipit & discernit. Spiritus autem sensibilis egressum ad organum, necessarium esse, vel ex hoc maxime patet, quod in somno sonus in aure receptus, multoties minime auditur, nerui siquidem vaporibus impediti, spiritum audibilem exire prohibent: fortior autem sonus meatus aperit, & calore vapores resoluit, hinc spiritus audibilis exiens, dicto modo immutatur. Itaque, auditus est potentia sensitiuę, apprehensiua soni in aure, mediante aëre vel aqua: ex quo patet, sonum illius obiectum esse, aurem vero, organum: aërem autem vel aquam, medium: multiplicationem vero speciei sonoræ ab obiecto versus aurem fieri, Boetius in primo musices docet, idque similitudine assumptu: Cum, inquit, in paludibus vel quietis aquis tactum e minua mergitur saxum, prius in paruissimum orbem vndam colligit: deinde maioribus orbibus vndarum globos spargit: atque eo vsque dum fatigatus motus ab eliciendis fluctibus conquiescat: semperque posterior, & maior vndula pulsu debiliore diffunditur. Quod si quid sit, quod crescentes vndas possit retundere, siue offendere, statim ille motus reuertitur: & quasi ad centrum, vnde profectus fuerat reconditur. Ita igitur cum aër pulsus fecerit sonum, pellit alium proximum, & quodam modo fluctum aëris ciet, diffunditur, & omnium circumstantium simul ferit auditum. Atque illi est obscurior vox, qui longius steterit; quoniam ad eum debilior pulsi aëris vnda peruenit. Porro, idem sonus numero, à pluribus simul, diuersis tamen speciebus percipitur, sicut & idem color à pluribus simul cernitur; formato enim sono, aliæ eius species multiplicantur versus aurem vnius in dextera sedentis, & alterius in sinistra conquiescentis. Plato in Timæo: *Omnium,* inquit, *vocem ponamus pulsationem quandam ab aëre, per aures cerebrumque & sanguinem vsque ad animam penetrantem: natam quoque ex ea motionem, incipientem à capite, & in sede iecoris desinentem, auditum vocemus. Motio quidem velox, acutaque prouenit: tarda, grauis: vna æqualis atque lenis: contraria vero aspera: magnaque multa: parua quæ pauca.* Hæc Plato. Auditum autem nonnulla animantia, teste philosopho, situm in capite habent debita ratione; nam quod inane vocatur, plenum aëris est, hoc est, aurium concauum, plenum est aëris connati: sed sensorium audiendi, ad aërem pertinet connatum. Cum ergo in capite sit huiusmodi instrumentum, & ab aëre sonoro percutiatur; in capite ergo erit sedes auditus: vt igitur ab oculis meatus ad venas circa cerebrum sparsas tendunt, sic ab auribus meatus in occiput penetrant. Est autem occiput posterior pars cerebri, cuius substantiam non penetrant meatus alioquin cerebrum audiret & videret. Verum, aures positæ sunt in medio capitis, teste Auer. vt ad auditum omni ex parte sonus pertingeret. Cæterum, aures orbem capitis æquis portionibus secant, ait philosophus, tenentque medium, auditur enim non modo per directum: verum etiam vndique, quod quidem fieri non posset, nisi aures medium tenerent. Visus vero parti priori mandatus est; cernitur enim per directum: hac ratione in parte anteriori collocati sunt oculi. Motus etiam ante fit, quo animal de loco in locum mouetur: prospiciendum autem est eodem, hoc est, versus eum locum, quo motu agitur. Nares inter oculos ratione optima collocatæ sunt: gemina enim sedes quæque sensoria est, propter duplicem partem corporis, dextram scilicet, & sinistram. Itaque, pro corporis ratione, duplex est sensorium, duo nempe oculi, duæ aures, nares quoque duæ. Sed in tactu incertum propterea, quia primum sensorium non caro, non pars eiusmodi aliqua est, sed aliquid internum. Quare ergo nares, & aures sic dispositæ sint, dixi.

Guttur. — *Quæ non respirant.* — *Text.* — *Auris. Pinna.* — *Labus.* — *Os auris.* — *Aures immobiles.* — *Vitulus marinus. Delphinus.* — *Auris tortuosa.* — *Meringa.* — *Modus audiendi.* — *Auditus.* — *Boetius.* — *Multiplicatio sonitus.* — *Plato.* — *2. de part. animal. cap. 10.* — *Occiput.* — *Auer.* — *Situs sensuum Gemina sedes.*

CAP. III.

Quis labia distinxit oris? Quis neruos tetendit, atque ligauit.

Labia.

IN eodem dicendi genere Mercurius perseuerans, reliqua hominis membra siue partes, studiose describit: *Quis,* inquit, *oris labia distinxit?* ille vtique mundi opifex & humani ædificij sapientissimus artifex. Sunt autem labia, siue labra, extremitates, & opercula oris, & veluti vallum quoddam ad tegendam dentium deformitatem a natura datum. Vnde philosophus, Animalibus, inquit, labrorum natura ad salutem tutelamq; dentium adiuncta est. Quamobrem, vt quæque exquisite, beneque dentibus prædita sunt, aut contra: sic quoque eam dearticulatam obtinent partem. Hominis autem mollia, carnosa, & quæ separari possent labra adiuncta sunt: tum dentium tuendorum gratia, vt cæteris: tum etiam potiori causa, vt bene esset, nam ad vsum sermonis ea quoque proficiunt. Et reuera, per labia hominis formant, ac edunt sermonem, & pulchritudinem sortiuntur. Sermo namque qui voce promitur, ex literis constat: quod si lingua talis & labra humida atque agilia non essent; maxima literarum pars exprimi non posset: quippe, cum literæ partim lingua, partim labris comprimantur. Cum igitur has partes illico necesse fuit accedere idoneas, & natura huiusmodi præditas, ad vsum iam dictum, carne institutæ sunt, eaque mollissima, qualis caro hominis est, scilicet quod maxime omnium animalium valeat sensu tactus. Homo itaque omnium maxime animalium sensu facilis est, & mollis lingua: nam hæc vim tangendi præcipue obtinet: gustus autem tactus quidam est. Proinde, cum lingua gustu vigeat, tactu etiam vigeat, necesse est. Sequitur Mercurius: *Quis neruos tetendit, atque ligauit?* Nerui autem, vt dicitur 2. *de anima com.* 116. habent

2. de part. anim. c. 26. — *Officium labiorum.* — *Caro hominis mollissima.* — *Lingua.* — *Nerui.*

De corpore hominis.

habent introitum in sensum & motum. A Gal. 5. de vtili. parti. cap. 9. dicitur, triplici intentione à natura neruos esse distributos: alios propter sensum: alios propter motum: nonnullos vero ad percipiendum contristãtia. Porro, inter partes exangues, causam sentiendi præcipuam neruos habere, Themistius 1. de anima cap. 14. super tex. 32. affirmat. Sic etiam com. 2. de anima com. 116. Neruorum iuuamentũ, authore Gal. est ad deferendum sensum, & motum voluntarium omnibus membris. Aristoteles vero ait, prodesse ad temperandum calorem intrinsecum, vt det virtutem sentiendi. Plato in Timæo: Arbitratus, inquit, nostri corporis opifex, ossium naturam, aridiorẽ rigidioremq́ue, quam oporteat fore: & cum ignita euaserit, atq́ue frigefacta, illis iam corruptarumq́ue, cito semen interitũ, neruorum carnisq́ue genus effinxit; vt neruo quidem membra religans vincientibus, intensis remissisq́ue circa cardines ipsos, corpus omnem ad flexionẽ tensionemque promptum, & agile redderet: caro vero tegmen foret aduersum frigus, & calorẽ: neruos vero extremæ partis capitis Deus circumponens, spinæ dorsi eos quadã similitudine circumplicauit, summasq́ue illi maxillas sub vultu depinxit: reliquos per omnia membra disseminauit, articulum connectens articulo. Hæc Plato. Porro, de neruorum origine philosophus 5. disputans, illam à corde manare profitetur. Nerui, inquit, in animalibus habẽtur hoc modo, vt etiam eorum origo sit in corde; cor enim neruulos suo ampliore ventriculo continet: est enim ventriculus ille animi neruosus, & vena, aorta appellata, neruosa est, & quidẽ vltimæ partes eius omnino neruosæ sunt. Sunt enim vltimo partes aortæ, omnino solidæ atque corpulentæ, tenduntur, modo neruorum, parte animarum, quæ desinunt applicata ad ossium nodos lubricos sine mobiles. Porro, Galenus arbitratur, neruos nasci ex cerebro, eo quod non sint infixi in ipso. Cęterũ, natura neruorum, teste philosopho in eodẽ loco, non more venarum continua de eodẽ initio procedit; siquidem venæ ab ipso corde continuæ procedunt, ad partes vsq; in quibus illarum finis positus est: nerui vero minime. Etenim venæ, vt in depictis canabis figurã totius corporis describũt, hoc est, fõtibus riuo multiplici sparsis: Est n. canabus, teste Theodoro, veluti fõs multis riuulis deriuatis; corporibus autẽ admodũ extenuatis, partes omnes venulis refertę conspiciũtur: vnde macillẽti venulis pleni vidẽtur: corpulẽti vero carne. Sane omnes venę ex ęquo ramificantur: at nerui apud iũcturas, atq; ossiũ inflexiones spargũtur. nã si eorũ natura esset continua; late iã in extenuatis corporibus cõtinẽtia omniũ pateret. Nerui ergo nõ sũt continui ab initio vsque ad finem. Cæterum, summæ neruorum partes, quæ membrum ad saliendum accommodatum continent, poples dicitur; est enim poples neruorum pars ea, quæ est sub genu, quæue corpus ad saliendum idoneum redditur: quæ vero se geminam porrigit, tendo nominatur: est autem tendo neruus in scapulis, à ceruicibus proficiscens, qui geminatim ante, & retro, complectitur corpus. Sed partes, quæ ad vires corporis iuuant, attendo, & humerarium: est enim attendo siue humerarium, neruus, qui per humeros & bracchia traducit. Reliquæ vero partes, quibus ossium nodi ligantur, nomine vacant; siquidem apud græcos nodorum ossium neruuli, nomen non habent, omnia enim ossa, siue forte vicissim tangantur, non per vnum in alterum scilicet intromissionem, sed per propinquitatem potius, siue alternis os, alteri insoratur, neruis ligantur: & circiter ossa quæ ea neruorum copia ducitur, siue neruorum multitudo habetur: capite excepto, quod quidem non neruis, sed ossium commensuris contrahitur. Neruorum natura fissilis, in longitudinem tendit: findi per latitudinem non potest, intendiq; vehementer idonea est. Profecto, reditus ad sanitatem, neruo resecato, non patet, bene vero fixo. Humor circa neruos mucosus, albidus, glutinosusq́ue consistit; quo ipsos neruos, & nasci, & alitur: etenim humor muco in neruis nutrit, & eorum est materia ex eisdem plane nutrimur, ex quibus sumus. Nerui ut ignem non patiunt: corrumpitur enim, cum ignitur: & incisus per latitudinem solidari non potest. Pars corporis nulla stupore afficitur, quæ neruo caret; stupor namque, qui sopor etiam dicitur, in eam tum partibus accidit, quæ neruos cõmunicant. Nerui plurimos pedes, manus, & scapula continentur, colla quoq́; & lacerti. Quibus vero animalibus sanguis datus est, iisdem nerui adiuncti sunt: sed quæ nullos habent articulos primataq́ue pedibus, & manibus sunt, ij prætenues incertiq́; habentur. Amplius sunt nonnulli nerui tenuissimi, qui græce vel latine fibræ, siue filamenta tenuissima appellantur: & horum quidem duo genera: quorũ primum, nempe fibræ inter venam suam, & neruũ habent naturam: aliæ vero humorem saniem appellatũ continent: tendunt à neruis ad venas, ac indẽ ad neruos, quasi ligando venas cum neruis, & è contrario: secundum autem genus fibrarum est, quod consistere in sanguine solet, quanquã non cuiusq́; animalis. Porro, sanguis abstracta fibrijs non concrescit nec densatur, sed illis stantibus: sunt enim fibræ huiusmodi filamenta, quæ apparent in sanguine. Cæterum, licet id genus fibrarum, maiore

Neruorum officium.
Nata.
ꝑ de not. anim. c. 5
Origo neruorum.
Galenus.
Venæ.
Canabus.
Nerui principales.
Poples.
Tendo.
Attendo.
Nerui natura fissiles.
Neruus ignem non patitur.
Quibus insint nerui.
Fibræ.
Genus Fibrarum 2.

ex parte in sanguine animaliũ insit, tamen cerui, damæ, bubali, & aliorum quorundam sanguini deest. Quocirca, eorum sanguis non similiter, ac cæterorum concrescit: sed ceruorum perinde, vt leporum solet spissari, videlicet non coeu firmiore, vt cæterorum, sed fluxido, quale lac, quod sine coagulo sponte coiuerit. Bubali sanguis aliquantulũ amplius spissatur; quippe, qui proxime ouillo, aut paulominus consistat. Hæc philosophus. Porro, Auer. collig. lib. 1. cap. 7. ait capita neruorum à cerebro descendere, & in eo septem paria capitum coniungit: Par primum sunt nerui duo, qui videntur oriri à cerebro, prope ex opposito duarum caruncularũ similium capitibus mamillarum, in quibus fit odoratus: & ipsi coniunguntur oculis: atq; ita de alijs neruis late, copioseq; differit. Sequitur Mercurius Quum irrigauit venas. Dicta est vena quod per eam veniat sanguis; est enim conceptaculũ sanguinis misti confusiq; cum spiritu naturali in qua, vt ait Gellius lib. 18. cap. 10. plus sanguinis, minus spiritus. Plinius lib. 11. cap. 37. Inter hos, inquit, latẽt arteriæ, id est spiritus semitæ: his innatant venæ, id est, sanguinis riui. Venæ, suapte vi immobiles sunt, & sanguinis tantum dimetiendi gratia explorantur: arteriæ autem, motu atq; pulsu suo, habitum & modum febrium demonstrant. Vena affert spiritum nutritiuum, quoniam sanguis est nutrimentum corporis: neruus affert spiritum sensitiuũ. Nerui magni, sunt causa motus totius corporis. vbicunq; est vena, ibi est neruus, & arteria. Super arterias locãtur venæ, præterquã in dorso, in quo magna arteria, quæ trachia dicitur, est posita super venam. Philosophus lib. 3. de natura animalium, de natura venarũ accurate disputat, quorundam opinionibus reprobatis: Natura venarum, inquit, ita se habet: duæ intra thoracẽ venæ continentur, spinæ appositæ: iuxta spinam altera maior, quæ partem priorem adit: altera minor, quæ posteriorem: & maior quidem dextram potius sedem obtinet, minor sinistrã, quam aortã nonnulli vocant, ... à videndo dicta; quoniam cum neruosior sit, etiam in mortuis videtur: non enim veluti & cætera celerius abolitur. Ambæ ex corde originem ducunt; transfigunt enim tota cætera viscera, per quæ tendunt, suam seruantes naturam, vt nihil contrahãt detrimenti, quo minus & sint venæ, & appellentur sed cor non eodem pertineant modo, verum etiam tanquam suæ partis continuantur, magisq́; ea, quæ prior, & maior est. Sita autem talis oriũtur, vt altera supra, altera infra sit: & cor inter eas positum amplectantur. Habent intra se corda sinum triplicem, non eiusdem tamen magnitudinis; minimorum enim animalium sinus arctiores sũt, ita, vt vnus, qui amplior est, vix conspici possit: reliqui præ ipsorum exiguitate, sensum effugiunt: mediocrium vero animalium, non solum primum, verumetiã & secundus sinus conspicuus est: at maximorum animaliũ omnes sinus perspici possunt. Cum autem priorem in partem cor suo acumine spectet; sinus, qui amplissimus est dextrũ, supremumq́; recipit situm: minimus sinistrum: mediocris medium: qui autẽ maximus inter eos sinus est, longe reliquis ambobus amplior est; omnes tamen ad pulmonẽ foramine spectant perpetuo: sed propter exiguitatem meatuũ latet, præterquã in vno. Porro, vena maior ex amplissimo supremoq́; sinu oritur, & in dextra: vena ergo maior oritur in dextris cordis: deinde per mediũ sinũ accipit formam venæ, vtpote, cum ipse cordis ventriculus medius, venæ sit minoris particula in qua sanguis restagnet. Aorta de sinu medio exit, nõ eodẽ modo: sed per fistulam multo arctiorem intẽ societatẽ: & cum vena maior per cor exit, aorta à corde tẽdit in reliquũ corpus. Differt præterea vena maior ab aorta. nam ipsa mẽbrana & cute cõstat: aorta vero arctior est, & vehementer neruosa, deductaq́; longius, hoc est, ad caput, aut ad imas partes in angustũ admodũ coarctatur, ac nerui naturã, ex toto accipit, vbi desinit. Itaq́; vena aorta est longa, maior vero non ita: item aorta definit in neruum, maior autẽ in carnem: vena maior per cor exit, aorta vero à corde: maioris materia, cutea membrana est, aorta neruea. Processus autem venæ maioris ad pulmonẽ, & spinam, atq; ad alia membra, talis à Philosopho describitur: Pars, inquit, prima venæ maioris sursum de corde proueniẽs, tendens ad pulmonem, & ad coniunctionẽ aortæ; in pulmone n. inuicem coniunguntur: vena autem maior in duas partes scinditur: quarum altera pulmonẽ adit: altera vero spinam, & vertebram colli vltimã. Rursus, quæ adit pulmonẽ, in duas partes secatur; quia nimirum pulmo, in duos quasi pulmones est discretus: pulmo autẽ singulas fistulas, singulaq; foramina, siue meatus venales subit, & ampliora, & arctiora foramina, ita vt pars nulla pulmonis sit sine meatu venali; tametsi vltimæ partes, atq; extremitates visum effugiant. Quo fit, vt pulmo, omni ex parte refertus sanguine videatur hos autẽ venę maioris meatus, qui in pulmone sunt, vel in alio quouis membro, supra meatus ex arteria continuantes induci, ad visum patet: altera autem pars maioris venæ, per spinam ipsam porrigitur, atq; protenditur, teste Homero,

De corpore hominis.
Ceruinus & bubali sanguis.
Septem paria neruorum.
Venarum natura.
Arteria.
Aorta.
Vena à corde venoa.
Sinus triplex cordis.
Vena maior.
Aorta.
Differentia inter duas venas.
Processus venæ maioris.

venamq;

De corpore hominis.

venamque inciderat omnium, quæ per dorsa means, ceruices fertur ad imas. Deinde ostendit philosophus, quonam modo, ab hoc membro, in costas distributio fiat: Hinc, inquit, venulæ singulæ, ad singulas costas, & vertebras feruntur. Finditur præterea vena maior iuxta vertebram, quæ supra renes posita est, ita membra venæ maioris in ramos sparguntur. Rursum, pars illa superior, quæ vena maior venit ex corde, in plures scinditur ramos: qua quidem parte sic scissa, vena maior duos loca petit, principaliter scilicet; quia nimirum vena maior, alias minores venas in latera, & humeros mittit: quæ deinde per alas hominis, ad manus feruntur, quarum venarum capita, iugulares appellamus, quæ primum scinduntur: sed quæ scissæ ceruicem subeunt iuxta pulmoneum arteriam tendunt. Quibus iugularibus furis apprehensis siue constrictis, corruunt homines in terram, quasi attoniti, & exangues; illarum siquidem compreßione venarum, prohibentur spiritus animales à corde moueri ad cerebrum, & à cerebro, ad membra motum & sensum. Deinde, quomodo deriuentur eiusmodi venæ insinuat. Ita, inquit, porrecta, amplexaque per intermediam arteriam, sub cute proficiscentes, amplectuntur aortam: & vltra progredientes, ad interuallum aurium feruntur, parte scilicet, qua maxillæ faucibus coeunt. Denuo inde scinduntur in venas quatuor, ab eo scilicet loco, in quo maxillæ faucibus coeunt rami venæ maioris finduntur au-

Scissio venarum.

Iugulares.

Alia diuisio.

1. tem in quatuor venas: quarum vna remeans per collum, & humerum descendit: & cum priore propagine, ad flexum brachij copulatur, nec
2. vlterius descendit: secunda, ad palmam, & ad digitos cessat: tertia, de
3. vtraque sede aurium ad cerebrum pertinet siue continuatur, atque in multos pertenues ramulos spargitur: itaque membranam custodem cerebri subit, quam dicunt piam matrem; cerebrum autem ipsum om-
4. nium, expers sanguinis est: nec aliquid venæ maioris, vel minoris, in ipsum cerebrum desinit: reliqui autem rami ab eadem vena maiore prodeuntes, qua ad aurium interuallum terminabatur, partim quidem ambiunt caput, partim ad sedem sensuum, dentesque gracili venularum serie terminantur. Hæc de vena maiori dicta sunt à philosopho: posthac audiamus, quæ ab eodem de vena minori, siue aorta sint disputata.

CAP. IV.

De vena minori, siue aorta.

Vena minor.
Lib. de ani. c. 4.

Vena etiam minor, inquit Philosophus, quam aortam diximus nominari, eodem spargitur modo in ramos, qui partes venæ maioris consequuntur; quo enim maioris venæ rami tendunt, eodem & minoris: hoc duntaxat excepto, quod meatus eius, & venulæ multo minores sint, quam venæ maioris. Itaque venas, quæ sparguntur locis superioribus à corde, hunc in modum haberi nouimus. De inferioribus vero a corde eiusdem venæ maioris partibus, deinceps philosophus differit. Pars, inquit, maioris venæ, cordi subiecta, fertur elatior siue sublimior: eleuatur enim in aliquibus septi locis, & reflectitur supra ipsum, quæ applicata tum ad aortam, tum etiam ad spinam membraneis flaccidisque, siue languidis, minimeque rigidis, at vegetis meatibus continetur. Mox vena ad iecur ab ea mittitur breuis, sed lata ex qua multæ aliæ venæ sparsæ, in iecur obliterantur. Rami inde ab ipsa iecur transfigentes, duo procurrunt quorum alter ad septum, & præcordia desinit. septum & præcordia, vnum est expositio alterius, nam septū & septum transuersum, & præcordia, & cinctum idem est. Alter ramus supera repetit, hoc est, iterum redit ad superiores partes, ductusque per alam ad lacertum brachij dextri se porrigit, parte scilicet, qua cæteris venis se applicat iuxta flexum interiorem, vocaturque iecoraria, siue hepatica. Quamobrem sanguinibus misso à medicis, dolores iecoris quidā leuari possunt. Cæterum, pars altera venæ eiusdē breuis quidē, sed crassa, latus petit sinistrū, porrigiturque ad lienem, quē sparsa per ramulos subit, sicque abolet, ac sua exterminatur. Hæ sūt duæ partes maioris venæ quæ cordi subditur. Quinetiam ab eadem maiore vena, propago pari modo ad lacertū sinistri brachij mittitur: sed quæ ad brachiū dextrum procedit, eadē quæ pertingit ad iecur, vt dixi: sic coincidit cum iecoraria: hæc vero quæ ad sinistrum peruenit, diuersa est ab ea, quæ ad lienem spectat: vnde non coincidit cum lienaria. Aliæ item à vena duæ propagantur, quæ cordi subiecta est: quarū altera ad omentū, altera ad id, quod à carne pancreum græce, latine totum caro dicitur, porriguntur intestinū, quod est pancreum: ventriculus est totus carneus. De qua scilicet vena pancreas complures venæ per lactes, siue per mesenterium tendunt: quæ omnes in vnā desinunt venam grandem per totum intestinum, & ventriculum ad gulā vsque porrectam, quæ & ipsa ramos de ijs, quas perreptat siue serpit partibus, spargit complures: vtraque igitur, tam maior, quam aorta, renum tenus siue iuxta renes, vna atque perpetuo cedit. In loco autem vbi renes incipiunt, capitibus venarum potius adhærescunt, finduntur que in duo membra, veluti in litera lambda vtraque λ. quam si inuertas, facies v literam latinam; nam si aorta & vena maior, quæ coeunt in renibus, ad coxas comparentur, se habent,

Vena sub corde.

Septum.

Vena hepatica.

Propagines.

Pancreum.

Lambda.

vt λ. siue ad superiores partes, vt v. Deinde sequitur, vergitque magis in partem posteriorem corporis vena maior, quam aorta. Porro spinæ annecti aortam potissimum circa cor venulis prætenuibus, & neruosis, notum est. Ducitur eadem de corde, nimirum amplitudine insigni: sed procedens arctior atque neruosior euadit. Mittit ea quoque ad lactes ramos, quemadmodum maior: verum longe minores; mittit enim per angustos ramos, & fibras proximos: quippe per quos extenuatos in fibras, & capillamenta, cauas tamen cessare aduertimus. Ad iecur autem & lienem, nulla ab aorta continuatur vena: nullus quoque ramus mittitur. Rami autem illi, in quos vtraque vena scinditur, ad vtramque coxam proficiscuntur, atque ita, vt os ipsum attingant. Ad renes etiam à maiore, aortaque venæ adueniunt: sed in cauitatem renum non penetrant: verum in corpus eorum assumuntur, & in eorum naturam abeunt. Nec non duo alij meatus ab aorta valide, & perpetui ad vesicam procedunt, atque etiam alij de cauo renum, ad eundem modum veniunt, qui nullo modo attinent ad venam maiorem. Singulis item renibus, à medio, venæ inchoatæ, caua neruosaque iuxta spinam ipsam, per ramos se porrigunt: deinde in vtramque coxam conduntur, atque delitescunt, ita, vt nullo modo appareant: deinde iterum porrecta in clunes, vadentur, quarum vltimæ partes, infixæ virili ad vesicam coniunguntur. Hæc & similia à philosopho de natura venarum disputantur, quibus nihil addendum esse putaui, propterea quod clarissima sint: detrahendum quoque nihil; ne imperfecta remaneret inquisitio de venarum natura. Quis ergo, inquit Mercurius, irrigauit venas? Recte quidem; nam instar fontium vniuersam irrigant corporis nostri compagem. Sequitur tex. Quis ossa congessit solida? Post neruos & venas de ossibus loquitur. Quis, inquit, ossa solida congessit, vt veluti bases, & columnæ totam corporis machinam tuerentur: Est autem os fundamentum corporis, quod neruis alligauit natura. vnde Cicero 2. de natura deorum: Quid dicam de ossibus, quæ subiecta corpori, mirabiles commissuras habent, & ad stabilitatem aptas, & artus finiendos accommodatas, & ad motum, & ad omnem corporis actionem? Plato in Timæo: Ossium, inquit, naturæ sic ita composita, his nempe omnibus medullæ generatio initium præbuit: vincula enim vitæ illius, quam anima corpori iuncta ducit, applicata medullæ, ex eaque per omne diducta, vinciunt, fulciuntque corporis nostri constructionem: ipsa vero medulla, ut ex alijs generata. Philosophus 2. de part. animalium cap. 8. Natura ossium, ait, adhibita est, vt sua duritie rem mollem seruarent in ijs, quæ ossa habent. Similis autem natura est ossibus & venis; vtraque enim ex vno orta continua est: & neque os vllum seorsum per se habetur; sed aut pars continui est, aut tangit, atque annectitur, vt natura, & tanquam vno continuoque, & tanquam duobus distinctisque ad flexum vtatur. Simili ratione neque vena vlla seorsum per se est, sed omnes pars sunt vnius. Nam si quod os separatum esset, accideret, vt nec officio fungi posset: cuius gratia natura ossium habetur. quippe, quod nec flectendi, nec dirigendi causam vllam præberet; cum non continuum esset, sed interceptum & lædere procul dubio posset, perinde quasi vel spina, vel spiculum carni infixum. vena etiam si qua separata, nec suæ origini, cordi scilicet continua, tenderet per corpus, suum sanguinem seruare non posset; calor enim profluens à corde, facit ne sanguis gelet in venis: atque ita seruat sanguinem, quatenus vena est cordi continua. Putrescere etiam sanguis videretur, qui à suo fonte remotus esset. Principium autem venarum cor est: ossiū vero quod spina dorsi vocatur, videlicet in ijs omnibus, quæ ossa habēt; hinc enim cætera ossa oriuntur & continuantur. Est enim spina, quæ longitudinem ac rectitudinem continuit animalium; sed cum corpus inflecti per animalis motum necesse sit: ita constat, vt & vna sit propter continuitatem, & distincta pluralitate suorum ossulorum: hinc femorum, brachiorumque ossa dependent continua, & versus eam partem ossa arctius connectuntur, qua flectendum est neruis deligantur, extremaque sibi cohærent, alterum cauum, alterum rotundum, aut vtrumque cauum: medio talo, quasi clauo complexo: vt flecti, extendique possint. Aliter enim aut nullo pacto, aut non bene motus eiusmodi agi posset. Nonnulla vero extremis similiter se habentibus in rotunditate, coniunguntur neruis connexa his tribus modis ossa connectuntur. Auerr. 2. colliget. cap. 8. Ossium maius iuuamentum est, inquit, ad fortificandū & stabiliendum corpus: sunt enim sicut fundamentum corporis, & iuuamentum. Secundum est ad tuendum, & abscondendū, vt os cranei respectu cerebri: & ossa pectoris respectu cordis. Tertium iuuamentū, vt superfluitatū vaporosarū, sicut fit in commissuræ, quæ fit in cranio, fieri posset resolutio. Ossa hominis sunt 348. absque ossibus paruis, quæ replēt spatia iuncturarū, & sine osse epiglottis, & osse cartilaginoso, quod dicunt

Connexio aortæ.

Meatus aortæ.

Text. Merc.

Ossium natura.
Cicero.
Plato.

Medulla.
Philosophus.

Ossium & venarum conformitas.

Principium ossium. Spina.

Auerr. Tria iuuamenta ex ossibus.

Numerus ossium.

De corpore hominis.

aliqui anatomici esse in corde. 1. colliget. cap. de anatomia dentium & ossium. Ossa capitis humani, sine dentibus, sunt 23. teste Auerr. 1. colliget. cap. de ossibus capitis: ossa manus triginta ibidem, ossa pedis 29. ibidem: ossa spondilium à capite vsque os nominatum hagit, 24. ossium omnium vltimum in homine concrescit, quod cerebrum obtegit. 1. *de natura animalium cap. 7.* Os capitis in muliere habet vnam suturam in orbem, os viri habet tres.

Caro circa ossa.

Porro, caro circa ossa consistit vinculis modo fibrarum tenuibus adhærens, teste Phil. 2 *de partibus animal. cap. 9.* cuius causa ossium genus habetur. Vt enim qui ex limo, aut alia massa humida animal effingunt, firmo aliquo subdito corpore obducunt atque afformant, sic natura ex carnibus animal condidit. Cæteris igitur scilicet carnosis ossa omnibus subiacent, aut flectendi gratia, si mouentur, aut conseruandi causa, si immobilia sunt. vt costæ, quæ pectus salutis viscerum gratia claudunt. venter autem omnium ossibus vacat, ne tumori impedimento sint, qui per cibum ingestum exurgat, necesse est: atque etiam ne fœminis incremento partuum obstent: & fœtibus, quos gerunt in vtero.

Ossa capitis.

Lib 3 de natura animalium cap. 6. de ossibus capitis sic disputat. Ossa animalium, inquit, ab vno omnia dependent nec est vllum, quod seorsum ipsum per se maneat initium vero in omnibus, quæ ossibus constant, spina est: quæ cumpacta ex vertebris a capite ad coxas porrigitur.

Vertebræ.

Vertebræ omnes foramine medio peruiæ sibi iunguntur. Extat os capitis continuum nouissimis superimpositũ vertebris, quod calua dicitur latine, græce cranũ:

Calua hominum.

eius pars serrata, vbi dentes inuicẽ copulantur, suturę nomine significatur. quę etiam commissura appellatur. Pare hęc non simili modo in quoque genere animaliũ habetur aliis enim osse continuo, nulla scilicet commissura cõpacto, calua perficitur, vt cani alijs compacto, vt homini. sed differenter à fœmina, vt dictum est. Sed iam visum est viri caput, sine vlla sutura. Constat autem caput, teste philosopho, ossibus sex, quorum duo exigua scilicet reliquorũ comparatione circa aures posita sunt.

Maxillæ.

Maxillæ a capite pertenduntur ossa duo quarum inferiorem animalia omnia mouent, excepto fluuiatili crocodilo, hic enim non inferiorem, sed superiorem mouet. Maxillis dentium genus inhęret os partim cauum, partim solidum: & adeo firmũ, vt solum inter ossa ferri aciem respuat.

Fibula.

Oritur à spina fibula qua scilicet os ossi connectitur: est n. genus ossis circularis, quo coniungitur os ossi, clauis siue humerus, pars, quæ diuidit pectus à ceruice, alio nomine furcula appellatur.

Ordo costarum.

Et à spina etiam oritur ordo costarum. Pectus etiam costis impositũ est, quæ quidem inter se coeunt, ac pectus claudunt Aliæ autem costæ inferiores, quę infra costas sũt quibus clauditur pectus, præ nimia ipsarum breuitate, non coeunt, nec ventrẽ claudunt, nullum enim animal est, quod circa ventrem os habeat siquidem costæ huiusmodi tali nequaquam magnitudine protenduntur, vt ventrem claudere queant.

Scapula.

Sunt item ossa humerorum, & quæ scapulæ appellantur, & quę his annexa dependent brachia, & manus. Modus idem compaginum vel in ijs est quę crura habent priora, qualis est modus compaginum eorum, quæ habent manus & brachia.

Acetabulum.

Perna.

Post coxam, seu vertebrum, & anchã sequitur acetabulum, siue concauum os, infra videlicet, qua spina desinit, & ossa iam crurum oriuntur. Quibus vero fœmora, & tibiæ constant, pernę aut culinę nomine appellantur. Pernam vocat totam partem tibiæ, fœmoris & coxæ, quorum pars malleolus est, & malleoli calcar videlicet in ijs, quæ habent malleolos: ab his ossa pedis minuta, & plura ossicula subiacẽt. Hæc de ossibus breuiter collecta sint.

Merc. text.

Sequitur Tex. *Quis carnem pelliculatenui, circumtexit?* Quis, inquã est ille sapiens artifex, vt carnem, rem quidem corpulentam, tam leui tegmine conderet, ac tenui vestimẽto sustentaret?

Auerr.

Carnis tres species.

Auerr. *lib. 1. cap. 16. colliget.* tres posuit species carnis. Carnis sunt tres species, inquit, vna est caro mixta cum neruo, & chorda: & illa nominatur lacertus, siue musculus, quæ ue est maior pars totius corporis. Secunda, est species carnis puræ, in qua sunt multa ligamenta: & hæc est minor species corporis. Tertia, est carnis glandulosæ: & caro pura est illa quæ est in capite veretri, & quæ est in loco occulto dorsi. & ex illa est caro existens inter dentes. sed caro glandulosa, est testiculorũ, & mamillarum: & ex illa est etiam in radice linguæ: & ex illa est caro existens sub ascellis, & in duobus emunctorijs: & quæ post aures, & in collo, & istius speciei quæ est inter intestina, & neruos.

Galenus.

Et *lib. 2. cap. 8.* ponit duas species, vnam quidem quæ à Galeno musculosa appellatur, quę est instrumentum motus localis. Et caro simplex spongiosa inguinum; & sub ascellarum, quæ facta est propter expulsionem superfluitatum.

Caro est instrumentum tactus.

Caro est primum & proprium organum tactus, secundum Philosophum 2. de partibus animalium, cap. de carne. Galenus autem posuit cerebrum, & neruum esse principium sensus tactus. Verum, si tactus in primarum consistat temperamento qualitatum, & cerebrum est frigidum, & humidum, neruus vero frigidus & siccus; quomodo ex istis fieri poterit temperamentum? Caro autem est magis temperata inter omnia humani corporis membra, propterea est instrumẽtum tactus, quia communicat omnibus animalibus, sicut etiam sensus tactus. Et animalium perfectorum carnibus sunt sparsi multi nerui ad carnis complexionem temperandam, nerui enim sunt similes complexioni cerebri: carnis autem temperantia pro maiori parte sequitur complexionem cordis; ideoque caro sic bene temperata, non erit macilenta, neque pinguis.

Caro sequitur cor.

Quarto colliget. *cap. 2.* Caro est primum membrum ex similaribus quod generatur, & minori concoctione ac tempore generatur, quam ossa, venæ atque membranæ. 2. *de generat. animalium cap. 2.*

Plato.

Caro, teste Platone in Timæo, est tutela æstus, & hyemis, quem sequitur Galenus 1. *de vsu. part. cap. 3.*

CAP. V.

Quis digitos articulosq; discreuit?

Mercurius

Manus.

De manibus, illarumque digitis sermo posthac decurrat cum Mercurio, necesse est. in quorum opificio, non parua elucet sapientia artificis DEI. Dicta est autem manus à manãdo, quod ex brachijs manet, vel quod ex ea manent digiti, aut quod sit totius corporis munus; ipsa enim cibum ori ministrat: ipsa operatur omnia. atque dispensat: per eam accipimus, & damus.

Dextra.

Dextera manus vocatur à dando; ipsa enim pignus pacis datur: ipsa fidei testis, atque salutis adhibetur. Læua, quod aptior sit ad leuandum. Palma est manus expansis digitis, sicut contractis, pugnus.

Digiti.

Digiti nuncupati quod decem sint, vel quod decenter iuncti existant, propterea à digerẽdo quidam deriuari arbitrantur, quod natura miro decentique ordine digitos digesserit, siue disposuerit.

Pollex.

Digitorum nomina sunt hæc pollex, index, infamis, siue famosus, medicus, medicinalis, seu annularis, quod in eo annuli primum gestari consueuerunt, minimus, qui & auricularis.

Manus instrumentum sunt.

Philosophus lib. 4. de partibus animalium: *Recta, inquit, ratio exigit, vt quoniam homo prudentissimus est omnium, ideo manus habeat; manus enim instrumentum sunt. Natura autem, vt homo prudens, ita tribuere solet cuique, rem, qua vti possit; agit enim natura consulto. Rectius sane tibia dabitur perito tibicini, quã peritia tibia ei, qui tibiam habet: contingit profecto interdum, & eum tadem esse; rem enim minorem maiori, potiorique, natura addere solet vtpote cornua bobus, dẽtes apris, non maiorem, nobilioremque, minori hoc est, cornua muscis, & dentes formicis. Quod si ita melius est, natura ex ijs, quæ fieri possunt, facere consueuit, quod melius sit. Homo ergo non propter manus, vt dixit Anaxagoras, prudentissimus est, sed quia prudentissimus est omnium animalium, ideo manus obtinet. Qui enim prudentissimus est, recte plurimis vti instrumentis potest. Manus autem esse videtur non vnum instrumentum, sed multa, est enim (vt ita loquar) instrumentum ante instrumenta. Natura igitur ei, quæ artes plurimas recipere potest, manum reddidit, quæ ad plura instrumenta vtilis est. Qui autem hominem non bene, sed deterrime omnium animalium constare aiunt, nudum, atque inermẽ creatum referunt; non recte ij sentiunt.*

Quare homo nudus nascitur.

Cætera enim animalia vnũ auxiliũ habent, idque nullo pacto possunt permutare, sed quasi calciata semper dormire, ac omnia agere, nec vestitum vnquã deponere plenioreẽ nec arma mutare, quæ semel acceperint, necesse est. At homini multa habere auxilia licet, eaque subinde mutare. Arma etiam quæ velit, & vbi velit, capere potest. Manus enim & vnguis est, & vngula, & cornu, & hasta, ensis, & quoduis aliud genus armorum: quippe quæ omnia hæc sit, quoniam omnia sumere potest, & tenere.

Manus pulchritudo.

cui manus natura forma etiam adhibita est congrua; diuisa enim, & multifida est in digitos: nam & in eius diuisione componendi facultas est: atque ita tum diuidendi, nempe digitorum iuncturas, tum componendi facultatem habet. Vti etiam homini licet sua manu, modo simplici, modo duplici, hoc est, clausa, & non clausa. Quin & flexus digitorum ad capiendum, premendumque, commodissime habent: vnus à latere adiunctus est digitus, pollex scilicet, quod polleat: isque, breuis & crassus, sed non longus.

Pollex.

Vt enim si manus omnino deesset, potestas capiendi non fieret: sic nisi digitus hic à latere adesset, non eadem illa facultas probe daretur. Recte etiam nouissimus digitus, qui auricularis est paruus est, & medius longus, quia se habet tanquam remus medius nauigij, quod enim officio manus capitur, circum per medium digitum complecti potissimum, necesse est: factus est enim hic medius digitus longus propter amplitudinem, & capacitatem comprehendendi.

Auricularis.

Medius digitus.

De corpore hominis.

Sicut remi medij in naue, cæteris sunt longiores, quo plus aquæ in naui impellendæ complecti possint. Auricularis minimus, quoniam retentio in clausura manus, in ipsum desinit. Proportionabiliter, autem cum vtraque parte, index & auricularis breuiore, medio facti sunt: vt manus ipsa commode in pugnum contrahi possit; sed pollex ideo magnus dicitur, tametsi paruus sit, quia cæteri sine eo inutiles sunt. *Vngues.* *Grossus vero, propterea quod cæteris in virtute præstat. Vngues etiam recte natura molita est, quippe quæ cæteris animalibus eos vel ad vsum alium dederit, homini autem operimenti tantum gratia excogitauerit. Digitos enim extremos integunt, & tuentur.* Hæc Philosophus clare & perbelle. *Caro volæ manus.* Cæterum, caro quæ est intra manum circumcirca digitorum monticulos, non est quoddam corpus carneum, sicut sunt corpora musculorum, sed instar cerebri albet, & multorum constat neruorum, venarumque capitibus. Mouenter autem manuum digiti à 28. musculis, vt dicunt Anatomistarum peritissimi: & quilibet digitus ex tribus ossulis conflatur, quæ tribus articulis mediantibus, simul coniunguntur. *Ossa digitorum.* In quolibet vero digito primum ossum, reliqua duo grossitie, ac magnitudine superat: secundum vero tertium. Cuiuslibet autem ossuli principium largius est, finis vero satis arcta magnitudine clauditur. Ossula ex parte interiori sunt aspera & dura, quo commodius res tenere, ac constringere possent: forinsecus vero gibbosa, vt sic facilius flecti, & onera ferre possent. Hæc & his similia, dici solent ab huius artis doctissimis. Sequitur tex: Mercurii: *Quis fundamenta pedum extendit*; Vocat Mercurius pedes fundamenta, quia nimirum gestant totam machinam humani ædificij. *Pedum natura.* Pes autem totum dicitur, quod est à femore ad calcem: diuiditurque in coxendicem, femur, genu, femen, poplitem, crus, suram, & imum pedem, qui calx appellatur: diuiditurque in conuexum pedis, quæ pars superior est, & calcaneum, quæ est pars posterior: item in volam, quæ est pars medij pedis caua, & plantam, quæ pars tota inferior est. *Homines pedes*, ait Philosophus 4. de partibus animalium, *maximi proportione magnitudinis sunt: solus enim erectus est. Itaque duo pondus corporis totum suscepturi essent, longitudinem, latitudinemque obtinere debuerunt: digitorum vero pedum magnitudo non conuenit cum digitorum manuum magnitudine; manus enim afficiunt capere, atque capta premere: ideo longos habet digitos, nam longi digiti ad capiendum apti sunt, & ad retinendum captum promptissimi. Capit aut. in manu ea parte, qua se flectit: cui digiti huius operis perficiendi gratia adiuncti sunt. Pedis autem officium est, tute firmiterque constare; sunt enim corporis fundamenta, quibus corpus stat atque constat. Quod quidem tute constare, ea parte pedis officii putandum est, quæ infixa, sine solida est: extremum autem pedis non est solidum, sed fixum, & quidem melius se ita habet: nam si pes totus solidus esset, totum plane conscateret, parte aliqua laborante: nisi enim pes plures digitos haberet, locis inæqualibus, homo suis sese pedibus sustinere non posset; quod plane fixos digitos habenti accidere non potest: breues etiam minus offendi, lædique possunt. Quamobrem hominum pedes multifidi, & breuis digiti sunt: sicque firmiter stare possunt, minimeque lædi. Vnguium genus eadem causa pedes, quam manus obtinent; extrema enim operienda, muniendaque potissimum sunt propter imbecillitatem.* Hæc Philosophus.

Homo solus erectus.

Officium pedum.

Breues digiti.

Ossa pedis. Talus. Primum os pedis, à græcis vocatur Astragalus, à latinis talus: ab aliquibus nux balistræ, propterea quod illius similitudinē gerit: in cuius altiori parte tibiæ columnæ coeunt, ideoque ad rotunditatem tendit. *Calcaneus.* Aliud os calcaneum nominatur, omnibus maius, sicut primum etiam durum, & rotundum amplum, asperum, & nequaquam æquale, musculorum ratione, qui inibi nascuntur: collum pedis quatuor ex ossibus constat, quæ figura, magnitudine & situ ab inuicem distant. *Pecten.* Pecten pedis pars superior, inter collum & digitos posita: planta pars inferior eiusdem, æquali situ disposita. Pecten ex quinque ossibus conficitur, quæ quodam ordine, ad ea, quæ in colla pedis sunt, connectuntur: singuli vero digitorum pedum ex tribus ossibus, excepto pollice, cui insunt tantum duo, quorum primum efficit pectinis os primum, & auxilio est non paruo, vt figere terræ pedem valeamus. *Numerus ossium manuum & pedum.* In quolibet autem pede ossa numero æqualia sunt ossibus manus, vno minus: etenim in manibus sunt: 7. ossa, absque minimis, octo in bracciali, quatuor in palma, & quindecim in digitis. In pedibus vero 26. nimirum calcaneus talus, quatuor in collo, quinque in pectine siue planta, & quatuordecim in digitis. Hæc de pedum, manuumque ossibus dixisse satis esse puto. *Brachiorum ossa.* Brachiorum autem ossa duo sunt, quæ adiutoria vocantur, quæque exterius aliquantulum sunt gibbosa: interius vero aliquantulū concauitatem habent: quorum capita spatularum pixidem ingrediuntur: videlicet dextrum dextro, & sinistrum sinistro: alia vero capita cubito sunt connexa. In cubito autem, instar instrumenti aquam hauriemis rotula viget. Quamobrem, natura concauitatem eam disposuit, qua superioris focilis extrema, eam facilius ingredi possent: denique, vt forti ligamine ab ea detinerentur. *Rasceta.* à cubito vero vsque ad manus rascetam, duo intenduntur focilia: quorum minus in superiori brachij parte residet. aliud vero, quod inferius est, maius nominatur: horum extrema cum additamentis, quibus perficiuntur iuncturæ, versus rascetam sunt. *Musculi, & ossa omnia.* Porro, ossa corporis humani, secundum Auicennam, sunt numero 248. præter ossa sisamina: musculi vero, secundum eundum 531. septem sunt paria neruorum, quæ ab anteriori cerebri parte proficiscuntur: triginta vero paria, quæ à nucha manant, & vnus solus in fine ossari oritur, teste Aliab. ser. 2. partis primo lib. de dispositione regali. *Capitis ossa.* Capitis ossa sunt numero 36. exceptis dentibus. sex scilicet à quibus ossa capitis proprie construitur, & vnum, quod est fundamentum atque sustentaculum: in quorum numero habetur quoddam aliud os magnum, in parte posteriori sub craneo existens, inter craneum & superiorem mandibulam situm: à quo diminutio in ossium figuris inuenta, completur. In superiori autem mandibula sunt ossa 14. & in alia mandibulæ parte totidem. *Ossa spinæ.* At quæ spinam, & dorsum efficiunt 30. Ossa sub tulo duo sunt, quæ furculæ dicuntur. Sunt 6. ossa spatularum, & pectoris. *Pectoris ossa.* Porro, pectus siue thorax membrorum spiritualium est statio, in qua quidem partes continentes hæ sunt, nempe cutis, caro musculosa, mamillæ, & vltima ossa: contentæ vero partes, cor, pulmo, panniculi, ligamenta, nerui, venæ, arteria, meri, siue isophagus, trachea, siue arteria: *Thorax.* Thorax septem ossibus constat, quorum extrema cartilagine integuntur: *Pixis.* in superiori parte thoracis posita est pixis, in qua gulæ furcula basem habet: inferius vero versus os stomachi, cartilaginem habet satis lenem, ideoque super os stomachi posita subsistit. Huiusmodi autem ossa per modum appodiationis, ad inuicem connectuntur, & septem quidem ossibus septem costæ copulatæ videntur. *Costæ.* Ab vtraque quidem parte, atque ab vtroque capite cum spondilibus, quæ quidem costæ sunt curuæ, propriaque nomine loca costarum appellantur: post quarum terminationem à parte anteriori, pectus nomen vocatur: à spondilium vero parte completarum, latus costarum nomen habet, propterea quod complexæ dicuntur. *Mendosæ.* Post huiusmodi septem, quinque quoque ab vtroque latere sequuntur, quæ mēdosæ vocantur: atque in posteriori parte, quinque spondilibus iunguntur: in anteriori vero ventris lacertis, propterea quod ea in parte os habent, vbi cum ossibus (vt ita dicam) appodiantur. Huius rei gratia mendosæ, siue falsæ dicuntur, quia nimirum in loco coniunctionis lacertorum, ad instar ventris cedunt, & plicantur. *Musculi.* musculi autem pectoris, authore Auicenna sunt 18. ex quibus quidam collo connectūtur, quidam diaphragmati quidam costis, & dorso: quidam spatulis, & humeris: quidam denique sunt proprie thoracis musculi. *Mamillæ.* Mamillæ ex carne rara, alba, glandulosa, atque spongiosa cōstant: ad quas nerui complures à cerebro confluunt: venæ quoque ab epate ad illas diriguntur: similiter arteriæ à corde, cum quibus omnibus maximam coniunctionis cognationem habent. *Spondilus.* Cæterum, spondilis est os perforatum, à quo spina, siue dorsum efficitur, per cuius foramē nucha à primo ad vltimum nucha decurrit; insunt autem spondili ascendentia, atque descendentia additamenta varia, quæ successiue spondilis ligamentis colligantur, quoad vsque ad vltimas spinæ partes ligando ad modum triremis carinæ peruenerint. Est autem huiusmodi ordinatio aliqua in parte, veluti optima nuchæ cutela: & ex vniuscuiusque spondilis lateribus, nerui proficiscuntur, qui ad dextram, & læuam corporis partem tendunt. *Galenus.* Sunt præterea partes dorsi spondilium quatuor, teste Galeno 12. & 13. de vtilitate particularium. Prima est collum, secunda spondiles, tertia quinque, quarta sex spondilibus finitur. Et hoc est, quod Mercurius in suo textu prosequitur. *Textus. Pori.* *Quis, inquit, perforauit poros, atque meatus aperuit?* Sunt quoque pori in cute, quibus superfluitates purgantur corporis, & capilli oriuntur. Sunt etiam & alij pori, atque meatus, quibus vrina, & excrementa foras mittuntur, sed de his satis dictum puto.

CAP. VI.

Mercurius.

Quis splenem coegit atque compressit? quis pyramidem impressit cordi figuram? quis iecoris porrexit fibras? quis pulmonum sculpsit fistulas?

Splenis natura.

MIro ordine sapiētissimus Mercurius humani ædificij secreta rimatur: proinde aliquot enumeratis partibus illius extrinsecis, ad intrinseca ingreditur

 enume-

De corpore hominis.

enumeranda, atque enucleanda: *Quis, inquit, splenem coegit atque compressit?* Est enim splen in sinistra parte intestino connexus, natura mollis & rarus, longitudinis, crassitudinis modicæ; ideoque dictum est a Mercurio coactum atque compressum.

Plato.

Plato in Timæo huius rei necessitatem, proprietatemque describit: *Proximum . . . , iecori ad sinistram locatum est membrum, vt purum hoc . . . nitidumque reddat, & instar speculi tersum atque perspicuum, . . . imaginesque exprimendas accommodatum.*

Lien.

Quapropter quando propter corporis morbum sordibus iecur abundat, lienis raritas id purgans, eas combibit, cum membrum hoc concauum sit, & exangue: vnde purgamentis impletum, excrescit tumetque sanie. At rursus cum mundatum corpus est restrictum, in seipsum considet.

Lib. 3. de part. anim.

Philosophus, *Omnium, inquit, viscerum vsus communis venarum gratia est, videlicet quia vena, vtpote pensiles sustineri, & copula viscerum stabiliri ad corpus possunt: quasi enim ancora per partes deductis iaciuntur ad corpus. Verbi gratia, de vena maiore ad iecur, & lienem deueniuntur: etenim viscerum eorum natura quasi clauus corpori eam affigit, scilicet iecur & lien in latera corporis venam maiorem affirmant; ad hæc enim sola rami ab illa mittantur: epar ergo & lien, sicut ancoræ funes accipiunt; ita & ipsa venam maiorem.*

Vtilitas lienis.

Iecur quoque & lien iuuant ad cibi concoctionem; nam cum sanguinea sunt, calidam habent naturam. Verum, lien per accidens necessarium est, quemadmodum stomachi feces, & vrina; non enim excrementum, quod mittitur ad splenem, siue lienem est omnino necessarium; sicut nec vrina in omnibus.

Quæ non habent splenem.

Ex quo fit, vt in nonnullis lien deficiat magnitudine; quia nimirum aut non inest omnino, aut satis minimus: in volucribus præsertim, habentibus ventriculum, hoc est, stomachum feruentiorem habentibus; siquidem caloris stomachi nimietate, humidum excrementum in vapores conuertitur: hoc modo se habent columbi, accipitres, milui, & similibus; habent enim exiguum lienem: Multis etiam squamatis exiguis, quæ vesica etiam carent, quoniam excrementum per carnem laxiorem in pennas & squamas transit; lien enim vapores vacantes diuertit, & attrahit ex ventriculo, & concoquere eos potest, vt qui sanguineus sit: lienis ergo officium ex Philosopho patet.

Morbi ex liene.

Quod si plus humoris melancholici sit, quam naturali corporis dispositioni conueniat, propterea quod parum caloris lien habeat, humoremque attractum æquare non valeat, corpus prę nimio excremento, ad splenem iam . transmisso languescit, & propter confluuium humoris ad lienem, sæpe accidit, vt lienosis ventres prędurí reddantur, quomodo ijs, qui supra modum mingunt, quique diabetici nominantur;

Diabetici.

obdurescit enim venter ex diuerticulo humoris ad vesicam: in quibus vero parum excrementi, siue humoris melancholici est, vtpote in auibus, & piscibus: in ijs aut non magnus, aut notę gratia duntaxat habetur.

Lib. 2. colliget. c. 28.
Forma splenis.

Auerroes *Forma splenis, ait, est longa, positus est in parte sinistra ligatus ligamentis oriundis ex pellicula existentibus supra ipsum, continuatur stomacho ex vna parte, ex altera costis posterioribus & oriuntur ab ipso conductus duo, quorum vnus ori stomachi coniungitur: aliud vero hepati, versus concauitatem.* Hęc ille.

Statio splenis.

Statio ergo splenis est in sinistra parte ventris, quibusdam ligamentis ligatus, quæ continuantur cum panniculo super eo situato: quod quidem membrum ab vna parte stomacho connectitur; ex altera vero costis mendosis. Ab eodem splene duo oriuntur pori, quorum vnus ad os stomachi porrigitur: alter ad hepatis concauitatem transit. Hæc pauca de splenis natura, forma, officio, necessitateque sint dicta.

DE CORDE HOMINIS.

CAP. VII.

Quis pyramidem impressit cordi figuram?

Cordis figura.

Cordi humano pyramidalem tributam esse naturam, sapiens Trismegistus miratur, & quærendo discere quærit. Est enim cor pinealis figuræ, & ipsius caro valde dura, & lacertosa, in sua præsertim radice, quę plane plurimum est lacertosa; & duris ligamentis neruisque confecta. Dura autem illius caro, studiose à natura est instituta, ne sui iacturam facillime faceret, dum omnium pateret occursui: quapropter non indocte dictum est ab Auicenna, cor solutionem suæ continuitatis pati non posse.

Cordis situs.

Cordis situs est in medio pectore in cęteris animantibus: in homine vero vergit ad sinistrum. Philosophus lib. 3. de partibus animalium, cap. 4. Situs cordis, inquit, sedem obtinet principalem, non est tamen prorsus in medio; sed magis superius quam inferius, & parti priori propinquius, quam posteriori. Natura enim rem nobiliorem constituere in locis nobilioribus solet, nisi quid maius impediat: cordi . . ., hunc esse locum latissime in homine patet.

Medium locus regis.

Est autem cor in medio, vt dicit Auer. *lib. 2. colliget. cap.* 9 de iuuamentis membrorum officialium; quia hic est locus regis: ad hoc, vt sit regimen huius, ad omnia membra proportionatum, meliusque custodiatur. Alexander in paraphrasi lib. de anima, cap. vlt. Cor est quasi animal (ait) in animali obseptum, conclusumque; ideoque est colligatum cum alijs membris principalibus, teste *Auer. 7. colliget. cap.* 2.

Præcordiũ.

Cordis membrana, qua inuoluitur, dura adeo est & densa; vt vix ferro incidi queat, appellaturque pericordium, siue præcordium: antiqui vero præcordiũ, teste Galeno in prima particula separatorum sermonum, os stomachi appellare consueuerunt. Habet autem cor duos magnos ventriculos, in dextra vnum: in sinistra vero alterum; in quorum medio adest capsula aliquantulum superius collocata, panniculisque neruosis circumsepta, quæ ventriculus quoque appellatur.

Tres ventriculi.

In dextro autem ventriculo, duo continentur foramina, quorum alterum ideo est à natura institutum; vt venæ ab hepate manantes faciliori meatu ad eundem ventriculum sanguinem deferre possent. In illo autem foramine tres reperiuntur panniculi, quorum incessus, etsi de foris ortum habeat, intus tamen finem accipit: quo fit, vt quod ingreditur, reflectatur. Aliud vero venæ est foramen, os etiam quod ab eodem cum pulmone continuatur: os autem illud quamuis sit venæ, & non arteriæ; quia tamen eius tunicæ sunt grossæ satis & spissæ, ideo à multis vena arteria appellatur. Arteriarum autem tunicæ sunt duriores spissioresq; tunicis venarum, idq; non temere à natura dispositum est; siquidem arteriæ continuæ mouentur: ex quarum profecto motu, si eas disrumpi contingeret; non paruum membrorum dispendium homini accederet, quale ex venarum disruptione nequaquam accessurum putatur. Super ipso autem ore, a quo prædicta vena oritur, tres collocantur panniculi, quorum incessus licet interius oriatur, foris tamen finitur. quod quidem a natura sapienter est institutum, vt ad id reflecteretur, quod à corde egreditur.

Foramina cordis.

In sinistro autem ventriculo duo reperiuntur foramina, ex quibus est os, à quo magna procedit arteria: & ab ea totius corporis arteriæ originem habent.

Panniculi, Sinistri . . . lus.

Insuper, super eodem osse tres panniculi positi sunt, quorum incessus intus incipit, & foris terminatur; vt respondeant ad id, atq; reflectantur, quod à corde egreditur de spiritu, & sanguine: qui quidem sanguis per totam cordis substantiã protinus à natura diuiditur: idq; quantitate temperata.

Purificatio sanguinis.

Residuum vero sanguinis ad cordis nutrimentum delegatur, & ad foueam medium à natura dirigitur. In hac vero fouea calefactionẽ, subtiliationem, & depurationem recipit. Cumque purificata fuerit, ad sinistrum ventriculum transmittitur, in quo de ipso sanguine puro, fit spiritus generatio. Is autem spiritus cæteris præstat elementis, ac corporibus ab eisdem genitis, & claritate, & puritate. Alio autem foramine, quo vena ad pulmonẽ tendit, aer à pulmone attrahitur, & ad pulmonem transmittitur: in quo quidem foramine duo etiam reperiuntur panniculi, quorum incessus deforis incipit, & intus finitur. quibus aer recipitur, ad cordis refrigerium.

Arteria venalis.

In sinistro autem ventriculo alia inuenitur arteria, vna tantum tunica contecta, quæ à nonnullis arteria venalis nuncupatur, quippe cum ab ea subtilis ad pulmonem sanguis mittatur, atque per eius substantiam diffunditur: deniq; ex illo sanguine nutritur.

Duo additamenta.

Duo quoque habet additamenta ad similitudinem paruæ auriculæ, quorum alterum in parte sinistra, alterum vero in dextra ortum habet. Cor autẽ, teste Auer. 2. colliget. de complexionibus membrorum, est necessario calidum propter spiritum, & partem carnosam, & propter sanguinem, & est sicut clibanus. Libro autem 1. cap. 34. cordis formam eam esse dicit:

Forma cordis.

Forma cordis, inquit, est rotunda ad modum pinæ, sed transuersa, propterea quod acuitas cordis versus corporis inferiora existit: radix vero ad superiorem illius partem vergit. Habet etiam cor pelliculam vnam grossam, ipsum circumdantem: verumtamen versus radicem, tota nõ coniungitur. Positum est in medio pectoris, sed caput siue acuitas ad partem sinistram tendit, ex quo magna oritur arteria; ideoq; in ea pulsus maior apparet.

Pulsus maior.

Et habet cor concauitates duas magnas, vnã ex parte dextra, aliam ex sinistra: & versus radicem suam, est vna res cartilagini similis, quę quasi est totius cordis fundamẽtum. Porro à concauitate dextra ad sinistrã sunt viæ, & in dextra habentur orificia duo, vnum ipsorum est venæ coniunctæ epati, quæ ab epate secundum Galenum, & à corde secundum Aristotelem proficiscitur.

Orificium dextrum.

Supra vero huiusmodi orificium, sunt tres pelliculæ sese aperientes, siue dilatantes, quando sanguis ingreditur: deinde conuenienter se claudunt. Et orificium secundum est venæ coniungens

se ex

De corpore hominis. *Orificium sinistrum.*

se ex ista concauitate in pulmonem: & est vena vna quæ non pulsat, quia tunicæ illius sunt grossæ ad similitudinem arteriæ. Et istud orificium habet pelliculas aperientes se extra: & in concauitate partis sinistræ sunt duo orificia, vnum est arteriæ magnæ, habetque pelliculas tres aperientes se intrinsecus, versus partem superiorem. Secundum autem orificium, est arteriæ coniungentis se cum pulmone supra autem huiusmodi orificium est pellicula vna, aperiens se intus, & extra: & habet cor additiones duas similes auribus, quarum vna ad dexteram altera ad sinistram existit. Hæc ille.

Cordis temperantia. Cordis temperantia, eodem authore lib. 4 culliget. cap. 2. primo ex pulsu, deinde ex anhelitu cognoscitur; quando enim pulsus non est magnus, neque paruus, neque tardus, neque velox, neque ratus, neque spissus, necessario significat temperantiam complexionis cordis, inter calidum & frigidum, siccum & humidum. Talis autem pulsus in his inuenitur, qui in climate tẽperato viuunt ex quo patet, quod temperantia in membrorum cordi adiacentium complexione, vtpote pectoris, & similium, certum signum sit cor esse temperatum virtus enim informatiua, non nisi mediate cordis calore alia membra format, & compingit etenim cordis complexio toti corpori sese cõmunicat. *Cor temperat [illegible] membra.* Propterea, quando cordis complexio est temperata, membra pro maiori parte sunt temperata in caliditate, omnibus siquidem membris à corde complexio largitur, qua agunt & patiuntur. Quam ob rem, cordis caliditatem omnium membrorum sequitur caliditas, extrepta resistẽtia accidentis, ex membris in toto dominium habentibus, veluti est hepar & cerebrum. Corda animalium calidorum & humidorum, sunt maiora cæteris, sicut & animantia, quæ in locis humidis nascuntur. *6. de Vil. par. cap. 13. Cordis attractio.* Cor, teste Galeno, habet omnem modum attractionis, siue à vacuo, siue a calido, siue a virtute fiat Veruntamen, cordi familiarius nihil est ad refrigerationem spiritu, & ad nutritionem sanguine. vnde patet, ad sanitatis ægritudinisque regimen tuendum, aerem non parum conferre. *Cor princi-pium mouendi & sentiendi.* Cor, teste Arist. 1. *de natura animalium. cap.* 4 est vtriusque virtutis princeps, & sensualis, & motiuæ. quarum altera, nẽpe motiua, actiua est sensualis vero passiua. Verum sensualis. simplicium, motus vero organorum ratione princeps censetur quam ob causam ex partibus similaribus, & dissimilaribus constat: similares sensui, dissimilares motui cõgruunt. 1. *de natura animalium, cap.* 4 cor dicit esse primum sensorium tactus. quod quidem intelligendum est de carne cordis. In 2. *autem de anima cap.* 40. carnem esse medium, sed de carne extrinseca loquitur, quæ est in reliquo corpore; illa enim est vt medium. caro autem cordis, quæ est intus, est sensorium: idcirco Alexander inibi ait: Cor, inquit, ratione carnis, est principium virtutis sensilis: ratione vero neruorum, virtutis motiuæ. Cor est principium lætitiæ motus, *3. de part. anim. c. 4.* tristitiæ, & omnium sensuum. vnde cor & iecur omnibus animalibus necessaria sunt; cor quidem propter caloris originem, hepar vero ad concoquendum cibum, cap. 7. vbi supra. Et *de generatione anima*l. 2. *lib cap* 4. Cor est primum, *4. de gen animal c. 4* quod in formatione fœtus actu secernitur. Et cap. eodem: *Cor primo viuit.* Cor est primum quod viuit, & vltimum quod moritur. Vnde nullum vnquam animal ortum est, teste Aristotele sine corde: ex quo cordis principatus ostẽditur. *Cor primũ motum.* Auer. 7. *phys. com.* 1. Motum primum per se in animali est cor Et *com.* 4. *eiusdem lib* Galenus opinatus est, inquit, quod corde ablato ab animali, posset moueri, & viuere velusi testudo & chamæleon: sed asserit Auerroes se vidisse arietem, abscisso capite, ambulasse. His de causis dubitatur à quibusdam, quod sit principium motus & vitæ, cor an cerebrum & profecto sensoria omnia, in cerebro esse videntur igitur, quod est principium sensuum; est etiam principium motus. Ex alia parte, cor est principium motus, quia est primum viuens, & vltimum moriens. Amplius, 3. *de partibus animalium cap.* 4 est venarum principium. *Cor venarum principium.* Sic etiam à Platone docetur clarissime in Timæo: *Cor venarum originem* inquit, *fontemque sanguinis per omne corpus impetu quodam manantis, in stipatorum regione suspendit naturam: quando ira vi exardescit, ratione nuntiante, si quid extrinsecus iniuste fiat, vel intrinsecus aliqua concupiscentia turbet; tunc celeriter per angustos quoslibet meatus, quicquid in corpore sensus est particeps, iussa minasque persentiat, atque ita obediat obsequaturque, omnino tolleretque ita omnibus præstantissimi illius imperium* Hæc Plato. *Philosophus. Galenus.* Philosophus 3. *de part. anim. cap. de corde*, asserit cor esse venarum principium, & sanguinis. Galenus voluit cor esse principiũ sanguinis arterialis, non venalis, sed hepar. Sunt qui hanc Galeni sententiam tueri volunt, eamque eiusdem Philosophi sententijs astruere nituntur. *Quod hepar. sit principium sanguinis.* Aristoteles 3. *de part. anim. cap.* 7. nullum sanguine præditum caret corde, & hepate cor adest propter caloris originem, & hepar cibi concoquendi gratia. Sanguis ergo qui est verus humor, & nutrimentum verum habentibus sanguinem, consequenter generatur in hepate. in corde autem subtiliatur, & disponitur per accidens. *De corpore humanis.* Idem sentire videtur Auer. *1. Auerroes. 2. collig. c. de hepate.* Hepar, inquit, est mutatiuum cibi ad conuertendum ipsum in sanguinem, à quo ad omnia membra destinatur. Idem, hepar habet virtutem digestiuam quæ facit sanguinem. *2.* Amplius, ibi est vera sanguinis generatio, vbi superfluitates, & eius excrementa generantur, à qualibet enim digestione, aliqua superfluitas resecatur. sed secundũ Arist. & Auer. in habentibus sanguinẽ. sanguis est vltimum nutrimentum: phlegma autem, & vtraque cholera superfluitates. hepar autem sua virtute huiusmodi superfluitates à sanguine secernit: generat ergo sanguinem. *Rationes Aristot. 3. de part. anim. c. 4.* Atqui Arist. expresse affirmat cor esse principium omnium virtutum, quia vbi fieri potest vnum, multitudini est præferendum, natura siquidem & Deus nihil frustra faciunt 1. *cæli tex. com.* 32. adeoque vim nutritiuam, atque sensitiuam cordi attribuit, posuitque sanguinem in corde generari. Nam in nulla corporis parte, extra venam, nisi in corde inuenitur Itaque deuoratus, & ingestus per os cibus, *3. de nat. animal. cap 3. Formatio sanguinis.* indeque in intestina, & ventriculum collocatus, euaporatur, & sursum spirat per venas, per quas permanat ad iecur. in iecore vero mutatur, & natura sanguinis tingitur à iecore influit, & subit ad cor, in quo quidem vincitur & conficitur plenissime, ibique in sanguinem perfecte conuertitur. *Venæ cordis.* Et venæ quidem aliæ cor adeunt, aliæ à corde proueniunt: quæ vero adeunt, tanquam ministræ & gerulæ sunt: quippe quæ a iecore ad cor, incoctum sanguinem deferant, quem cor susceptum, decoctum sanguinem reddit, per venas, quæ ab ipso procedunt, atque in totum corpus distribuit. Hæc Themist. *in com. super l. b. de somno & vigilia cap.* 13 Auer. 2. *colliget. cap.* 11. Hepar seruit cordi, quia nimirum suum illi præparat nutrimentum. Item, veri humoris generatio digestione perficitur, quæ a calore procedit. sed cor est fons caloris ab eo ergo procedit veri humoris, id est, sanguinis generatio. *Cordis situs.* Itaque, cum est prima origo, & fons sanguinis, principium enim vnum esse oportet, vbicunque fieri potest: aptissimus autem omnium locorum medius est. medium autẽ vnum est, & tale, vt vndique attingi, vel æque, vel proxime possit. Cor cæteris animalibus in medio pectore est: homini tantum vergit paulo ad læuam, vt eius refrigerationem moderetur, ac compenset. Nam homo cum nascat pro sui corporis proportione, pectoris latitudinem præ cæteris animantibus latiorem, si vertex cordis ad dexteram vergeret; præ nimia frigiditate læua tabesceret. Quæ ergo sit figura, & natura cordis, breui me descripsisse, puto.

CAP. VIII.

Quis iecoris porrexit fibras?

Iecoris forma. COr & iecur sunt præcipua viscerum ventris: proinde de iecore inquisitionem instituit, completa de corde inquirendi diligentia. *Quis*, inquit, *iecoris porrexit fibras?* hoc est, extremitates extendit. Sunt autem fibræ omnium extremitates rerum: vnde & iecoris, & cordis, & cuiuscunque visceris extremæ partes, fibræ appellãtur.[8] *Fibræ.* Virg. 6. *Nec fibris requies datur vlla renatis.* *Situs hepatis.* Iecur vero, siue hepar in dextro latere sub costis superioribus versus posteriorem partem locatum est; est n. membrum carnosum, rarissimæ tamen substantiæ, coagulati sanguinis similitudinem gerens est etiam penulatum, ea quinque vtique penulis: in *Penulæ.* parte autem intrinseca, est concauum, ab extrinseca vero gibbosum, idque vt ab eo stomachus amplecti possit. A parte vero diafragmatis, ipsius gibbositas clarius apparet. Ligatũ est ligamentis profecto iecur cõtinuantibus, cum panniculo super ipso existente. Ab eius præterea concauitate quædã oritur cannula, quæ hepatis porta vocatur. *Porta iecoris.* Et est vna vena, quæ de eius inferiori spermatica materia gignitur. hæc autem vena in varias atque diuersas diuiditur: proinde ab ea 7. vel 8. venas manare aliqui affirmant: atque per prædictam portam, ad modum radicum arborum effluere ad finem stomachi, ad ieiunium intestinum, quousque ad intestinum rectum peruenerint: *Venæ [illegible] Meseraicæ.* quæ profecto venæ ita in diuersas partes minutissime distributæ, Meseraicæ appellantur. Illarum vero interest, totam chili bonitatem, succositatemque ad epar deferre quæ quidem a porta venali cum suis radicibus, per totam iecoris substantiam diffunditur. Porro, à gibbositate iecoris vena nascitur; *Vena chilis.* quæ concaua siue chilis appellatur, à qua vna cum suis radicibus, alijsque venis obmanantibus, totus sanguis à iecore genitus, plane educitur. Ipsa vero superius, atque inferius sese propagando nutriendi causa per totum corpus, sanguinem prædictum distribuit. *Tres substantiæ fiunt in iecore.* Galen. lib. 2. de virtutibus naturalibus cap. penult. in iecore per decoctionem tres fieri substantias duas videlicet superfluitates, & vnam naturalem, constanter affirmauit. Aristot.

De corpore hominis.

Iecoris vtilitas.

lib. 1 de natura animalium cap. 18. Iecur, inquit, sub septo positum à dextro latere est. Rotundum iecur hominis est, ac simile bubalo, siue iecori bouino. Et *lib. 3. de part. animalium cap. 12.* Iecur, inquit, ad sanitatem atque temperiem corporis plurimum confert, finis namque eorum in sanguine situs est potissimum: iecur autem omnium viscerum, excepto corde, sanguine refertissimum est. Et *lib. 1. de natura animalium capit. 18.* Fellis priuationem vel in victimis nonnunquam percipi, certum est.

Qua careāt felle.

Quippe cum parte quadam agri Chalcidici Eubœæ fel nullum pecori fit. At in naxo omnibus ferme quadrupedibus adeo grande, vt qui sacra fecerint aduenæ stupescant, rem scilicet prodigij loco sibi arbitrantes, non talem esse naturam terræ illius quadrupedum. Iecur venæ maiori annexum est nulla ex parte aortam attingens, vena enim quæ a maiore proficiscitur, iecur transfigit, huc meat, parte scilicet, qua portæ appellatæ iecoris habentur.

Porta iecoris.

Hæc philosophus. Auerroes autem *1. libro colliget. capit. 27.* similia profitetur *Epar, inquit, positum est in latere dextro costarum superiorum, & forma ipsius est forma lunæ, habetq; concauitatem in parte lateris stomachi & additamenta, in aliquibus quatuor, in aliquibus vero quinque ipsum autem cooperit supra latus dextrum stomachum, & gibbositas ipsius est versus diafragma, & est ligatum ligamentis coniungentibus se pelliculæ supra ipsum existenti.*

Hepar habet formā lunæ.

Oritur autem à concauitate ipsius epatis cannale vnum, quod ianua epatis appellatur, habens formam venæ, excepto sanguine, non enim habet sanguinem. Illud autem cannale in partes diuisum est quantitate plurimas: ex quibus partes plurimæ ad stomachum descendunt: & ad intestinum quod vocatur duodenum; & aliquæ partes ad intestinum ieiunum, & ita per alia intestina decurrunt: quousque sese copulauerint intestino recto. Porro, aliud cannale, quod est in porta epatis, in partes ipsius interiores diuiditur, vsque in venas capillares, & capillis similes.

Duodenū.

Vena magna.

Et à parte gibbositatis epatis apparet vna magna, à qua omnes venæ totius corporis volant, siue exeunt; cuius radix diuiditur ab epate ad partes ipsius minutas similes capillis, cum obuiat cannale, quod porta nominatur; per ianuam vero epatis chimosum nutrimentum ingreditur, & in illis venis decoquitur: & deinum per illam venam magnam in sua gibbositate existentem egreditur. Hæc Auerr. non dissimilia dicens ab his, quæ dicta sunt. Fel positum est in epate, & habet vias duas, vna coniungitur in concauitate hepatis, & alia ramificatur, & coniungitur in inferioribus intestinis in fundo stomachi.

Fellis natura.

4. de part. anim. c. 2.

Arist. *Fel, inquit, habet maior pars animaliū, quorum sanguineū est, ... sepositum, quoniā non minus epati, ... esse maxime in piscibus constat: cum enim pisces ... suum magna ex parte suum intestinum ... am toto intestino, pertexum, vt amia.* vocat Ar... amias, quod gregatim vagentur & cum thynnis cognationem habent.

Locus fellis.

Plato posuit fel in epate, quod eo fit anima cupitiua, cuius operationes à felle excitantur, nempe mordendo ad vltionem concitat: laxando vero iram sedat. Contra, ait philosophus, multa sunt animalia in hepate fel non habentia, quibus tamen anima inest cupitiua.

Qua careāt felle.

Equus, mulus, asinus, ceruus, dama felle carent: camelus non discretum, sed venulis quibusdam confusum habet: vitulus etiam marinus caret: & inter pisces marinos delphinus. Sunt & quę partim habeant, partim non habeant eodem in genere, vt mures, quod idem & homini accidit. Aliqui enim in iecore fel habere visuntur: aliqui carent. Itaque de toto genere anceps & incerta est scientia: & tamen omnia animalia concupitiuam animam habent.

Anaxagoras.

Anaxagoras errauit, dum putauit fel esse causam morborum acutorum, cholericorū scilicet: Cum fel abundat atque excedit, ait, aspergitur in pulmonem, & venas & costas & inde cholera, & morbi in diuersis corporis partibus emergunt: nam ijs animalibus accidunt illa, quæ felle carent. Fel ergo non est illorum causa, in anatomizatis enim horum animalium corporibus, id etiam inueniretur, nempe cholera, per illorum mēbra aspersa.

Vtilitas fellis.

Amplius, humoris cholerici copia, quæ per apostemata emanat, conferri non potest cum fellis conceptaculo, siue vasi, vt sit illius pars. Potest enim hic cholericus humor, qui apostema facit, generari per essentiam eo ipso in membro, in quo apostema accidit: & ita non prosluer ab ipso felle. Quare, sicut bilis est excrementum illius partis, in qua gignitur: sic quoq; fel iecori adiunctum, non alicuius rei gratia, sed excrementum iecoris esse videtur, quo scilicet sanguis expurgatur, & dulcis, membrisque conueniens relinquitur. Quomodo & aluus, intestinorumque sedimen, siue stercus, quo sanguis purgatur, & membris nutriendis vtilis relinquitur. Non est tamen absurdum, quod licet fel sit quoddam excrementum; ipso tamen ad aliquā peculiarem vtilitatem leuandam, naturam vti. mouet enim aluum, teste Galeno, & ad expurgandas fæces incitat.

De corpore hominis.

Cæterum, quibus iecoris constitutio salubris est, & sanguinis natura, quæ iecur subeat, dulcis accedit; hæc aut nullum fel suo in iecore habent, aut venulis inclusum continent. aut partim habēt, partim non habent. Quamob rem iecinora eorum, quæ felle vacant, dulcia sunt: particula autem iecoris, quæ felli subdita est, dulcissima est: in non habentibus fel, est amara, teste Auer. in causa vero est, quod vniuersa choleræ amaritudo à felle attrahatur.

Iecinora.

At vero quæ minus puro sanguine constant; hæc excrementum, quod fel appellamus, semouent; excrementum enim contrarium alimento esse vult, & amarum dulci. Et sanguis integer, dulcis est, hoc est, totus sanguis dulcis est: igitur fel est excrementum sanguinis.

Fel est excrementū sanguinis.

Summa autem dictorum est hæc. Excrementum est ei in sapore contrarium, cuius est excrementum: idque perspicuum est satis. sed fel sanguini in sapore est contrarium, quia est amarum, sanguis vero dulcis: igitur est excrementum sanguinis: nullius ergo finis causa est, sed sanguinis purgamentum. Quamobrem pulchre à veteribus dicitur illis, qui causam, cur diutius viuatur, fellis vacuitatem esse aiunt, argumento ex solipedum ceruorumq; genere deducto; hæc enim & felle vacant, & diu viuunt.

Longæua vitæ causa.

Adde, quod longæuæ vitæ ratio ab hepate bene disposito, non à felle dependeat: proinde hepatis & non aliorum viscerum fel est excrementum. Cordi felleus humor appropinquare non potest: neque renum, aut pulmonis potest esse excrementum; quia cæterorum viscerum nullum est necessarium animalibus, nisi iecur. Vbicunque ergo fel est, siue in hepate, siue in intestinis, est excrementum. Hæc Philosophus.

CAP. IX.

Quis pulmonum sculpsit fistulas.

Pulmonis forma.

Miratur sapientissimus Mercurius pulmonis sculpturam, fistulas, quibus aerem attrahit ad cordis recreationem fouendam. Est autem fistula, per quā aqua educitur: fusa à fundendo, siue ferendo dicta: vel à φσάω verbo græco, quod latine sonat influere, siue inspirare. Pulmo autem est natura spongiosus, idenque spiritus capax, qui diuiditur in similitudinem vngulæ bouis, & duæ illæ partes fibræ vocantur. apud veteres pluraliter tantum dicebantur, pulmones: quorum officium in Timæo à Platone pulchre describitur:

Vtilitas pulmonis.

Cum, inquit, cognosceret natura, cor rerum terribilium obiectu trepidaturum, & ira sæpius flagraturum, idque opus omne per ignem fore: æstus huiusmodi temperandi gratia, pulmonum tegmen cordi adhibuit, molle primum atque exangue: deinde cauis extrinsecus fistulis spongiæ instar distinctum, vt spiritu potuque hausto cordis ardorem huiusmodi respiratione & refrigerio refficiat. Quam ob causam, arterias tanquam aquæ ductus per pulmonum substantiam deriuauit, eamque cordi, quasi mollem saltum circumdedit. vt quando nimia feruet ira, motus ad facitorem obedientiam temperatū deseruiat, sedatoq; tumultu rationi facilius, cum ira ministrare & obsequi valeat. Hęc Plato. Ex quibus perspicue cognoscitur, quam pulchre Mercurius pulmonum fistulas appellauerit.

3 de part. anim. c. 6.

Similis quoque dicendi disputandique modus ponitur à philosopho: *Pulmo, inquit, ideo habetur, quia genus animalium quoddam pedestre est; calorem enim refrigerari necesse est: quod extrinsecus ea quæ sanguinem habent, desiderant, sunt enim calidiora at quæ sanguine carent, vel suo natiuo spiritu satis refrigerari possunt: naturalis siquidem eorum spiritus pulsat, atque ipsius spiritus pulsu refrigeratur. Extrinsecus autem vel aere, vel aqua attractu refrigerari, necesse est.*

Refrigeratio cordis.

Quamobrem, piscium nullus habet pulmonem, sed pro eo branchias obtinent; aqua enim refrigerantur, vt aere, quæ spirant. Quamobrem, omnia quæ spirant habent pulmonem: spirant autem pedestria omnia, & aquatilium nonnulla, vt balena & delphinus, atque etiam cete omnia, quæ per fistulas hauriunt aquam gurgitando. Pulmo igitur spirandi officio delegatus est, qui originem quidem sui motus accipit ex corde; aut quia in corde est anima, quæ est principium motus corporis, & ita principium effectiuum intelligeretur; aut ob causam finalem: caloris cordis siquidem refrigerandi causa est. Sua igitur pulmo amplitudine, atque inanitate, siue spongiositate, aditum spiritui patefacit.

Pisces non habent pulmonem.

Cum enim attollitur seu aperitur; influit spiritus, & sic fit inspiratio: cum vero contrahitur, spiritus effluit; & ita fit expiratio. Pulmo ergo est instrumentum spirandi, habetque à corde sui motus principium.

Causa spirationis.

Qui vero asserunt cordis palpitationem, quæ est saltus, & motus cordis, quæ alternatim fit ex pulmone manare; non bene sentiunt, tum quia cor hominis, prope dixerim, animalium vni palpitat; quia homo solus spe rei futuræ expectationeq; mouetur, quinimo affectu timoris, gaudij ac tristitiæ magis homo

Palpitationis causa.

De corpore hominis.

homo mouetur, quam cætera animantia. In cæteris ergo, aut non est palpitatio, aut minime cognoscitur. In pluribus præter ea animantibus cor aliquo interuallo distat à pulmone, situmque superius tenet, vt nihil ad cordis palpitationē conferat. Pulmo igitur spirandi gratia datus est omnino. Hæc philosophus. Itaque pulmo est membrum raræ substantiæ spongiosum & alligatum cum mediastino panniculo cooperiente cor, ne ab ossibus pectoris tangatur.

Canna pulmonis.

Habet insuper cannulam, quæ in diuersas partes per pulmonem distribuitur. Hæc canna, inquit Auer. 23. *cap prim. lib. colliget.* quando descendit sub trachea, diuiditur in duas partes, quarum quælibet in plures partes distribuitur, circa quas profecto pulmonis caro fabricata cōsistit, quę est corpus pulmonis.

Corpus pulmonis.

Medietas autem pulmonis in dextra situm habet concauitate altera vero in sinistra. Et canna quidem pulmonis præparata est instar formæ annulorum, ex cartilaginibus; sed incompletis annulis, propterea quod in tertiæ annulorum partis quantitate, suæ extremitates vni pelliculæ coniungantur: villis quoque & ligaturis multis.

Annuli cannæ.

Sunt vero annuli illius cannæ duri & cartilaginosi: & eorum gibbositates, versus exteriorem corporis partem tendunt, pelliculaque per viam rectam annulis contingens, manibus palpari potest.

Vtilitas cannulæ.

Porro, non parua est huius canulæ atque pulmonis vtilitas, siquidem per pulmonem aeris frigidi hominem circumdantis fit attractio, quousque per sinistram cordis auriculam, ad suam fumosam caliditatem temperandam veniret, hora quidem dilatationis cordis: indeque fumosam cordis superfluitatem susciperet. Reuera, aer hominis naturam circumdans, in operatione cordialis, ingentis frigiditatis spiritus reperitur: sine cuius temperamento propter fumosam, & magnam cordis caliditatem, animalis spiritus suffocaretur Quoniam autem aer circumdans, non erat ita purus, ac humanus; rationi consentaneum fuit, vt per medium rarum transiret, quo aer ab omni impuritate mundaretur: cuius rei explendæ gratia, anhelitum natura disposuit.

Diafragmatis natura.

Sed de pulmone satis. Posthac dicamus de diaphragmate, quod quidem vnum est de membris in pectoris concauitate contentis: cuius principium à thoracis capite incipit: inferius deinde ad vtrumque latus ex transuerso descendendo porrigitur, quoad vsque ad duodecimas dorsi spondiles peruenerit. Est autem panniculus sua interminatione musculosus valde, spirtualia à nutritiuis membra separans, habensque cum cerebro mediantibus neruis colligantiam. Diaphragma præterea huius rei gratia institutum est à natura; vt sua continua motione cor euentilaret: quemadmodum fabrorum folles, qui suis in fistulis aerem suscipiunt ad ignem nutriendum.

Folles.

Mediastini natura.

Mediastinus quoque panniculus est diaphragmati similis, à quo pectoris longitudo diuiditur: similiter & medium pulmonis: alligatur vero spondilibus dorsi, pulmonem suspendendo. Huius autem vtilitas est, quod si læsio aliqua, vni parti accideret, in totum corpus peruadere non posset.

Pleura.

Pleura quoque est panniculus valde sensibilis, costas tegens. ac apostemati plurimum obnoxius: ideoque quādo in eo apostema gignitur, pleuresis dicitur.

Ventris natura.

Hæc de thoracis membrorum natura dicta sint. Posthac de ventris conditione sermo decurrat. Venter inprimis diuiditur in partes continentes, & contentas: partes autem continentes sunt quoad partem anteriorem, mirach, & siphac: quoad vero ad partem posteriorē, sunt quinque spondilium ossa.

Mirach. Siphac.

Mirach autem ex quatuor partibus constare videtur, nempe ex cute, pinguedine, panniculo carnoso, & musculis, qui à corde oriuntur. Siphac vero vnus tantum est panniculus, multum durus, ex villis, neruis, & ligamentis confectus, mirach toti adhærens. Porro, mirach est particula ex antedictis composita: quorum vnum ab altero separari potest: Siphac autem est membrum simplex quoad eius substantiam: sicut & alij panniculi sunt.

Partes contentæ ventris. Stomachus

Partes autem contentæ sunt, zirbus, intestina, stomachus, hepar, splen, mesenterium. Sed primum de stomacho loquamur: Stomachi origo ab oris extremitate dependet, & retro ipsum inferius descendit super eius spondiles, quoad vsque diaphragma perforauerit, super quo diaphragmate ligatus existit, simul cum quibusdam spondilium panniculis: perforatione autem, atque ligatione confectis, dilatatur: & ab eo deinde quoddam oritur membrum, quod stomachus nuncupatur, ad partem sinistram parumper declinans.

Os stomachi.

Quamobrem, os stomachi declinat similiter ad eandem sinistram, eius vero fundum ad dexteram ideoque cucurbitę rotundæ, in superiori parte longum çollum habentis, similitudinem gerit.

Forma stomachi.

Inferius autem alterum collum, quod cum intestino duodeno suam facit coniunctionem: ideoque istud çollum intestinorum principium, seu portanarium vocatur. Cibus enim in stomachum congestus, permeri contrahitur, & clauditur ita, vt aliquid illius egredi nequeat, nisi tota penitus digestione confecta. Deinde aperto aditu ad intestina decoctus, digestusque cibus transmittitur. Dilatatur præterea stomachus aliquantulum versus partem dorsi cum spondilibus, & visceribus: ligaturisque firmis quidem ligamentis pro ipsius nobilitate necessitateque tuenda.

Tres tunicæ stomachi.

Insuper, tribus indutus est tunicis: quarum vna habet villos, secundum stomachi longitudinem transuersaliter: alia in notem secundum latitudinem intrantes: tertia vero oblique & transuersaliter per stomachum distributos, stomachus solus sentit euacuationem nutrimenti, teste Auer. 3. colliget. cap. 33. & non alia membra, nisi per ipsum, quia hoc mēbrum est tanquam species membrorum omnium, quæ huiusmodi resolutionem sentire debent: sic membra sentiunt per neruum in locis, quæ non sunt neruosa. & lingua cibos conueniente. Sane, operationem toti corpori communicantem stomachus habet: propterea princeps communicans appellatur: cuius attractio per modū sensus, & appetitus, siue motus, est cōtraria motui attractionis per modum nutrimenti.

Stomachus sentit euacuationem cibi.

Hęc de stomachi natura dixi Deinde de intestinis aliquid dicamus.

Intestinorū numerus.

Intestina itaque sex tantū numerantur, quorum tria superiora sunt valde gracilia alia vero tria sub vmbilico posita grossa dicūtur, quæ duabus tunicis conficiuntur: quarum altera intus existens, quandam sibi adhærentem habet viscositatē. Ex gracilibus autem intestinis, quod inferiori stomachi ori coniungitur, duodenum siue portanarium appellatur: sic dictum, quod longitudine 12. digitorum constet

Duodenum

Secundum vocatur ieiunum: quæ quidem intestina erecta existunt, & in corporis longitudinem sparsa: plura nihilominus orificia, per quæ hepati nutrimentum vehitur, in illo ieiuno habentur intestino, quam in alijs. Tertium, & vltimum intestinum ex gracilibus, inuolutum dicitur, quia nimirum pluribus inuolutionibus conte[illegible] esse videtur.

Ieiunum inuolutum

Porro, istorum trium magnitudo portanarij magnitudinē æquat Quartum vocatur monoculum, quia vno tantum foramine gaudet, perinde ac si esset saccus vel marsupium. Illud ergo, quod vna hora ad illud ingreditur, alia certe egreditur, cuiusque sedes est in latere dextro.

Monoculū.

Quintum dicitur çolon, cuius principium est in latere dextro, quod per latitudinē ventris extenditur, donec ad sinistrum latus ieiū porrexerit.

Colon rectum.

Sextum appellatum rectum: cuius officium est, omnium excrementa intestinorum, sua in amplitudine colligere, sicut in vesica adunatur vrina. In huius quoque extremitate terminatur anus: super quo quidē musculus inuenitur, ad quem spectat stercoris prohibere exitum, donec illius soluendi, extrudendique desiderium affuerit.

Quinque venæ.

Quinque præterea venę in anis extremitate sunt positę; vt per eas sanguinis profluus totius corporis enumeraretur: ideoque emorroidales ab antiquis vocatæ sunt.

Emoroidales.

Quid autem corporibus animalium conferat intestinorum compagēs, in Timæo egregie describit Plato: *Ventrem nostrum, inquit, spiris intestinorum natura circumplicauit, ne subito alimenta nobis assumpta defluerent: ac rursus noui alimenti confestim necessitas immineret; ob illam enim inexplebilem perpetuamque voraginem genus nostrum philosophia, musicaque & moderatione animi expers rebelleque fuisset, illi parti, quæ in nobis diuinissima est minime obsecutum.*

Vtilitates intestinorum.

Hæc Plato, quæ moralem quidem sapiunt philosophiam. Philosophus mutandi, eijciendique cibi gratia intestina à natura ordinata fuisse affirmat. *Cibum, inquit, ingestum recipere, & euaporatum egerere, neque eundem locum esse cibi concocti, & excrementi, necesse est, conceptaculum enim adesse, in quo cibus mutetur, oportet. Pars siquidem alia cibum ingestum complecti, alia excrementum materiamque superuacuam capere debet: quarum actionum, vt tempus diuersum est, sic loca etiam habere diuersa, necessarium fuit.*

3. de part. anim c.12. Euaporant & eijciunt.

Numerat præterea philosophus intestina, directū, colum, cæcum, humidum, saccum intelligens.

Colum.

Colum est pars laxior intestini, ascendens per partem sinistram, vsque renis, & lienis regionem: deinde transit à sinistro in dextrum superequitando ventriculum; & in dextro vnitur intestino, sacco anchæ locato circa supremam ossis partem.

Rectum.

Rectū ad exitum vsque excrementi pertendit. Quæ omnia natura solers molita est ad congruam cibi confectionem, & excrementi vsum, & transmissionem. Tria, inquit Auer sunt ad cibi nutrimentum, digestionemque faciendam necessaria: primū quidem, in quo cibus coquatur: alterum, in quo retineatur: postremum, quo fęx cibi foras pellatur. Primi generis est intestinum angustum, & cætera gracilia: secundi generis, quod scilicet excrementum recipit, est intestinum crassum, quod monoculū appellat, & alia, quæ ad ipsum attinent.

Intestinum cæcum.

Dentum Intestinum rectum, quo fæces extruduntur. Alui, ait philosophus, amplitudo clauditur angustiore semita & clauicula à flexuosis orbibus sic dicta, excrementū iam euaporatū suscipit, vt natura seruetur, ne vniuersi exitus fiat excremēti.

Clauicula.

Clauicula autē est intestinū recti strictius, & tortuosius sic dictum propter suos orbiculos. Hæc de intestinis dicuntur.

CAP.

De corpore hominis.

CAP. X.

De Renibus.

Renes.

DE Renibus deinceps aliquid nobis dicēdum; quippe qui ab huiusmodi negotio nequaquam sunt alient. Sunt autem renes ab vtraque parte spondilium positi: quorum dexter locum tenet altiorem: & quilibet ipsorum duobus colis constat: ex quibus vnum, à latere in quo situm est, ad magnam venam in hepatis gibbositate existentē porrigitur. alterum vero inferius descendendo vadit, donec cum vesica mirabilem coniunctionem fecerit. Ista autē ad vasa, quæ ad vesicam descendunt, pori vritides sunt, quæ emunctoria vocantur: philosophus 3. *de partibus animalium cap.7.* Renes, inquit, nulla necessitate habentur; sed propter melius atq; locupletius in ijs, in quibus habentur. humoris seu vrinarij excrementi causa, qui confluit in vesicam, adiuncti sunt ex sua natura, in ijs animantibus, in quibus plus sedimēti, siue superfluitatis fieri solet; vt melius vesica suo munere fungeretur. Nullum pennatum, nullum squamatum, nullum corticatum, excepta testudine, renes habet. Quanquā in nonnullis auibus caruncula quædam sunt latiusculæ, speciem renum ostendentes, quasi ea caro quæ renibus delegata est, locum non habeat, sed in plura dispersa sit. Animalibus sanguinem habentibus pulmonem, renesque natura dedit; quibus ad continendas venas vterentur. & ad humorem vrinarium excernendum abuterentur meatus n. de vena maiore ad renes vsque perfertur: sunt ergo necessarij ad venas continēdas. Omnes renes quandam habent profunditatem, aut ampliorem, aut arctiorem. præterquā in vitulo marino, in cuius renibus nō est cauum; sed similes sunt renibus bouinis, qui omnium sunt firmissimi, ac solidissimi. Hominum renes bubulis similes sunt, quippe, qui tanquam cōpositi ex multis renibus exiguis constant: neq; æquabiles sunt, quomodo renes ouium. Renes ergo humani ex multis renunculis cōpacti sunt: neq; sunt superficietenus leues ac æquales; sed potius carne vallicosi, non continui superficie, sicut quadrupedū renes, bouinis duntaxat exceptis. Quo fit, vt morbus humanorum renum difficile ab hominibus curari possit: etiamsi nuper ægrotare cœperit; accidit enim, vt quasi multis renibus laborent, propterea, quod ex illis renunculis constent. difficilius ergo remedium adhibetur, quam si vno infestarentur. Porro, via venalis, quę procedit à magna vena, quę à gibbo hepatis ad renes decurrit, non cauum subit renum, siue nō directe in renum profunditatē peruenit; sed in eorum corpus assumitur, cuius duo signa habentur. quorum alterum est quod in cauis eorum nihil sanguinis inueniatur: secundum, quod in interfectis animāntibus, sanguis in huiusmodi cauis minime coaguletur. Meatus vero venæ maioris de cauis renum exangues duo insignes ad vesicam feruntur, vnusquisq; ex propria sua concauitate. atq; etiā alij ex vena aorta validi frequentesq; eodem deueniunt, in ipsos vtriq; renes, in quos venæ magnæ meatus peruenerint, quę ita natura instituit, vt ex vena maiore humoris excrementum ad renes veniret. In renibus autem sedimen, siue superfluieas, humoribus vrinarijs per corpus renum colatis, in medium renum confluerent, vbi ipsi plurimi profunditatem renum occupant: quo fit, vt renes omnium viscerum maxime fœdum reddant odorem; quia nimirum semper pleni sunt fœtida superfluitate. Tū deinde ex medio per eos meatus in vesicam iam magis ac magis, tanquā excrementum secernitur atq; reijcitur. Hæc est venarum cum renibus & vesica constitutio, & eiusdem constitutionis vtilitas. Situs autem vesicæ cum renibus talis est: quod scilicet ipsa vesica à renibus dependeat; tendunt n. in eam validi meatus, quibus ipsa renibus ligatur. Itaq;, renes his de causis habentur, & virtutes, quas diximus obtinent. Situs autem renum ita se habet, vt omnibus animalibus, quæ renes habent, dexter superior sinistro sit: cum enim motus ex parte dextra proueniat, naturaque dextræ partis proinde validior sit; ideo partes omnes, quæ sunt mouendi causa, vt in situ superiori collocentur, necesse est: nam & supercilium dextrum magis attollitur: & arcuatum magis quam sinistrum habetur. Dexter ergo renum, est superior sinistro; tum quia dexter, tum quia motus incipit à dextra. Dexter pręterea in omnibus animantibus à iecore tangitur, quod elatior sit; iecur n. parte dextra est positum. Dexter itaq; inter renes superior est sinistro, quod motus à parte dextra proueniat: & dextra validior sit sinistra: & supercilium dextrum magis attollatur, & tangatur à iecore hæc omnia ex philosophi verbis clarissime eliet, haberique possunt. Sunt renes cæteris visceribus pinguiores, quod materiæ ratione accidit, cum aquositas sanguinea, quæ ab hepate per renes in vesicam fluit, per renes transmissum colatur, de sanguine cum aquositate, fluente, aliquid remansit in renibus, nēpe pars crassior: quancum enim relinquitur sanguinis puri, post transmissionem aquositatis per renes, ob sui puritatem facile concoqui potest. Finis autem probæ concoctionis sanguineæ, adeps, & seuum est. Cōcoctione ergo facta, purus ille sanguis, in renum pingnedinem transit. Et, vt in combustis siccis, velue in cineribus, aliquid ignis relinquitur; sic in cōcoctis humidis nonnihil caloris qui effecerit, relinquitur. Quo fit, vt pingue leue sit, & humoribus resideat, siue supersedeat & fluitet. Fit autē pingue non intra ipsos renes, quoniam densum & spissum hoc viscus est, adeo vt in ipsum nequeat penetrare, sed circū renes est, aut adeps in ijs, quæ pinguescere adipe solent: aut seuum in ijs, quæ seuo opimantur; adeps enim est in ijs, quæ vtrinq; dendata sunt. seuum vero in cornigeris, & in ijs, quæ altera parte sunt dentata. Necessario ergo renes pinguescunt, propter vrinarij excrementi transmissionem, in animalibus renes habentibus. salutis autem causa renes pingnes sunt, vt renum natura calida sit. Cum enim positi loco vltimo sint, calore egent ampliore; nisi enim essent calidi; non traherent humorem: ideo teporem desiderant ampliorem. Sunt pręterea pingues, vt vice carnium, pinguedine renes nutriantur; non enim carne dorsi nutriri possunt, cum illa procul sit, & cor, & reliqua partis superioris viscera protegere debeat. At lumbi carne vacāt, vt flecti possint. Itaque vice carnis renes communiti nutriuntur. Adde aliam causam, quæ est melius digerendi: Humorem, inquit, alimentarium melius discernunt, nempe ad sedimentorum conceptacula mittunt, & concoquunt, siue digerunt sua pinguedine; concoquere enim est conficere, & ad maturitatem perducere: digerere vero est distinguere & dispartire. In causa est, quia omne pingue calidum est: calor autē concoquit. His igitur de causis renes pinguedine operiuntur. Dexter omnibus minus pinguis: cuius rei causa est; quoniam dextræ partis natura siccior est atq; mobilior. motus autem contrarius; liquat enim pinguedinem, & consumit. Sed cum cæteris animalibus renes habere pingues proficiat, & pletumque totos obesos habeant, ouibus huc mortiferum est. Quo fit, vt quanquam pingues admodum sint; tamen aliquid deest, etsi non vtrinq; dextro quidem. Causa cur hoc solis, aut maxime ouibus accidat, est, quoniā ijs, quę adipe pinguescere solent, pingue humidum est: oues autem cum sint valde humidæ, sicut suæ lanæ copia, & mollitudo ostendunt; flatibus, seu ventositatibus in renibus interclusis, non similem in ouibus ac in cæteris animantibus dolorem pariunt: nam pingue ouium est densum: obturatione ergo factā, tum ex denso pingui, tum etiam ex nimia ipsarum humiditate, dolorem lethalem efficiunt. Quod causa syderationis, hoc est, morbi ouibus est, vulgo obesola vocatur, q; obesis accidat. Appellatur autem à Plinio syderatio, quæ cum repentino quodā eueniat impetu, è cœlo vi quadam syderis prouenire putatur, quæ non in ouibus tantū, sed in hominibus, atq; arboribus accidit, teste Plinio *lib.* 10. Quamobrem hominibus etiam, qui vitio renum laborant, quanquā pinguescere iuuat; tamen si pingues admodum efficiantur, dolores profecto accidūt lethales. Pinguedo ergo renum prodest, quia augetur calor ventositates resoluens. verum præ nimia pinguedine includuntur, atq; oppilantur meatus, ita, vt ventositati exeundi aditus non pateat: vnde fit, vt mortiferi dolores generentur. In cęteris autē animalibus, etsi seuo pinguescunt, est tamen minus densum, quam in ouibus: & sic minus flatus, seu ventositatis detinet. Amplius, oues celeri pinguedine opplentur; ideoq; maior in illarum renibus ventositas intercluditur, densitudine & copia pinguedinis: itaq; citius syderatione pereunt. Quid igitur renes, & quæ ipsorum vtilitas, hæc ex Philosopho colligi possunt.

Vtilitas renum.

Quare renes dati sint.

Hominum renes.

Curantur renes difficulter.

Meatus ad renes.

Situs vesicæ cum renibus.

Situs renum.

A dextra fit motus.

Renum pinguedo.

Pinguedo est leuis.

Finis pinguedinis renum.

1.

2.

Omne pingue calidū.

Ouibus lethalis pinguedo renum.

Morbus ouium. Syderatio.

Dolores renum.

CAP XI.

Quis aluo capacem amplitudinem tradidit? quis honoranda corporis membra in propatulo figurauit? quis obscœna in obscuro prorsus abdidit, eaque ab aspectu cernentium voluit secreta iacere?

Merc. sum.

DE alui natura præcedente *capitulo* 4. scilicet, aliquid perstringendo descripsimus: post hac de virgę figura, vesicæ, atq; matricis, quæ obscœna vocantur à Mercu-

Virga figura.

De corpore hominis.

Mercurio, & in abscondito posita, aliquid dicamus. Est autem virga membrum valde lacertosum, neruosum, ex multis ligamentis compositum, plenum venis, & arteriis, & plurimum cauernosum. Quamobrem eius cauernositates, ventositate in pulsantibus vasis generata replentur, ex qua virgæ erectio sequitur. Ligamenta autem quæ faciunt ad virgæ compositionem, ab ossibus femoris oriuntur; nerui vero eandem compositionem ingredientes, ab infima parte nuchæ profluunt. Quam ob causam virga est plurimi sensus & valde extensibilis: similiter illius venæ, à vena ab hepate descendente prouaniunt.

Vena, & arteria.

Arteriæ quoque eius ab arteria descendente à corde in regionem, vbi venæ & arteriæ iam prædictæ, ad duas anchas bisulcantur, & ad virgam veniunt. Sunt autem istæ venæ & arteriæ, maiores & ampliores in ista particula radice linguæ, quam in aliqua alia totius corporis quantitatis eiusdem. Est insuper (vt plurimum) quantitatis vnius palmi, quemadmodum & collum matricis: est ergo virgæ substantia plurimum neruosa; ideoque colligata cum nucha, & vesica: venarum & arteriarum plena, ac proinde cum hepate, & corde colligantiam habens.

Præputium.

Caro eius est simplex, & vocatur præputium, neruorum ac ligamentorum, & venarum ratione frigida & sicca reputatur. Vesica præterea, est vrinæ receptaculum, cuius mansio inter anum, & femur manifeste apparet, duabus tunicis confecta, in cuius ore videlicet in principio colli vesicæ, quidam reperiuntur musculi, ipsum collum stringentes, & prohibentes inuoluntarium vrinæ exitum, quoad desiderium adsit vrinæ amittendæ. A renibus autem ad vesicam duobus collis vrina conducitur, qui emunctoria nuncupantur:

Vesicæ natura.

quæ cum ad vesicam attingunt, vnam ex prædictis perforant tunicis: deinde inter duas ipsius vesicæ tunicas transitum faciunt, donec ad collum eius peruenerint: quo in loco, aliam perforando tunicam, ad vesicæ concauitatem descendentes, illuc vrinam vehunt.

Siphac.

Siphac, vt paulo ante dixi, est panniculus satis durus, cuius origo ab inferiori pellicula diaphragmatis manifestatur: qui quidem panniculus inferius versus dorsum descendit, vbi stomachus & intestina suspenduntur: in parte vero inferiori ventris, suam terminationem complet. Ex ipso autem siphac, duo dein-

Didimi. Testiculi.

de generantur didimi, qui descendunt super os pectinis, donec continuantur cum testiculis, eos subtili pelle circumdantes, per quos venæ & arteriæ transeunt ad ipsos testiculos, à quibus nutrimentum & materia spermatica transmittitur: & à testiculis duo ramusculi veniunt, vasa spermatica dicta, quibus sperma à testiculis ad virgam defertur. Testiculi autem inter membra principalia habentur; nam faciunt ad generationem humanam. Sunt etiam membra glandulosa, & carnis albæ, & valde sensibilia propter communitatem, & colligantiam, quam habent cum partibus neruosis. A panniculo neruoso, lacertoso comprehenduntur hæc omnia,

Mirach.

qui mirach dicitur, quorum musculi adiumento sunt ad aliorum superfluitates membrorum eiciendas. Arist. 3. *de partibus animalium cap.* 3.

Quibus datur vesica.

Vesica, inquit, non omnibus animantibus data est; sed iis tantum tribuere voluisse natura videtur, quæ pulmonem habent sanguineum, idque recta ratione; caloris enim excessu, qui in eo ipso membro continetur, sitibunda hæc omnium præcipue animalium sunt, ciboque indigent, non modo sicco; verum etiam humido copiosiore. Itaque, excrementum etiam copiosius contrahi, necesse est: nec tantum excrementum, quod per alui meatum egreditur; verum etiam per vesicæ receptaculum: ideoque necesse est, vesicam illius excrementi receptaculum esse.

Quæ habent pulmonem, vesicam habent.

Quamobrem, quæ habent pulmonem, vesicam habent: quæ autem tali carent pulmone, vel parum bibunt, quoniam fungosum pulmonem habent: vel omnino potum assumunt, non potus, sed cibi gratia, vt insecta, & pisces: vel etiam, quæ penna, aut squama, aut cortice operiuntur. hæc tum propter humoris assumpti exiguitatem, tum quia quantum excrementi contrahitur, tantum assumitur, vesica omnia carent.

Testudines.

Excepta testudine cretata, in qua est vesica, cuius rei causa est, quod marinæ testudines pulmonem habeant carnosum, sanguineum, atque bubulo similem: terrestres autem proportione maiorem. Cortex vero amborum, quia valde spissa, præduraque modo silicis est, facit, ne humor euentari, euaporarique possit per carnem laxiorem, vt auibus, & serpentibus, cæterisque euenit cortice opertis: atque ita excrementi copia tanta subsidet, vt eorum natura conceptaculum, & vas quoddam capax humoris desideret.

Vesica testudinum.

Vesicam igitur testudo sola inter hæc habet, ea de causa scilicet marina amplam, terrestris exiguam admodum. Et 3. *de natura animalium cap.* 15. Vesica præcisa coire non potest, nisi ad ipsum exordium suæ ceruicis. Quanquam non ignoro, ita aliquando contigisse, vt vul-

nerata vesica solidesceret: sed quod admodum raro contingit; parum id admodum considerandum censeo. Item 1. *de generatione animalium c.* 4. de testium ratione sic loquitur: Necessa est, inquit, primo accipere, cuius gratia testium sit consti-

Testium ratio.

tutio: ergo, si natura rem omnem facit propter necessitatem aut propter melius; hoc etiam membrum, testes scilicet ab eorum altero erit. Philoponus putat id esse propter necessitatem, similiter & Auerroes. *Sequitur textus philosophi*: Quod quidem igitur non necessarium ad generationem sit perspi-

Quæ non habent testes.

cuum est, omnibus enim vtique generantibus inesset: nunc autem neque serpentes testes habent, neque pisces: visi enim sunt coire, plenosque genitali semine meatus habere. Relinquitur igitur testes esse cuiusdam melioris gratia; sed plurimorum quidem animalium fere nihil aliud opus est, quam veluti plantarum semen & fructus. Et est sensus, quæ semine generant, & nõ quæ ex putri materia oriuntur, meatus habere necesse est, per quos semen emittunt; quoniam eorum opus veluti plantarum est semen & fructus facere: quod cum sine testibus fieri possit: soli ergo meatus sunt ad generationem necessarii. Eorum igitur, quæ semen habent animalium triplex genus habemus: vnum videlicet, quod

Triplex genus.

testes extra habet: aliud vero intus: tertium vero caret, vices testium meatus habens, quibus semen emittitur. Quæ testibus carent, omnib. aliis velociora sunt ad coitũ: & quæ testes intus habent, velociora ad coitum iis, quæ eos habent extra; minus tamen velocia iis, quæ omnino carent: omnib. autem tardiora, quæ testes habent extra. Patet

Quæ velociora ad coitum.

id per quoddam simile in intestinis, nam quæ recta habent intestina, voraciora sunt: quæ aliqua ex parte tortuosa, minus voracia: quæ autem intestina habent pluribus anfractibus prædita, minime voracia. Fecit autem natura libidinosissima animalia, quæ plurima generant, quia etsi ex coitu resoluantur; multitudine tamen reparantur. & hæc sunt, quæ carent testibus. Mulieres autem testes intus habentes, hac eadem ratione tales sunt; quia multa pariunt, & eorum species conseruatur. At ea, quæ testes extra habent, & animalia

Ad quid testes.

perfecta sunt, si libidinosa essent, enius eorum vitam absumerent. *Sequitur textus philosophi*: Testes autem sunt ad hoc conditi, scilicet ad tarditatem coitus agendam; quæ enim ex animalibus castiora esse cõuenit, horum meatus reuolutionem, anfractusque habent: seminis enim faciunt motum tardiorem. Signo nobis sunt nonnulli homines, qui propterea quod meatus testium tortuosiores habeant, sunt tardiores: huiusmodi sunt homines, & equi, quibus inest illa reuinoplicatio. Nulla ergo pars meatuum sunt testes, sed apponuntur, vt lapides textrices, qui telis adaptãtur; vt quẽadmodum per lapides seruatur apertura in tela, propter eorum pondus; sic propter testes seruatur apertura in meatibus, ob ipsorum testium pondus; his enim detractis, meatus intus retrahuntur, vt generata non possint exsecta: nam nisi retraherentur, possent vtique. Etiam taurus quidam, cum post castrationem statim coisset impleuit: enim non-

Taurus castratus genuit.

dum meatus retracti essent. Cæterum, quibus testes extra sunt, & venarum anfractus extra esse, necesse est, meatus enim dum testes non attingunt, recti sunt, ideoque in testibus inuoluuntur. Amplius, cum meatus extra sunt, aeris frigore rigescunt: eis autem rigorem, contractionemque sentientibus, calore illic opus est, quo extendantur, & ad genitalia officia diligentiam complendam parati reddantur. Calor vero aliqua interposita mora fit, proinde huius-

Genitalis seminis impedimentum.

modi animalia non ita cito mouentur ad coitum. Tria sunt ergo, quæ celerem genitalis seminis egressum impediunt: primum est calor, quo semen coquitur, & in substantiam dirigitur, siue digeritur: meatus aperiuntur, quæ omnia sine aliqua mora fieri non possunt: secundum vero sunt anfractus; etenim ipsi cum natura flexuosi sint, egressum impediunt: tertium est frigus, quo densiores, contractioresque meatus efficiuntur. At animalia, quæ testibus carent, aut eos intus habent, prædictis vacant impedimentis; ideoque agiliora sunt ad coitum cætera. *Dices*, in somno semen emitti,

Quomodo fiat pollutio in somno.

nulla concoctione, auctioneque facta caloris. *Resp.* virtute imaginariæ, cui calidum spirituosum obtemperat, id fieri, nõ minus enim in somno quam in vigilia, calidum ipsũ mouetur ad testes: proinde recte dictũ est à Philopono, semen genitale emitti non posse, nisi ipso calido aucto, quod etiã in somno virtute imaginariæ augetur. Galenus pro certo con-

Galenus. Quod testes sint necessarii ad generationem.

fitetur, testes esse penitus necessarios ad animaliũ generationem propagãdam; ideoque sedes virtutis generatiuæ eos esse affirmat, non secus ac cerebrum virtutis animalis, & cor virtutis vitalis: quod etiam Auicennæ probatur. Quamobrẽ inter membra principalia testes à Galeno numerantur; non quidem, vt Auicenna inquit, respectu indiuidui, sed respectu speciei: vnde quemadmodum cor, cerebrum, &

De corpore hominis. igitur sunt membra principalia respectu virtutum principalium, quibus in esse conseruatur indiuiduum, ita testes sunt membrum principale respectu virtutis, qua species seruatur. Patet id latissime; nam testibus exsectis, animal amplius non generet, quod minime eueniret, nisi sedes essent virtutis generatiuæ. Item, semen genitale in huiusmodi animalibus, non est perfectum, & album, atque concoctum, nisi ad testes peruenerit: veluti sanguis, lac non fit, nisi in vberibus: cum igitur genitale semen, colore, substantia, magis testibus assimiletur, quam meatibus: necessarij ergo sunt ad semen perficiendum. Item, abscissis testibus, mutatur homo in fœmineam naturam: sunt ergo principalia membra.

Rationes Galeni.

Medici. Quam ob causam aiunt Medici, meatus seminales alios esse, qui semen genitale præparant, veluti sunt meatus vsque ad os pectinis: alios vero, qui semen ipsum perficiunt: meatus profecto, qui ab osse pectinis per testes reuoluuntur. Quare, & testes sunt propter melius, vt sic semen tardius egrediatur: & propter necessitatem non in animalibus simpliciter, sed in testes habentibus.

Aristoteles. Aristoteles autem asserit datos propter melius, vt sic tardius ad coitum essent prona.

Soluuntur rationes Galeni. Ad rationes Galeni dici potest, exsectis testibus meatus consolidari, & ita processu temporis coitum impediri.

1. Ad 2. negatur similitudo; lac enim sine vberibus esse non potest;
2. quia præter venas locum non habet, in quo coaguletur: at genitale excrementum in multis animalibus testibus carentibus, confici videmus. In causa est, quia illi met meatus, qui
3. præparent semen, perficiunt atque complent. Ad 3. abscissis testiculis, abscinditur etiam semen; non enim semen multiplicatur in animalibus, in quibus egressum non habet, natura illud transmutente, & in vapores resoluente. Testibus ergo exsectis fit illa mutatio non per se, sed per accidens. Sed de testibus satis.

CAP. XII.

De matrice.

Matricis natura. CVm inter vesicam collocata sit matrix, dignum est, vt de ea aliquid dicatur; est enim matrix collocata inter vesicam & intestinum rectum, in aliori loco tanquam vesica. Porro, est plurimum neruosa, vt necessitatis tempore amplam extensionem, formamque suscipere queat. Adde, vt tempore partus, vltra necessitatem ampliari non possit: denique vt sic neruosa, melius colligi constringique possit; duos in se continet ventriculos, qui ad vnum orificium terminantur: duo quoque additamenta, quæ matricis cornua appellantur.

Cornua matricis. *Testiculi mulierum.* Post additamenta, testiculi collocantur, qui longitudinis quidem minus habent testibus virorum, plus vero latitudinis, per quos sperma de matricis concauitate descendit.

Colum loco virga. In matrice quoque colum inuenitur, quod in mulieris vuluam porrigitur, vicesque virgæ in muliere fungitur: in virginibus autem vuluæ orificium strictum, & rugosum est, in quibus rugis quæque contexuntur venæ, quibus corruptis ad rupturam perueniunt, & rugæ dilatantur: vnde perspicuum est in prægnantibus os matricis ita constringi, vt acus ingredi nequeat:

Hora partus. *Infantis nutritio in ventre.* hora autem pariendi accedente, aut aliquo, quod afferat abortum, tunc os illud sic ampla dilatatur, vt infans egredi valeat: cuius generatio ex spermate perficitur: & ex sanguine menstruo nutritur, & incrementum sumit. Masculorum autem forma citius completur quam fœminæ. Fœtui quoque quædam venæ coniunguntur, ad matricem venientes, ipsumque nutrientes, donec ad perfectam formam tempus pariendi peruenerit. Quo quidem tempore retinacula, quibus fœtus cum matrice alligatus extiterat, forti motione disrumpuntur, ex qua maturus sequitur partus.

Plato. Porro, de huiusmodi negotio circa finem Timæi præclare describuntur à Platone: *Ipsum potus discursum, inquit, quo per pulmones sub renes in vesicam defluens, & spiritui mixtus elisusque depromitur, dij in fistulæ modum in compactam medullam à capite, per ceruicem & spinam deriuarunt, quod quidem sperma, siue semen vocatur. Hoc autem vtpote animatum, ac respirans, qua parte spirat, per eandem vitale effluendi desiderium gignit, atque ita generandi amorem nobis inseruit.*

Generandi cupiditas. *Quocirca, pudendorum natura in viris insita vi, inobediens atque imperiosa: & quasi animal non exaudiens rationem furiosarum libidinum, violentia sibi subijcere cuncta conatur.* Et paulo ante: *Qui fluido stupidoque circa medullam abundat semine, vt qui arbor pluribus quam conueniat fructibus grauida, nimia vbertate luxuriat; is profecto insanit & furit.* De matrice

Matrix animal auidum. autem talia protulit. *vulua quoque matrixque in fœminis eadem ratione animal auidum generandi, quando procul a fœtu per ætatem florem, aut vltra diutius detinetur, ægre fert moram, ac plurimum indignatur: passimque per corpus oberrans, meatus spiritus intercludit: respirare non sinit, extremis vexat angustijs: morbis denique omnibus premit, quousque vtrorumque cupido amorque, quasi ex arboribus fœtum, fructumque ipsum deinde decerpunt, & in matricem velut agrum inspargunt hinc animalia primū talia, vt nec propter paruitatē videantur, nec dū appareant formata. concipiunt mox quæ conflauerant, explicant ingentia intus nutriunt. demum educunt in lucem, animaliumque generationem perficiunt: Mulieres hunc in modum, & fœmina omnes sunt genita.* Hæc Plato.

De corpore hominis.

3. de part. anim. c. 3. *Matrix quid.* Ex quibus insitum generandi desiderium aperte cognoscitur, nec non ordo conceptus, partus & fœtus. Philosophus. *Matrices, inquit, in omnibus bipartita sunt, vt testes maribus gemini sunt omnibus, hoc est omnibus animalibus sexum fœmineum habentibus genitalia sunt bipartita: accipitur autem matrix pro ventriculo, qui in fœminis innatus est vesica, quæ ad progenerandum apta est.*

Auerroes. Sed dices, non in omnibus matrix est bifida, sed solum in ijs, teste Auerroe, quæ vnum, vel duo generant. in ijs vero, quæ plura duobus generant numerus partium pro numero fœtuum est censendus: Fortassis Philosophus intelligit matricem dici non debere, quæ ex duabus non constat. Matrix autem non spectat ad necessitatem indiuidui, sed speciei: proinde extracta matrice, quandam mulierem multo tempore sanam vixisse Medici affirmant. Sed de his hactenus. Deinceps loquamur de mesenterio.

Mesenterij natura. Est autem mesenterium membrum, cuius substantia ex cordis panniculis componitur, & ligamentis: ad hoc quidem à natura institutum; vt condecenti ligatione intestina ligare posset. Est autem in eius vacuitatibus membrum valde glandulosum: cuius officium est, loco glandulosa huiusmodi membri adiunata. sustentat præterea meseraicas venas. Insuper ideo est molle, & pingue, & glandulis plenum, vt sua humiditate fæces, & intestina humectare posset. Est autem in superiori parte magis glandulosum, in quo sæpius melancholia adunatur: propter enim viciniatem, quam habet cum splene.

Zirbi natura. Zirbus est panniculus duabus tunicis subtilibus, & densis, varijsque arterijs, venis, & pinguedine non pauca confectus: cuius officium est, stomachum, & intestina cooperire, & calefacere, eiusque origo est à panniculo carnoso, qui alligatus est dorso iuxta diaphragma. Zirbus igitur si aliqua percussione impulsus, ventrem exierit, ob ipsius pinguedinem facile lædi potest. Sed par est vt de partibus, quæ patent aspectus oculorum, posthac verba faciamus.

CAP. XIII.

Honoranda corporis membra in propatulo figurauit.

Mercurius POst obscœna membra, quæ in abdito occultoque loco natura collocauit & nos breui sermone prosecuti sumus, reliquū est, vt de honorandis mēbris, quæ in propatulo natura figurauit, instituti nostri obseruandi gratia, ample copioseq; disputando loquamur. Inter autem honoranda membra caput est honorabilius, idcirco de ipso primū loquendū mihi esse puto, de quo multa & egregia quidem in Timæo locutus est Plato:

Capitis natura. Plato. *Caput asseratō, inquit, texit natura, sed carnibus neruisque non fulciuit, quia flexiones non erat habiturum his de causis caput membris omnibus acutius ad sentiendum prudentiusque; sed imbecillius est constitutum. Præterea, ipsum caput nudo osse relinqui, cutis alio tegmine destitutum non poterat, propter caloris frigorisque excessum: neque rursus carnium pondere prægrauatum, sensus expers obtusumque reddendum erat.*

Capitis compositio. *Carne igitur non penitus desiccata, residuum, quod maius supererat, segregatum est: cutisque ipsa circa cerebri humorem sibi ipsi iuncta, & germinans caput circumuestiuit. Humiditas autem subiuncturas scaturiens irrigauit, compegitque; ipsam ad verticem iuncturarū vero species varia propter circuitionum alimoniaque potentiam facta, hanc omnem cutem vndique igne pupugit, perussitque Deus. Per cutis rudera quasi sauciæ simulac humor effluxit: quodue illic humidum calidumque syncerū erat, abijt: quod vero ex ijsdem, quibus & cutis, erat permixtum, emanationis impetu extra productum, in longum extensum est, tenuitatem punctationi penetrationique illi æqualem habens; sed propter tarditatem à spiritu circumstante retusum, rursusque sub cutem reuolutum, radices egit.*

Capilli vnde nati. *Hisce igitur de causis capilli in cute sunt nati, secundum pellis corijque similitudinē cutis quam proximi. sed propter coagulationem à frigiditate factā, duriores cute atque densiores, nempe capilli extra cutem producti frigore riguit. hoc pacto dissipatum hirsutumque caput nobis Deus instituit.* Hæc Plato pulchra & perspicua. Similia quædā à Philosopho diserte dilucideque adduci vidimus.

2. de part. cap. 10. *Caput hominis cur macilentū.* *Solus homo, inquit, animalium erectus incedit: proinde caput ipsum macilentum est, carneque prope omni exutum. Nec audiendi sunt, qui si carnosum esset, vitaciorum hominum genus futurum censeant; sed vt melius sentiret, caro illi* adempta

De corpore hominis.

ademptaest, atque detracta. Sed neutra eorum ratio vera est, at Philosophus, & qua genus humanum longioris fore vitæ, si caput haberet ratnolium, dicunt: & qua melius intelligere: nam si cerebrum à carne copia vestiretur, non vtique refrigeraret, ad quod quidem officium est institutum; huius enim gratia adiunctum est animalibus. Præterea, nullius sensus cerebrum causam obtinet: quod vero expers omnino sensus, non aliter, quam quoduis excrementum est.

Cerebrum non sentit.

Cerebrum ergo non sentit, sicut nec excrementum. Non enim valet ratio: Visus, auditus, & odoratus, sunt in capite; ergo omnes sensus; nam principium sensuum est cordis locus.

Tres sensus in capite, duos in corde.

Itaque Philosophus tres sensus posuit in capite, visum, auditum, odoratum, duos in corde, gustum, & tactum: gustum, inquam, quatenus est aliquis tactus. In animalibus autem exanguibus, omnes sensus (visu duntaxat excepto) in corde constituit. Auerroes in *sua paraphrasi*: Oportuit, inquit, naturam in sanguineis animantibus, hos tres sensus circa cerebrum ponere, vt cerebri frigiditate, eorum operationes redderentur tenuiores, atque clariores: in exanguibus vero omnes in corde, dempto visu: cuius officium conuenit cerebri naturæ; cerebrum enim humidum, ac frigidum est: visus vero aquæ naturam obtinet: proinde facile illius natura conseruari potest.

Visus in corde.

Vel visus est in corde, vt potentia in subiecto, prope autem cerebrum, in pupilla, veluti in instrumento. Sequitur Philosophus: *Sensus etiam exquisitiores, scilicet, visus, auditus, odoratus; tactus enim maxime corporeus est gustus quoque similiter se habet. Tres vero alij sunt immateriales, atque exquisitiores, cum procul intentionaliter sentiant.*

Partes sanguinis superiores.

Partes autem sanguinis superiores, quæ caput circumdant, tenuiores sunt, atque synceriores, quippe quæ cerebri frigiditate clarescunt, quæ vero prope cor turbidiores, ob crassi sanguinis copiam in corde semper vigentis. Itaque, sensus exquisitiores per partes sanguinis synceriores absolui, necesse est: patet, nam sanguinis calidioris agitatio officium sentiendi intercipit atque refringit. His de causis sedes eorum sensuum mandata sunt capiti: cæterorum vero duorum cordi. Adde, caput esse ponderosum, necesse omnino esse, si macilentum non esset: propterea non tantum prior pars capitis carne vacat; sed etiam posterior: nihil enim erigi posset pressum onere: id autem accideret, si caput carne obtectum esset. Ex quo patet, non ideo carnem deesse, vt cerebrum sentiat; pars enim posterior capitis cerebro caret, quæ nihilominus carne vacat. Hæc Philosophus. In quibus conuenit cum Platone, 12. autem capite eiusdem libri, de pilorum causa sic disserendo loquitur:

Pili quare dati sint.

Pili, inquit, *operimenti causa adnacti sunt animalibus, quibus dantur: hac de causa parti nobiliori hominis natura adiumentum censuit adhibendum; semper enim natura rei melioris author est quoad eius fieri potest: homo animalium maxime omnium piloso capite est: cuius rei causa tum ad necessitatem, tum ad præsidii rationem referenda est, necessariam enim propter cerebri humiditatem, & commissuras caluæ: nam vbi plurimum humoris calorisque est; ibidem ortum pilorum esse copiosum, necesse est. Adiumenti autem ratio, vt frequentia pili caput operiens, defendat à nimio frigore & calore: cum cerebrum hominis proportione maximum & humidissimum sit, maximam etiam tutelam desiderat. Res namque humidissima quæque, & reseruescere, & refrigescere, maxime idonea est: quæ autem contra se habet, hæc minus affici potest.* Hæc est ergo causa pilorum, humani capitis ad mentem Philosophi.

Pilorum materia.

Pilorum materie, teste Auerroe 5. *de generatione animalium, cap. de varietate pilorum*, est ancum cutis excrementum, cuius indicium esse potest, quia in cute incisa pili nequaquam amplius nascuntur; ex cuta siquidem duo decidere excrementa affirmat, sicut ex reliquis membris, humidum & siccum; sed humido dissipato, siccum remanet pilorum materia. Et 5. *de gener. animalium cap.* 4. Pili quamdiu insunt, augentur, & alia his cognata, vt vngues, & magis cum corpora ægrotent, aut senescunt: ossa vero non semper augentur.

Galenus.

Galenus pilum generari asserit ab vno humore fumoso, & adusto: cui repugnat Auerroes 2. *colliget. cap.* 8. Pilus, inquit, est corpus extendibile, siccum, & tale est superfluitas cibi sicci, quando nimis excoquitur, durante in illo admixtione pinguedinis: non ergo est ille vapor, cuius sit aggregatio partis supra partem; sed est corpus continuum fortis continuationis, extensiuum, crescens in longitudine. Et mihi videtur, quod natura adducit istum vaporem, vt sit materia pili: ad hoc vt pilus trahat illam malam materiam ex corpore illius mundificationis gratia: sic faciunt laboratores terræ, qui quando volunt, vt ipsa fructificet, implent eam seminibus, quibus pars terrestris adusta attrahatur. Hæc Auerroes. Et 2. *de partibus animalium, capite de membris visu idem*:

Vtilitas pilorum.

Pili, inquit, inueniuntur ob necessitatem excrementi calidi eleuati ad cutem: verum tamen quando natura potest huiusmodi excremento vti, pro aliqua vtilitate id facit: sin autem ipsum ponit in loco, vbi animalium operationibus minime obesse possit, veluti in pectore, & circa pudenda.

De corpore hominis.

Itaque, pili materia est vapor, quem natura extrahit, & in pilum conuertit, vt corrupta materia corpus mundificetur. Hæc de materia pilorum dixisse, sit satis.

5. de gen. animal. c. 5.

Pilorum diuersitas.

Pilorum, teste Philosopho est multiplex diuersitas; discrepant enim duritie, mollitie, longitudine, breuitate, rectitudine, crispitudine, multitudine, paucitate: adhæc coloribus, vt albedine, nigredine eorumque mediis. Sed nonnullas earum differentiarum per ætates quoque recipiunt, nempe cum minora natu, aut maiora sunt, quod præcipue in homine palam fit; pilosior n. ætate prouectus redditur: & parte priore capitis nonnulli caluescunt: pueri autem mulieresque non caluescunt: viri autem procedente ætate calui euadunt, necnon capite homines senescentes, canescunt.

Calui.

Cutis causa tenuitatis, & crassitudinis pilorum.

Causa autem crassitudinis tenuitatisq; pili cutis potissimum est; aliis enim cutis crassa, aliis tenuis, & aliis rara, aliis densa est, adhuc autem differentia humoris inditi, hanc causam adiuuat: aliis siquidem pinguis, aliis aquosus est. Cutis vero terrenam naturam habet: cum enim superficies est corporis, sicco humore euaporante, sicca terrenaque redditur: pili autem non ex carne; sed ex sicco cutis excremento oriuntur. Quamobrem crassi ex crassa, tenues ex tenui cute proueniunt: quod si cutis rarior sit ac crassior, crassi gignuntur propter copiam portionis terreæ, & meatuum laxitatem, siue amplitudinem: at si spissior est, tenuiores exeunt propter meatuum angustias. Præterea, si vapor, seu excrementum cutis aquosum, siue tenue sit, tenuiores exeunt pili, & causa est, vt pili magnitudinem non capiant. At si pinguis est, contra euenit; non enim facile exsiccari potest, quod pingue est: sic pluuia, quæ ex tectis decidit, si tenuis extiterit, cito siccescit, & in glaciem transit: at si fuerit viscosa, ac multa, in terram vsque defluit. Quamobrem animalia, quorum pilus est crassior, cute sunt crassiore, non tamen è conuerso; nam etsi cutem crassiorem habeant boues, elephanti, & pleraque animalia, quam sues; pilo tamen tenuiore teguntur. Eadem causa est, cur hominum capilli crassissimi sint; capitis siquidem cutis crassissima est, & excrementi sicci terreni plurimum continet: rara etiam admodum est: igitur capillos crassiores esse oportet.

Pili longi in capite.

Vt vero pili longiores, breuioresue sint, causa est, quod humor, qui euaporetur, non facile exsiccari possit: causa vero ne facile exsiccetur, duplex est, scilicet quantitate, & qualitate: nã si humor aut multus aut pinguis est; non facile exsiccari potest: & hanc ob rem hominum capilli longissimi sunt; cerebrum enim quod humidum & frigidum sit, largam humoris speciem præbet facitque, vt exhalet humor multus ac pinguis, qui non breui siccetur, sed sua multitudine in lõgum pullulat atque extenditur, hac ratione pili capitis crassiores ac longiores cæteris sunt.

Crispus capillus.

Crispus vero oritur capillus ex calida & sicca exhalatione; cum enim pilus sit terrenus, & deorsum feratur, & calidum sursum, capillus præ sui imbecillitate inflecti facile potest, & sic intorqueri, quod pili crispitudo est.

Crispitudinis causa.

Aut igitur ita causa reddenda est: aut quoniam parum humoris, multum autem portionis terrenæ inest, fit, vt pili resiccati, ab aere ambiente contrahãtur, inflectitur enim quod rectum est, si euaporatur, pilusq; contrahitur, atque conuellitur: quemadmodum cum ad ignem aduritur, quasi crispitudo conuulsio, siue inflexio fit, ob inopiam humoris factam ab ipso aeris calore. Indicium est, quod & duriores sint pili crispi, quam recti; durum enim est, quod siccum est. Simplici autem pilo sunt: qui humore abundant; fluit enim humor in iis, non stillat: quocirca Scythæ incolæ Ponti, & Thraces, pilo sunt longo & simplici; nam & ipsi humidi sunt, & aer ambiens eos humidus est: Æthiopes contra, quia loca incolunt calida; crispo sunt capillo.

Thraces, Scythæ, longo capillo.

Pili rufi.

Pili rufi celerius canescunt, quam nigri: imbecilla n. quæque celerius canescunt; atqui rufities est quasi imbecillitas pili. 5. de generatione animalium cap. 5. calui omnium maxime animalium homines aperte efficiuntur: in causa autem est inopia humoris calidi, qualis præcipue est humor pinguis.

Calui quomodo fiãt.

Quocirca plantæ, quæ pingues sunt, fronde perpetua virent. Calui sunt præterea, qui sua natura propensiores sunt ad coitum; cum enim cerebrum frigidissimum sit omnium corporis partium, tum rei venereæ vsu plus frigoris recipit, quando quidem coitu syncerі naturalisque caloris fit diminutio, quam quidem cerebrum prius sentit: quæ enim imbecilla, vitiosaque sunt, parua causa, exiguoque momento mutantur.

Coitus causa caluitiei.

Itaque, in plurimi seminis emissione, calidum humidumque plurimum excernitur; cum vero cerebrum frigidum atque humidum sit, tum illorum defectu plus frigidum redditur, & cutis similiter: exinde casum capillorum sequi, necesse est, propterea quod humidum & calidum, à quibus capilli alimen-

Decor pore hominis. alimentum suscipiunt, sui decramentum acceperint. Eadem insuper causa est, vt priore capitis parte homines calui sint soli inter animantia, quod ea parte cerebrum continetur: & homo solus omnium animalium cerebrum frigidissimum habeat. *Mulieres non caluescunt.* Mulieres non caluescunt, quoniam eorum natura similis puerorum naturæ est; vtraque enim sterilis seminalis excrementi est: nam licet mulier menstruum emittat: menstruum tamen non est genitale semen, quod caluitium sequatur. puer autem neque semen neque menstruum emittit. *Spadones non caluent.* Spadones quoque siue eunuchi non caluent; quoniam cum castrantur, in fœmineam naturam mutantur: quoad complexionem saltem. Quare, si castratio pilorum generationem præcesserit, impedit ne nascantur; aut si forte pilos tempore castrationis habuerint, amittunt, præterquam pilos femoris, quos etiam mulieres habere dicuntur: cæteris vero carent. Testium enim abscisio mutationem facit de mare in fœminam. *Colores pilorum.* Cæterum, colorum causa cæteris quidem animalibus cuti natura est, vt & vnius coloris sint: & varios etiam habeant: sed hominibus nihil causæ cutis habet, nisi ad eam canitiem, quæ morbo non quæ senio accidat, nam eo vitio corporis, quod vitiligo vocatur, pili efficiuntur albi. *Vitiligo.* Pituita aquosa alba delegata ad cutem capitis, vel cæterorum membrorum, vitiligo, siue albula vocatur: cuti autem capitis candore affecta, pili candidi fiunt: itaque, si cutis ægrotat, albaque fit, pituita tenui, aquosa, alba ad ipsam delegata, pilus quoque ægrescit, non enim ex ægra causa potest esse, nisi æger effectus. calidi est denigrare, cum viget: sic ignis suo calore, ligna in carbones vertit: calore autem senectutem deficiente, in frigidum labitur: frigida *Canities.* autem senectus, & sicca est, in esque calor exilis; proinde pili canescunt, & albi fiunt. Sane, calore alicuius partis nostri corporis exili reddito, illam profecto partem ægritudo consequitur propter indigestionem ex caloris inopia manantem: quibus igitur hominibus natura pilorum parum calida est, & multum humoris recipit; calor proprius nescit concoquere: atque ita humor putrescit calore aeris ambientis. Itaque, vapor pinguis, & viscosus, quo capilli ortum *Nutrimentum capillorum.* habent, & augmentum, quique à cute ad capillos delegatur, natiuo calore deficiente, putrescit ob extraneum calorem: qualis putredo fieri solet in locis sole carentibus: quæ & caries appellatur; *Caries vnde fiat.* terrenus enim & pinguis vapor cum non coquitur, putrescit, atque ita afficitur ea, quæ canicies vocatur. Igitur canities & caluitium ob caloris inopiam contingunt: differenter tamen; nam caluitij causa, humoris est, atque caloris absentia: caniciei vero, caloris tantum. Hæc de capillorum natura præclare describuntur à philosopho.

C A P. XIV.

Situs capitis, olla & ossa.

Auicenna. Gale. PRæter ea, quæ de situ capitis ingeniose atque sapienter dicta sunt à Platone, & Aristotele, non erit inutile addere quæ dixit Auicenna, & Galenus. Caput siquidem humanum, vt testatur Auicenna authoritate Galeni princ. tertij sui cap. in superiori parte positum est propter virtutem visiuam. Etenim oculi enim totius corporis custodes sint; amminę prospiciant, necesse est, pro corporis tutela conseruanda: *Caput propter visum est superius.* quod quidem commode fieri non posset, nisi arcem corporis caput obtineret. Item, in parte anteriori oculi à natura positi sunt, vt mediante neruo obtico, spiritum visibilem reciperent; siquidem ad oculos per eosdem neruos ad sensum communem species visibiles deferuntur ipsi enim nerui oculorum compositionem ingrediuntur. Amplius, vt à secundo pari membrorum cerebri, oculi motum recipere possent. *Olla.* Porro, olla capitis, est pars capillis plena, maioris capacitatis, propterea quod cerebrum in homine sit maius animantium cæterorum. *Caput rotundum.* Capitis similiter forma est rotunda ad modum sphæræ. quia forma rotunda, teste Galeno 8. *de vtilitate particularium c. pe.* inter alias formas, & figuras, est minus passibilis, & maxima, ac capacissima omnium habentium æqualem perimetrum. Compositio insuper capitis ex ossibus constat: de quibus paulo ante 532. fol. aliquid à nobis dictum est: est etiam illius compositio pannicularis, medullaris, ac frigidæ complexionis. Ægritudines autem capitis, vtpote oculorum, neruorum, & similium, à cerebro contingere possunt. *Continentes partes.* Partes continentes capilli sunt, cutis, caro musculosa, panniculus, qui pericraneum dicitur, alio nomine gingiua mater, quia per commissuras ossium capitis, à dura matre, suam habet natiuitatem. Quintum, & vltimum est os, videlicet cranium, siue tabula prima ossium capitis. *Partes contenta.* Partes vero contentæ ab intra, similiter quinque, os, quod secunda tabula nuncupatur: panniculus satis grossus, quæ dura mater dicitur: panniculus tegens *De corpore huius.* substantiam cerebri, & is pia mater vocatur, substantia cerebri: quinta pars, rete mirabile: vltimo loco sequitur os basillare, ad similitudinem cunei supra palatum existens, vnde totum caput sustentatur. Septem sunt ossa capitis principalia, quibus olla tota conficitur: quorum primum vocatur os coronale, ab anteriori capitis parte, quæ prora nominatur. *Ossa. Os coronale.* Cuius quidem initium est à superciliis vsque ad coronalem commissuram, craneum in parte anteriori secundum latitudinem diuidentem. In isto autem osse interdum accidit, raro tamen, in frontis medio commissuram manifestam fieri, in mulieribus præsertim. Dicitur autem os coronale, quia eo in loco tum reges, tum mulieres coronas, deferunt. In eo quoque oculorum foramina habentur, & colatoria narium diuisa ob quandam ossuosam additionem, ad modum sce- *Oculorum foramina.* ptri, seu coronæ galli, vbi & cartilago implantata est, ad narium diuisionem conseruandam. Duo deinceps sequuntur ossa *Duo ossa lateralia.* lateralia, à parte capitis anteriori cum osse coronali contigua, & cum osse tandem occipitali. Dicuntur autem ossa lateralia, propterea quod alterum illorum ad dexterum, alterum ad sinistrum positum sit: quæ instar serræ in summitate capitis ambo vniuntur, ac commissuram efficiunt, quæ sagittalis dicitur. Etenim secundum capitis longitudinem, à coronali medio, ad commissuram vsque, quæ dicitur lauda, directe tendit. *Lauda commissura.* Commissura autem lauda, est transuersalis in parte posteriori capitis ad modum literæ cifræ 7. Est insuper *Occipitium.* os prædictum occipitium, siue lauda duræ substantiæ, perforatum inferius: à quo foramine nucha descēdit, & à cerebro per medium spondilium ad finem vsque dorsi decurrit. *Ossa petrosa.* Post ossa lateralia, sequuntur ossa petrosa, à quibus commissuræ mendosæ fiunt, dum ossibus lateralibus per modum parietis adhærent. Mendosæ vero dictæ sunt, quia nimirum squamosæ sunt. Petrosa autem, quia cæteris duriora foramina habent ob auditus necessitatem. Eorum principium est à commissura lauda vsque ad tiporum ossium medium. *Os basillare.* Os basillare: est veluti cuneus firmans, & sustinens prædicta ossa, firma ac condecenti palatum statione. huiusmodi autem os ex multis constatur foraminibus, & spongiositatibus, grossarum cerebri superfluitatum purgandarum gratia. *Quinque commissuræ.* Ab istis autem ossibus quinque producuntur commissuræ, ex quibus tres sunt reales, & veræ: aliæ vero mendosæ appellantur. *Coronalis. Sagit. Laud.* Prima inter tres vocatur coronalis, secunda sagittalis: tertia laudalis. Produxit autem natura os espins, spongiosum, & porosum, in duarum tabularum medio; vt ab ipsa spongiositate nutrimentum reciperet: à porositate vero fumositates & cerebri humiditates exterius exhalare valeret. Fuit præterea caput à natura ex pluribus ossibus compactum, vt si vna pars læderetur, à tali iniuria abesset & altera. Cæterum, prædictæ commissuræ, quibus dura mater alligata est, *Dura mater.* quatuor de causis in craneo à natura sitę sunt: quarum prima est, vt venæ scilicet per easdem commissuras ingressum haberent ad cerebrum nutrimenti deferendi causa: deinde, vt nerui & villi à cerebro manantes, egredi possent: item, vt cerebri vapores haberent exitum exhalandi: *Rationes commissurarum.* quarta & vltima causa, vt dura mater haberet, vnde suspenderetur, ne cerebrum grauaret. Per commissuram præterea medianam, siue sagittalem, transeunt duæ venæ ab hepate procedentes, & subcutaneo intrantes: similiquamodo per foramen ossis basillaris quædam arteria ascendit à corde procedens, pergitque ascendēdo quousq; venis iam dictis, & quibusdam arteriis fuerit coniuncta: quibus exinde efficitur panniculus durus & solidus, qui dura mater nuncupatur: alligaturque commissuris, extra eas cum villis & neruis procedendo: à quibus alius panniculus fit, qui totum craneum tegit, appellaturque gingiua mater. *Gingiua mater.* Non temere ergo arteria superius ab infima parte ascendit; quandoquidem eius motus sit pulsatiuus, & sanguinis ipsius subtilites, si descendendi habuisset facultatem, intemperato impetu descendisset. Eius ergo ascensus illum moderatur impetum. Vena præterea à parte superiori ad inferiorem descendit; vt sanguis ipsius spissus, facilius descendat. Cum vero prædictus panniculus ab eisdem venis fuerit confectus, iterum inuicem coniunctis, panniculum satis lenem subtilemque componunt, qui pia mater dicitur, qua totum cerebrum tegitur, *Pia mater.* quo quidam ab eis confecto, in cerebrum descendunt prædictæ venæ atque arteria, eique vitam, spiritum cordialem, ac debitum deferunt nutrimentum; vnde eo maior spiritus in cerebro inuenitur quo maiorem formam animalem susceperit. His ita elucidatis, de cerebro posthac loquamur.

CAP.

De corpore hominis.

CAP. XV.

De cerebro.

Cerebri natura. Est autem cerebrum pars medullaris in tribus ventriculis diuisa: quorum vnus est in parte anteriori, cæteris quantitate maior: secundus vero in parte media: tertius & vltimus in posteriori parte capitis, in qua residet: ideoque secundum Galeni sententiam, imaginationis, cogitationis, & memoriæ est fundamentum: ab aliis quoque fons sensuum, & motus voluntarius appellatur. Nucha vero est sicut fluuius ab eo manans. Nerui qui ab ea procedunt, ad modum riuulorum excuntium se habent: Fonti vero, hoc est, cerebro, cum aliquid acciderit impedimenti, id profecto riuulis, nempe neruis erit commune: non autem è conuerso. *Tres ventriculi cerebri. Cerebrum frigidum & humidum.* Cerebri substantia est alba, & medullaris, satis lenis, frigida, & humida: quæ profecto natura ab aliis est diuersa medullis; hoc enim modo spiritum vitalem sua complexione contemperare potest, vt animalis spiritus efficiatur. Cæterum, anterior, & posterior pars ventriculi in medio diuiduntur, nempe in dextra & sinistra parte, eorumque parietes vndique panniculis inuoluuntur, hinc inde ad basim vsque tendentes, & descendentes: quibus plane panniculis, quibusque parietibus, pars huius ventriculi dextera à sinistra diuiditur. In quadam autem anteriori parte ventriculi phantasia posita est, à qua species particulares à sensibus receptæ, conseruantur, atque retinentur. In posteriori vero huius ventriculi angulo, est imaginatiua, *Phantasia.* quæ species in phantasia contentas, apprehendit, componit, & diuidit: non tamen asserit hoc esse album, illud vero nigrum. In medio autem ventriculi prædicti viget sensus communis, à quo species delatæ, à sensibus particularibus apprehenduntur: ideoque ad illum locum & dirigitur, & terminatur. Iuuat ergo huiusmodi ventriculus phantasiam, *Imaginatiua.* imaginatiuam, atque sensum communem: omnibus quoque organis sensitiuis sensum tribuit, & animalem spiritum, vt per eum sentire valeant. In fine autem primi ventriculi *Secundus ventriculus.* duæ reperiuntur substantiæ, quæ additamenta faciunt, veluti duæ hominis nares ad inuicem coniunctæ: vt species vnius ventriculi, ad alium meare non possint: vtpote quando à sensuum exteriorum operationibus cogitationibusque vacare homo exoptat. Medius autem ventriculus est satis gra- *Medius ventriculus.* cilis atque longus, transitque de primo ad vltimum; vtrique est contiguus enim. Quamobrem & cogitatiuæ, & æstimatiuæ virtutis est organum. Cogitatiua autem diuidit verbali *Cogitatiua Æstimatiua.* copula, & ex vno infert alterum: æstimatiua vero ex sensatis insensata discernit. Tertius ventriculus cerebri est in posteriori parte capitis, ideoque eius substantia est cæteris durior; proinde nerui ab eo procedentes, nucha eius vicaria mediante, duriorem habent naturam. Ex quo non fuit necesse, vt in anteriori huius ventriculi parte, à natura produceretur velamen, quæ pia mater nuncupatur, sicut res se habuit cum cæteris ventriculis, qui prædicto velamine integuntur. Est autem pyramidalis figuræ, vt in loco inferiori à secundo ventriculo, sententias aditas recipere posset & conser- *Memoria.* uare. Complexionem habet siccam & frigidam. In parte pyramidali siue in extremitate ventriculi, nucha duabus cerebri panniculis inuoluta procedit: & per foramen ossis basillaris inferius descendendo, per medium spondilium pergit, quousque ad spinæ extremitatem peruenerit. Est insuper medullaris, & eiusdem substantiæ cum cerebro. Paria ner- *Paria neruorum.* uorum, quæ à cerebro originem habent, sunt septem secundum eius longitudinem, & triginta per medium nuchæ: ex quibus vnum, vt dixi, societate caret, & ortum habet in fine caudæ. In primi & secundi ventriculi extremitate, inferius descendendo, quoddam rotundum foramen terminatur, quod à nonnullis lacuna nuncupatur, quo cerebri superflui- *Lacuna. Encephalum.* tates excruduntur, atque purgantur. Plato in Timæo encephalum cerebrum appellat. *Figuras*, inquit, *qualescunque adesse medullæ ex singulis speciebus oportuit. Et illam quidem medullæ partem, in quam velut agrum quendam diuinum semen iaciendum erat, globosam, & vndique teretem finxit: atque encephalum id est cerebrum, idcirco voluit nominari; quia vnoquoque animali denique absoluto vasculum cerebri capax, cephalum, id est, caput vocandum erat.* Hæc Plato. ex quibus patet, cerebrum medullam esse apud Platonem, *2. de part. an. c. 7.* quod certe philosopho non probatur. Cerebrum medullam esse, inquit, atque originem medullæ, compluribus placuit authoribus, argumento, quod dorsi medullam iunctam cum ce- *Galenus.* rebro cernerent. Galenus dorsalem medullam vult esse cerebrum secundum, oririque ex cerebro, veluti stipitem ex trun- *Auicenna.* co: quod etiam Auicennæ placet. Sed res contra se habet, ait philosophus; cerebrum enim partium omnium corporis frigidissimum, & medulla calida suapte natura est, quod eius pinguedine, & axungia perspicuum est: siquidem medullæ dorsi abundat seuo, & pinguedine, & ossium magis, non autem cerebrum: non sunt ergo eiusdem speciei: & id facit, vt cerebro iungi, continuarique possit ipsa dorsi medulla; solet enim natura semper afferre auxilium contra cuiusuis exuperantiam per coniunctionem rei aduersæ, vt excessum alterius altero compesceret & moderaretur. Cum vero cere- *Cerebrum non est medulla.* brum frigidissimum sit, dorsi vero medulla calida; recte à natura est institutum, vt vnius frigiditatem, alterius caliditas temperaret. Hac vna ratione medulla dorsi cerebro est coniuncta: alia vero, vt esset fibula vertebrarum spinæ dorsalis. Medullam autem seuosam & pinguem esse ratio est; tepor e- *Medulla est pinguis.* nim, quem ossium complexio facit, sanguinem concoquit: sanguinis autem per se concoctio, seuum, & adeps est. Et ita medulla in osse, interdum est pinguis, nonnunquam vero seuosa pro excrementi sanguinis conditione, qui in osse decoquitur. Itaque, cum omnes corporis partes ex sanguine constent, per copiam autem sanguinis viscera etiam cum sint accentia, colorem sibi sanguineum trahunt, cor, iecur, pulmo &c. sic etiam medulla: sed decoctione alba efficitur. Et pinguis in pinguibus animalibus, atque axongiæ similis. At quibus sanguis non pinguedini, sed seuo similis per concoctionem euadit; iis medulla seuo similis est: verum medulla *Medulla dorsi.* dorsi seuosa esse non potest; quoniam continua debet esse, & porrecta ab ipso collo ad caudam vsque: seuosa autem & pinguis talis esse non potest. nam si medulla dorsi esset ex seuo; non posset esse continua: sed vel fragilis, vel humida esset. Medullam ergo calidam esse, constat satis. Cerebri au- *Cerebrum frigidum.* tem frigiditas, tactu & percipi potest, & ratione intelligitur, quod omnium maxime humorum corporis sanguine caret, quippe cum nihil in se sanguinis habeat, sitque maxime squalidum. Amplius, cerebrum non est alicuius excrementum, nec inter partes continuas est numerandum, sed sui generis est, & quidem ratione optima, naturam eiusmodi sortitum est. Quod vero nullam cum partibus, quæ vim obti- *Sine sensu.* nent sentiendi, continuitatem habeat, intuitu patet; non enim est idem visorio, vel auditorio, vel alicui alteri instrumento sentienti: tum constat maxime, quod cum sanguis, nullum efficit sensum: quemadmodum nec sanguis, neque excrementum animalium vllum. Cerebrum non sentit igitur neque ex partibus constat sentiuis. Datum autem hoc anima- *Cerebrum non sentit.* libus est ad naturæ totius salutem; est enim principale membrum ad salutem indiuidui dispositum. Nam etsi præcipuum non sit sensuum, atque motuum principium; id tamen est, sine quo cor vitalium non esset operationum principium. Datum est autem animalibus cerebrum, vt sua frigiditate cordis calori moderaretur, aquæ & terræ naturam co- *Necessitas cerebri.* munem habens, hoc est, frigidæ & humidæ, atque ob eam rem cerebrum omnia sanguine prædita habent. Cerebrum quoque à corde suam sortitur temperaturam; moderato enim calore potitur ex vtraque vena, maiori scilicet & aorta. Et ne calor nimius offendat, non paucæ amplæ, sed frequentes, ac tenues venæ ambiunt cerebrum disseminatæ per meningen. Nec sanguis copiosus & crassus, sed tenuis syncerusque ad idem cerebrum defertur. Fluxiones siue ca- *Catarrhi.* tarrhi ob eam rem ex capite descendunt in iis corporibus, quibus cerebrum frigidius est, quam temperamentum modicum postulet; cum enim alimentum per venas sursum respirat, postquam talis alimenti excrementum ob loci frigiditatem refrigeratum fuerit, ac in aquam condensatum; ipsum cerebrum mouet pituitæ, id est, phlegmatis, & aquosi- *Pituita.* tatis sanguinis fluxiones: ex mala etiam digestione fit, quæ in stomacho celebratur. Somnus quoque à cerebro profici- *Somnus à cerebro.* scitur in iis animalibus, quæ eam obtinent partem. Cum enim sanguinis affluentia, siue vapor cibalis refrigeretur à cerebro, caput aggrauatur, & sic in somnum incidimus. Ex quo *Duplex somnus.* duplicem somnum animaduertere licet: alter qui fit à cibo, quando illius vapores à cerebro frigidi redduntur; & sic caput grauatur, & somnus sequitur: alter vero ab humoribus, qui eleuati refrigerantur à cerebro: sicut sæpe solet accidere iis, qui febre laborant. Itaque, somnus est formaliter in potentia sentiendi, per sensus exteriores, recuperabilis tamen: cuius potentiæ proxima est, & effectiua causa vapor *Causa somni.* eleuatus ad cerebrum refrigeratus, & condensatus, qui sua crassitie meatus obturat, per quos spiritus ad cerebrum scandunt, his n. meatib. obturatis, spiritus eleuati à corde, ad exteriora sensoria transigere prohibentur: proinde animal impotens redditur ad sensus exteriores exercendos. Causa vero remota est cerebri frigiditas, vaporem refrigerans, condensans, atque magnificans. Magis autem remota causa, est calor cordis, qui vaporem eleuauit ad cerebrum.

De corpore hominis.

brum. Sequitur textus philosophi: Cerebrum autem esse commune aquæ & terræ, constat ex eo, quod ei accidit. Cum enim coquitur, indurescit ac siccescit; humore enim exacto à calore, terrenea portio relinquitur, quemadmodum in leguminum, reliquorumque fructuum decoctione. Cum enim ex terra magna ex parte constent, hinc exacto humore, quem exiguum sibi admixtum continent, dura terrenaque admodum ea quoque relinquuntur. Homo autem inter omnia animalia plurimum cerebri habet, scilicet proportione sui corporis: & inter homines mares, plus quam fœminæ; locum enim circa præcordia homo calidissimum habet, & sanguine refertissimum. Vnde animalium homo vnus erectus: quoties siquidem fuerit caloris natura valida, incrementum de medio mundi, sursum impellit; calidi namque est superiora petere: vnde fit, vt hominibus corpora erecta sint, atque sursum eleuata. Itaque, homo rectam habet staturam ratione caloris; cuius natura est sublimia, & ardua petere. Quem obrem, contra multam cordis caliditatem, multa cerebri est opposita frigiditas. Qua quidem copia fit, sicut patet in cerebro puerorum, vt capitis os, quod caluariam nonnulli appellant, sero admodum induretur. Caluaria græce βρέγμα, & est os in prima sincipitis sutura, quæ distat à nasi radice medij digiti longitudine. Inter autem caluam & caluariam id interest, quod calua totum caput sit: caluaria vero sinciput, siue anterior pars, quæ pueris mollis est præ copia humoris. Et cum ab ortu hominis vsque ad illius mortem, multus ac magnus calor sueporetur, quæ quidem in nullo animalium tanta vicinueoitur salutis; longæ plures iuncturæ in capite, quam quoduis animal homo habet: & mas plures quam fœmina eadem de causa, vt locus spirantior sit in homine siue in mare, quam in fœmina. Quod si cerebrum supra modum humescit, aut siccescit, suo fungi officio non potest: sed aut non refrigerabit, aut coagulabit, hoc est, aut non refrigerabit cor, aut cor coagulabit & spiritus, si multum siccescit. Cum ergo cerebrum præter naturam efficitur, morbos efficit: Itaque, inquit, morbos, deliria, & mortem affert; calor enim cordis, et quæ principium consentientissimum est, sensumque celerrime facit, sanguine cerebri mutato, atque aliter affecto. Astipulatur huic rei etiam Plato: *Morbi vnde nascantur*, inquit, *quis dubitat? Nam cum quatuor illa sint ex quibus compactum est corpus, terra, ignis, aqua, aer, horum non naturalis excessus, defectusque, & ex loco proprio in alienum translatio, per quam quod sibi conueniens est, non tenent; intestinam quandam seditionem, & morbos inferent. Ex secundis quoque compositionibus secundum naturam constitutis, bona vel mala est valetudo: nempe secundum naturam, carnes & nerui ex sanguine generantur: nerui quidem à villis, & ligamentis propter cognationem: carnes autem à coagulatione eius, quod secretum à villis & ligamentis concreuit. Quod rursus à neruis, & carnibus emanat glutinosum & pingue, carnem auget, ad ossium naturam os vero medullam circumdat. quod vero ex ossibus stillat, tenuissimum est, atque medullam irrigat. Quatenus igitur singula hunc in modum fiunt, bona valetudo seruatur.* Hæc Plato, ex quibus cognoscimus, ex defectu ordinis rebus à natura attributi, morbos generari. Nam quoties, inquit, aliquata caro tabem rursus transmittit in venas, sanguis vna cum spiritu multus ac varius in venis, coloribus diuersis, amaritudineque, & acidis salsisque infectus saporibus, bilem, cruorem, pituitam gignit quam plurimam. Inimica sane inter sese ista sunt, propterea quod nullum sui inter se præbent vsum. Omnium morborum maximus est, quando medullæ natura propter defectum aliquem, aut excessum ægrotet; hinc enim omnium vehementissimi, & ad mortem periculosissimi morbi proueniunt.

Rationes quod cerebrum sit frigidum, & humidum.

Corpus erectum hominum.

Caluaria.

Morbi vnde.

Plato in Timæo.

Morborum causa.

Ossium pinguedo.

Pituita.

CAP. XVI.

Cerebrum est principium affectuum spiritus & caloris.

EX prædictorum verborum intelligentia oritur nõ contemnenda quæstio: cerebrum an sit principale sensus, & motus principium, nec ne. Partem affirmatiuam tuetur Galenus, hoc fretus argumento: Læso cerebro, inquit, læduntur sensus ac motus, nerui quoque, quibus fit motus: est ergo motus, ac sensus principale principium. Auerroes sue in paraphrasi, motus & sensus primum ac principale principium cor esse, affirmat: deinde cerebrum, quatenus cordis contemperat calorem: Cor, inquit, est principale principium spirituum, ac totius calidi: igitur, omnium operationum, quæ per spiritus & calorem perficiuntur. sed motus, & sensus, spiritibus, & calore aguntur, atque sui perfectionem accipiunt: est ergo cor principium sensus, & motus. Amplius, cum animal membra pro sensu, & motu exercet, ad ipsa membra calor diffunditur à corde: cum vero animal cessat à sensu, & motu, calor ad cor reuertitur, somnique tempus nobis ostendit: ergo quod prius. Item, corpus in timore tremit, & ab operationibus vacat, quia nimirum ad cor contrahitur calor. Adde, quod dixit Aristoteles, nempe cerebrum temperare cordis calorem, alioqui aliquæ non fierent à corde operationes, vel saltem non firmæ, non enim ex quouis calore, sed ex bene affecto operationes proficiscuntur. Itaque, cerebrum est principium motus, & sensus, quia cordis calorem moderatur. De spiritibus autem à corde exeuntibus, talis est Galeni sententia: A corde, inquit, vitales, à cerebro vero animales spiritus exeunt: ideoque spirituum animalium principium cerebrum esse putant; etenim, sua virtute vitales spiritus animales efficit. Cerebrum, inquit, est principium neruorum, quibus fit motus, & sensus, vt in anatomia ipsorum dictum est: ex quo perspicuum fuit, à cerebro neruos ad oculos transmitti, vnde fit visio: & de alijs simile habetur iudicium. Cerebrum ergo est spirituum animalium principium. Aristoteles, vt dixi, contrarium sensit, siquidem sensus omnes à corde manare contendit; quandoquidem cor sit fons caloris, quo omnes perfectionem habent operandi. Insuper, arguunt nonnulli cerebrum esse sensitiuum: Nihil, inquit, est principium sentiendi, quin ipsum principaliter sentiat; non enim alijs potest sensum præbere, nisi ipsum met sensum habuerit. Quare, si cerebrum est principium sensus, & motus, ipsum quoque sensu vacare non potest. Ad hæc accedit, quod virtus clarius viget in origine, quam in iis, quæ ab illa deriuantur. sed sensus sunt in cerebro, veluti in origine: ergo quod prius. Amplius, sicut cor maxime viuit, quia est aliis principium viuendi, & hepar maxime nutritur, quia est aliis principium nutriendi; sic cerebrum maxime sentit, quia est aliis principium sentiendi. Verum, quemadmodum sanguis omnino non sentit, medulla & pinguedo; ita etiam & cerebrum, vt dicit philosophus, qui voluit omnes sensus esse in corde, veluti in principali instrumentario subiecto. Itaque, cerebrum noluit dici instrumentum, in quo virtutes sint; sed potius per quod in corde sensationes congregentur, & spiritus à corde emissi, idonei reddantur ad operandum: vt scilicet per ipsos fiet sensus & motus. Ex his patet *responsio* ad obiectiones: & *ad primam* quidem dico, cerebrum non esse principium sentiendi per se, & primo, sed dispositiue, quia disponit spiritus, vt idonei sint ad sensuum operationes peragendas. *Ad 2.* Maior est falsa; non enim cerebrum, sed cor est principium & origo, in qua sunt virtutes sensitiuæ. *Ad 3.* cordi est necessaria virtus vitalis, & hepati nutritiua, non autem cerebro sensitiua: ideo non est simile, cerebrum esse frigidum & humidum, tum vt sua frigiditate cordis æstum, feruoremque refrænet, authore philosopho: tum etiam, vt spiritus, qui à corde mittuntur ad cerebrum, vt sentit Galenus, clariores fiant. Nam si cerebrum calidum existeret, spiritus turbidi & fumosi fierent. Item, vt somnus inesset animantibus, quo animales spiritus instaurentur, qui in vigilia propter sensum, & motum, sui dissolutionem, atque decrementum facerent. Adde, vt sua temperet frigiditate spiritus calidos, qui à corde ad sensoria mittuntur, ne humiditatem in sensoriis inuentam facile dissoluerent. Sed de capitis anatomia satis sit dictum. Post hac de anatomia faciei, colli, oculorum, gutturis, & partium earundem aliquid dicamus. Inprimis autem sciendum est, in gutturis extremitate duos esse meatus, per quorum vnum comestiones, & potus ad stomachum pergunt, vocaturque meri, siue Isophagus, duabus tunicis, & villis confectus: quarum vna est plurimum neruosam parte interiore sita, orisque palato contigua: altera multum carnosa & lacertosa, in parte exteriori existens, stomachi pelliculæ coniuncta: alter meatus, quo aer ad pulmonem transfertur, trachea, siue arteria nuncupatur: meatus vero, qui meri vocatur super quinque spondiles colli retropositus est: qui deinde inferius descendendo pergit, quousque diaphragma perforauerit. Ab eo postmodum quoddam oritur corpus, quod stomachus nuncupatur. Est autem guttur dictorum meatuum principium cum quodam vacuo, in quo duæ amygdalæ continentur: vna quidem in dextera, altera vero in sinistra parte posita: carnosæ quidem & neruosæ, vt fortiores fiant. hæ cibo, & potui subintroeundi in meri viam præstent, aditumque exhibent: aerem quoque apud epiglotum ingredientem adiuuant. Epiglotum autem est quædam eminentia à natura in capite tracheæ siue arteriæ producta. & est huiusmodi tracheæ quasi coopertorium, vt scilicet comestionis hora & potus, aliquid præter aerem subintrare nequeat. Quam ob causam, si aliquid præter aerem intrauerit, illico angustiosa tussi per paululum temporis vexamur. Fons ergo huiusmodi

Galenus.

Rationes. 1.

2.

De corpore hominis.

3.

Quomodo sit cerebrum principium motus & sensus.

Cerebrum principium spirituum animalium.

Cerebrum esse sensitiuum.

Solutiones. 1.

2.

3.

Cerebrum est frigidum & humidum.

Gutturis natura.

Meri.

Meatus gutturis.

Trachea.

Meri.

Diaphragma.

Duæ amygdalæ.

Epiglotum.

Decor. pote hominis.

huiusmodi particula à natura instituta, vt pro illius rei necessitate, attrahendi expellendique aeris officio fungeratur. Valet etiam ad multarum vocum formationem procreandam, atque conservandam. In anteriori parte gulæ est trachea, vt alibi dixi, annulis cartilaginosis confecta, gradatim annexis ligamentis: habetque panniculum setis durum in parte anteriori ligantem, & vnum post alium prædictos panniculos coniungentem, sunt enim valde rugosi, præsertim in parte intrinseca, & cum meri coniunguntur: in eorum tamen coniunctione aliquantulum deficiunt. Porro, meri ad modum cannæ confectum est: cuius pere quarta secundum eius longitudinem esset amputata: post vero talis cannæ defectum, subtili pellicula neruosa à natura tegitur, vt cibus grossus à meri prohibitus in stomachum transire nequeat: componitur siquidem meri venis pulsantibus, & neruis à sexto pari neruorum venientibus, qui immediate à parte cerebri anteriori proficiscuntur. In latere præterea dextro, & sinistro cannæ iam dictæ, sunt quædam venæ grossæ organicæ, sub quibus arteriæ magnæ sitæ sunt: ideoque illarum incisio est metuenda nimis, ob propinquitatem affinitatemque, quam habent cum iecore, & corde; siquidem quacunque puncture, vel incisione pulsantium venarum, homo statim suffocatur. Aristoteles discrimen posuit inter guttur, & gulam: Guttur, inquit, spiritus causa datum est; gutture enim spiritum animalia trahunt, & reddunt, respirando, & exspirando. Quam ob rem, quæ carent pulmone, collo etiam carent, vt genus piscium. at gula est, qua cibus & potus deuoretur. Itaque ea, quæ carent collo, gulam manifestam non habent, dilatoriam vtique inter pectus & collum. Nec gulam haberi cibi causa necesse est; nihil enim ad cibum parat. Satis ergo erit, vt meatus sit sufficienter apertus, per quem cibus ad ventriculum aditum habeat. Adhuc à situ oris venter continuo constitui potest, pulmo non potest, nempe statim proximus ori, quin spatium intersit; aliquod enim spatium decet esse commune, quo spiritus ad fistulas per arterias bipartitus feratur, atque ita, vt spiritus reciprocationem efficiat maxima. Cum igitur instrumentum spirationis accommodatum, longitudinem habeat, necesse sit; gulam inter os & ventrem haberi, est necessarium omnino. Itaque, guttur, quæ & canna pulmonis, & trachea dicitur, in substantiam pulmonis pertingens, per eam in duos ramos, quasi in duas diuiditur arterias. Et ita aer diuisus, qui trahebatur, in fistulas transit, vt sic tandem ad cor perueniat, & ad arterias pro sanguinis refrigeratione; sic enim maxime spiratio perficitur. Ex his ergo habetur, guttur debere esse longum, quæ canna pulmonis appellatur: Alioqui, inquit Auerroes, aer frigidus per pulmonem ingrediens, cor læderet. Sequitur tex. philosophi: Constat autem gula ex neruo, & carne. Ex neruo, vt extendi possit, cum cibus ingreditur: ex carne, vt mollis sit, & cedat, nec lædatur asperitate cibi descendentis. guttur autem, quod & arteria vocatur, corpore constat cartilaginoso; non solum enim spirandi causa est, sed etiam vocis. Quod autem sonare debet, leue, ac solidum esse oportet; non enim vox fieri potest, nisi aer percussione frangatur: aer vero non frangitur, nisi ad positum durum, solidum ac laue. Ante gulam vero posita est arteria, seu guttur, Quia necesse est, ait Auer. vt guttur ascendat ex loco pulmonis, sitque illi è regione, siue in directo: pulmo autem prope cor, cor vero in medio à parte interiori. Quare, necesse est, vt guttur sit ante gulam; deinde gula in directo stomachi. Quanquam, inquit philosophus, guttur sit impedimento gulæ, cum cibus ingreditur: nam si quid vel cibi, vel potus in arteriam dilabitur, strangulationes, torsiones, & tusses grauissimæ incitantur. Non ergo, vt ait Plato, potus per guttur in pulmonem dilabitur, indeque in vesicam, acciduntur enim omnibus comedentibus, quæ modo diximus, quoties aliquid cibi dilapsum est. Meatus præterea nullus de pulmone ad ventrem pertinet, sicut ex ore gulam tendere, cernimus. Amplius, cibus per vomitum, & nauseam redit per gulam, per quam ingressus est ad ventriculum, in quo digeritur. Potus præterea non descendit per guttur in pulmonem, & per pulmonem in vesicam, sed prius in stomachum; fæces enim & stercore tingi videntur, potu vini atri. quod quidem non esset, si potus & cibus eodem in ventre non reciperentur. Vulnere etiam ventris hoc idem patefactum est. Igitur, stomachus est locus cibi atque potus. Quia vero dictum est, arteriam, siue guttur collocari ante gulam; quispiam obiicere posset: Cum igitur cibus ab ore in pulmonem migrat, per gutturis foramen, in pulmonem descendit. & ita torsiones, & tusses aderunt, quas iam affuturas esse diximus. Soluit hoc dubium Aristoteles: Natura ingeniose inuenit, inquit, lingulam, quæ guttur operiret, atque huiusmodi impedimentum ammoueret; hanc namque lingulam, siue operculum sagax natura supra orificium gutturis collocauit, vt comestionis tempore ipsum tegeret: tempore vero vocationis ad modum fistulæ aperiretur. Sed de his satis, Deinceps de aliis faciei partibus disseramus.

Trachea. *Meri.* *Arteria magna.* *3. de part. anim. c. 3.* *Gutturis necessitas.* *Guttur quid sit.* *Instrumentum respirationis.* *Quare guttur est longum.* *Ad quid cartilago gutturis.* *Guttur impedit gulam.* *Stomachus locus cibi & potus.* *De corpore hominis.* *Operculū gutturis.*

CAP. XVII.

De Dentibus.

Congruum esse puto, vt post hæc de dentibus loquamur, quos natura animantibus tribuit, vt ipsorum vitæ adiumento, & ornamento essent. Sunt autem omnes dentes numero triginta duo, quorum aliqui sunt incisorij, in anteriori parte oris positi ad incidendū: alij sunt canini, qui vulgo vocentur, oculorum dentes: alij vero sunt molares, propterea quod comesta triturent & frangant: ideoq; eorum actio prima vocatur digestio. Ex istis præterea dentibus, sexdecim in superiori mandibula inseruntur, qui quatuordecim ossibus sunt compositi, quorum compositio plane est occulta. Illa vero mandibula vndique à quodam panniculo tegitur, qui venit à parte anteriori frontis, quæ pericraneum dicitur. Inferior vero mandibula duobus ossibus est composita, & versus mentum vnitur vnione serratili versus partem superiorem: ab vtraque parte cum superioribus mandibulis suam fecit coniunctionem. Cæterum, à tertio pari neruorum cerebri, & ab aliqua parte quarti, & quinti, & ex secundo pari neruorum nuchæ, & tertij simul cum venis, & arterijs, pellis à natura per totā faciem fuit producta: vnde fit, vt hanc neruicompositionem ingredientes, qui ex nucha & cerebro proficiscuntur, per totam faciem seorsum causent & motum. Disputat, & quidem egregie Philosophus de dentium natura: Cum dentium natura, inquit, communi quidem officio ad cibum cōficiendum adiuncta sit; tamen generatim seorsum alius roboris gratia, idque dupliciter, tum scilicet ad inuadendum, tum etiam ad defendēdum, veluti sunt lupi, vulpes, leones: alijs vero cibi conficiendi gratia, vtpote leporibus, & similibus. Homo vero & ad vsum communem prope factos obtinet dentes, videlicet primores acutos, vt incidant: maxillares latos, vt molant. separantur vero maxillares ab acutis, qui canini vocantur, media inter eos natura conditi, nam & medium particeps vtriusque extremi est: & canini ipsi partim acuti sunt, partim lati: sed potissimum locutionis gratia tales totque numero dentes homo sortitus est; ad literas enim exprimendas plurimum conferunt primi dentes. Sane, lingua et qua vox ipsos dum diuersimode percutiunt; diuersos forment literarum ac loquelæ modos. Dentes soli omnium ossium tota vita accrescunt, vt eius, cuius gratia sunt instituti, fungi officio possint; breui enim tempore attriti consumerentur, nisi subinde repararentur. Cur vero priores gignantur primo, maxillares vero post, & hi non decidant, illi decidant, ac denuo nascantur, Philosophus 5. *de generatione animalium cap. 8.* præclare ostendit: Differuit, inquit, de his & Democritus, sed non bene, non enim omnibus considerata causam reddidit vniuersis animalibus congruentem. Ait enim decidere, quoniam properant, & ante tempus oriuntur, nam enasci per naturam debere ad ætatem pene florantem, quæ est septimus & octauus annus, & qui deinceps vsque ad 80. quod vero ante tempus oritur, superesse diu non potest. Causam autem, vt ante tempus gignantur, vsui lactis tribuit, lac enim est natura calidum, ideoque causa est, vt aliquos dentes pullulent. Sed *obiicit* Philosophus: Sus, inquit, lac sugit, qui tamen dentes non amittit: & quæ dentes habent serratos, ad modum vtique serræ, omnia lac sugunt, & nōnulla eorum non admittunt, nisi caninos, vt leones. Hoc igitur Democritus non obseruauit. Sed cum natura omnia cum ratione faciat, vt non deficiat, neque frustra agat quicquam in singulis, quoad fieri potest: quæ autem cibum assumere debent post lactis vsum, instrumenta habeant, necessa sit ad cibum conficiendum. Si ita eueniret, vt ille dicit, ad pubertatem natura profecto deficeret, agendo rem, quam facere non posset, atque opus naturæ fieret præter naturam; violentum enim præter naturam est, dentium ergo generatio esset violenta, quod est falsum; natura enim non agit violenter. Oriuntur autem prius anteriores dentes maxillaribus, quod officium eorum prius sit; secatur enim prius quam mollitur, quod comeditur: sunt autem maxillares officio mollēdi delegati, anteriores vero secandi. Adde, quod res minor, etsi simul inchoatur; tamen celerius quam maior perficitur: minores autē primores quā maxillares sunt. Itē, amplius alimentū difficilius ac tardius cōficitur, minus vero celerius ordinatur, igitur primores celerius, quā

Numerus dentium. *Incisorij.* *Canini.* *Molares.* *P. victaneum.* *Mandibulæ duæ.* *3. de part. an. c. 1e.* *Vtilitas dentium varia.* *Acuti.* *Canini.* *Maxillares* *Priores decidunt.* *Democritus.* *Dentes pueris cur dati sunt.* *Prius oriuntur dentes priores.*

De corpore hominis. *Vsus lactis dentes adiuuat.*

molares gigni,rationi congruit,& naturæ. Lactis autem vsus non facit ad vsum præternaturalem, sed ad ortum naturalem; indicium enim est,quod ipsi lactantes,qui calidiore vtuntur lacte,ocius dentes emittant; calor enim vim obtinet augendi. Decidunt vero qui prodierint primi,tum nosæ melioris gratia, tum necessario: melioris gratia quidem, quod cito hebetescit,quod acutum est: & ineptum suo officio redditur: itaque,alteros meliores in priorum officium succedere,necesse est.

Quare decidant dentes.

Latis autem dentes non hebetantur, sed laues redduntur secundum naturæ ordinem. decidunt vero necessitatem steriæ; quoniam maxillarum radices in maxilla lata nituntur,& velido osse continantur: priorum autem radices in osse tenui. vnde fit, vt infirmi & mobiles sint:nascuntur enim denuo; quoniam in osse adhuc nascente oriuntur, & cum tempus adhoc est ad denium generationam idoneum, quod tempus east, cum augmentum fit: cuius rei indicium est, quoniam maxillares diutino temporis interuallo oriuntur; vltimi enim vigesimo anno axeunt: nonnullis etiam senascentibus omnino prodierunt, qui loco vltimo hebentur: in causa autem est, quia multum elimenti in amplitudina maxillaris contioetur: at veru prior pars ossis præ sua renuitate cito perficitur, nec in osse, in quo fiunt dantes molares, fit excramentum; sed consumitur alimantum vsque ad vigesimum annum. Sed de deotium natora satis.

Linguæ natura. *Caro linguæ & radix.*

Deincepe da linguæ nature aliquid dicamus. Est autem lingoa membrum valda necessarium ad diuersas corporis vtilitates, in ore à natura productum, spongiosum quidem ac caroosum, ex neruis & aorum villis, lacertis,& venis, arteriis, & ligamentis confectum. In osse autem lande est radix eius implantata,& ligementis ligata:

Neruus linguæ. *Vena linguæ.*

nerui autem qui in lingua à sexto pari connectotur neruotum, cerebri sensum recipiunt: motionem vero à septimo pari neruorum cerebri. Sub lingua prætarea fuot duæ venæ sitæ, quæ apparent,quando aliquo instrumento lingua erigitur: quarum incisio plurimum iuuat diuarsas gutturis passiones. Est prætetca lingua producta loquelæ gratia, cibi per spatium temporis in ote gubernendi, atque gustus alimentorum percipiendi. Vigent insuper sub lingua carnes glandulosæ, in quibus duo orificia existunt,

Orificia sub lingua.

quibus,instar colatorij,saliue atque hepar purgantur. Auerroca libro 1. colliget. cap. 20. *Lingua*, inquit,*est caro mollis,& alba,inuoluta venis multis, & paruis, in quibus est sanguis, & sunt venæ in ipsa, & arteria, & musculi, & sub ipsa duo existunt orificia, quæ pertingunt vsque ad carnem glandulosam ipsius, quæ sub illius radice est posita.* De hoc autem membro egregie Philosophus loquitur:

Philosophus. 2. de part. anim. c. 16.

Linguam, inquit, *non similem, atque aliis animalibus natura hominis dedit, sed idoneam, qua ad duplicem actionem vteretur: nam & ad percipiendos sapores valet, & ad formandam sermonem. Sermo enim qui voce promitur, ex literis constat quod si lingua talis, & labra humida, atque agilia non essent; maxima pars literarum exprimi non posset: quippe cum literæ partim lingua producantur partim labris comprimantur.*

Duplex vsus linguæ.

Homo linguam absolutam, mollissimam, & latam præcipue habet, vt commoda ad vtrumque officium sit, hoc est, & ad sapores percipiendos, & ad literas exprimendas, est enim homo omnium animalium sensu facilis, & lingua, quæ mollis est: nam hæc vim tangendi præcipue obtinet: gustus autem tactus quidam est.

Lingua hominis qualis. *Blæsi.* *Balbi.*

Ad literarum etiam æxplanationem,& ad sermonis expressionem lingua mollis, lata, & absoluta accommodatior est, quippe quæ contrahera, producare, dilatare, denique verie afformare maxime possit. Patet hoc in iis, quibus non satis absoluta est, blæsi enim & balbi, & torti sunt. Lingua non habet aliquem saporem in acta: & ideo quando in eà aliquis humor imbibitur, corrumpitur gustus, vt habetur ex commento *libri de sensu, & sensato.* Et 3. *de anima tex. com vltimi.*

Lingua animum.

Linguam bebet animal quatenus significet aliquid alteri; nam & aues lingua vtuntur, 9. *de historiis animalium cap.* 10. ad sui sensus mutuam interpretationem. linguam bifidam serpentes habent. 4. *de animalibus cap.* 10. omnia ouipare habent linguam, excepto vno crocodillo fluuiatili; huoc enim non nisi locum tantummodo linguæ habere putaueris:

Crocodillus non habet linguã.

cuius rei causa est, quoniam idem, & terrestris, & aquatilis est quodammodo. Vt terrestris ergo, locum obtinet linguæ, vt aquatilis, elinguis. Pisces enim, aut nollam habere linguam videntur, aut inexplentatam habent Caosa est, quoniam mandere, prægustareque non possunt, sad in deuorando sensum voluptatemque cibi capiunt; lingua enim mouet sensum saporum: esculentorum autem omnium voluptas in descendendo contiogit; dum enim deglutimus, pinguia sentimus, & dulcia, & raliqua generis eiusdem. Linguæ vice aliquibus palatum tributum est à natura: & inter fluuiatiles Cyprino, ita, vt nisi diligenter inspexeris, linguam id asse putes. 4. *de natura animelium.*

Cyprino.

Hæc de lingoæ natura dicta sufficiunt.

De corpore hominis. *Aurium natura.*

De auribus autem ad supra dicta aliquid addere, non erit inutile. Sunt autem aures in extremitate mandibularum à parte superiori, in dextra & sinistra positæ iuxta ossa verrusliæ fundatæ, super os petrosum, perforatum, & durum. Ab extra vero vsque ad prædictam ossis perforationem: multas habeot inuolutiones in transitu intus procadendo, quousque quintum par neruorum cerebri attingerint: cuius virtute auribus est concessa potestas audiendi. Quam ob causam prædictus neruus cooceuus formatus est, vt commodius omnes sonos reciparet.

Neruus concauus.

In vnaquaqua vero aurium, atque mandibularum extremitare cartilago producta est, quæ aurium officio obsequeretur: proinda incisio huiusmodi loci debet esse ad instar semicirculi, ne aliquid in illis axistens, sui læsionem patiatur.

Vena colli.

In parte autem dextra & sinistra colli, post aures venæ inueniuntur, quæ ab hepata vaoiunt, sub quibus sunt arteriæ, quæ à corde procedunt, quæque ascendendo versus caput per commissuras, cerebrum ingrediuntur, propter eam, quæ paulo ante dicta est rationam. Philosophus *lib. 5. de animalibus cap. 2.* dicit auriculas curuatas, anfractus, atque in torsiones se habentes, melius percipera sonos, veluti sunt auriculæ ceruorum, leporum, asinorum, equorum: homo vero respectu suæ magnitudinis, minime omnium animalium à longe sentire potest, cum tamen differentiarum sensu maxime omnium valeat: cuius rei causa est, quoniam seosorium terrenum, corpulentumque nequaquam habet? cutem prætercea tenuissimem præ cæteris animalibus homo suapte natura pro suæ magnitudinis respectu, obtinet.

Homo non sentit à longe. *Compositio oculorum.*

De oculorum compositione nonnulla scribenda putaui. Sont autem oculi membra ex septem tunicis, tribusque humoribus confecta. Porro, eorum compositio sic constat: à parte anteriori cerebri, duo nerui concaui procedunt, qui à primo pari nerootum carabri veniunt, quique postquam à cerebro aliquantulum recesserint; illico inuicem ad modum crucis coniunguntur, atque ita ex duobus fit vna concauitas: deinde in eorum exitu separantur à cranco, & duobus teguntur carebri panniculis, optici que nerui vocantur, in eorumque priocipio videtur esse carebri substantia anterioris ventriculi. Itaque, prædicti nerui in crucis modum coniuncti, concaui sunt, vt ais fiar locus communis, vtque species à duobus oculis recepta, per duos neruos ad vnitatem redeat: & vna res videatur, & non duæ.

Prima tunica oculi.

Quilibet vero eorum cum craneũ exierit, ad proprium oculum terminatur, paoniculum durum, & grossum texens, qui sclir oticus dicitur: deinde ab eodem alius sequitur panniculus, qui secundina tunica eppellatur.

Secunda tunica.

vocatur aotem secundina, quia primæ succedit, atque in sui situatione vitraum oculi amplectitur humoram.

3\. Postea sequitur tertia tunica, quæ retina dicitur; retie enim habet figuram, comprehenditq; medietatem humoris.

4\. Quarta tunica appellatur vuca, vtpote ad instar tunicæ vuæ composita: cuius medium natura perforauit. quæ quidam perforatio, pupilla est appellata, quæ stringitur, & dilatatur in humore crystallino, vt virtus visiua perfici possit.

Pupilla.

5\. Ab hac autem tunica totus comprehenditur albugineus humor, vt humor crystallinus comprehenditur.

6\. Alia tunica vocatur cornea, quæ impedit humorem albugineum, ne per foramen vueæ egredi valeat. Dicitur autem cornea, siue corneus panniculus, quia similitudinem habet cum cornu lucido. Alia tunica dicitur coniunctiua, ao quod totum oculum coniungit, & confirmat, excepta pupilla, quæ quidem coniunctiue à panniculo cooperiente craneum, suam habet originem. Sed tempus est, vt ad nostrum Mercurium redeamus, huiusmodi speculationis studio tali fine imposito. Laus tibi sancte Pymander, quia omnia pulchre fecisti. Hæc fusius, clariusque habentur lib. 8.

MERCVRIVS.

Vide, quot diuinæ artis opera in vna materia demonstrantur. singulaque pulchra, recteque dimensa, necnon propriis inuicem officiis differentia. Quisnam singula finxit? qualis mater? qualis pater? nonne solus ipse inuisibilis DEVS cuncta propria voluntate molitus?

Commentum XV.

Exp. Tex.

EX humani corporis opificio, ex miræ sapientiæ artis inilio ostensa. Deum quam facillime intelligi posse, sapienter ostendit: *Vide*, inquit, *fili, quot diuinæ artis opera in vna materia*, in vno, inquã, corpore hominis demõstrantur: *singulaq;* nempe ossa, venas, neruos, carnes, musculos, & q̃ sunt generis eius-

Deus est omnia.

ris eiusdem: *pulchra*, ad totius corporis compositionem pulchram seruientia: quæ quidem ex æqua partium proportione consurgit: *recteque dimensa*: nam si vnum os, neruus, aut vena, musculus, vel caro, rectam atque iustam non haberet suæ proportionis mensuram; opificium profecto destrueret corporis humani: *nec non propriu &c.* hoc est, vt vnius officio alterum membrum non fungatur: distincta ac distributa singulis sua munera, ne esset confusio, & turpitudo in corpore; vbi enim non est officiorum distributa executio; facile omnia perditum iri, necesse est: manus siquidem non est oculus, nec oculus est auris, nec cerebrum est cor, neque iecur est pulmo. Quare, sicut distincta sunt membra; ita etiam distinctis muneribus discreta consistunt: omnium tamen officia, vnam componunt atque confirmant corporis pulchritudinem; neque enim ex vno, sed ex pluribus constat membris pulchritudo. *Si enim totum corpus* (inquit Apostolus) *auditus; vbi visus?* Distincta ergo sunt abinuicem, & pro inuicem solicita. Siquidem corporis humani opificium, est veluti ciuitas, quæ ex multis ciuibus constat. *Quisnam singula finxit?* Deus vtique *qui finxit sigillatim corda eorum*: qui nouit omnia opera eorum. Et Isaias. *Tu fictor noster es, inquam, finxisti nos: nos autem lutum in manu tua. Manus tuæ Domine finxerunt me*, ait Iob, *plasmauerunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me? Memento quod sicut lutum feceris me, & sicut caseum me coagulasti.* Paulus ad Roman. 9. *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? Vade*, inquit Dominus ad Ieremiam, *ad domum statuarij, & dic: Sicut lutum istud in manu statuarii, sic & vos in manu mea, dicit Dominus.* Deus igitur recta à nostro Mercurio fictor noster, plasmator, & artifex appellatur; quandoquidem rebus naturæ ordinem tribuerit, vt pro sui generis qualitate cuncta nascerentur. Tex. *Qualis mater? qualis pater?* hoc est, licet parentes nos procreauerint, quippe qui ex illorum sanguine constamus; ossa tamen nostra Deus compegit: venas irrigauit, neruos tetendit: corpusque animauit. Ipse ergo est primus pater, à quo & compacti sumus, vitam accepimus, & indies accipimus. Reuera, postquam adoleuimus, & ad annos pubertatis peruenimus, nobis relicta est cura vitæ instituendæ, vt pro nostro libitu viueremus. At Deus benedictus semper nobis adest, & ab officio patris nunquam desistit. sine quo esse non possumus, nedum bene esse. Ipse ergo Deus inuisibilis sua voluntate molitus est hæc omnia. Quomodo autem Deus à nobis videri possit, paulo ante ostendi. De Dei autem voluntate circa finem primi libri Pymandri abunde copioseque disputaui.

Proportio corporis. — *Pulchritudo vnde.* — *1. Cor. 12.* — *Psal. 32.* — *Isaias 64.* — *Iob.* — *Rom. 9.* — *Ierem. 18.* — *Deus primus pater.*

MERCVRIVS.

Etenim cum statuam, & imaginem absque fabro, & pictore fieri nullus asserere audeat; mitam mundi huius constructionem, sine cōditore constitisse putabimus? ô cæcum homunculum, ô nimis impium, ô profundis obrutum ignorantiæ tenebris! Caue, caue, ô fili mi Tati, ne vnquam artificium priues artifice.

Commentum XVI.

Omnia à Deo fieri.

SI Deus ipse sua voluntate molitus est omnia; ossa ergo ipse facit pro suæ voluntatis beneplacito, & quæ voluit, & quādo, & quomodo voluit. Quod si crassa opus sit vti Minerua, statua aliqua nobis esse potest exemplo; etenim statua à nobis inspecta, mox illius artificem percipimus, cuius arte & studio statua erecta est, atque artificiosa diligentia opera formata. Quare, si illam statuam sine pictore & fabro constitisse asserere audeat nemo; quis tanta amentia rapietur, vt mundum istum, statuam magni artificis Dei, sine Deo conditore constitisse putet? Profecto, is non homo, sed homunculus impius, ignorantiæ tenebris obrutus est appellandus. Quamobrem, summopere ab hac impietate nobis cauendum, ne velimus artificium ponere sine suo artifice. In principio huius libri, & in principio primi Pymandri, de hac re satis aperta dixi, quapropter supersedeo nouo labore: cum ex supradictis ad plenum satisfactum arbitrer voluntati legentis. Cæterum, id interest inter diuinum & humanum artificem, quod diuinus & materiam produxit, & imaginem ex materia effinxit, quemadmodum suam decebat potentiam, atque sapientiam; humanus vero ex materia agit, quam ipse non fecit.

Mundus statua Dei artificis.

MERCVRIVS.

Deus est omnia.

Quinimo congruo Deum nomine patrem vocato, patremque esse, proprium eius opus existimato. Quod si me quiddam audacius proferre coegeris, huius essentiam esse dicam, concipere, ac facere omnia.

Commentum XVII.

Deus facit omnia bona.

QVod Deus sit pater legitimus, ex principio tertij libri Pymandri satis lucida potest cognosci. Quod vero proprium illius essentiæ sit, concipere, & facere omnia bona, facile potest intelligi: Etenim Deus cum sit summum bonum, hoc ipsa bonitas, cuius interest foras, sesequé aliis insinuare; proculdubio ad ipsum maxime spectat concipere, ac concepta aliis parere. Concipit autem non ex aliquo extrinseco, & à se peregrino, nec aliquid noui, quod prius non conceperat, sed quod ab æterno concepit: illud tandem in lucem adducit, sicut adducendum ab æterno disposuit. Est igitur illius essentia grauida semper, prægnans atque fertilis, quippe, quæ vnum habeat, non plures conceptus, eundemque æternum & immotabilem: alioquin in Deum aliquid noui caderet, quod est falsum omnino. Amplius, Deus est purissimus actus, cuius vita & duratio existit ipsi continua & æterna. Dei operatio est immortalitas: hæc autem est vita sempiterna. Agit ergo semper vitam beatam, quia illam à se non aliunde habet: ad extra vero omnia agit, ita, vt sine ipso factum sit nihil, hoc est, malum, quod quidem non est propria actio, sed actionis rectæ priuatio. Recte ergo dictum est à Mercurio, Deum omnia agere: nam quemadmodum luminis est lumen semper emittere; ita actus purissimi semper agere, tum in seipso, tum in iis, quæ foris videntur. Profecto, omnes omnium vitæ ab vna prodeunt vita, & omnium esse ab vno esse; sic etiam omnium actus, quoad illorum substantiam, ab vno puro, & simplicissimo actu diuino. Plotinus. *Deus habet omnia*, inquit, *est omnia, secum habitat, sibi prorsus vnitus, habet cuncta non habens, non enim ea possidet tanquam alia: nec ipse existit alius: neque quæ sunt in eo, singula segregantur à singulis: imo vero quodlibet est vniuersum, & vbique totum: neque tamen confunduntur cuncta, sed rursum singula discernuntur. Quod ergo bonum est particeps; non simul omnia, sed quod potest, participat. Est item primus actus illius, primaque essentia, ille videlicet in seipso manente.* Hæc Plotinus. Ex quibus cognoscimus, quod Deus omnia agat: sit principium omnium, medium atque finis: & à suæ æternitatis immutabilitatis arce nunquam amoueatur. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, ait Ioannes. *Falsum ergo dixit scriptura*, ait Augustinus in commentario illius loci, *quod Deus requieuerit ab omnibus operibus suis in die sabbathi? Sed quis explicet verbis, quomodo Deus & quietus operetur, & operans quiescat?* Semper ergo Deus operatur, non tantum in rerum creatione; verumetiam in ipsarum conseruatione. Proprium ergo est Dei omnia concipere & facere.

Deus est actus. — *12. meth. t. 39.* — *2. cal. t. 17.* — *Enn. 1. lib. 8 c. 2.* — *Ioan. 5.* — *Deus semper operatur.* — *August.*

MERCVRIVS.

Quemadmodum vero sine factore fieri quicquā nequit; ita Deum existimare nisi semper agat omnia, impossibile est, in cælo videlicet, aere, terra, mari, in toto mundo, in qualibet particula mundi tota: tum in eo quod est, tum in eo quoque quod non extat; nihil enim est in omni natura, quod ille ipse non sit. Est ille siquidem quæ sunt: est ea etiam, quæ minime sunt; quæ quidem sunt, deduxit in lucem: quæ non sunt, occulit in seipso.

Commentum XVIII.

Deus semper agit.

ARguit Mercurius hoc modo: Quemadmodum, inquit, vt quicquam fit sine factore, fieri non potest (omne enim quod est, aut est factum, aut factor, excepto ergo factore, omnia sunt facta) ita plane, vt Deus sit, & non semper agat: nam si ipse non ageret, nihil quicquā ageret. sed agunt aliquid omnia, quæ sunt: ipse agit igitur. Sicut, si non est primū mouens, nequaquam alia mouerentur. sed multa mouētur; est ergo primum mouens. Agit ergo omnia, vt omnium prima causa, in cælo vitam, in aere motum, in terra quietem, in mari aquarū fluxus, in toto mundo omnia, in qualibet particula mundi tota, totum, tum in eo quod extat, quod iam apparet, tum in eo,

quod

Deus est omnia. *Thales.* *Zeno.* quod apud se retinuit. Quamobrem Thales Milesius ait, vt dicitur 1. *de anima, tex. com.* 86. diis omnia plena esse. Et Zenon asseruit, Deum per omnem substantiam permeare. & in intellectuali esse intellectum, & in animali animam, & in naturali naturam, & in affectione esse affectum & habitum. Disputauit de hoc negotio in hoc libro supra quomodo Deus sit vbique: & alibi. quomodo sit Deus omnia in omnibus. Sequitur tex. *Quæ quidem sunt, deduxit in lucem:* hoc est, sua voluntate creauit; perinde enim est esse in luce, quam habere esse post non esse. Creata igitur sunt omnia, non quidem præexistenti ex materie, sed ex nihilo: Quæ vero non sunt in luce, non apparent: non foras prodierunt, *in seipso occulit,* in abysso suæ diuinitatis, quia mundus ferre non poterat. *Rom. 4.* Deus ergo est, & quæ sunt, & quæ non sunt. Simile quiddam loquitur Paulus ad Romanos: *vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Apud Deum,* inquit Augustinus, *iam factum est, quod eius dispositione futurum est.* *In psal. 104.* Omnia ergo sunt ab ipso Deo, in ipso, & per ipsum.

MERCVRIVS.

Hic Deus nomine melior, hic occultus, hic rursus omnium patentissimus, hic menti conspicuus, hic præsens oculis.

Commentum XIX.

DE Dei essentia sermonem contexens: *Hic,* inquit, de quo tot tantaque dixi, *melior est nomine,* hoc est, maior est omni laude, ac sermone: *Hic est occultus,* qui ab aliquo intellectu videri non potest, nisi illius prius fuerit lumine illustratus. *Isa. 45.* *1. Cor. 2.* *Vere,* inquit Isaias, *tu es Deus occultus.* occultus, inquam, iis, qui terrenis intendunt, quia *animalis homo non percipit quæ Dei sunt; stultitia enim est illi, & non potest intelligere. Hic rursus est omnium patentissimus menti & oculis conspicuus:* de qua quidem re in libro de mystica Theologia Dionysius egregie *Dionys. Areopagita.* disseruit. *Causa,* inquit, *omnium omnia supereminens, nec essentia, nec vita, nec ratione, nec mente capta est: neque est corpus, neque figura, vel speciem, nec qualitatem, aut quantitatem habet: nec est in loco, neque cernitur, neque sensibilem tactum habet: nec sentit, neque est sensibilis, nec perturbationi ordinisexperti obnoxia est, a passionibus videlicet materialibus agitata. Rursus, nec est inualida, sensibilibus videlicet subiecta casibus, nec luminis indiga, nec alterationem, vel corruptionem, aut priuationem vllam admittit nec aliud quicquam sensibilium habet.* Hæc Dionysius. Itaque, Deum primam causam *Deus prima causa.* appellat omnia supereminentem, efficientem, atque conseruantem. Et reuera, quemadmodum proprius quilibet rerum ordo, ad proprium reducitur caput vnum; sic vniuersalis rerum omnium ordo ad vnum omnium vniuersale caput denique est referendus: si enim quo altior causa est, eo latius dominatur: altissima ergo causa vim suam actionemque per omnia porrigit. Omnium igitur causa, & conseruat vbique singula & efficit, vocaturque causa eminens, propterea, quod nullam habeat cum effectibus proportionem, vt dicunt Platonici, sed est prorsus absoluta; alioqui *Plato.* non foret summopere simplex, atque prima. Cum igitur prima causa per simplicem eminentiam agat omnia, & sentienda & intelligenda; merito nihil est eorum, quando nec proportionem quidem habeat ad illa. Quam ob causam à Mercurio dicitur, Deum esse omnia, quoniam ab ipso omnia fiunt, & conseruantur: super omnia veró, quia omnia transcendit sua simplicissima absolutaque æternitate: vnde *Psal. 138.* Dauid ait: *Et tenebræ eius, ita vt lumen eius.* Et Psalmo 17. *Et ascendit super Cherubim, & volauit super pennas ventorum:* hoc est, *Orphe.* animarum vires. Orpheus ait, Deum esse noctem & diem: Nox simul atque dies sapientia primaque origo. O igitur immensus splendor, nostros obtutus adeo percellens, & captus deuincens; vt verius dici videatur, homines te non videre, quam videre. Si itaque me rogas, quid sciam de Deo meo; hoc certe me scire fatebor, quod omne, quod scio, *Deus est aliquid nec nihil.* non sit Deus meus. Nam Deus non est nihil; quandoquidem ipsum nihil Deo opus habeat, vt ad esse deducatur, & sit aliquid. Secundo, Deus non est aliquid, id est, aliud quid, quia est omne, & aliquid non est omne: sed est supra nihil ipsum omne, & supra aliquid, quia ipsi obedit nihil, vt fiat aliquid, suaque potentia excedit id, quod est, cum illud possit ad non esse deducere. Ipsum igitur omne est, quod sua potentia facit ire esse in non esse, & non esse in esse. Nihil igitur est eorum, quæ sub eo sunt: & quæ præuenit omnipotentia eius. Et ob hoc non potest dici potius esse hoc, quam illud, cum ab eo sint omnia. Ex quibus quod non potest nominari, quia paruum est, quod nominari potest: at id cuius *Deus est omnia.* magnitudo concipi non potest, nominari non potest. Quod, vt facilius intelligamus, pyramidis figuram consideremus; *Figura Pyramidis.* hæc enim figura sensim ex quadam partium differentia, & suarum basium amplitudine, in insectilem vnum apicem consurgens, ibi tantummodo definit, vbi nulla est amplius partium differentia; sed vniformis earum coincidentia in summa quadam & eminentissima vnitate: ita sermones nostri, quamdiu humanis incumbimus disciplinis, pro naturæ varietate, ac differentia subiectorum, varij, lati, & diuersi effusi sunt. At vbi humanis relictis disciplinis, ad diuinæ essentiæ speculationem properamus; mox & singularium, & specierum, & generum turba nos deficit: occurritque nobis id *Deus est ineffabilis.* duntaxat vnum, quod omnia transcendit. Quod cum simplicissimum sit, & partium expers, caret insuper & generibus, & speciebus, & singularibus, & accidentibus, atque proprij manifestum est in illo ipso silere, atque obmutescere orationem nostram. Quo enim modo in illo non silebit, qui omnia prædicamenta infinities transcendit? *Deus,* inquit *de cognit. vera vitæ c. 3.* August. *nullis verbis potest exprimi: nulla potest cogitatione comprehendi.* Est igitur Deus ineffabilis, quia omnem nostram orationem superat: Est rursus non ineffabilis, cum sit supra omnia effabilis, quia omnium nominabilium est causa, & omnibus nomen tribuit. Neque est effabilis, & non effabilis, quia non est radix contradictionis, sed supra omnem radicem, & ante contradictionis fundamentum, est eius vnitas & simplicitas. Sic ergo Deus dicitur euidens, & occultus, absconditus, & conspicuus, latens, & patens.

MERCVRIVS.

Hic incorporeus, hic, vt ita dixerim, multicorporeus: Nam nihil in corporibus est quod ipse non sit; omnia enim ipse solus existit.

Commentum XX.

QVoniam dixerat Deum esse omnia, ne quis forte obiiceret: Deus ergo est corpus; nam multa sunt entia corporea: Respondet, Deo *Deus non esse corpus.* corpus tribui non posse, quippe qui sit spiritus simplicissimus ab omni compositione liber. Est nihilominus multicorporeus, non quidem formaliter, sed effectiue, quatenus omnia ab ipso fiunt, & in esse conseruantur. Quod vero Deus non sit corpus, sic probatur à Damasceno. *Lib. 1. cap. 4.* Nullum corpus potest esse infinitum, interminatum, infiguratum, intangibile, inuisibile, simplex, incompositum, immutabile; ex iis enim omnibus constat, quæ suapte natura sunt finita atque terminata. Sed Deus est infinitus, interminatus, & huiusmodi: igitur non est corporeus. Amplius, si Deus esset corporeus, tum duo corpora simul consisterent, quod falsum esse in 3. libro ostensum est. 1. Antecedens patet; nam Deus est vbique, vt dictum est supra: *Cælum & terram ego impleo, dicit dominus* per Ieremiam. & per Dauid. 2. *Ierem. 23.* *Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Cum *Psal. 138.* ergo omnibus non cedentibus suo loco corporibus adesset; duo profecto corpora simul essent. Deus ergo non est corpus. Quod quidem Maro in suo 6. pulchre depinxit; ait enim, *Deum ire per omnes terras tractusque maris, cælumque profundum.* Cicero in Tusculanis ait, Deum esse mentem solutam, liberam ab omni concretione mortali. Amplius, ex 3. tribus terminis, puncto scilicet, linea, & superficie, corporea constat magnitudo: cum igitur illa triam Deo inueniri non possint; quis non videat, corpoream magnitudinem in Deum cadere non posse? Item, intelligere est proprius Dei 4. actus, qui plane non est actus corporis: non ergo spectat ad Dei substantiam, habere corpus sibi vnitum: quod enim Deo conuenit, ab eo nunquam est secretum atque diuisum: si ergo conuenit Deo corpus habere, non ergo conuenit illi intelligere, quod est falsum. Quod vero humanæ animæ corpus habere conueniat, in causa est, quia est imperfecta, & *Quare anima habet corpus.* in potentia existit in genere intellectualium substantiarum, non habens in sui natura scientiæ plenitudinem, sed à sensibilibus rebus per sensus corporeos, illam sibi acquirit. Vniuersum præterea perfectum nó esset, si aliqua creatura cor- 5. poralis in eo non inueniretur, quæ immaterialem, atque corpoream, quoad fieri posset, sic imitaretur naturam artificis; bonum enim quod Deus intendit in operibus à se conditis, est sua ipsius imitatio: perfecta siquidem assimilatio effectus ad causam est, quando effectus causam imitatur secundum id, per quod producitur à causa: sicut calidum efficitur à calore. Deus autem per intellectum, & voluntatem creaturam produxit: intelligere vero, vt dixi, non est actus corporis,

Dei nomen. *Error antiquorum.*

corporis, nec alicuius virtutis corporeæ; quia omne corpus determinatur ad hic, & nunc. Quare, si ad perfectionem vniuersi spectat dari creaturam aliquam incorpoream, quæ imitetur incorpoream Dei naturam: est ergo Deus incorporeus omnino. Reuera, priores homines, vt intelligendi ab eis non intellecta, nec delectu habito inter sensum & intellectum, nihil esse in mundo, nisi quod sensu & imaginatione apprehendi potest, asserere eosi sunt. Quia vero sub imaginatione non cadit nisi corpus; nullum ens esse, nisi corporeum putauerunt, vt docet philos. ex quibus prodierunt Saducæi, qui spiritum negabant. Verum si intellectus est altior sensu: aliquæ ergo sunt res incorporeæ, quæ solo intellectu comprehenduntur. Deus ergo est incorporeus, & multicorporeus, vt dixi.

4. phys. *Saducæi.*

MERCVRIVS.

Nomina insuper habet omnia, quoniam vnus est pater: Nomen quoque nullum habet, quoniam pater est omnium.

Commentum XXI.

Dei nomina multa & nullum.

IN primo lib. Pymandri disputaui de diuinis nominibus: proinde pauca restant mihi addenda atque describenda: Iste, inquit Mercurius, qui est nomine melior, quoniam vnus est pater, *habet omnia nomina*, hoc est, ipse cum fecerit, facit, conseruet, & tueatur omnia; profecto est omnia in omnibus. ideoque dicitur habere nomina omnia, quia est omnia per effectum, non per suam ipsius substantiam, quasi illius essentia transformetur, siue mutetur in omnia entia. Rursus, non habet aliquod nomen, quia pater est omnium, id est, non habet aliquod particulare nomen, cæteris relictis: nam quoad suum æternum amorem, non plus vnum diligit, quam alterum, eorum, quæ ab eo condita sunt, licet quoad sui amoris effectum, sit non parua in rebus distinctio, atque discretio. Cum igitur æterna charitate omnia prosequatur, sitque pater omnium: nullum igitur habet nomen propriũ, quia non pluris vnum facit quam alterum. Neque enim asserere voluit, Deum nullum habere, qui eum sæpe patrem legitimum appellauit; sed de æterno Dei amore sermonem instituit, quo diligit omnia, quæ fecit, vt dicit scriptura. Similis loquendi modus apud Dionysium Areopagitam inuenitur. *Hoc, inquit, intelligentes theologi, diuinitatem partim tanquam nomine carentem, partim ex omni nomine celebrant. vt carentem quidem nomine, quando supremam diuinitatem aiunt, in vna quadam secretarum, occultarumque aliquid significantium visionum, apparentem, increpasse eum, qui interrogauerit, quod est nomen suum? Ac veluti eum ab omni diuina appellationis cognitione abducentem, dixisse. Quidnam nomen meum interrogas? & hoc est mirabile. At vero, nomen istud reuera mirabile nomen. quod est super omne nomen, quod est innominabile, quod quidem omne nomen exuperat in hoc seculo vel futuro?* Ex hac autem Dionysij expositione, possumus etiam verba Mercurij sic interpretari: Deus, quia pater est omnium, nullum habet nomen, quoniam eius nomen exuperat omne nomen: sic dicimus aliquem nullam habere legem, quia exuperat omnem legem, & Deum non habere aliquam mensuram quia est supra omnem mensuram. Vicissim quoque, inquit Dionys. tanquam plurimis nominibus præditum laudent: vbi Deum rursus dicentem inducunt: ego sum qui sum, vita, lumen, Deus, veritas. Et quando diuina sapientia præditi ipsam omnium causam varia denominatione ex creatis omnibus prædicant, vt bonum, vt pulchrum, vt sapientem, amabilem. Deum deorum, dominum dominorum, sanctum sanctorum &c. Hæc Dionysius, ex quibus perspicuum esse puto, cur Deus dicitur habere omnia nomina, & nullum præterea nomen illi inesse. Hoc idem etiam ab eodem authore in lib. de mystica theologia clarissime statuitur: *Debemus sane, inquit, omnes rerum positiones affirmare de Deo, tanquam de omnium causa: vicissimque potiori quadam ratione easdem omnes de Deo negare, tanquam cunctis excelsiore. Neque vero putandum est, negationes eiusmodi affirmationibus repugnare; sed ipsam vniuersi causam, quæ omnibus non solum ablatione, sed etiam positione prior est, longe prius priuationes omnes exuperare:* hæc Dionysius. Et reuera, quæuis cum à Deo profluunt atque dependent, de Deo possumus affirmare, quasi non inde venire potuerint, nisi prius illic extiterint, sic Deum affirmabimus esse essentiam, substantiam, vitam, intellectum, animam, naturam, cælum, elementa, stellas, formas rerum, atque hac ratione omnia nomina habere. At quatenus ipse interim est ab omnibus eminentissime segregatus, negamus rursus singula de Deo, & ita nullum nomen habere dicitur; quia nimirum exuperat omne nomen. Cæterum, verior est negatio, quam affirmatio circa Deum; quoniam longe plus est, quod ipsius Dei separatum est à rebus, quam quod rebus est, quasi communicatum. *Hac ratione Diuum Bartholomæum aiunt*, inquit Dionysius in eodem loco *theologiam esse plurimam, atque paucissimam. ipsumque euangelium esse tum latum, magnumque, tum concisum. Mihi quidem mirifice intellexisse videtur, cum qui circa bonam omnium causam versatur, vti posse tum multis verbis vti, tum etiam paucis, tum denique nullis quippe, cum penes eam. & verbum, & intelligentia cesset propterea quod quadam super essentiam ratione omnia supereminet: solisque illis sublato velamine, reuera fulget: quicunque omnia non solum impura, sed etiam pura transilierunt: omnemque omnium sanctorum culminum ascensum iam transcenderunt & cuncta diuina lumina, & sonos, sermonesque cælestes deseruerunt, atque eam protinus caliginem subiere, vbi ille reuera est, vt sacra eloquia tradunt, qui omnibus est excelsior.* Cum igitur Deus, vt ait Dionysius, sit omnibus excelsior, & omnia in omnibus; recte ait Mercurius, Deum habere omnia nomina: & nullum habere nomen. Et cap. 1. de diuinis nominibus: *Hac igitur, inquit, ratione ipsam omnium causam super omnia existentem, tum priuatio nominum, tum etiam rerum omnium nomina decent, vt vniuersorum exacta ratione sit regnum: atque circa ipsam omnia sint & ex ipsa tanquam causa, tanquam principio, tanquam fine dependeant ipsaque, vt scriptum est, omnia sit in omnibus.* Sic igitur vere laudatus, atque nominatur ex omnibus, quoniam omnibus exhibet subsistentiam, inchoans, perficiens, continens, custodia omnium, atque sedes; & ad seipsum cuncta conuertens. simpliciter omnia, & incircumscripte in seipsa complectens.

Dei nomen. *Verior affirmatio quam negatio.* *Apo Bartholomæi sententia.* *Quomodo careat nomine.* *Lib. de diuin. nom. c. 1.* *Nomen Dei admirabile.* *Plura nomina Dei.* *Affirmationes de Deo.* *Negationes de Deo.* *Priuatio nominum.*

HYMNVS MERCVRII.

Quid ergo te laudabit? supra te, an infra te positum? Quo vertam oculos, vt te laudem? supra ne, an infra? intus an extra? Non modus, non locus circa te, non aliud quiddam ex omnibus. In te autem omnia, abs te omnia: præbes omnia: nihil denique suscipis: omnia quidem habes; quod autem non habes, idipsum nihil. Quando vero laudabo te pater? tempus, & momentum tuum capere non valeo.

Commentum XXII.

SIcut voluptas humana, noxia est audire cantus, & carmina; ita Dei laudes canare, & audire, iucundum & spirituale gaudium est: hæc est voluptas vera, quæ comes est virtutis: hæc est non caduca & breuis sed perpetuo, & sine vlla intermissione delectans. *Narrabo nomen tuum fratribus meis*, ait Dauid Christi personam gerens: In medio ecclesiæ laudabo te. Fratres Christi sunt, de quibus ipse dicit. *Vado, dic fratribus meis*: ecclesia vero vna Catholica, quæ toto orbe diffunditur, quæ vsque ad vltimas gentes crescendo porrigitur, vnde in Euangelio dicitur: *Et prædicabitur euangelium hoc in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus.* Sequitur in psal. *Qui timetis Deum, laudate eum. Quis autem laudat*, ait August. in eodem loco, *nisi qui syncerisser amat?* Tantundem est ergo, ac si diceret: *Qui timetis dominum, amate eum. Dixit Iob: Ecce pietas ipsa est sapientia. Porro, pietas cultus Dei est, nec colitur ille, nisi amando. Ergo, qui timetis dominum laudate eum; iam non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Immola, inquit, Deo sacrificium laudis: & redde altissimo vota tua,* Et in fine eiusdem psal. *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Laus ergo Dei, est sacrificium nouæ legis. Psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua domine. vnde, in secula seculorum laudabunt te. Hæc est angelorum actio, vt Deum semper laudent. Hæc est nostra actio*, ait Augustinus ibi, *Iam Dei. Amas, & laudas desinis laudare, si desinis amare: hæc actio nunquam nos deserit, semper nobiscum est: quod autem semper nos comitatur, illud omnino amplectendum est à nobis. Cætera ministeria hic desistunt, hic complentur. Iam vero Dei velut propria, & hæreditaria portio, nunquam nos deseret.* Amor ergo Dei quietus in ipsius vultu, quem modo desideramus, cui suspiramus, cum ad eum venerimus, quo modo non accendet, in quem nondum visum, sic suspiramus? Itaque, sicut propria passio cuilibet tribuitur naturæ, ita plane proprium est animæ nostræ officium, Deum laudare. & eo pluris faciendum, quo semper perseuerat. Cum igitur ad hoc id maxime spectet; ad hoc certe summopere niti debemus, verũ in aduersis, tum etiam in prosperis Deus à nobis semper laudetur. *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Mane dicitur*, ait Augustinus, *quando nobis bene est, nox dicitur, quando tristitia tribulationis est. Quando ergo tibi*

Canere Dei laudes. *Psal. 21.* *Ioan. 20.* *Ecclesia vna.* *Matth. 24.* *August.* *Iob.* *Psal. 49.* *Psal. 94.* *Proprium hominis laus Dei.* *Psal. 91.*

Laus Dei. bene est, lauda Dei misericordiam: quando vero male, lauda illius veritatem. *Psal. 32.* Indicat Dauid veros Dei laudatores: *Rectos decet collaudatio.* *Si curam fueris,* ait Augustinus, *laudabis Deum, quando tibi bene est: blasphemas, quando tibi male est.* Quod quidem, si iustum, non est male. iustum est autem, quoniam ab illo fit, qui iniuste facere nihil potest. *Psal. 39.* *Et eris insulsus puer in domo patris, amans patrem quando sibi blanditur: & odio habens, quando te flagellat. quasi non & blandiens, & flagellans hæreditatem paret. Audi igitur vocem recte hominis laudantis: Benedicam domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Illi ergo recte Deum laudant, quibus nihil displicet, quod facit Deus.* *Psal. 102.* His impulsus Dauid, suam ipsius animam sic exhortando alloquebatur: *Benedic anima mea Dominum: & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Sane, laudari se vult Deus, ve nos proficiamus, non vt ille sublimetur. Non est omnino quod illi tribuamus: & quod exigit, non sibi, sed nobis exigit: nobis prodest, nobis seruatur. Non hoc à nobis amat, quod illum augeat; sed quod nos ad illum perducat. Itaque, actio nostra laus Dei est, quæ semper à nobis exigitur: *A quibus laudatur.* propterea, quod non illi, sed nobis proficit. Verum, qui Deum laudant, omni prorsus crimine vacare debent: propterea *Psalm. 49.* *Eccle. 15.* dictum est à propheta: *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Quia vtique *non est speciosa laus in ore peccatoris*: vnde, vt scribit *Luc. 4.* Lucas: Dæmones Christum confitentes, ab eodem reprehensi sunt: *Et increpans,* inquit, *non sinebat eos loqui*, quia nolebat mundo innotescere prædicatione malignorum. vnde *Menander.* Menander: *Odi impium, qui verba loquitur proba.* Scribit Aulus *Aulus Gellius.* Gellius in noctibus, quod cum quidam improbatæ famæ vir sententiam dixisset reipublicæ conducibilem, iusserunt eandem ab alio quopiam integro viro pronunciari, atque illius nomine decerni: quod absurdum existimarent, à malo viro bonum consilium proficisci, aut sententiam bonam. Quare, cum laus ab eo datur, quem laudendi officium mi- *Prou. 11.* nime decet, de tali recte illud prouerbij dicitur: *Annulus aureus in naribus suis*; viri enim mali, doctrina non modo non ornantur; verum magis ridiculi fiunt, non secus ac si annu- *Diogen.* lum aureum sues naribus deferrent. Cum Diogenes adolescentem quendam insigni forma, fœdum aliquid atque obscœnum dicere audiuisset. *Ex eburnea,* inquit, *vagina plumbeum gladium educit.* *2. Timot. 3.* *Discedat,* inquit Apost. *ab iniquitate quicunque inuocauerit nomen Domini.* Cum igitur hæc ita se habeant; non mirum à Mercurio tam anxie soliciteque efflagitari facultatem laudandi. *Quid ergo te laudabit supra, &c.* & est sensus, nihil est, quod te digne laudare queat: siquidem omne, quod est, infra te est: ideoque, sicut virtutis magnitudine omnibus antecellis; ita plane laudum eminentia omnes prorsus creaturas superas. Quo me vertam, vt te laudem? supra ne an infra? intus an extra? non modus, non locus circa te, non aliud quiddam ex omnibus. Quasi diceret: quocunque me verto, semper inuenio materiam te laudandi: ita, vt locus non desit, neque modus laudis tuæ decla- *Omnia in Deo.* randæ. Subdit rationem: *Omnia,* inquit, *in te*; quia omne quod factum est, in te vita est, quippe; quia in tua præscientia sunt, quæ est vita per essentiam. *Omnia abs te,* permittendo videlicet, aut efficiendo. *Omnia præbes:* nempe, & essentiam, & esse, & velle operari, & bene operari, denique & perficere. *Nihil tandem suscipis*, propterea, quod bonorum nostrorum non indiges, cum sis vndequaque plenissimus. *Omnia quidem habes,* sicut dixi: *quod autem non habes, idipsum nihil est*, peccatum scilicet, quia sine ipso factum est nihil, id est, peccatum, quia nimirum nihil homines efficiunt, cum peccant: sius, quod in te non est, in rerum natura inueniri non potest; sed est purum nihil: omne enim esse, pendet à primo esse; sicut omne viuum à prima vita, & lucens à prima luce. Tex. *Quando vero laudabo te pater?* vtique semper quando, omne tempus complectitur: benedicam igitur dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Tempus, & mo- *Tempus Dei.* mentum tuum capere non valeo. De Dei tempore, nempe æternitate, lib. 4. locuti sumus, & quidem abunde: Consulat ergo patiens lector locum illum, & non pœnitebit laboris. Sensus ergo Mercurij est: cum ipse sis pater venerande, sine principio, & ideo omnium principium, & finis, idque capere nequeam; sic quoque tuas laudes efferre non valeo: quia nimirum maiestas laudati, copiam superat, & virtutem *Humilitas Mercurij.* laudatoris; nam maior es omni laude. Itaque, hæc Mercurij humilitas, qua se reputat indignum, qui Deum laudet, eum maxime dignum efficit; nam quo humilior, eo gratior est oratio deprecantis: Oratio humiliantis se penetrat cælos; quia humilium semper, & mansuetorum Deo placuit deprecatio. Multum ergo in Dei laudibus se profecisse sciat, qui se ad laudandum reputat indignum.

MERCVRIVS.

Laus Dei. Qua potissimum in te laudes cantabo tuas? Num in his quæ creaueris, an in illis quæ non creaueris potius? Num in his forte, quæ in lucem è tenebris eruisti, an in his, quæ latent adhuc arcano sinu recondita: per quid tandem hymnos tuo cantabo nomini? Nunquid in laudatione tali ego ipse mei iuris existam; an potius alter efficiar?

Commentum XXIII.

Perstat Mercurius in eiusdem laudis materia: *Tex. exp.* *Qua,* inquit, *in te laudes cantabo tuas? Num in his quæ creaueris*: ecce quomodo rerum creationem aperte profitetur, *an in illis, quæ non creaueris potius?* Non ergo Deus ad extra ex necessitate agit, vt quidam dicunt, cum multa posset facere, quæ non facit. *Num in his forte, quæ in lucem è tenebris eruisti?* hoc est, quæ erant in abysso, diuinitatis tuæ, in potentia obedientiali, quæ in esse actuali, proprijsque formis postquam sunt constituta, quasi è tenebris in lucem prodierunt. *An in his quæ latent &c.* *Deus agit libere.* quasi diceret: Multo plura sunt, quæ adhuc in arcano sinu tuo sunt recondita; quam ea, quæ in lucem prodire fecisti. In tertio libro disputauimus, vtrum Deus potuerit res efficere meliores quam fecit. *Per quid tandem hymnos tuo cantabo nomini?* Cum igitur, inquit, ex omni parte maior sis omni laude; per quid tandem hymnos nomini tuo cantabo? Ad hoc accedit, quod in huiusmodi laudatione non sim mei iuris, sed alterius. Et reuera, vt scribit Dionysius Areopagita: *c. 4. de diuin. nom.* *Amor Dei facit extasim, quia amatores sui iuris esse non sinit*: vnde *Amor Dei facit extasim.* Paulus: *Viuo iam non ego, viuit vero in me Christus*: & ad Rom. 8. *Galat. 2.* *Quicunque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Aguntur,* ait Augustinus, *non vt ipsi nihil agant; sed vt alij agant.* In laudibus igitur diuinis ille multum proficit, qui in laudando se deficere sentit, quique spiritu Dei ectus alter efficitur: *Mutaberis,* inquit Samuel ad Saulem *in virum alterum, cum ad prophetarum cuneos perueneris.* sicque accidisse scriptura commemorat. Profecto *Veri laudatores.* veri adoratores adorant in spiritu & veritate, hoc est, à vero Dei spiritu agitantur, ad diuinas laudes decantandas: qui vero à diuino spiritu agitur, non sui iuris est; sed spiritus à quo mouetur: non ita tamen, vt ipse libere non agat, alioqui nulla esset mercede dignus, sed potius, vt actus agat. Talia quædam de seipso sensisse videtur sapientissimus Mercurius, vt patet satis. Animus plane cum propemodum accedit ad Dei laudes efferendas, ambiguitate laborat, ipse ne sit an alter: propterea quod speciebus consueuit inniti. Deus autem speciem nullam habet. *Quando,* inquit Plotinus: *ad informe aliquid fertur animus, cum comprehendere nequeat, propterea quod non determinetur, neque velut corpus figuretur, vario quopiam figurante, protinus inde prolabitur ne forte nihil sibi reportet.* *Enne. 6. lib. 9. c. 3.* Itaque animus supra se erectus, in alterius quodammodo potestatem transit, vt alterius sit: & ad illius iussum moueatur, qui eum à morte ad vitam reuocauit: alterius est iuris, & alter efficitur.

MERCVRIVS.

Ipse profecto es quidquid ego sum: ipse es quidquid agam: ipse es quidquid denique dicam. Ipse enim es omnia, neque aliud præter te quicquam. Quod sane non est, es ipse: ipse omne quodcunque genitum, ipse omne quod nunquam genitum. Mens quidem intelligens, pater fabricans, Deus efficiens bonum, bona faciens omnia. Materiæ namque purissimus aer, aeris anima, animæ mens, mentis denique Deus.

Commentum XXIV.

Dei laudes edicere, atque explicare gestit, sed in *Tex. exp.* ipso suo conatu opprimitur à gloria maiestatis: mira tamen quædam protulit, & difficilia intellectu: quæ à nobis multis in locis dilucidata sunt, ideoque paucis me absoluam. Tu, inquit, Domine Deus meus es quidquid ego sum; quia meum esse & viuere abs te habeo: similiter & agere, & loqui. quasi diceret cum Diuo Paulo. *Omnis nostra sufficientia ex Deo. Ipse omnium es omnia*: quia causa & virtus, vt subsistant, quæ natura *2. Cor. 3.* constant:

Dai laus. constant. *nec aliud quidquam est prater te. Quod sane nō est, es ipse,* quia nimirum es supra omnia ganera entium : idcirco ablatione omnium entium cognoscitur Deus. *Quemadmodum,* inquit Dionysius, *qui statuam indigenam fabricant, auferentes amnia, qua circum apposita impediant, perspicuum forma latentis intuitum, solaque ablatione, pulchritudinem ipsam in se pādens occultam; ita oportet positiones omnes auferre rerum, vt earum creatorem inuenire possimus.* Primo igitur separa corpus ab anima: deinde ab eadem corporeas passiones : tertio imaginationem à ratione : amplius, rationales discursus ab intellectu : iterum intellectualem multiformitatem ab ipsa animæ vnitate: sexto, ab hac vnitate animalem, intellectualemque conditionem : in septimo gradu est quies, quia inuenitur Deus, sub ipsa vnitate quodammodo absconditus & latens. Igitur recte dixit Mercurius : *Quod sane non est &c.* quia nulla res Deus est. ipse ergo est solus extra omnia, et cans, regensque omnia; mundum namque velut statuam suæ bonitatis fabricatus est opifex, sed velaminibus multis opertam. Subtrahe ergo primo materiam, relinque cætera, iam habebis vbique cælum, cui multi materiam ademerunt. Deme rursum cælestibus mundo dimensionem, seruatis formis, omnibusque formarum motibus, & animam vniuersam inuenies. Tolle motus, formis omnino seruatis, vniuersum mox possides intellectū : cui aufer to diuersos inter se formarum radios, atque ita gradatim Deum inuenies. Sequitur tex. *Ipse omne quodcunque genitum &c.* Tu es omne quod actu est in rerum natura, quia tua virtute conditum est & subsistit. Tu es omne quod nunquam est conditum; vtpote tua maiestas, quæ principio caret & fine sui esse. *Mens quidem intelligens.* ... imo & 3. Pymandri rationes adduxi, quibus facile aduerti licet, cur Deus Mens nominetur. *Pater faciens,* quippe qui mirtam huius mundi machinam fabricauit, omniaque quæ in ipsa continentur. *Deus efficiens bonum:* nam bonus cum sis, non nisi bonum efficere potes: quia vero ab ipso bono omnia bona; idcirco ait, bona faciens omnia. Omne bonum à primo bono proficiscitur: sicut omne ens à primo ente. Quare, quemadmodum extra primum ens, non sit aliquod esse; ita plane extra primum & summum bonum, aliquod bonum inueniri non potest. Deinde ponit gradus, quibus gradatim mens laudantis, ad Deum conscendere valeat: Ex materia, inquit, corporalium, ad aerem purissimum, hoc est, ex magis materialibus ad minus materialia conscendimus: dimissis vero ramotisque corporalibus, ad spiritualia migramus, quæ inter sese gradibus distinguuntur. infimum autem gradum anima obtinet, cuius officium est, vt corpus animet & regat: deinde mens, superior animæ pars, ad quam spectat diuina contemplari: Deus vero est supra mentem, & supra intellectum, supra omne quod intelligimus, & cogitamus, qui est benedictus in secula, Amen.

de Myst. Theol. c. 2.

Septem gradibus ad Deum ascendimus.

Deus bonus.

Bonum à Deo.

Gradus ascendēdi.

* * *
*

Finit Dialogus V. Mercurij.

DIALOGVS SEXTVS.

MERCVRIVS.

Bonum ô Æsculapi in nullo peoitus, nisi in vnico Deo, imo ipsum bonum Deus ipse semper. Quamobrem, esseotiam omnis motioois, atque cognitionis esse Deum oportet: hac esseotia orbatum nihil. Hæc circa se stabilem actum, nullius egenum, infinitum, superabundantem, porrigentem possidet. *Deus bonus.*

Commentum I. Dialogi sexti.

Dei bonitas. DE DEI bonitate in hoc libro, & in 3. Pymandri plura me scripsisse recolo. Verū, quia Mercurius de hac eadem materia disputationem instituit, eum imitari, quoad mihi fas est, decreui: præsertim cum de Dei bonitate loquatur, qua nihil suauius audiri potest ab vnoquoque sapiente, optime instituto. Fas sit mihi ergo sancte Pymander, de hac tua bonitate abundantius loqui: *Bonum,* inquit, *ô Aesculapi, in nullo penitus, nisi in vnico Deo, imo ipsum bonum, Deus ipse semper:* quia scilicet natura bonus, à qua excidere nequit; quia seipsum negare non potest. bonum namque Deo tribuendum sicut primæ causæ efficienti. *Bonus siquidem dicitur Deus,* ait Dionysius de diuin. nomin. *sicut ex quo omnia subsistunt.* Sane bonum dicitur, quia est appetibile: vnumquodque autem suam appetit perfectionem : perfectio vero & forma, est quædam agentis similitudo; omne enim agens agit sibi simile. Quare, ipsum agens appetitur, quatenus habet rationem boni: appetitur inquam, vt eius similitudinis consortes effici possimus. Cum vero Deus sit prima omnium causa effectiua, sibi boni, & appetibilis rationem competere, liquet. vnde & summum bonum simpliciter, non autem in aliquo genere vel ordine rerum appellatur. Sic enim Deo bonum attribuitur, quatenus omnes boni perfectiones ab eo, veluti à prima causa effluunt: non autem effluunt ab eo velut ab agente vniuoco; sed potius sicut ab agente, quod tum speciei, tum generis ratione, suis cum effectibus minime conuenit. Reuera, in causa quidem vniuoca vniformiter inuenitur effectus similitudo: in æquiuoca vero excellentius: veluti calor excellentiori modo est in sole, quam in igne. Cum igitur bonum sit in Deo, veluti in prima causa omnium; non vniuoca excellentissimo modo in eo inuenitur: ideoque summum bonum appellatur, propterea quod omnia bona complectitur, ipsoque possesso omnis boni possessio habeatur. Itaque, solus Deus est bonus per suam essentiam; vnumquodque enim dicitur bonum, quatenus est perfectum. Perfectio vero alicuius est triplex: prima quidem, qua in suo esse constituitur: secunda vero, quæ aliqua confert accidentia, ad perfecte operandum necessaria: tertia vero perfectio est alicuius, quod aliquid aliud, velut finem attingit. Sic prima ignis perfectio in esse consistit, quod per suam habet substantialem formam. secunda vero eiusdem in caliditate, leuitate atque siccitate; tertia autem quatenus suo in loco quiescit. Porro, hanc triplicem perfectionem nulli rei creatæ secundum essentiam competere, dubium esse non potest: in solo ergo Deo hæc trina perfectio amplissima inuenitur: cuius essentia est suum esse, in quam non cadunt aliqua accidentia: non habet præterea aliquem superiorem finem, ad quem sit ordinandus, ipso existente vltimo fine omnium entium. Ex quo patet, quod cum solus Deus omnimodam habeat perfectionem secundum suam essentiam; ipse plane sit solus bonus per essentiam: reliqua autem entia dicuntur bona bonitate diuina, extrinsece & causaliter: quatenus ipsum bonum participant, per cuiusdam assimilationis modum, remote tamen & deficienter. Itaque licet vnumquodque bonum dicatur bonitate diuina sicut primo principio exemplari, effectiuo, & finali totius bonitatis; vnumquodque tamen bonum dicitur, ob similitudinem diuinæ bonitatis sibi inhærentem, qua est formaliter bonum: atque ita vna est omnium bonitas, & multæ etiam bonitates. Quamobrem Mercurius ait, Deum esse essentiam omnis motionis & cognitionis; quia nimirum ipse est prima causa effectiua, qua & motionem habent, & cognitionem omnia. Hac autem essentia orbatum aliquid esse nequit: alioqui minime esset: hæc autem essentia habet actum infinitum, plenissimum, superabundantem, omniaque porrigentem. de quibus omnibus ad plenum in libro 3. & aliis me disputasse memini; Deus enim habet actum infinitum simpliciter, & non secundum quid, quia nimirum est suum esse, non contractum ad aliquam naturam, veluti sunt formæ creatæ, non receptæ in aliqua materia; sed per se subsistentes. Hæ quidem sunt infinitæ secundum quid, quatenus scilicet non sunt per aliquam materiam contractæ; non autem sunt infinitæ simpliciter: propterea quod eorum esse sit ad aliquam determinatam naturam contractū

Ex. tex.

Bonum quid.

Deus summum bonum.

Deus bonus per essentiam.

Triplex perfectio.

Bonitas omnium.

Deus causa omnium.

Deus habet actum infinitum.

Deuebo. nus.
atque receptum. Materia præterea determinetur per for-
mam,tametsi in potentia sit ad plures accidentarias formas.
Itaque,illa quorum formæ recipiuntur in materia,non sunt
Infinitum magnitudine.
simpliciter infinita. Amplius,si daretur aliquod infinitum
corpus secundum magnitudinem,vtpote ignis,vel aer, se-
cundum essentiam infinitum esse non posset; quandoqui-
dem illius essentia,ad aliquam speciem per formam deter-
minaretur,& ad aliquod indiuiduum per materiam : pro
cuius rei intellectu,non ignorare oportet, corpus, quod est
completa magnitudo,bifariam accipi posse : nempe cum
mathematice,tum etiam naturaliter: & methematica qui-
dem, quatenus sola in eo quantitas consideratur : naturali-
ter vero materia & forma. Non dubium est autem cor-
pus naturale in actu infinitum esse non posse, propterea
quod aliquam habeat determinatam formam: cum vero
ad formam substantialem accidentia consequantur; ad de-
Corpus naturale non est infinitum.
bitam ergo formam determinata sequi accidentia, inter
quæ est quantitas,necesse est. Quamobrem,cum omne cor-
pus naturale, tum in maius, tum in minus determinatam
habeat quantitatem;fieri non potest, vt sit infinitũ. Ad hoc
accedit, quod omne corpus naturale determinato agitur mo-
tu: corpus vero infinitum nullo motuum naturalium age-
retur: non quidem motu recto,quia nihil mouetur motu
recto,nisi extra sui loci terminos meauerit: quod plane cor-
pori infinito conuenire non potest; omnia namque loca
occuparet: atque ita quilibet locus esset illi proprius. Nec
etiam illi motus circularis conueniret; quandoquidem in
motu circulari opus sit, vt vna pars corporis ad locum
transferatur,in quo altera prius extiterit: quod plane in cor-
pus infinitum non cadit; quia lineæ protractæ à centro in
infinitum differant ab inuicem: atque ita vna non posset lo-
Corpus mathematicum non est infinitum.
cum elterius ettingere. De corpore quoque mathematico
similis ratio haberi potest; siquidem sub aliqua forma exi-
stat secundum imaginationem,oportet: nihil enim est actu,
nisi per suam formam. Quare,cum forma quanti,in quan-
tum huiusmodi sit figura,vt aliquam habeat figuram, erit
necesse,atque ita erit finitum: figura sane terminis,siue ter-
mino concluditur. Neque etiam datur actu infinitum mul-
titudine,teste Sapientia 2. Omnia inquit,in pondere, nu-
Infinitum multitudine non datur.
mero,& mensura fecisti: etenim,omnis multitudo est in a-
liqua multitudinis specie: species autem multitudinis sunt
secundum species numerorum: nulla autem numeri spe-
cies est infinita,quippe,quia quilibet numerus,est multitudo
facta per vnum: quapropter fieri non potest, vt sit multitu-
do actu infinita per se,siue per accidens. Amplius, omnis
multitudo in rerum natura existens,est creata: omne vero
creatum sub aliqua certa intentione creantis comprehen-
ditur,non enim frustra agens aliquid, operatur: sub certo
ergo numero creata omnia comprehendi,necesse est. Fieri
ergo non potest,vt sit multitudo actu infinita: potentia ve-
ro nihil obsistit,propterea, quod augmentum multitudinis,
diuisionem multitudinis consequatur; quo enim aliquid
plus diuiditur,eo plura inde resultant. Ideo,sicut infinitum
in potentia,in diuisione continui inuenitur, quia ad mate-
riam proceditur;ita quoque infinitum in potentia, in addi-
tione multitudinis. Ex quo patet,solum Deum habere a-
ctum infinitum,nullius egentem.

CAP. II.

Argumenta contraria.

1. Solent aliqui *contra* prædicta sic disputando *argue-*
re. Ratio boni consistit in modo,specie, & ordine,
quæ in Deum non cadunt,propterea quod sit im-
mensus,& ad aliquẽ finem minime ordinari possit:
Deo ergo ratio boni non est tribuenda. Adde illud Philo-
sophi,atque Boetij: Bonum est quod appetunt omnia. sed
Deum non omnia appetunt; quia non omnia ipsum co-
gnoscunt: nihil autem appetitur,nisi notum: Bonus est Do-
minus,ait Ieremias Tren. 3. sperantibus in eum,animæ quæ-
2. renti illum: ergo quod prius. Amplius summum bonum
aliquid addit supra bonum; alioqui sum'mo bono minime
conueniret. sed omne quod se habet ex additione ad ali-
quid,est compositum: summum ergo bonum esset compo-
situm. Deo est summe simplex: igitur non est summum
bonum. Adde,quod summum,comparationem importet.
sed quæ non sunt vnius generis, comparationis carent:
cum autem Deus non sit in eodem genere cum alijs bonis,
3. respectu eorum summum dici non potest. Item,sicut vnum
conuertitur cum ente; ita plane & bonum. sed omne ens

est vnum per suam essentiam. 4. meth. omne ergo ens est bo- *Actus*
num per suam essentiam. Sane,si bonum est, quod appetunt *Dei infi-*
omnia, cum ipsum esse ab omnibus appetatur: ipsum ergo *nitus.*
esse cuiuslibet rei, est eius bonum. sed quælibet res est ens
per suam essentiam: similiter ergo & bona erit. Ad hæc ac-
cedit,quod omnis res per suam bonitatem est bona: si igitur
aliqua res sit, quæ non sit bona per suam essentiam; necesse
erit, quod eius bonitas non sit sua essentia. Illa ergo bonitas
cum sit quoddam ens; vt bona sit, oportet omnino, & qui-
dem alia bonitate. Iterum, de illa bonitate fieret interroga-
tio: aut ergo ariit procedetur in infinitũ, aut tandem ad aliam
deuenire bonitatem, quæ non erit bona per aliam bonita-
tem. Eadem ergo ratione standum est in primo: res igitur
quælibet est bona per suam essentiam. Præterea, quod omne
bonum sit bonum diuina bonitate: Bonum hoc, inquit Au-
gustinus 8. de Trinitate, & bonum illud: tolle hoc, & tolle
illud & vide ipsum bonum, si potes: ita Deum videbis non a- 4.
lio bono bonum. Vnumquodque igitur est bonum ipso bo-
no,quod est Deus. Suffragatur huic proposito illud Boetij
in lib. de hebdom. Omnia, inquit, bona dicuntur in quantũ
ordinentur ad Deum, idque ratione bonitatis diuinæ: ergo
quod prius. *Respondent* ad huiusmodi argumenta, & ad pri- *Soluuntur*
mum quidem sic: habere modum, speciem, & ordinem, ad *Argumen-*
boni causati attinet rationem: at bonum in Deo est sicut in *ta.*
causa, ideoque authoritas illi inest, cæteris rebus modum, 1.
speciem, ordinemque imponendi. *Ad confir.* verum est, o-
mnia dum appetunt proprias perfectiones, ipsum Deum
appetere, quatenus scilicet omnium rerum perfectiones di-
uini esse similitudinem gerunt. *Ad 2.* summum bonum ad-
dit supra bonum, non quidem rem aliquam absolutam, sed 2.
relationem tantum: relatio vero, qua aliquid de Deo dici-
tur relatiue ad creaturas, non est in Deo, sed in creatura rea-
liter: in Deo vero secundum rationẽ. Non ergo in summo
bono est aliqua comparatio, sed id tantum, nempe alia ab
ipso deficere. *Ad confirmat.* Deus est extra genus, & principi-
um omnis generis, atque ita ad alia per excessum compara-
tur. Itaque huiusmodi comparationẽ summum bonum si-
gnificat: ideoque ad alia bona comparatur. Cum ergo di-
citur, omnia summum bonum appetere, non sic intelligen-
dum est, vnumquodque bonum ab omnibus appeti; sed
potius quicquid appetitur, boni rationem habere. Ad 3. cum
vnum non significet perfectionis rationem, sed indiuisionis
tantum; hac de causa vnicuique rei competit secundum 3.
suam essentiam. Simplicium autem essentiæ, tum actu, tum
potentia sunt indiuisæ: compositorum vero essentiæ sunt
indiuisæ secundum actum tantum: ideoque quælibet res
vna est per suam essentiam: non autem bona, quia scilicet nõ
est suum esse. *Ad confir.* licet vnumquodque sit bonum, in
quantum habet esse; creatæ tamen rei essentia, non est ipsũ
esse. Quare non sequitur, vt res creata sit bona per suam es-
sentiam. *Ad aliam* confirmationem, rei creatæ bonitas, non
est ipsa eius essentia, sed aliquid superadditum, vtpote i-
psum eius esse, vel aliqua perfectio superaddita, vel ordo
ad finem: ipsa tamen sic superaddita, bona dicitur sicut &
ens. Quamobrem ens appellatur, quia ea est aliquid, non
quod ipsa aliquo alio sit, siue sit: vnde hac ratione dicitur
bona, propterea, quod sit aliquod bonum, non quod ipsa
habeat aliquam aliam bonitatem, qua sit bona. *Ad 4* omnia
sunt bona bonitate diuina extrinseca: bonitate autem pro- 4.
pria intrinsece & formaliter, sicut iam dictum est. Ex quo
patet, bonum Deo proprie conuenire, illiusq; proprium es-
se. *Sed* iterum aliquis *arguet*, Deum non habere actum infini-
tum, quia ipse non est infinitus: Omne infinitum est imper-
fectum, quia habet rationem partis, & materiæ: 3. *phys.* sed *Alia ar-*
Deus est perfectissimus: non ergo est infinitus. Adde, quod *gumenta.*
finitum & infinitum, vt dicitur 1. *phys.* ad quantitatẽ spectent.
atqui in Deo nulla est quantitas, cum sit ab omni corporea
concretione omnino liber: ergo quod prius. Postremo,
quod ita est hic, quod non sit alibi, est finitum: ergo quod 1.
ita est hoc, quod non sit aliud, est finitum secundum sub-
stantiam. sed Deus est hoc, & non est aliud; non enim est
lapis, neque lignum: igitur non infinitus secundum substan-
tiam, & consequenter non habet actum infinitum. Amplius,
quod aliquid aliud quam Deus possit esse infinitum per es- 2.
sentiam, virtus rei ad eius essentiam proportionem
habet: si ergo Dei essentia haberet actum infinitum; habe-
ret, vtique virtutem infinitam operandi: atque ita posset
effectum infinitum producere; virtutis enim quantitas per
suorum effectuum virtutem est cognoscenda. Adde,
quicquid virtutem habet infinitam; habet etiam essentiam
infinitam. sed intellectus creatus habet virtutem infinitam;
apprehendit enim vniuersale, quod infinita particularia
comple-

Actus Dei infinitus. complecti potest: igitur omnis substantia intellectualis est infinita. Ad hoc accedit, quod materia aliud est à Deo. sed materia prime est infinita: ergo quod prius. 3. Amplius, quod sit aliquod infinitum actu secundum magnitudinem; quod enim non destruit alicuius rationem, potest illi euenire. sed esse infinitum, non destruit rationem magnitudinis, sed finitum potius, & infinitum sunt passiones quantitatis: aliqua ergo magnitudo potest actu esse infinita. Sane, magnitudo diuisibilis est in infinitum; continuum namque 3. phys. diuisibile est in infinitum. sed contraria nata sunt fieri circa idem, cum diuisioni opponatur additio, & diminutioni augmentum: magnitudo ergo posset crescere in infinitum, atque ita habetur propositum. Insuper, motus & tempus, à magnitudine quantitatem atque continuitatem habent, super quam profecto magnitudinē, vt dicitur 4. *phy.* transit motus. sed motus & tempus, possunt esse infinita, quippe quia vnumquodque indiuisibile signatū in tempore, & motu circulari sit principium & finis: magnitudinis ergo rationi non repugnat, vt sit infinita. Iterum quod detur infinitum actu secundum multitudinem; 4. Quod est in potentia, potest reduci in actum; alioqui illa potentia esset frustra. sed numerus potest in infinitum augeri: potest ergo esse multitudo actu infinita. Reuera, cuiuslibet speciei potest esse aliquod indiuiduum in actu. sed species figuræ sunt infinitæ: possunt ergo figuræ esse actu infinitæ. Denique, quæ non opponuntur ad inuicem, non impediunt se inuicem, sed posita aliqua rerum multitudine, adhuc alia posset poni, & sic in infinitum: ergo quod prius.

CAP. III.

Solvuntur Argumenta.

1. AD *primum* dico, ex eo infinitum appellari, quod scilicet caret fine: finitur quodammodo materia per formam, & forma per materiam: materia quidem per formam; quia per ingressum formæ ad illam, coarctatur eius latitudo, tametsi in potentia sit ad alias; forma vero quia ex se communis est ad multa: determinatur vero per materiam, in qua recipitur. *Materia infinita.* Materia autem per formam perficitur, per quam finitur; ideoque infinitum, quatenus materiæ attribuitur, imperfectionem sonat; est enim quasi materia carens forma. At forma non perficitur per materiam, sed potius eius amplitudo coarctatur, atque contrahitur: itaque, infinitum quatenus se tenet ex parte formæ; per materiam non habet determinate rationem perfecti: illud aūt, quod est maxime formale omniū, est ipsū esse. Cū vero esse diuinum (vt dixi) non sit receptum in aliquo, sed ipse Deus sit suum esse subsistens; liquet, solum Deum esse infinitum atque perfectum. *Infinitum imperfectum.* Cum ergo dicitur omne infinitum esse imperfectū; patet, illud esse intelligēdū de infinito ex parte materiæ, non aūt de infinito, quod est suum esse. *Ad confir.* quantitatis terminus est sicut ipsius forma, cuius rei signum est, quod figura, quæ in quantitatis terminatione consistit, sit quædam circa quantitatem formæ: quare infinitum, quod se tenet ex parte materiæ, Deo tribui non potest. *Ad aliam confirmat.* dico ex eo Deum esse maxime infinitum, quod est suum esse per se subsistens, non receptum in aliquo: atque 2. ita ab omnibus aliis distinguitur. *Ad* 2. id est contra rationem facti, vt rei essentia sit eius esse; esse enim subsistens non est esse creatum: ideoque est simpliciter contra rationem facti, vt sit simpliciter infinitum: vnde quemadmodum Deus non potest facere aliquod quod non sit factum; essent enim contradictoria simul, tametsi habeat potentiam infinitam; ita non potest facere aliquod infinitum. *Ad confir.* virtutem intellectiuam sese quodammodo extendere ad omnia, ex eo maxime prouenit, quod intellectus non sit forma in materia, veluti est intellectus angelicus. quia tamen habet esse limitatum, non est simpliciter infinitus. Intellectus quoque humanus non est alicuius organi actus; ideo se extendit quodammodo in infinita: non est tamen simpliciter infinitus propter eandem rationem. Ad aliam confirmationem, materia prima non est simpliciter infinita; sed secundum quid, quatenus scilicet eius potentia, non nisi ad formas naturales porrigitur. 3. *Ad* 3. licet infinitum non destruat rationem magnitudinis in communi; destruit tamen cuiuslibet rationem speciei, vtpote bicubitæ, & tricubitæ, circularis, triangularis, & similium. Quare, cum nulla species magnitudinis sit infinita; fieri non potest, vt in genere, sit quod in nulla specie ipsius continetur. *Ad confir.* infinitum inuenitur in diuisione, non autem in additione magnitudinis: in causa autem est, quod infinitum, quod conuenit quantitati, subit rationem materiæ: per totius autem diuisionem acceditur ad materiam; partes namque habent rationem materiæ: et per additionem acceditur ad totum, quod quidem formæ suscipit rationem. *Infinitum magnitudine.* *Ad confirma.* motus & tempus, non sunt secundum totum in actu, sed successiue tantum; ideoque mixtam actui potentiam habent. At magnitudo est tota in actu; idcirco non patitur, vt 4. sit infinita. *Ad* 4. vnumquodque quod est in potentia, reducitur ad actum secundum modum sui esse; dies enim non tota reducitur in actum, vt sit tota simul, sed successiue tantum. *Infinitum multitudine.* Similiter se habet infinitum multitudinis; nam post quālibet multitudinem, potest sumi alia multitudo in infinitum. *Ad confir.* figurarum species infinitatem recipiunt ex infinitate numeri; sunt enim species figurarum, vt trilaterū, quadrilaterum, & similia: vnde, sicut multitudo infinita numerabilis non reducitur in actum, vt sit tota simul; ita, nec multitudo figurarum. *Ad confir.* licet quibusdam positis, aliæ poni possint; infinita tamen poni, cuilibet multitudinis speciei opponitur. Quamobrem fieri non potest, vt sit aliqua multitudo actu infinita. *Alia argumenta.* *Sed* iterum aliquis *arguet*: 1. Dantur infinitæ partes proportionales actu in continuo separatæ ergo dari possunt; omne enim absolutum existens sine eo, quod ad illius essentiam spectat, conseruari potest. sed continuatio vnius cum alia, nō est de essentia partium: ergo &c. 2. Amplius, in initio cuiuslibet partis proportionalis vnius horæ, à Deo Angelus creari potest. in vna ergo hora possent creari infiniti in actu; quicquid enim potest Deus successiue; 3. potest & illud idem efficere in rebus permanentibus. Iterum, Deus nequaquam minorem habet potentiam, quam infinitæ animæ, si essent, & quam ignis inferni. sed illæ possent infinita simul, & ignis infinitos cruciatus, si infinitæ ibi inuenirentur animæ, posset ergo dari aliquod infinitum in actu. *Solvuntur argumenta.* *Dico* ad primum atque secundum, ibi esse sophisma à sensu diuiso ad compositum: quamuis enim ad singularum non 1. spectet rationem partium, vt sit continua vna alteri; spectat nihilominus ad omnium simul. De earum siquidem ratione est, esse simul potentia, cui repugnat, singularum ab inuicem separatio. Implicat præterea numerare initia omnia partium proportionalium horæ, & tamen esse infini- 2. ta: si enim infinita, nunquam numerabuntur, & si comple- 3. buntur; non erunt infinita. Itaque, nec simul, nec successiue possunt produci infinita in actu existentia. *Ad* 3. toto concesso, non habetur intentum; non enim hoc ex diuinæ defectu potentiæ procedit; sed ex impotentia rerum, quæ simul actu infinitæ esse non valent.

MERCVRIVS.

Vnum, id est, vniuersorum principium, & effundens bonum: quoties nomino bonū, id quod omnia bona, & quod bonum semper, intellige. Hoc vnico Deo adest, neque enim cuiusquam indigus est, vt adeptionem illius appetendo, malus fiat: neque iactura cuiusquam in eum cadit vnquam, vt post damnum, dolore afficiatur; maior enim portione mali: nec est illo validius aliquid, à quo expugnetur.

Commentum II.

Tex. exp. DEVM esse perfecte bonum, quia natura bonus, clarissime docet: Deus, inquit, est natura bonus, quia vnicum vniuersorum principium, omnia porrigens, & nihil recipiens. Est namque ex seipso, & non aliunde felix, ac diues; ideoque nullius rei, quæ ad suam beatam vitam pertinet, facere potest iacturam, sicut neque sui esse. *Ens & bonum.* Ens autem & bonum re idem sunt: ratione vero dissentiunt. Etenim ratio boni est, vt sit appetibile. *Bonum, inquit Philosophus, est, quod omnia appetunt:* *t. eth.* *vnumquodque autem est appetibile, quatenus est perfectum; suā enim perfectionem omnia appetunt.* Verum, eo res dicitur perfecta, quo fuerit in actu: in tantum ergo aliquid bonum, in quantum est ens; quia esse est actualitas rei. at Deus summe

Deus bonus. est, quia nimirum est suum esse: igitur est summe & perfecte bonus. *Ens est prius bono.* Porro, ens prius cadit in intellectus conceptum, quam bonum, quia secundum hoc vnumquodque est magis cognoscibile, quatenus est in actu. 9. *meth.* Ens autem est primum obiectum intellectus: atque ita est primum intelligibile, sicut sonus est primum audibile. *Omne ens est bonum.* Cæterum omne ens, in quantum est ens, est bonum; quia scilicet est in actu, & quodammodo perfectum; omnis enim actus est perfectio quædam: perfectum vero habet rationem appetibilis. at Deus est summe perfectus: igitur summe appetibilis, & consequenter summe bonum, imo ipsum bonum, quia nullius indigus, alioqui non esset ipsum bonum: nam aliquid appeteret, cuius adeptione posset fieri malus. In eum quoque nullum damnum cadit, vt dolore aliquo moueatur, vt iniuria, atque ita ipsius bonitas perturbaretur. Neque est aliquid eo potentius, vt timeat ab ipso expugnari. *Bonum, & finis.* Est igitur Deus ipsum bonum, & consequenter omnium finis; illud enim, cuius causa est, est sicut finis, & bonum aliorum 2. *phys.* Etenim si bonum est, quod appetunt omnia, idque ratione finis, liquet satis, bonum, finis rationem habere. Verum causæ efficientis, atque formalis rationem præcedit boni ratio; videmus enim id, *Bonum & finis.* quod est primum in causando, vltimum esse in causato. Siquidem ignis prius calefacit, quam formam induat; cum tamen calor in igne substantialem formam consequatur: itaque in causando primum inuenitur bonum, & finis, qui mouet efficientem: deinde efficientis actio, quæ mouet ad formam: postremo forma accedit. In causato autem contrario modo res se habet; nam primum est ipsa forma, per quam est ens: deinde in ea virtus effectiua consideratur, quatenus habet perfectum in esse; vnumquodque n. tunc perfectum est, quando potest sibi simile facere. 4. *metheor.* tertio sequitur perfectio, per quam enti perfectio infunditur. *In bono tria sunt. lib. de nat. boni.* *In bono autem* (teste Augustino) *tria inueniuntur: nempe modus, species, & ordo, tanquam generalia bona, quæ quidem si magna extiterint; magna absque dubio erunt bona: si vero parua, parua bona:* at, vbi nullum; nullum bonum: quod quidem minime accideret, si ratio boni in eis non consisteret. Etenim, vnumquodque dicitur bonum, in quantum est perfectum: hæc plane ratione est appetibile, sicut sæpius me dixisse memini. *Modus.* Perfectum autem id dicitur, cui nihil deest, pro suæ perfectionis modo. Cum autem vnumquodq; id sit, quod est per suam formã, forma autem quædã præsupponet, & ad ipsam quædam ex necessitate consequantur, quo aliquid sit perfectum, & bonum; necesse est, vt formæ insint, quæ ipsam consequuntur. Præexigitur autem ad formam determinatio siue commensuratio principiorum materialium, seu efficientium ipsam, quod quidem est modus; ideoque dicitur mensura modum præfigere. *Species.* Ipsa autem forma significatur per speciem, propterea, quod per formam vnumquodque constituitur in specie; ideoque dicitur numerus speciem præbere: nam distinitiones speciem significantes, sunt sicut numeri, 8. meth. *Ordo.* Profecto, sicut ex additione, & subtractione vnitatis, numeri species variantur; ita plane ex admota siue remota distinitionibus differentia. Ad formã aũt consequitur inclinatio ad finem, aut ad actionẽ, aut ad aliquid huiusmodi; vnumquodq; n. in quantũ est actu, agit, & in id tendit, quod sibi competit secundum suam formã; quod quidem ad pondus, siue ordinem spectat. Itaque ratio boni, quatenus habet perfecti rationem, in modo consistit, specie, & ordine. At in Deo hæc tria perfectiori inueniũtur modo, quippe, quæ non aliunde, quam à seipso, nec ad alium quempiam externum, quam ad seipsum referentur; ipse enim est sibiipsi modus, species, & ordo, idcirco vere bonus, & summe bonus. *Honestum.* Adde, quod bonum est, quatenus est appetibile, & terminus motus appetitus: cuius quidẽ motus terminatio, ex naturalis corporis motus cõsideratione intelligi potest. Porro, motus corporis naturalis simpliciter terminatur ad vltimum: secundum quid vero ad medium, per quod itur ad vltimum, quod terminat motum. Aliquis vero terminus motus ideo dicitur, quatenus aliquam partem motus terminat: id autem quod est vltimus terminus motus, vel est ipsa res, in quam tendit, vtpote locus, vel forma, vel quies in re illa. Sic ergo in motu appetitus, id quod *Vtile.* est appetibile, terminans motum appetitus secundum quid, vt medium per quod tendit in aliud, vocatur vtile. Id autem quod appetitur, vt vltimum terminans, atque complens motum appetitus, veluti res quædam, in quam per se *Honestum.* appetitus tendit, nominatur honestum; honestum enim dicitur, quod per se desideratur. Quod vero in re desiderata, motum appetitus terminat, vt quies, delectatio dicitur. Hæc de natura boni dicere soliti sunt, qui hanc rem exactius scrutati sunt. Verum, *contra prædicta* posset aliquis sic obiicere, nempe bonum secundum rem ab ente differre, per illud Boetii in lib. de hebd. *Deus bonus. Argumenta.* *Intueor*, inquit, *in rebus aliud esse, quod sunt bona, aliud vero quod sunt.* re ergo, & non ratione tantum ab inuicem differunt. Sane nihil informatur seipso. sed bonum dicitur per informationem entis, vt dicitur in libro de causis: ergo 1.
quod prius. Denique bonum suscipit magis, & minus, non autem esse: differunt ergo ab inuicem secundum rem, vt 2.
dixi. Item, ordo nominum, rerum significatarum per nomina ordinem sequitur. sed Dionysius inter alia Dei nomina primo ponit bonum quam ens, de diuin. nomin. cap. 3. Bonum ergo secundum rationem est prius, quam ens. Ad hoc accedit, quod illud est prius secundum rationem, quod ad plura se extendit. sed bonum ad plura porrigitur, quam ens, eodem Authore cap. 5. Bonum enim se extendit ad existentia, & non existentia: ens vero ad existentia tantum: ergo quod prius. Sane, quod est vniuersalius, est prius secundum rationem. sed bonum est vniuersalius ente, habet enim rationem appetibilis: ens vero non sic; nam multa non esse appetunt, *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* *Matt. 26. Bonum erat si natus non fuisset.* Adde, quod non solum esse est appetibile; sed & vita, & sapientia, & similia multa: igitur, esse est quoddam particulare appetibile, & bonum vniuersale: bonum ergo secundum rationem, est simpliciter prius ente. Præterea, bonum 3.
addit supra ens, vt iam dixi: ea vero quæ addunt aliquid supra ens, ipsum contrahunt, sicut substantia, quantitas & qualitas, & his similia. Si ergo bonum contrahit ens: non igitur omne ens est bonum. Adde, quod bonum habet rationem appetibilis. sed materia prima non habet rationem appetibilis, sed appetentis: non ergo habet rationem boni, atque ita non omnia entia sunt bonum. Denique Philosophus ait 4. math. in mathematicis non esse bonum. sed mathematica sunt quædam entia: ergo quod prius. Iterum, bonum laudatur, vt pulchrum, teste Dionysio *cap. 4. de diuin. nomin.* 4.
sed pulchrum causæ formalis rationem indicat: bonum ergo non finalis, sed formalis potius causæ rationem importat. Adde, quod bonum sit diffusiuum sui esse; bonum enim (eodem Authore) est, ex quo omnia subsistunt, & sunt. sed esse diffusiuum ad causæ efficientis spectat rationem: bonum ergo subit efficientis causæ rationem. Suffragatur huic sententiæ Augustinus. *lib. de doct. Christ.* *Quia Deus est bonus*, inquit, *nos sumus.* sed ex Deo sumus, velut ex causa efficiẽte: ergo &c. Item, bonum & ens ratione differunt. sed modus, species, & ordo, ad entis rationem spectare videntur, Sap. 11. *Omnia in numero, pondere, & mensura disposuisti.* Ad quæ tria, species, 5.
modus, & ordo reducuntur, teste August. *4. super Gen. ad lit.* Mensura omni rei modum præfigit: & numerus omni rei speciem præbet: & pondus omnem rem ad quietem & stabilitatem trahit. *Modus. Species, & ordo.* Ratio ergo boni non consistit in modo, specie & ordine. Sane, ipse modus, species, & ordo, bona quædam sunt. Quare, si ratio boni constat ex modo, specie, & ordine: modus ergo habebit modum, speciem, & ordinem: & similiter species, & ordo: atque ita procederetur in infinitum. Ad hæc accedit, quod malum est priuatio modi, speciei, & ordinis, sed malum non aufert totaliter bonum: ergo quod prius. Reuera, illud in quo consistit ratio boni, malum dici non potest. sed dicitur malus modus, mala species, malus ordo: ratio ergo boni non consistit in modo, specie, & ordine. Adde, quod modus species, & ordo, ex põdere causantur, numero, 6.
& mensura: sicut patet ex Augustini iam posità authoritate. *Omnia autem bona*, teste Ambrosio in Hexameron, *non habent pondus, numerum, & mensuram*, vtpote lucis natura: ergo quod prius. Item, bonum, teste philosopho 1. eth. diuiditur per decem prædicamenta: honestum autem, vtile & delectabile, in vno possunt prædicamento inueniri: non ergo per hæc tria diuiditur. Omnis præterea diuisio fit per opposita. sed hæc tria non videntur opposita; honesta enim sunt delectabilia, nullumque inhonestum est vtile: quod tamen oportet, si diuisio per opposita fieret, vt opponerentur ad inuicem honestum & vtile: sicut etiam Cicero in lib. de Officiis docere videtur. Denique, vbi vnum propter alterum, ibi vnum tantum est. sed vtile non est bonum nisi propter delectabile, vel honestum: non ergo ab illis diuiditur. Hæc, & similia dici solent contra ea, quæ paulo ante à nobis posita sunt.

CAP.

Deus bonus.

CAP. II.

Soluuntur Argumenta.

Bonum & ens differunt.

AD *primum* dici potest, bonum & ens esse idem se-
1. cundum rem, ratione vero differre, hac de causa non eodem modo dici aliquid ens simpliciter, & bonum simpliciter. Cum enim ens aliquid proprie dicat esse in actu, actus vero ordinem habeat ad potentiam; eatenus aliquid dicitur ens, quatenus primo ab eo discernitur, quod est tantum in potentia. Hoc autem appellatur vniuscuiusq; rei substantiale esse; nã per suũ esse substantiale, vnumquodque dicitur ens simpliciter: per actus aũt superadditos, secũdum quid, sicut album significat esse secundum quid; non enim esse album, aufert esse in potentia simpliciter, propterea, quod rei accedat iam præexistenti in actum. At, bonum dicit rationem perfecti, quod est appetibile & consequenter rationem habet vltimi. Quam ob rem, id quod est vltimo perfectum, dicitur bonum simpliciter. Quod autem non habet vltimi rationem, quam ipsum habere oporteat: non est perfectum simpliciter, tametsi habeat aliquam perfectionem, quatenus est in actu: nec bonum simpliciter; sed potius secundum quid. Itaque, secundum primum esse, quod est substantiale, aliquid dicitur ens simpliciter, & bonum secundum quid, hoc est, quatenus est ens: secundum vero vltimum actum, aliquid dicitur ens secundum quid, & bonũ simpliciter. Et hoc est, quod dicere voluit Boetius in rebus, aliud esse, quod sunt bona, aliud vero, quod sunt; referendum est enim ad esse bonum, & ad esse simpliciter: nam secundum primum actum, est aliquid ens simpliciter: secundum vero vltimum bonum simpliciter: atque ita secundum primum actum, est quodam modo bonum; secundum vero vltimum quodam modo ens. *Ad confirm.* bonum per informationem dicitur, quatenus scilicet accipitur simpliciter secundum vltimum actum. similiter bonum dicitur magis ac minus accipere, ob actus, qui accedunt, veluti est scientia, virtus, & huiusmodi. *Ad 2.* Dion. loquitur de diuinis nominibus, quatenus causæ habitudinem significant. Nominamus enim Deum ex creatu-

Bonum simpliciter.

2. ris, inquit, sicut causam ex effectibus: bonum autem cum habeat rationem appetibilis, causæ finalis habitudinem denotat, cuius profecto causalitas prima est; quippe, quia agens agit propter finem: & ab agente materia mouetur ad formam: ideoque finis causa causarum appellatur. Ita quoque bonum est prius in causando, quam ens, sicut finis quam forma: idcirco inter nomina diuinam causalitatem significantia, prius ponitur bonum quam ens. Ad hæc accedit Platonicorum sententia, materiam à priuatione non secernentium, sed non ens esse affirmantium: ex quo apparet, ad plura sese extendere boni quam entis participationem; nam materia prima, cum bonum appetat; ipsum participare, dubium non est: nihil autem appetit, nisi sibi simile: non autem participat ens, cum non ens ab eisdem appelletur: hac de causa ait Dionys. bonum protendi ad non existentia. *Ad confirm.* patet solutio: vel dici potest bonum extendi ad existentia, & non existentia: non quidem prædicatione; sed causalitate: atque ita non existentia ea intelliguntur, quæ sunt in potentia: non autem, quæ simpliciter omnino non sunt. Etenim bonum cum habeat rationem finis, in eo non solum quiescunt quæ sunt in actu; verum etiam, ad ipsum mouentur, quæ sunt in potentia tantum. At, ens formalis tantum, vel inhærentiæ aut exemplaris importat habitudinem, cuius causalitas solummodo extenditur ad ea, quæ sunt in actu. *Ad confirmationem*: non esse secundum se non est appetibile; sed per accidens, quatenus scilicet alicuius mali remotio appetitur, quod quidem malum per non esse extruditur. Itaque, mali extrutio, eatenus est appetibilis, quatenus priuat quoddam esse. Igitur esse est per se appetibile: non esse vero per accidens. *Ad vltim. confir.* vita & scientia, & alia huiusmodi, ita appetuntur, vt sunt in actu: proinde in omnib. appetitur quoddam esse; atque ita, nihil est appetibile, nisi ens: & consequenter, nihil est bonum, nisi ens. *Ad 3.* substantia, quantitas, qualitas, & illa, quæ sub eis continentur, ad aliquam quidditatem, siue naturam ens applicãdo, ipsum cõtrahere dicuntur: hoc autem modo

Bonum est prius.

Bonum se extendit ad non existentia.

Non esse appetitur per accidens.

3. bonum addit super ens, appetibilis, atq; perfectionis rationem; quod plane ipsi conuenit in quacunque natura existenti. Bonum ergo non contrahit ens. *Ad confirm.* sicut materia prima est ens in potentia; ita etiam est bonum in potentia: vel quia secundum Platonicos, non est ens propter priuationis consortium: ideo de bono participat ordinem, vel aptitudinem ad bonum: ac illi conuenit appetere, & non appeti, siue esse appetibilem. *Ad confirm.* Ma-

Materia prima.

thematica separata, secundum esse nequaquam subsistunt; alioquin in eis esset bonum, ipsorum esse videlicet. Sunt autem separata secundum rationem, hoc est, à motu, & materia abstracta: sic etiam à ratione finis, qui habet rationem mouentis. Non est igitur absurdum aliquo in ente, secundum rationem bonum non inueniri, siue rationem boni: propterea, quod entis ratio, boni rationem præcedat. *Ad 4.* pulchrum & bonum, quia super eandem formam fundata sunt; ideo sunt idem in subiecto, atque bonum laudatur, vt 4.
pulchrum. Differunt nihilominus ratione; nam bonum proprie appetitum respicit; Est enim bonum, quod omnia appetunt, proinde finis subit rationem; appetitus enim est quasi quidam motus ad rem. At pulchrum vim respicit cognoscitiuam; pulchra namque dicuntur, quæ visa placent: proinde pulchrum in debita proportione consistit; quia nimirum rebus debite proportionatis sensus delectatur, veluti rebus sibi similibus. Etenim sensus ratio quædam est, omnisque virtus cognoscitiua quia vero cognitio per assimilationem fit, similitudo autem respicit formam: pulchrum ergo proprie ad formalis spectat causæ rationem. *Ad confirm.* eo modo bonum dicitur sui diffusiuum, quo finis dicitur mouere. *Ad vltim. confir.* quilibet habens voluntatem dicitur bonus, in quantum bonum habet voluntatem: quippe, quia per voluntatem, omnibus quæ in nobis sita sunt, libere vtimur. Quare, non dicitur bonus, quia habet bonum intellectum; sed à bona voluntate potius nominatur. voluntas vero finem respicit, vt obiectum: atque ita, quod ab Augustino dicitur: *Quia est bonus, nos sumus*; ad causam refertur finalem. *Ad 5.* Illa tria ens consequuntur
in quantũ est perfectum: & similiter in quantum est bonum. 5.
Ad confir. eo quippe modo illa tria dicuntur, quo & entia: nõ quia ipsa sint quasi subsistentia; sed potius quia in eis sunt alia & entia, & bona. Quã ob causam nõ est opus, vt ipsa habeant aliqua alia, quibus sint bona; non n. sic dicuntur bona, quasi formaliter aliis sint bona; sed quia formaliter aliqua sint bona. *Ad confirm.* quodlibet esse, est secundum aliquam formam: proinde quodlibet esse rei, ipsam cõsequitur modus, species & ordo. hoc modo, homo habet speciem, modum & ordinem, in quantum est homo; & similiter hæc tria, in quantum est albus, & similia. Malum autem priuat quoddam esse: sicut cæcitas est priuatio visus: idcirco non omnẽ modum tollit, speciem, & ordinem; sed quæ consequuntur esse visus. *Ad confir.* omnis modus, quatenus est modus, teste Aug. in lib. de natura boni, bonus est simile quoq; potest esse iudiciũ de specie, & ordine. sed malus modus, seu mala species, siue malus ordo, ideo appellantur; quia nimirũ minus habẽt bonum, quã illa habere decet: aut quia nõ ita rebus accõmodentur, quibus accõmodari deberent: ideoque mala, hoc est, inepta & quibusdam rebus incongrua appellantur. *Ad vltim. confirm.* natura lucis sine numero pondere, atque mensura esse dicitur: non quidem simpliciter; sed per respectum ad corporalia: virtus enim, ad omnia corporalia sese extendit; quia est primi corporis alterantis, cæli scilicet,
actiua qualitas. *Ad 6.* bonum in quantum est idem subie- 6.
cto cum ente, per decem diuiditur prædicamenta; verum secundum primam rationem sibi competit ista diuisio. *Ad confirm.* hæc quidem diuisio, non per oppositas res, sed per oppositas sit rationes. Illa nihilominus delectabilia vocantur, quæ delectant, tametsi interdum noxia sint, & inhonesta: vtilia vero, quia conducunt; honesta autem, quia in seipsis habent, vnde desiderentur. *Ad confirm.* bonum in hæc tria diuiditur sicut analogum, quod prædicatur secundum prius & posterius: non autem secundum vniuocum æqualiter de his prædicatum; prius enim prædicatur de honesto: deinde de delectabili; postremo de vtili. Sed de his hactenus.

Deus bonus

Mathematica.

Bonum.

Pulchrum.

Sensus.

Bona voluntas.

Modus, species & ordo.

Mala vnde vocantur.

MERCVRIVS.

In hunc iniuria incidere nulla potest, qua irritatus lacessitusque excandescat. Nihil eius iugum subterfugit, quo contemptus, indignetur, atque irascatur. Nec est sapientius eo quicquam, quod illi æmulationem incutiat. Itaque, cum hæc illi non accidant; nihil eius naturæ, præter ipsum bonum restat. Quemadmodum vero nihil eorum, quæ mala sunt, in hac insunt essentia; ita in nullo alio bonum inuenitur.

Deus bonus

Commentum III.

Conditiones boni veri.

VEri boni proprietates, conditionesque expendit: Vis, inquit, ô Æsculapi scire, in Deo tantummodo verum bonum inueniri: Ille profecto vere bonus est appellandus, in quem iniuria aliqua non cadit; qui scilicet sui boni nequit facere iacturam: nam qui læsus, excandescit, de aliquo sibi illato damno conqueritur: atque ita verum bonum in se non habere, ostendit: quia qui huiusmodi est, ab aliquo lædi potest. Cum vero interdum scriptura commemoret, Deum aliqua affectum esse iniuria, seu irasci, non Dei, sed nostrum damnum deploret, quod quidem Deus, pro immensa, qua nos diligit charitate, tanquam suum dolere dicitur. Amplius, aliquis irasci interdum solet, propterea, quod contemptus, & spretus, se vlcisci non potest, hostes enim illius iugum non timent, eo quod illi minime subsint. at qui Dei iugum subterfugere potest nemo: non est ergo quod doleat, aut contemptus indignetur; qui enim contemptus indignatur, vere bonus nequequam esse probatur. Adde, quod aliquando aliquis æmulatione impellitur, atque quatitur, quia se aliquem sapientiorem videt: & is procul dubio à vero bono quam longissime abest: boni siquidem non est inuidere; quia bonum sese omnibus communicat: inuidus vero contrario modo se habet. sed Deus est ipsa sapientia: non inuidet ergo hominibus sapientiam. Cum ergo hæc, nempe iniuria, ira, contemptus, indignatio, æmulatio, inuidia, Deo non accidant; eius profecto natura, aliud est nihil, quam bonum nec in aliquo, quam in Dei natura, verum, ac proprium bonum inuenitur. Loquitur autem Mercurius de primo, & vero bono: non aũt de bono mixto, siue per participationẽ: cuius conditiones soli Deo sunt tribuendæ. Nam, etsi in angelum non cadat ira, & indignatio, quales hominibus accidere videmus, cadit nihilominus gratiæ priuatio, quæ non paruum intulit angelicæ naturæ detrimentum. Deus ergo est solus bonus.

Inuidia.

Bonum per naturam.

Mercvrivs.

Quemadmodum vero nihil eorum, quæ mala sunt, in hac insunt essentia; ita in nullo alio bonum inuenitur: in singulis enim reliquis insunt singula, cum in paruis, tum in magnis, tum etiam in iis quæ secundum vnum, & in ipso quoque animali maximo, atque potentissimo, quod vtique passionibus genita replet.

Commentum IV.

PERGIT iterum affirmare, atque probare, quod antea dixeret: Quemadmodum, inquit, lux nihil tenebrarum secum admittit; ita plane diuina essentia nihil mali compatitur. Malum vocat quamlibet iacturam, seu passionem, quæ rebus conditis inferri possunt. Et est sensus, id, in quod aliquod detrimentum, passio, siue alicuius rei iactura cadere potest, veri boni nomen habere non decet; verum enim bonum, in nullo sui dispendium facere potest. at, id, soli Deo est tribuendum: in Deo ergo sicut mala non sunt; ita certe in ipso tantummodo verum bonum inuenitur. *In singulis vero &c.* hoc est, in aliis rebus creatis, insunt singula, nempe bona malis mixta. Nam quatenus sunt entia, bona quidem sunt: quatenus vero subsunt passionibus, generationibus, eiusque mutationibus, quæ sunt bonorum priuationes, bona cum malis mixta habere dicuntur. Et hæc quidem in omnibus inueniuntur creaturis, tum magnis, tum etiam paruis: & in iis præsertim, quæ secundum vnum, hoc est, in ipso vnico mundo, quem vocat animal magnum, & potentissimum, propterea, quod omnia animalia complectitur, & genita omnia replet passionibus.

In solo Deo tantum bonum.

* *
*

Mercvrivs.

Deus bonus.

Nam generatio passio quædam est: vbi autem passio, nullo modo bonum: vbi bonum, neque passio penitus vlla: vbi dies, nullo modo nox: vbi nox, neque etiam dies. Quapropter, in generatione bonum esse non potest. Restat itaque in eo, quod ingenitum.

Commentum V.

Tex. exp.

IN iis, quæ generationi obnoxia sunt, bonum nequaquam inueniri, quod ipse tantopere quærit, manifeste ostendit: *Generatio*, inquit, *passio quadam est.* Passio vero siue corruptiua, qua aliquid corrumpitur, siue perfectiua, qua aliquid perficitur: vt alibi dicitur, est in patiente 3. *phy. tex. com.* 19. non absque alteratione patientis: generatio vero est, qua aliquid in potentia prodit in actum, quocunque modo inter creaturas hæc generatio fiat. Quare, omnis generatio talis, passio sit necesse est: passio vero non est sine alteratione, atque mutatione. At sæpius dictũ est, in verũ, summũque bonũ, nullã cadere mutationem. Igitur, vbi est passio, nempe in rebus à Deo conditis, non potest esse ratio summi, & inconcussi boni: nam vbi est bonum tale; nulla penitus passio inuenitur. Etenim, die existente, nullo pacto nox ibidem inueniri potest: nec è conuerso. Itaque patet satis in rebus genitis huiusmodi bonum non esse; sed in Dei essentia, quæ mutationi, aut generationi, siue alicui passioni non est subdita. Deus igitur est summe perfecteque bonus.

7. phys. t. 12. 2. de anim. t. 57. & 58.

Passio Generatio. Passio non stat cum bono.

Mercvrivs.

Vt autem materiæ concessa est omnium participatio; sic quoque boni participatione, mundus bonus. Bonum, dico in quantum ipse etiam omnia efficit: qua quidem ex parte bonus est mundus, in reliquis omnibus non bonus: patibilis enim ac mobilis est: & omnium præterea causa passionum.

Commentum VI.

NE quispiam diceret, à Mercurio bonum è rebus penitus amoueri, siue auferri; quonam pacto mundo bonum insit, clarissime docet, assumpta metaphora de materiæ potentia: *Materia*, inquit, *concessa est omnium participatio*: quia nimirum est in potentia ad omnes formas, atque ita bonum participare dicitur: sic etiam mundus ex se nequaquam bonus est; sed participatione boni, dicitur bonus. In hoc autem bonus appellatur; quia boni imitatur naturam. Est autem boni natura, vt sæpe dictum est, omnia efficere: propterea ait Mercurius: *Bonum dico*: hoc est, ideo mundum bonum appello, *in quantum ipse etiam* mundus *omnia efficit*: non quidem creando; sed ex legibus à Deo sibi perscriptis distributisque sibi seminibus, atque officiis naturæ, omnia efficiendo. Prosopopæia vtitur; tribuit enim mundo personam, ipsumque vocat animal magnum, & potens, ob mira, quæ in ipso opera fiunt. *Hac*, inquit, *ex parte bonus est mundus, in reliquis omnibus, non est bonus*; hoc est, non habet veri boni rationem, atque naturam. *Nam est patibilis*, quia sine passione non fit generatio: sine vero generationis vicissitudine, mundus sustentari non posset. *Mobilis*, quia nimirum absque motu, mundi generationes cessarent. *Causa præterea omnium passionum*, quæ tum in hominibus, tum etiam in animalibus inueniuntur, ob qualitates oppositas, atque contrarias. Hæc autem omnia in veri boni essentia non inueniuntur.

Mundus bonus.

Mundus animal magnum.

Mercvrivs.

In homine insuper comparatione mali, bonum: id quippe, quod non nimis malum, quodque minus malum, bonum in hominibus appellamus. Quo fit, vt bonum nostrum, nihil aliud sit, quam mali portio minima: vnde illud etiam sequitur, vt bonum huiusmodi à malo separatum esse non possit.

Malum vnde.

Commentum VII.

Bonum hominis.

DE bono, quod in homine inuenitur, ita loquitur: *Bonum, inquit, in homine non inuenitur, nisi comparatione mali, quia scilicet minus malum, bonum hominis, siue id bonum appellamus.* Et est sensus, bonum in homine sine comparatione inueniri nō potest; propterea, quod inter plurima viuit mala: proinde bonū illius, est minima malorum portio; nam hominis bonum, à malo seiungi non potest. Plato. *Impossibile est, inquit, mala penitus extirpari; nam bono oppositum aliquid esse necesse est. & hæc quidem mala naturam mortalem, regionemque inferiorem necessario circumeunt. Quare, conandum, vt hinc illuc quam celerrime fugiamus.* Hæc Plato. Ex quibus patet, hanc nostram naturam mortalem, à malis prorsus liberam esse non posse. ideoque 2. *de repub.* Deum solum bonum appellandum putat: *Bonus est Deus, inquit, & boni causa: eorum vera, quæ male fiunt, nequaquam. Non igitur Deus cum bonus sit, omnium causa est, nempe ex sententia per se, & ex suo proposito, vt multi dicunt, sed paucorum quidem, multorum paucioribus nobis bona, quam mala & bonorum quidem solum Deus causa est dicendus; malorum vero quamlibet præter Deum causam quærere decet.* Hæc Plato. Et recte quidem; quandoquidem Deus sit causa omnis esse, quod quidem bonum est, & appetibile: Malum autem, teste Diony. 4. *de diuinis nominibus*, est non existens, neque bonum. Cum autem omnis natura appetat suum esse, suamque perfectionem; opus est fateri cuiuscunque esse naturæ, atque perfectionē, bonitatis rationem habere. Ex quo fit vt malum quoddam esse, aut quandam formam seu naturam nequaquam significet. Restat ergo, vt nomine mali, quædam boni absentia indicetur. Cum vero multa bona à nobis absint; dubium non est, quin nos vndique malis circumdamur, imo pene oppressi sumus. Quamobrem, doctissime docetur 9. met. tex. com. 19 malum in rebus diuinis non existere; sed in natura mortalium: contingit enim ex priuatione, aut propter alterum contrariorum, cui accidit priuatio alterius contrarij. Cæterum, ad vniuersi ornatum, perfectionemque spectat, in mundo rerum inæqualitatem inueniri, vt omnes bonitatis gradus inueniri possint. Est autem primus bonitatis gradus, vt aliquid ita bonum sit, quod suæ bonitatis iacturam nullam facere queat: alius vero gradus, quod ita sit bonum, vt à sua bonitate excidere possit. qui quidem in ipso esse inueniuntur. Quædam vero sunt, velut res incorporales, quæ suum esse amittere nō possūt, quædā vero possūt, nēpe corporalia. Quēadmodū autē vniuersitatis rerū perfectio exigit, vt sint res & corporeæ, & à corpore liberæ: ita plane, vniuersi perfectioni congruit, vt quædam sint bona immobilia, quæ à suæ bonitatis arce nequeant dimoueri: quædam vero, quæ possint excidere. In hoc autem mali ratio inuenitur, quod scilicet à bono possit deficere; malum enim est defectus boni. Quare, sicut in rebus corruptio inuenitur, ita etiam & malum: ipsa enim corruptio est quoddam malum. Porro, malum est in bono, sicut in subiecto: *Malum, inquit, August. non est, nisi in bono.* Malum autem importat boni remotionem. non autem quælibet boni remotio, malum dicitur; potest enim & priuatiue, & negatiue huiusmodi remotio accipi. Et negatiua quidem, mali remotionem non habet; alioqui ea, quæ penitus non sunt, mala dici possent. Amplius, quælibet res esset mala, propterea, quod non habeat alterius bonum: at remotio boni priuatiue accepta, malū dicitur, sicut priuatio visus, cæcitas nominatur: subiectum autem priuationis & formæ, est vnum & idem, nempe ens in potentia, siue fuerit ens in potentia simpliciter, sicuti est materia prima, quæ est subiectū formæ substātialis, & priuationis oppositæ: siue sit ens in potentia secundum quid, & in actu simpliciter, vt corpus diaphanum, quod est subiectum tenebrarum & lucis. Cæterum, formam, per quam aliquid est in actu, quoddam esse bonum, quandamque perfectionem, patet satis. similiter omne ens in actu quoddam bonum esse: ens vero in potentia, boni rationem habet, quatenus ordinatur ad bonum: atque sicut est ens in potentia; ita etiam, & bonum. Reliquum igitur est, vt subiectum mali bonum sit. malum vero, vt dicit Augustin. *in Enchir.* non potest totaliter consumere bonum. Pro cuius rei intellectu, non ignorare oportet, triplex bonum inueniri: vnum quidem, quod per malum penitus aufertur, quod certe bonum oppositum est malo: sic lumen per tenebras funditus abigitur: aliud vero bonum est, quod per malum totaliter non tollitur, nec etiam diminuitur: & hoc est bonum, quod est subiectum mali;

in lib. de Scienti.

Deus causa boni.

Dionys.

Malum non significat esse.

Philosophus.

Gradus bonitatis. 6.

Ratio mali.

Malum in bono.

in Enchir.

Malum priuatiue.

Subiectum mali est bonum.

Malum nō corrumpit bonum.

non enim accessu tenebrarum aliquid substātiæ aeri adimitur: tertium bonum est, quod quidem per mali aduentum diminuitur, non tamen penitus aufertur: quæ quidem est habilitas subiecti ad actum. Huius autem boni diminutio, per subtractionem accipienda non est, sicuti diminutio in quantitatibus, sed per remissionem potius, veluti est diminutio in qualitatibus & formis. Huius autem habilitatis remissio, è contrario est accipienda ipsius intensioni; intenditur siquidem habilitas huiusmodi per dispositiones, quibus materia præparatur ad actum. Quæ quidem dispositiones, quo magis in subiecto plures fuerint; eo aptius subiectum reddunt ad formam, perfectionemque recipiendam. E contrario autem per dispositiones contrarias remittitur: quæ quanto magis fuerint multiplicatæ in materia, ac magis intensæ; eo magis remittitur potentia ad actum. Cum igitur in infinitum contrariæ dispositiones non multiplicentur, neque intendantur, sed vsque ad certum terminum; prædicta quoque habilitas eodem modo se habebit, sicut patet in actiuis elementorum qualitatibus, atque passiuis. Frigiditas siquidem, & humiditas, quibus diminuitur siue remittitur ad ignis formam materiæ habilitas, in infinitum minime multiplicantur. Quod si etiam illa ita multiplicarentur; tota tamen habilitas penitus non tolleretur, quippe, quæ semper manet in sua radice, quæ est substantia subiecti; quemadmodū enim si in infinitum inter solem, & aerem opaca corpora sese interponerent, in infinitum ac. ie habilitas ad lumen diminueretur; nunquam tamen, illa ex toto, penitus tolleretur: secundum namque suam naturam maneret diaphanus. ex his ergo patet, quod boni nil à malo penitus destruatur. Cæterum, omne malum est pœna vel culpa; malum enim est priuatio boni, quod sane in perfectione, & in actu per se, ac principaliter consistit. Actus autem duplex est, primus videlicet, & secundus. Contingit autem malum esse dupliciter: vno plane modo, per formæ, aut alicuius partis, ad rei integritatem necessariæ, remotionem: veluti cæcitas malum est carere nimirum oculorum visu. Alio modo contingit per subtractionem operationis debitæ: aut quia omnino non est, aut quia debitum modum, & ordinem non habet. Quia vero bonum simpliciter est obiectum voluntatis; malum, quod est priuatio boni, secundū specialem rationē in creaturis voluntate vtentibus, inueniri necesse est. Itaque, malum, quod contingit per formæ, & integritatis rei subtractionem, pœnæ habet rationem, maxime cum omnia diuina disponantur prouidentia. Ad pœnæ autem rationem spectat, vt sit contraria voluntati. Porro, malum, quod in amotione debitæ versatur operationis, in angelis & hominibus habet rationem culpæ; id enim alicui in culpā vertitur, in quo à perfecta actione, cui sua voluntate dominatur, deficere videtur. Igitur omne malum in rebus ratione, seu voluntate vtentibus, est pœna vel culpa. Est autem maius malum culpa quam pœna qualiscunque, tum pa, & corporalis, & spiritualis; ex malo enim culpæ fit aliquis malus, non autem ex malo pœnæ. *Puniri, inquit Dionys. non est malum; sed fieri pœna dignum.* Nam cum bonum simpliciter consistat in actu, & non in potentia: vltimus autem actus, est quarumcunque rerum habitarum vsus, vel operatio: bonum ergo hominis simpliciter in bona operatione consistit, vel bono habitarum rerum vsu. Vtitur autem rebus omnibus pro nostræ voluntatis arbitratu. Quare, ex bona voluntate, quam homo ostendit in rebus, quibus bonus nominatur: & vicissim ex mala, malus; potest enim is qui malæ est voluntatis, bono male vti, veluti si bonus rhetor volens in loquendo rhetoricæ artis præceptis abuteretur. Quoniam autem ipsa culpa in deordinato voluntatis actu consistit, pœna vero in aliquius eorum priuatione quibus vtitur voluntas; perfectius habet mali culpa quam pœna rationem. Deus præterea est author mali pœnę, non autem culpæ. In causa autem est, quia malū pœnæ priuat creaturam, bono creato, sicut cæcitas visu, siue boni increati visione. At malum culpæ proprie bono increato opponitur, aduersatur enim diuinæ voluntati, diuinoque amori, quo bonum diuinum in seipso amatur, & non solum quatenus à creatore participatur. Ex quo patet, rationem mali ad culpam magis, quam ad pœnam pertinere. Sed dices, quomodo bonum potest esse causa mali? Augustinus *contra Iulianū* sic loquitur, *Non fuit omnino, inquit, vnde oriri posset malum, nisi ex bono.* Sane, malum defectus est boni, quod natum est, & debet haberi. Quod vero à sua natura, debitaque dispositione aliquid deficiat, ea aliqua rem extra suam dispositionem trahente, proficiscitur; non enim graue mouetur sursum, nisi ab aliquo impellente: nec etiam

Malum vnde.

Triplex bonum.

Omne malum est pœna & culpa.

Malum duplex fit.

Malum culpa vel pœna.

Maius malum culpa quam pœna.

4. de Diui. nomin.

Malum culpæ non est a Deo.

Bonum causa mali.

Malum Summū an sit.

agens à sua deficit actione, nisi ab aliquo impediatur. Porro, causæ ratio, bono tantum conuenit: propterea, quod causa enti attribuatur: omne autem ens, in quantum huiusmodi bonum est. Si præterea speciales causarum rationes considerentur, agens videlicet, forma & finis; quandam innuunt perfectionem, quæ ad boni rationem pertinet: similiter & materia, quatenus est potentia ad bonum, boni rationem habet: & quidem bonum causam esse mali, quatenus causæ competit materiali, patet satis, quia nimirum (vt dixi) bonum est subiectum mali. Causam vero formalem malum non habet, sed potius est priuatio formæ. Nec similiter finalem, imo est priuatio ordinis ad finem debitum: non solum autem finis habet rationem; sed etiam vtile, quod ordinatur ad finem. Causam autem per modum agentis habet malum, non autem per se, sed per accidens; aliter namque in actione, & aliter in effectu malum causatur: in actione quidem propter alicuius principiorum actionis, principalis, vel instrumentalis agentis defectum, malum procedit: sic etiam in motu animalis defectus potest contingere, nempe propter virtutis motiuæ debilitatem, vt in pueris apparet: aut propter solam instrumenti ineptitudinem, vt in claudis. Itaque, in aliqua re malum causatur, non tamen in proprio agentis effectu, quandoque ex virtute agentis, interdum vero ex ipsius, vel materiæ defectu. Ex virtute quidem, seu perfectione agentis, quando ad formam intentam ab agente ex necessitate sequitur alterius formæ priuatio, aeris vel aquæ. Quemadmodum igitur quanto ignis fuerit perfectior in virtute, tanto perfectiue imprimit formam; ita etiam tanto perfectiue corrumpit contrarium, proinde malum, siue aquæ aerisque corruptio ex ignis perfectione proficiscitur. Id autem per accidens euenit, propterea, quod aquam sua forma ignis priuare non intendat; sed suam formam inducere: in quo quidem negotio, & illud producit per accidens, aquæ formæ priuationem videlicet. Quod si ignis in proprio effectu deficiat, nēpe à calefaciendo; in causa est actionis defectus, qui in alicuius principij defectum redundat, vel ex materiæ dispositione, quæ non recipit actionem ignis agentis: sed & hoc ipsum, quod est esse deficiens, bono accidit, cui competit per se agere.

Bono causa tribuitur.

Mali origo.

Deus non est causa mali.

Ex his quoque patet, Deum causam mali non esse, quia non est causa tendendi ad non esse; malum namque quod in defectu actionis, ex defectu proficiscitur agentis: in Deo aūt nullus est defectus, sed summa perfectio. Quāobrē, malum huiusmodi in Deum veluti causam reduci, transferrique non potest: malum vero, quod in rerum aliquarum corruptione consistit, in Deum, velut in causam refertur. quod quidem tum in naturalibus, tum etiam in voluntate vtentibus patet. Etenim, aliquod agens (vt dixi) quatenus sua producit virtute aliqua, ad quam sequitur corruptio atque defectus, illorum causa nominatur, & est. Porro, forma quam principaliter Deus intendit in rebus creatis, est bonum ordinis vniuersi, ad quem quidem ordinem spectat, vt quædam sint, quæ deficere possint, & tandem deficiant: atque ita per accidens Deus causat corruptiones rerum. *Dominus mortificat, & viuificat.* Quod vero Sapien. 1. quod Deus mortem non fecerit, scilicet per se intentam. Ad ordinem autem vniuersi spectat ordo iustitiæ, qui exigit, vt peccatoribus pœna inferatur. Hoc autem modo, Deus causa mali nominatur; non autem mali, quæ est culpa.

1. Reg. 2.

Deus mortem non fecit.

Anno 1578. 27. April. post liberationem à peste.

CAP. II.

De origine mali.

Qvamuis in primo Pymandri de origine mali disputatum sit; quia tamen denuo magnus nos Mercurius ad idem enucleandum impellit, propterea aliqua inserere placuit. Malum itaque intelligi potest velut album, & id quidem subiectiue, de quo Logici aiunt, album posse fieri nigrum, propterea quod subiectum album, nigrum fieri potest. Eodem modo malum subiectiue est aliquod ens: atque ita, malum posse fieri bonum, Logici libere affirmant. Alio modo malū perinde est, ac ipsū malum, in quantum malum. & sic malum non est aliquid, nisi ipsa priuatio boni particularis quidem: atque ita malum fieri posse bonum, Logici negant. Verumenimuero, quoniā subiectū mali, interdū in actu, interdū vero in potentia consideratur: in actu quidē, quādo sub alicuius boni particularis priuatione consistit, veluti cæcum esse: in potentia vero, puta actu degens, potest tamen esse sub malo, vt strabus. Hac de causa nonnunquam malum accipitur pro ipsa priuatione: nonnunquam pro subiecto priuationis eiusdem. at bonum est ipsamet res, & virtus rei, veluti acumen visus, & ipsemet oculus. Ex his ergo, quid intersit inter bonum, & malum, satis constare arbitror; quandoquidem malum sui obtentu subiecti, ens esse dicatur, non autem quatenus est malum. bonum vero quouis modo intelligas, semper est ens positiuum, atque reale. Patet etiam omne malum esse in bono, propterea quod omnis priuatio fit in ente in potentia, id enim priuari dicimus, quod non habet virtutem illam, quam natum est habere. Platonici dixerunt bonum esse communius ente, & ad plura sese extēdere: qua ratione traducti, materiam sub bono, non autem sub ente collocarunt: siquidem id solum ens appellandum censebant, quod esset omnino, & simpliciter ens: quæ quidem ratio materiæ minime congruit. Reuera, si id bonum dicunt, quod actu est bonum, aut quod tendit ad boni perfectionem habendam; procul dubio, cum materia ex sui natura perfectionem formæ, summopere appetat, idcirco materiam sub bono sitam esse voluerunt. Non sunt ergo bonum & malum, duo principia rerum, hoc est, duæ causæ reales: secus est, si principia intelligantur pro terminis rerum; nam hoc modo non solum forma, verumetiam priuatio, principia appellantur. Siquidem si essent duo principia; aut essent æque perfecta, aut vnum esset perfectius altero: quouis modo intelligas, vnum erit simpliciter primum, in quo sita est perfectio simplicissima, & perfectissima omnium quæ habentur, aut haberi possunt. Nam si essent plura perfecta eiusdem speciei; tunc essent plura numero. sed vnum tantum est simpliciter perfectum: non ergo plura. Amplius, si essent plura principia simpliciter prima; tunc idem effectus esset bis, vel simul tempore geminus: siquidem, aut idem effectus, puta cœli motus, esset geminus, nempe à duobus primis principijs productus, aut bis productus, quod sane intelligi non potest, propterea, quod inde sequeretur rerum omnium confusio. Essent præterea tunc plures primæ formæ, plures primi fines, plures primi motores, quare, plura prima formata, plura prima mota, & multa similiter sequerētur absurda, vtpote singularum rerum, duo eiusdem perfectionis & naturæ, duo videlicet Socrates, duo Platones, & duo Aristoteles, quemadmodum arguunt Auerroes, & Aristoteles *prima cœli*. Non est igitur vnum summum malum, sicuti est vnum summum bonum: primo quidem; quia primum principium bonorum, est per suam ipsius essentiam bonum: nihil autem per suam essentiam potest esse malum; quandoquidē omne ens, in quātū ens, bonū sit necesse est: & malū nō sit, nisi in bono, sicut in subiecto. Deinde, primum & summum bonorum principium, omnem in se continet bonitatis, perfectionisque gradum: proinde malum etsi diminuat bonum; nequit tamen funditus bonum euertere, ac omnem illius gradum prorsus auferre: Quare, bono semper remanente, non potest esse aliquid integre, & perfecte malum; nam integrum & absolutum malum, seipsum (teste Philosopho in eth.) destrueret: quippe, quia elisu, & destructo omni bono, quod sustinet malum; ipsum quoque malum destrui, necesse est. Ad hæc accedit, quod ratio mali cum principij ratione consistere nequeat, præsertim cum sit causa per accidens: proinde prima causa, primumque principium esse non potest; sic enim docet Philosophus causam per accidens, ea, quæ per se causa dicitur, posteriorem esse. Qui ergo duo prima principia posuere; particulares causas, particularesque effectus considerarunt, vniuersali neglecta: nam etsi elementorum qualitates contrariæ sint ad inuicem, plurimum tamen conferunt ad bonum vniuersi tuendum, sustentandūque. Ita, etsi mala quædam considerentur, videanturque inspecta particularium quarundam rerum qualitate; ea nihilominus subseruiunt, ac famulantur primæ causæ totius gubernacula orbis dirigentis: nos vero, quia hæc ignoramus, malum aliquod per se subsistere putamus. Quid ergo sit malum, & quæ eius natura, & quomodo non sit vnum summum malum, dixi satis, tum hic, tum alibi, vt facile est videre.

Malum & bonū quid.

Summū malum an sit.

Non sunt duo principia.

Quod non sit vnum summum malum.

Quare non datur summum malum.

2. phys.

CAP. III.

Argumenta.

Contra prædicta posset ita argui: Omne tale per participationem reducitur ad illud, quod est tale per essentiam, puta calidum per participationem reducitur ad ignem, qui est calidus per suam essentiam; quia in vnoquoque rerū genere, datur vnū supremū, 1.

quod

Summũ malum an sit.

quod est metrum, & mensura omniũ, quæ in illo genere cõtinentur. sed res, quæ apud nos malæ esse videntur, non sunt quidem malæ per essentiam, sed per participationem tantum: igitur est vnum summum malum, quod est causa omnis mali. Adde, quod omne, quod est per accidens, reducitur ad illud, quod est per se. sed bonum est causa mali per accidens, quia bonum, vt bonum, & per se, est causa boni, & non mali; aliquod ergo est summum malum, per se causa omnium malorum. Quod si volueris dicere, malum non habere causam, nisi per accidens; tunc tibi dicendum erit, malum non esse, vt in pluribus, sed vt in paucioribus: quod plane aduersatur antiquorum Philosophiæ, quæ asserit in coordinatarum rerum serie, quæ in hoc inferiori mundo habentur, maiorem esse malorum, quam bonorum numerum. *Dices*, malum habere causam deficientem. Tunc iterum *arguo*: Malum effectus ad malum causæ reducitur;

2. *Ecclef. 33.* propterea, quod effectus deficiens, fit à causa deficiente. sed in his effectibus nõ est processus in infinitũ: statuendũ est ergo vnũ primum malũ, quod sit causa omnis mali. Amplius, contrariorum effectuum, contrariæ sunt causæ. sed in rerum natura huiusmodi effectuum contrarietas reperitur, quia

2. *de cœlo.* contra bonum est malum, & contra vitam est mors, & contra virum iustum est peccator: ergo quod prius, nempe duo esse prima principia: quorum vnum est bonum, malum vero alterum. Sane, si vnum contrariorum est in rerum natura; & reliquum erit, vt arguit Philos. sed est summum bonum, causa omnis boni, vt communis propemodum est omnium Philosophorum sententia: est ergo summum malum, causa omnis mali. Etenim quemadmodum in rebus inuenitur bonum & melius, ita plane malum & peius: qui

3. *1. phys.* quidem gradus ad aliquod summum malum referuntur. Iterum, illa dicenda sunt principia, quæ non fiunt ex aliis, nec ex seipsis mutuo, sed omnia ex ipsis prodeunt, atq; proficiscuntur: sic enim docet Philos. sed bonum & malum sunt huiusmodi, quod patet latissime; siquidem quæ ex aliis fieri nequeunt, fierent ex bonis, vel ex non bonis: non quidem ex bonis; alioqui illa bona haberentur pro infectis, cum ab ipsis mala generentur: si nõ ex bonis; igitur ex malis: atq; ita

6. meth. habetur propositum. Sane, omne quod est in rebus, aut principium est, aut principiatum, per sufficientem diuisionem.

Lib. de plantis. sed bonum & malum sunt in rebus, authore Philos. & bonum non est principiatum, sed principium, vnde totum esse rerum dependet, teste Platone in Timæo: igitur malum est principium, à quo proficiscitur omne malum. Etenim, si malum est causatum; aut à bono, aut à malo, aut ab aliquo communi: non à bono, propterea, quod bona arbor non potest malos fructus facere: neque à communi, quia ab indifferenti non proficiscitur actio: à malo igitur, quod est sũmum & primum malum & sic habetur propositum.

CAP. IIII.

Soluuntur Argumenta.

1. AD *primam* sic dici potest, minorem non esse veram, propterea, quod non inueniatur aliquod ens, quod sit per participationem malum; sed potius per participationem priuationẽ: proinde non est reuocandũ ad aliquod primũ principiũ, quod sit sua essentia malum. *Ad confir.* dico, malum non posse habere causam per se, sed per accidens tantum: nec inde sequi maiorem esse malorum numerum; nam cum mala in his corruptibilibus sint, quæ sunt modica pars totius vniuersi; profecto, si ad cæterarum res ferantur ordinem, multitudinemque, erunt mala, veluti, si vnum milleario comparatur. In vnaquaque præterea specie, naturæ defectus contingit, vt in paucioribus: in solis vero hominibus, vt in pluribus. in causa autem est, quia bonum

2. hominis in ratione consistit: plures vero sunt, qui plus sensum, quam rationem sequãtur. *Ad 2. confir.* dico, in causis mali non dari processum in infinitum; sed mala omnia in aliquam bonam reuocari, seu reduci, ex qua sequitur malum per accidens. *Ad 2.* dico minorem esse veram in rebus positiuis & realibus: non autem in rebus, quarum esse in priuatione consistit. Quamobrem, licet malorum sint causæ particulares contrariæ; deueniendum tamen est ad vnam primam causam communem, quæ caret contrario; malum enim cum sit priuatio boni, illi vtique bono opponitur, quod sui potest boni, seu naturæ pati dispendium, quod Deo nullo modo conuenire potest: etenim priuatio, & habitus, cum nata sint fieri circa idem, subiectum vero priuationis sit ens in potentia, Deus autem actus purissimus sit; proculdubio in ipsum alicuius boni priuatio cadere nequit.

Ad confir. dico, vnamquamque rem secundum propriam rationem, gradus augmenti, seu decrementi suscipere intendi, seu remitti. Quare, cum forma sit perfectio quædam; ita plane priuatio est à perfectione remotio, atque recessus: quapropter non est necesse, vt quemadmodum forma, perfectio, & bonum gradatim tendunt ad terminum; ita etiam priuatio boni: propterea, quod diuerso itinere incedant, illa vnique recedendo, à perfectionis termino, hæc autem accedendo. *Ad 3.* dico, principia multifariam intelligi posse: vno (Deus bonus.) (3.) quidem modo pro termino, atque ita formam & priuationem à Philosopho principia appellari, quatenus scilicet sunt termini, forma quidem generationis ad quem, priuatio vero terminus à quo: quatenus autem sunt corruptionis principia, contrario modo se habent. Hoc ergo modo malum & bonum sunt principia generationis & corruptionis; nam materia principium est, ex quo, & in quo, quæ ab Aristotele malum appellatur, propterea, quod maleficium semper machinetur, corruptionem scilicet. at forma est principium in quod, diuinum & optimum, & ita bonum: sic ergo sub actiua malum & bonum rerum principia appellantur. Quod si bonum & malum formaliter intelligas; bonum tantummodo erit omnium principium, puta Deus benedictus: malum vero nullius; quia priuatio boni per se non est alicuius rei causa, & principium: bonum vero est causa omnium bonorum per se: malorum autem per accidens.

MERCVRIVS.

In solo igitur DEO bonum, imo DEVS ipse bonum ipsum existit. Quare solum boni nomen in hominibus ô Æsculapi, natura vero boni nequaquam.

Commentum VIII.

Deus Bonus. VEri & inconcussi boni nomen soli Deo tribuendum esse, magnus Mercurius docet, propterea, quod est sua ipsius natura bonus: in aliis vero rebus boni nomẽ tantũmodo relinqui, atq; haberi. Neq; id intelligi voluit, à boni natura separari omnino, cum sint entia realia, & bona ab optimo opifice condita, de quo scriptura dicit: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* (*Gen. 1.*) Sed quia si ad Dei naturam, bonitatemque referantur, seu comparentur, boni nomen solummodo possidebunt. De Dei autem bonitate in tertio Pymandri abunde copioseque disseruimus, vbi plane ostendimus proprio ac peculiari nomine Deum mundi patrem & opificem bonum appellari. Et reuera, bonum est, quod omnia appetunt, quodque secundum suam naturam est appetibile; vnumquodque enim appetit suam perfectionem, quæ est similitudo primi agentis. Sane, cum agens agat sibi simile; inde fit, vt boni rationem, & appetibilis habeat: quæ in hoc consistit, vt eius similitudinis participationem adipiscamur. Quoniam vero Deus est prima causa omnium effe- (*Summum bonum.*) ctiua; constat satis, appetibilis, atque boni sibi rationem cõpetere. ipse namque bonus est, imo summum simpliciter bonum, à quo omnes boni perfectiones effluunt & proficiscuntur: non quidem ab eo veluti ab agente vniuoco, sed ab agente potius, quod neque ratione generis, neque speciei cum suis effectibus conuenit. Porro, similitudo effectus in causa quidem vniuoca vniformiter inuenitur; in æquiuoca vero excellentius ac splendidius: sic calor excellentiori, præstãtiorique modo est in Sole, quã in igne. Quare, cũ bonũ sit in Deo, sicut in prima omniũ causa, non quidẽ vniuoca; absq; dubio excellẽtissimo modo in eo est omnis ratio boni, (*Bonus per essentiam.*) ideoq; recte vereque summum est, & nominatur bonum. Non ergo illepide, ac scienter à magno Mercurio dictum est, in solo DEO bonum esse, imo esse ipsum summum bonum; vnumquodque enim dicitur bonum secundum sui perfectionem virtutemque: Deus autem cum sit sua perfectio, bonus est per suam essentiam: cuius solius essentia est suum esse, cui non adueniunt aliqua accidentia, imo quæ aliis accidunt, vt esse iustum, sapientem, potentem, ipsi per essentiam insunt. Ipsa quippe est vltimus finis rerum omnium, ideoque omnimodam habet perfectionem per suam essentiam: trina namque illa perfectio, nempe in suo esse consistere, nihil virtutis ab

extrin-

Deus bonus.

Alia bona per participationē.

extrinseco recipere, denique non ad aliquem alium, sed omnis ad ipsum ordinari, soli Deo, omnium parenti & opifici congruit. Ab hoc primo & summo bono, alia entia per quandam boni participationem, bona appellantur, licet quā remotissima: & hoc est, quod dicit Mercurius, in hominibus boni naturam non inueniri, quia ab illo primo & summo effectiuo, & totius bonitatis finali bono quam lōgissime absumus; nihilominus tamen vnumquodque bonum dicitur ob diuinæ bonitatis similitudinem sibi inhærentem, quæ est formaliter sua bonitas, qua ipse Deus bonus nominatur, uæteraque entia præclarissimi huius nominis consortium consecuta sunt apud diuinas literas, aliosque Philosophiæ principes atque inuentores. Quamobrem Mercurius rationem reddit: *Neque enim, inquit, id capere potest materiale corpus confectum vndique, & oppressum prauitate, laboribus, doloribus, cupiditatibus, iracundia, deceptionibus, stultisque opinionibus ac auge.* Corpus materiale appellat hominem veterem, qui quidem est quædam congeries peccati, vndique infectus labe peccati, cum originalis, tum etiam actualis: vndique oppressus praue morum qualitate: confectus laboribus & doloribus, aliis ærumnis & stultis opinionibus. Is cum tam peruerse viuat, non potest capere illius summi boni naturam, conditionemque: vnde sequitur textus: *Deterrimum tamen omniū id censeto Æsculapi, quod vnumquodque eorum quæ diximus, summum creditur esse bonum. Fugiendum inprimis malum est, ventris luxus, malorum omnium fomes hinc error, hinc boni priuatio.* Inter cætera malorum genera, illud pessimum. quæ sunt mala, bona dicere, & pro bonis habere: proinde fugiendum inprimis putat malum ventris, malorum omnium fomitem, vnde error, & boni priuatio oritur. Et reuera, ventris luxus est vitij mater: virtutem perdit: sapientem ac iustum minime nouit: prudentiam extinguit. Huiusmodi assiduitate sensus tabescunt: ratio hebetatur: intellectus obtunditur; nam sicuti splendens aliquid visum perficit, summe autem splendens hebetat atque vastat, & magni sonitus, ac strepitus auditum tollunt; sic & assiduus luxus ventris, rationem euertit & tollit. Quam ob causam bene dixit Mercurius, ex huiusmodi luxu errorem, boni que priuationem descendere: Caue, inquit Moyses, ne quando incrassatus, obliuiscaris Domini Dei tui: proinde dicitur de populo illo ventris luxui dedito: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerant ludere.* Tex. *Equidem ingentes Deo gratias habeo, qui de natura boni cogitanti mihi, sententiam hanc certam infudit, quod in mundo bonum esse non possit; siquidem mundus congeries est malorum: Deus autem boni, vel bonum, Dei exuberans plenitudo. Supereminentia quippe bonorum circa essentiam syncere fulgentes atque purissime, hæ forte sunt essentia Dei. Audendum iam e id asserere ô Æsculapi, essentiam Dei, si tamen vllam Deus habet essentiam, ipsum bonum esse.* Ingentes Deo gratias habet, refertque: qui sibi boni naturam scire cupienti, certam ac veram cognitionem infuderit, nempe veram ac propriam boni naturam soli Deo competere in quo fulgent splendentque omnes illæ purissimæ boni conditiones. Denique exuberat omnis boni plenitudo, & supereminentia: cuius essentia est ipsum bonum, si tamen Deus vllam habet essentiam, propterea, quod sit super omnem essentiam, super omne ens & esse rerum. Sane, essentia, siue natura in rebus conditis illa tantum complectitur, quæ speciei diffinitionum constituunt, veluti rationale & animale, speciem humanam; hic enim homo: est homo: & hoc significat humanitas. Secluditur autem ab huiusmodi consideratione indiuidualis materia cum suis omnib. accidentibus, puta hæ carnes, hæc ossa, albedo, nigredo, & quæ sunt generis eiusdem. Hæc igitur omnia, etsi in parte formali, hoc est, in humanitate inclusa non sint; includuntur tamen in homine: proinde habet aliquid, quod non est sua pars formalis, seu humanitas. Secus autem res se habet in Deo, qui non est compositus ex materia & forma, sed per se subsistens; ideoque est sua Deitas, sua vita, suumque esse. Hac de causa Mercurius Deo non audet essentiam absolute tribuere, ne quispiam putaret illam esse à suo esse distinctam. Excellentiori ergo modo Deo tribuitur essentia, quæ est suum esse, sua bonitas, & vita, lux, & omnium bonorum ac luminum uxuberatis plenitudo, vt sæpe sæpius diximus.

Malum ventris.

Congeries malorum.

Essentia Dei.

CAP. II

Argumenta.

NOnnulli sic arguunt *contra* supradicta: Vbi non est modus, species, & ordo, inibi boni ratio inueniri nō potest; bonum enim in modo specie, & ordine cōsistit. sed in Deo illa tria non habentur, quippe quia est supra omnem modum, speciem & ordinem, vt dicit Mercurius, & omnis Philosophorum ac Theologorū schola; in Deo ergo non est bonum. Sane, bonum omnia appetunt, teste Philosopho *in eth.* sed Deum non omnia appetunt appetitus siquidem, cognitionem præsupponit: cognitio vero intellectum. at entia non pauca intellectum non habent: ergo quod prius. Amplius, quicquid se habet ad aliquid per additamentum, est vtique compositum, & non simplex; dicit enim gradus diuersitatem. sed Deus est summe simplex, & non compositus, vt in primo Pymandri dictum est igitur non se habet ad alia entia per additamētum: atque ita non est summum bonum: summum namque bonum addit aliquid supra bonum; alioqui omni prorsus bono conueniret, quod est falsum. Ad hoc accedit, quod summum comparationem denotat. at Deus ad alia minime cōparatur, quia est extra omne genus quæ vero non sunt eiusdem generis, comparari ad inuicem, seu conferri nequeunt: ergo quod prius. Iterum, omne ens est vnum per suam essentiam, quia sicut vnum conuertitur cum ente; ita & bonum. sed quælibet res realis, est reale ens: est ergo bonū per essentiam. quod plane euertit, quæ supra dicta sunt. Sane, quicquid est ens per suam essentiā, est bonū per suā essentiā. sed quodlibet ens reale, est huiusmodi: ergo sequitur illud idē, & coincidit cū superiori argumēto. Iterū, omnis res, est bona sua bonitate; nā cū illa sua bonitas sit ens quoddā, bona sit, necesse est: siquidē si alia bonitate esset bona; de illa similiter quæreretur: stādum est, ergo in prima. sed omnis res est ens per suam essentiam: igitur est bona per suam essentiam. His ergo atque similibus argui consueuit à doctis & catholicis viris.

Deus bonus.

2.

3.

4.

CAP. III.

Soluuntur Argumenta.

1. AD primum dici potest: illa tria inueniri in rebus causatis & conditis: in Deo autem, veluti in causa, bonum consistere, ad quem spectat cæteris rebus modum imponere, speciem, & ordinem. *Ad confir.* dico, omnia pro sui proportione conditioneue Deum appetere; dum enim suas perfectiones appetunt, quæ sunt quædā diuini esse similitudines; Deum appetant, necesse est: & quædam quidem appetitu cognitiuo, quædam vero naturali, vtpote naturali ad suos fines inclinatione vergente, seu impellente: hoc ergo modo omnia appetunt Deum, qui est
2. bonus per suam ipsius essentiam. *Ad* 1. maior est distinguenda, nempe habere aliquod additamentum, aut absolutum, aut respectiuum: atqui summum bonum habet additamentum respectiuum; addit enim supra bonum relationem tantum, non autem rem absolutam. Porro, relatio qua aliquid de Deo dicitur ad creaturas, in Deo est secundū rationem, in creaturis vero realiter: sicut etiā scibile relatiue dicitur ad scientiam: non quia ad ipsam, sed ipsa potius ad ipsum refertur. Non ergo est necesse, vt ex hoc Deus sit compositus, & in ipso aliqua sit comparatio; sed id solum, quia scilicet entia alia à tanto bono quam longissime ab-
3. sunt & deficiunt, atque remota iacent. *Ad* 3. dico, indiuisionis, non autem perfectionis rationem vnum ostendere, quæ quidem indiuisionis perfectio cuilibet rei per suam essentiam competit. Verum hoc interest inter simplicia & composita, quod nimirum simplicium essentiæ, tum actu, tum etiam potentia indiuisæ sint: compositorum vero solo actu. vnde fit, vt quamuis quælibet res sit vna; non tamen bona per suam essentiam. *Ad confirmat.* dico, quod licet quodlibet ens sit bonum, quatenus habet esse; creatæ tamen rei essentia, non est ipsum esse: inde fit, vt per suam ipsius essentiam bona esse non possit, cum hoc soli Deo competat, cuius esse est sua essentia. Etenim si esse Dei à sua essentia esset distinctum; illud profecto, vel à principiis intrinsecis, veluti risibile à principiis speciei, vel ab extrinsecis, sicut calor in aqua causaretur: nō à principiis essentialibus: alioqui non esset sibi sufficiens, per se essendi, & subsistendi causa: haberet enim esse causatum ab alio: quod Deo nequaquam conuenit: nec à principiis extrinsecis, propterea, quod primæ causæ non competit ab aliqua alia fieri, & produci: est ergo suum esse, & sua essentia. Ex
4. his ergo patet solutio ad argumentum. *Ad* 4. dico: creatæ rei bonitatem esse aliquid superadditum, non ipsam ipsius essentiam: illud autem superadditum; siue sit aliqua perfectio, siue ordo ad finem, bonitas illa bona dicitur, sicut & ens; quia nimirum ea est aliquid boni: non autem quod ipsa habeat aliquam bonitatem, qua sit bona.

Esse Dei est essentia ipsius.

CAP.

CAP. IV.

An bonum sit idem cum ente.

Bonum differt ab ente.

Bonum & ens, quomodo sint idem.

IN tertio Pymandri de bono, quomodo sit passio
entis, breuiter succincteque locuti sumus, propter-
ea, quod ad Dei bonitatem depromendam decla-
randamque sermo properabat. Quamobrem, cum
locus, tempus, ac ipsemet Mercurius amplissimam nobis di-
cendi scribendique facultatem suppeditent; nonnulla adde-
re tentauimus. Inprimis igitur illud occurrit, num ipsum
bonum realiter differat ab ente. Ad quod quidem dici po-
test: idem quidem esse realiter, ratione vero differre; boni
enim ratio appetitum mouet: nullum autem imperfectum
mouet appetitum: Imperfectum igitur non est bo-
num. Ex quo sequitur, vt perinde sit bonū & per-
fectum. Tunc sic sillogizari potest. Omne perfectum est
in actu. sed bonum est perfectum: est ergo in actu, & con-
sequenter idem realiter cum ente: differt vero ratione for-
mali per ipsum nomen significata, bonum siquidem appe-
tibilis rationem denotat. Et reuera, bonum est fundamen-
tum, & propria ratio suæ appetibilitatis; rem namque deno-
tat, quæ appetibilis rationem stabilit atque confirmat. Quam
ob causam, quo propius aliquid ad boni rationem accedit;
eo magis appetibile se reddit: propius autem res in actu ac-
cedit, quæ est complementum, & boni rationem ostendit. I-
taq;, cum proxima ratio boni sit, appetibile se reddere, quæ
quoniam non sic ab ente exprimitur, sed absolute potius, &
secundum se; hac de causa formali ratione ab ente distin-
guitur. Quæ quidem licet ita se habeant, ens tamen secundū
rationem, bonum præcedit: illud profecto prius est, quod
plane ab intellectu prius concipitur. sed ens prius concipi-
tur; vnumquodq; enim cognoscitur in quātum est in actu. 9.
meth. vnde fit, vt ens sit primum intelligibile, sicut sonus est
primum audibile. Ex quo patet, secundum rationem ens
prius esse quam bonum. Cæterum *posset aliquis* non ociose
ambigere, & sic dicere. Aut rationis ordine secundum se aut
quoad nos, ens est prius, quod profecto intelligi non potest,
Deo namque neque secundum rem, neque secundum in-
tellectum, est aliquid prius. Quomodo ergo ens est primum
intelligibile? *Ad hoc* dubium dici potest, quod si ad suas ra-
tiones formales, ens comparetur; sic proculdubio ens est
primum intelligibile ex sui natura: cætera vero posteriora
secundum intellectum. secus vero res se habet, si ad alias
subsistentes cōparetur; tunc enim Deitas est intelligibile, ita
vt intelligibilitas prius insit Deo, & enti per Deum. Dispu-
tatum est de hoc alibi latius. Ex his ergo quæ dicta sunt, fa-
cile colligi potest, quonam pacto omne ens, inquantum ens
sit bonum, sicut dictum est. Omne siquidem ens, est in actu,
& quodammodo perfectum: quia omnis actio est perfectio
quædam: perfectum vero habet rationem appetibilis. vnde
fit, vt omne ens in quantum huiusmodi, bonum nominetur
& sit. Bonum præterea habet rationem finis. Illud enim, in-
quit phil. 1. *phys.* cuius causa est, est sicut finis, & bonum alio-
rum; quod enim omnia appetunt, habet rationem boni. at-
qui finis ab omnibus appetitur: importat ergo finis boni ra-
tionem. Porro, vnumquodque bonum ex sua ratione for-
mali dicitur, ob rationem finis esse, ita vt finis boni rationem
moueat, quia eum habetur, est terminus, & pax quærentis,
& efficientis. Quare, asseratio est; quæ res appetitur: proin-
de mouet primum intentionem quærentis, vt tandem post-
ea rei exequutionem afferat: hinc est quod ratio boni præ-
supponit rationem causæ & formalis, & efficiētis. Videmus
namque id quod est primum in causando, vltimum esse in
causato; finis siquidem sui boni ratione primum mouet ef-
ficientem: inde sequitur actio efficiētis mouens ad formam;
postremo euenit forma. Secus autem se habet in causato,
in quo quidem inprimis est ipsa forma, qua causatum est
ens, deinde illius virtus effectiua consideratur, quatenus
causatum est perfectum in esse, propterea, quod tunc vnū-
quodque perfectum iudicatur, teste philosopho 4. *metheo-
rorum*, cum potest sibi simile facere: postremo sequitur,
quod est fundamentum perfectionis in ente. Ex quo patet,
bonum finis rationem habere. Cæterum, omnis boni ratio
in modo, specie, & ordine consistit, docente nos Augustino.
Hæc tria, inquit, *modus, species, & ordo tanquam generalia bona
sunt in rebus à Deo factis: & ita hæc tria vbi magna sunt, magna bo-
na sunt: vbi parua, parua bona sunt: vbi nulla, nullū bonum est.* quod
nisi in ipsis boni ratio consisteret, nequaquam ab Augustino
Theologiæ principe, sic constantissime defenderetur. Etre-
uera, perfectum dicitur, cui nihil deest. sed bonum est per-
fectum, quia sic est appetibile: bonum ergo est, cui nihil de-
est. Id autem consequitur per suam formam, quam nonnul-
la præcedunt, quædam vero consequuntur: formæ vero rū
materialium, cum etiam efficientium necessaria est princi-
piorum commensuratio: & id quidem per modum signifi-
catur: mensura certe sine modo esse non potest. Porro, ipsa-
met forma speciem denotet; per formam siquidem quodli-
bet speciem sortitur: vnde dicitur, quod numerus speciem
præbeat, propterea, quod diffinitiones speciem significātes,
sint sicut numeri. Quam ob causam, quemadmodum ad-
dita, seu remota vnitate, variat numeri speciem; sic addita
differentia diffinitionibus seu subtracta. Ad formam autem
consequitur inclinatio ad finē, quæ dicitur pondus, siue or-
do; quia vnumquodque agit, & id intendit, & prosequitur,
quod sibi competit per suam formam. Itaque, boni ratio in
modo, specie, & ordine consistit. Diuiditur autem bonum
per honestum, & vtile: bonum enim est aliquid, quatenus
est appetibile, & terminus motus appetitus. Terminus au-
tem motum appetitus ipsum appetibile aliquando non ple-
ne, sed secundum quid, & tunc quidem vocatur bonum v-
tile: interdum vero plane, & omnino, & bonum honestum
nominatur; honestum enim per se desideratur: nonnun-
quam vero, vt quies in re desiderata, & delectabile bonum
nuncupatur. Itaque, quomodo bonum sit idem cum ente,
& in quo differat ab ente, & quod ens prius sit quam bonū,
& quonam pacto omne ens sit bonum, & omne bonum fi-
nis rationem habeat, & quod consistat in modo, specie, &
ordine, denique quomodo diuiditur in bonum, vtile, hone-
stum & delectabile, breuiter dictum sit.

Ens prius bono. 9. meth.

Bonum habet rationem finis.

Bonum consistit in modo, specie & ordine.

lib. 1. de nat. bon.

Bonum differt ab ente.

8. meth.

Diuisio boni.

Epilogus.

CAP. V.

Argumenta contraria.

DIlucidandæ veritatis causa, *contra* prædicta sic argui
potest: Quod dicitur aliud & aliud, realiter separan-
tur ab inuicem; aliud enim & aliud rerum diuer-
sitatem denotant. sed bonum & ens, authore Boe- 1.
tio hoc modo ab inuicem separentur: Intueor, inquit, in re- *in lib. de*
bus, aliud esse, quod sunt bona, & aliud esse quod sunt: *hebd.*
bonum ergo & ens secundum rem ab inuicem sunt
distincta. Sane, nihil est, quod seipso informatur.
sed bonum informat ens, vt habetur in *comm. lib. de cau-
sis*: ergo quod prius. Amplius, quod est prius secundum no-
men, præcedit etiam ordine rei; ordo enim nominum, re- 2.
rum ordinem, quæ per illa significantur, indicat. sed inter
diuina nomina, authore Dionysio Areopagita 3. cap. de di-
uin. nom. lib. c. bonum ponitur. Boni appellationem, ait, sū-
mæ deitati peculiariter attribuunt: præcedit igitur bonum,
atque prius est ens secundum rationem. Reuera, id censen-
dum est prius secundum rationem, quod ad plura sese ex-
tendit, atque diffundit, quod certe latissime patet. Sed bo-
num ad plura se extendit quam ens, puta quia se extendit
ad existentia, & non existentia: ens vero ad existentia
tantum, vt docet Dionysius: *Boni*, inquit, *diuina appellatio,
& ad ea, quæ sunt, & ad ea quæ non sunt, extenditur: &* *Cap. 3. de*
super omnia quæ sunt, & quæ non sunt, eminet: ergo quod *diui. nom.*
prius. harum, pulchrum, causæ formalis rationem denotat: 3.
ergo & bonum; siquidem bonum, vt pulchrum laudatur,
teste Dionys. cap. 4. de diuinis nominibus. Bonum præterea
est de sui natura diffusiuum, vt idem met author testatur:
quare efficientis potius, quam finalis causæ innuere videtur. *In lib. 1. de*
Ad hæc accedit authoritas Augustini sic disputantis: *Quia,* *doctrina*
inquit, *Deus bonus est, ideo boni sumus.* atqui ex Deo sumus, vel- *Christ.*
uti ex causa efficiente: bonum ergo efficientis, & non fi-
nalis rationem obtinet. Præterea, quod ratio boni non con- 4.
sistat in modo, specie & ordine, sic arguo: Quæ sunt quædā
bona, nō possunt esse modus, species & ordo aliorum: alio-
qui eisdem opus haberent: atque ita in infinitum vsque fie-
ret progressus, qui vtiq; ab omnibus exploditur, & reiicitur.
sed modus, species, atque ordo sunt quædam bona, pu-
ta quia sunt quædam entia: non sunt ergo adhiben-
da in quolibet bono. Sane, si bonum consistit in
modo, specie & ordine; profecto extra ipsa non est
bonum. at bonum cum horum priuatione inuenitur, puta
quia malum est priuatio modi, speciei, & ordinis, one prof-
fus omnem boni rationem euertit: in modo ergo, specie, 5.
& ordine boni ratio nequaquam consistere potest. Amplius,
id in quo boni ratio consistit, malum dici nō potest. atqui di-
ci solet malus modus, mala species, malus ordo. ergo quod *4. gen. ad*
prius. Reuera, authore Augustino, modus, species, & or- *lit.*
do, ex pondere, numero, & mensura dependent, atque cau-
santur. *Mensura*, inquit, *omni rei modum præfigit: numerus vero*

speciem

Bonum quid: *speciem prabet: pondus autem omnem rem ad quietem, & stabilitatem trahit.* sed lucis natura, secundum Ambrosij sententiam *in Hexameron*, ab his omnibus libera creata est, & immunis:
6. ergo quod prius. Item quod non recte detur boni diuisio, sic
1. *ethic.* arguo. Bonum, à philosopho diuiditur in decem prædicamenta. at vtile, honestum & delectabile, in prædicamento sunt qualitatis tantum: non ergo in hæc tria conueniens fiet boni diuisio atque distributio. Sane, omnis diuisio per opposita est facienda. sed hæc tria nequaquam videntur opposita, puta quia honesta sunt delectabilia & vtilia. Ad hæc accedit, quod vtile non sit bonum, nisi quia delectabile, & honestum: non ergo est discretum à delectabili, & honesto; ergo &c.

CAP. VI.

Soluuntur Argumenta.

1. AD 1. neg. maior; non enim bonum dicit aliud, id est, aliam rem ab ente; sed bene alium modum essendi: puta quia ad bonum addit rationem perfecti & appetibilis, & consequenter vltimi. Quam ob rem, id quod est vltimate perfectum, bonum simpliciter appellatur: cui vero deest hæc vltima perfectio, quæ sibi debetur, etsi aliquid perfectionis habeat, quatenus in actu consistit; bonũ nihilominus non simpliciter, sed potius secundum quid, est appellandum. Quamuis ergo secundum primum esse substantiale vnumquodque existens in actu ens appelletur; bonum tamen simpliciter dici non potest, nisi vltimum actum fuerit assequutum, quo perfectum efficitur, & delectabile. Recte igitur, sapienterque dictum est à Boetio, in rebus aliud esse, quod sint bonæ, seu bona; & aliud quod sint; distinxit siquidem esse bonum, & esse simpliciter, vt dictum est. Ex quo patet solutio ad confirmationem. bonum namque simpliciter ens informare dicitur secundum vltimum actum. *Ad* 2. Ad minorem dico, de diuinis nominibus Dionysium fuisse locutum, quatenus causæ habitudinem denotant; Deum enim ex creaturis velut causam ex effectibus, variis nominibus appellamus. Bonum autem cum denotet appetibilis rationem, proculdubio causæ finalis habitudinem, proprietatemque indicat, quæ est prima causarum: quandoquidem agens non ageret, nisi propter finem: & ab agente mouetur materia ad formam. Quare, in causando bonum præcedit ens, sicut finis formam, qua de re bonum inter cætera nomina diuina præeminet, & præcedit, quia primum est in causando. ideo namque omnia creauit, quia bonus est: vt sæpe dixi in aliis libris. Pari quoque ratione soluitur confirmatio; bonum siquidem sese extendit atque diffundit ad omnia causando, propterea, quod habeat rationem finis, in quo plane quiescunt non solum ea, quæ actu consistunt; verum etiam quæ sunt potentia ad actum: ens vero ad ea tantum, quæ sunt in actu porrigitur, quia nimirum formalis, siue exemplaris habitudinem habet causæ. Patet ergo quonam pacto intelligendæ sunt Dionysij sententiæ. *Ad* 3. dico, bonum & pulchrum, subiecto
3. quidem eadem esse, ob id, quod super eandem formam fundata sint: ideo bonum laudatur vt pulchrum: ratione vero differre. Etenim boni ratio appetitum proprie respicit, habet enim rationem finis: appetitus vero est quasi quidam motus ad rem: pulchri autem vim cognoscitiuam intuetur. Pulchra reuera dicũtur, quæ visa placent, proinde
Pulchrũ. pulchrum in debita proportione consistit. vnde fit, vt sensus rebus debite proportionatis, quasi sibi similibus, & cognatis mirifice oblectetur. Sensus vero ratio quædam est, & omnis similiter virtus cognoscitiua. Cum autem per assimilationem cognitio fiat, similitudo vero formam respiciat; inde fit, vt ad formalis causæ rationem pulchrum pertineat. *Ad confir.* bonum dicitur diffusiuum sui, quomodo finis mouere dicitur. *Ad author.* Aug. dico, hominem bonum appellari, quia bonam volũtatem habet, qua cæteris bene vtimur, quæ in nobis sunt. Verum quia bona voluntas, finem respicit, vt obiectum; hinc est, quod erudite, sapienterque dictum sit ab Augustino: quia Deus est bonus, nos quoque boni sumus; retulit enim hæc ad causam finalem. *Ad* 4. dici potest, modũ, speciem & ordinem bona dici, propterea, quod sint sicut
4. entia, non quod per se subsistant; sed potius, quod illorum gratia, alia omnia, tum entia, tum bona sint. Quare non est necesse, ipsa aliqua alia habere, quibus bona fiant; non enim ita bona nuncupantur, quasi formaliter aliis sint bona; sed potius, quia ipsis formaliter aliqua sunt bona. Eodem modo albedo ens nominatur, non quia ipsa sit aliquod ens subsistens; sed quia ipsa est aliquid non quidem simpliciter; sed secundum quid, vt album sc. sic quoq; loquendũ de modo, specie, & ordine. *Ad confirmation.* dico, quod quemadmodum cœcitas funditus non aufert omnem modum, speciem, ordinemque hominis, nisi visus tantummodo virtutis; ita plane malum, hoc est vitium, non prorsus extinguit omne esse humanum, sed virtutis tantum. *Ad* 5. omnis modus in quantum modus, authore Augustino de natura boni, bonus est: quod plane de specie & ordine dici potest. verum ideo malus modus, mala species, malusque ordo appellantur; quia nimirum non recte ad ea accommodantur, ad quæ accommodanda erant. Ad confirmat. respectiue, & non absolute verba Ambrosij intelligi debent, quia scilicet lucis natura corporalibus rebus comparata, videtur quasi sine modo, specie, & ordine consistere;
6. quatenus namque est qualitas primi corporis alterantis, cœli scilicet, ad omnia corporalia sese diffundit. *Ad* 6 dico, bonum in decem prædicamenta diuidi, quatenus scilicet idem est subiecto cum ente. at quatenus propriam indicat rationem, trinam diuisionem sibi compatere. *Ad confir.* quoque dico, hanc quidem boni diuisionem, non per res, sed per rationes oppositas fieri; etenim ea proprie delectabilia appellantur, quę delectationẽ potius, quã rationẽ afferũt, propterea, quod interdum noxia sint, & inhonesta: vtilia vero, quæ non sint, sed alterius gratia desiderantur. At honesta ob suam ipsorũ pulchritudinẽ, honestatemq; appetũtur. Ex hoc patet solutio ad aliam confirmationem: bonum enim in hæc tria diuiditur, sicut analogum, quod prædicatur secundum prius & posterius. prius quidem de honesto, deinde de delectabili, postremo de vtili. Hæc quidem sint dicta ad laudem bonitatis diui Pymandri: cuius deinceps pulchritudinem enucleandam, depingendamque magnus nobis offert Mercurius.

Dei pulchritudo.

MERCVRIVS.

Pulchrum vero, & bonum in mundi partibus inuenire non licet: Nam quæcunque sensus mouent, idola sunt, & vanæ quædam adumbrationes. Quæ vero sensuum organa subterfugiunt, ad pulchrum bonumque pertinent: vtque acies oculi Deum non cernit; sic neq; pulchrum bonumque cognoscit.

Commentum IX.

QVONIAM quidem omnis multitudo ad vnum, quod est in multitudine, refertur: & vnũ, quod est in multitudine, ad vnum, quod est super omnem multitudinem, reducitur; hac de causa magnus Mercurius ordiens sermonem de pulchro, ait, veri summique pulchri in his mundi partibus idola quædam, & nonnullas vanas adumbrationes inueniri; illius vero genuinã, natiuamq; imaginem ab humano sensu percipi non posse. Sicut enim acies oculi ob sui debilitatem, ac qualitatis, & proportionis temperaturam Deum videre non potest, imo ne sphæram solis fixis luminibus conspicere; ita pulchrum illud supremum, & maximum, bonumque nequaquam cognoscit, nisi per quandam adumbratilem cognitionem. Etenim cum multa sint pulchra, & nulli illorum per alterum pulchritudo insit; proculdubio, singula pulchra esse, necesse est, per communem illam pulchritudinem, quæ est omnis pulchritudinis causa, atque principium, character & exemplum: multa siquidem dicuntur pulchra, aurum, argentum, ebur, lapides pretiosi, ornatæ vestes, homines, animantia, elementa, corpora cælestia, quæ omnia, ac singula absolutæ pulchritudinis sunt opera, quia ad eius exemplar aliquo modo formata: vnde dicit sapientia, à pulchritudine rerum creatoris pulchritudinem inspici posse. Ex quibus anima rationalis quia proxime pendet ex Deo, pulchritudinis ideam sibi illinc impressam servat intus, rei quod congruit, tanquam sibi patriique cognatum, libenter amplectitur. Ea autem in corporibus congruit forma, quę ad ideæ normam ex amussim composita est, neq; enim non habere pulchritudinis speciem, omnem sensibilem pulchritudinem complicantem, illo rosam pulchriorem discernere possit. Quamobrem, quemadmodum ignis ipse complicat omnia calida, & calidorum formas; ita intellectus noster omnes pulchritudines: vnde fit quod pulchrum mirum in modum nos afficit & oblectat. nam cum pulchrum primo intuitu sensui sese blandius offert,

Vnum pulchrum.

Anima humana habet ideam pulchritudinum.

id

Dei pulchritudo.

id animus apprehendens, ceu sibi familiare & cognatum, libenter agnoscit, iucunde suscipit: & quasi amicissimum approbat & amplectitur. In turpe vero si inciderit, velut sibi difforme & parum amicum, illico resilit, & respuit. Ex quo patet pulchri speciem subterfugere organa sensuum, vt dicit Mercurius: & eam, quam in rebus videmus pulchritudinem, idolum, & quandam esse adumbrationem pulchritudinis abditæ atque latentis. *Quæ, inquit, sensum mouent, idola sunt, & vana quædam adumbrationes: Quæ vero sensuum organa subterfugiunt, ad bonum & pulchrum pertinent.* Itaque, pulchritudo est quædam gratia, quæ animam per hæc idola pulchra atque adumbrationes mouet, & allicit: denique excitat obsoletam & obliteratam sibi impressam pulchritudinis effigiem: veluti si ex insperato in Herculis siue Samsonis incideres statuam; mox antiquatæ illius imaginis & exemplaris memoriam, rationemque in mentem reuocares. Itaque hæc pulchra, quæ sensuum organa non effugiunt, idola sunt pulchri intus animæ humanæ inhærentis: illud vero character est, & exemplar primi, & veri pulchri, diuini scilicet: propterea subdit Mercurius in textu.

Tex. exp.

MERCVRIVS.

Hæ quidem partes Dei sunt integerrimæ: illius propriæ, cognatæ, inseparabiles, præcipueque dilectæ: & vt has ipse Deus amat; ita ab iis ipse Deus amatur. Si Deum percipere poteris, pulchrum quoque bonumque percipies, fulgens omnibus, illustratum à Deo. Pulchritudo enim sine comparatione, sine mutatione bonũ. Deus enim comparationem mutationemque nullam admittit. Si Deum ergo quæsieris, pulchritudinem ipsam quæres.

Commentum X.

QVemadmodũ in vnitate omnes numeri complicantur, & in numero omnis proportio, & in proportione omnis harmonia, & ordo, & concordantia, & in ordine omnis pulchritudo, quæ in ordine & proportione, & concordantia relucet; ita in ipso summo opifice, & mundi patre omnis pulchritudo complicatur. Hac de causa dicit Mercurius, has duas partes, seu virtutes ipsius proprias esse mundi authoris, cognatas, inseparabiles, plurimumque dilectas: ita, vt nec Deum sine ipsis, nec ipsæ absque Deo cognosci queant: veluti si diceret: sicut sol sine lumine, & splendore cognosci, & plene videri non potest; ita plane nec Deus cognoscitur sine bono, & pulchro: nec vicissim illa absque Deo. Cæterum, huiusmodi pulchritudinem dicit esse bonum sine comparatione, & mutatione: bonum quidem, quia appetibile; sine comparatione vero, quia est supra omnia rerum genera, proportionem, ordinemque: quæ autem ad inuicem comparantur; eiusdem sint generis, necesse est: sine mutatione, quia æterna, & incommutabilis. Alia vero pulchra, & comparationis vicissitudinem subeunt, & mutationi sunt obnoxia: præsertim ea, quæ in his inferioribus degunt, & habentur. In causa est, inquit, quia Deus comparationem, mutationemque nullam admittit. De quo profecto negotio in primo Pymandri disputaui abunde satis. Porro, bonum, vt dictum est, habet rationem finis & appetibilis: pulchrum vero delectabile: bonum simpliciter placet: pulchrum secundum quid, secundum apprehẽsionem scilicet. Est autem diuina pulchritudo summi boni splendor in his fulgens, quæ oculis, auribus, menteque percipiuntur: perque illa ad ipsum summum bonum, visum, auditum, mentemque conuertens. Quamobrem non indocte circulus quidam diuinæ lucis appellatur, à bono vtique manans, in bono residens, per bonum & ad bonum sempiterne reflexus. Est præterea diuina pulchritudo actus viuificus: mentem primo diuinam idearum ordine infinite decorans: numina deinde sequentia, rerum serie complens: animas tertio numerosis discursibus ornans naturas seminibus, formis materiam, oculis, vt videant lucidum infundit spiritum: corpora, vt videantur, coloribus pingit. Huiusmodi autem diuinus actus, vt roborat, bonum, vt viuificat autem, lenit, & mulcet, & excitat, pulchrum dicitur. Quare, vt bonum est, procreat, regit, & complet: vt pulchrũ vero, illuminat, & gratiam infundit. Cum ergo Dei natura sit procreare, regere, & complere, denique illuminare, & gratiã rebus à se conditis infundere; mirum videri non debet, si à sapientissimo Mercurio hæ duæ virtutes appellentur deiformes, multũque illi cognatissimæ. Consentit hic Mercurii sententiis Dionysius Areopagita. *Pulchrum, inquit, & pulchritudo in causa suprema, cuncta quæ in vnum colligente, distinguenda non sunt; ista enim in subsistentibus omnibus in participationes, participantiaque diuidimus: pulchrum esse dicentes, quod sit pulchritudinis particeps: pulchritudinem vero participationem, venustifica pulchrorum omnium causa.* Hæc Dionys. pulchre admodũ elucidat Mercurij sententiam, asserens in suprema causa cuncta in vnum colligente, quia videlicet est centrum omnium rerum, & eminenter continet omnia, distinguenda non esse, sicut in rebus conditis distinguuntur; siquidem id pulchrũ dicimus, quod est pulchritudinis particeps: quemadmodũ oculum lucidum appellamus, quia nimirum est receptaculum lucis, & particeps luminis diffusi: hoc est, quod à Mercurio dicitur, quæ sensibus subiacent, vera pulchri vanas quasdam adumbrationes esse, hoc est, vmbratiles figuras, quæ instar corporum incedunt, & viuentium personas præseferre videntur: cum interim nihil nisi vmbrarum figmenta, quibus sæpe deludimur, huiusmodi sunt pulchra sensibus subdita, & patentia. Quid vero sit ipsa pulchritudo ostendit: participatio, ait, venustissimæ pulchrorum omnium causæ: quare quo magis aliquid illius venustificæ causæ particeps redditur; eo ampliori maiorique pulchritudine fulget. proinde mentes illæ angelicæ pulcherrimæ sunt, propterea quod & naturæ amplitudine, & intelligendi, amandique facultate, ad pulchram illam omnium pulchrorum primam causam, propius, puriusque cæteris accedunt: deinde mentes hominum, postremo alia quæque pro captu naturæ, qualitatisque proportione, à summo omnium satore Deo sibi indita, & impressa, veluti sunt corpora cœlestia, elementa, metalla, lapides, animantia, & quæ ex his simplicibus constant corporibus. vnde subiungit Dionysius: *Pulchrum, inquit, illud substantiale, Deus optimus maximus: pulchritudo quidem dicitur, propter illam quam tradit subsistentibus omnibus, pro captu cuiusque, pulchritudinem: in omnibus fulgens, & omnia ad se vocans: proinde græce pulchritudo Καλὸς à vocando dicitur, tota in toto, ad vnum, atque idem colligens omnia.* Et est sensus Dionysii: quemadmodum sol lux dicitur, quia in cætera omnia corpora suum diffundit fulgorem, & luce afficit, atque depingit, ad sui naturam, qualitatemque, quoad fieri potest, trahens, & conuertens omnia; ita plane Deus, in omnia pro captu cuiusque suam diffundit, & impartit pulchritudinem, ad illius venustatem alliciens, & trahens omnia. Ab effectu Dei pulchritudinem descripsit: causam autem cum non habeat superiorem seipsa, exprimere non est ausus, imo nec potuit. In Deo itaque est illud supremum pulchrum, & supreme pulchrum, quod neque oritur, neque occidit, neque augetur, neque interit, quod vbique est pulchrum, & nusquam fœdum: in seipso existẽs ante omnia simplex, & absoluta pulchritudo. Ex hoc pulchro, pro suo modo pulchra singula fiunt: omniumque rerum congruentiæ, & amicitiæ manant. Hoc summe pulchrum est rerum omnium initium, & causa effectiua, & mouens omnia, atque continens amore pulchritudinis propriæ; pulchri enim gratia omnia fiunt. Quare, pulchrũ, & bonum omnia desiderant: neque est aliquid in substantiis rerum, quod pulchri & boni non sit aliquatenus particeps. Recta ergo dictum est à Mercurio, ab his mirifice Deũ, & vicissim hæc à Deo amari: nec Deum absque illis, nec illa sine Deo consistere posse. August. supradictæ sentẽtiæ plurimũ fauet: *Mundus, inquit, ipse, ordinatissima sua mutabilitate, atq; mobilitate, & visibiliũ omniũ pulcherrima specie quodammodo tacitus, & factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter, atq; inuisibiliter magno, & ineffabiliter, atque inuisibiliter pulchro fieri potuisse proclamat.* Sane omnes philosophorum scholæ, quæ diuinius aliquid scripserunt, nihil esse quod tam arguat, & factum esse à Deo mundum, & eius cura administrari, consensu vnico affirmant; ac mundi ipsius ornatum, ordinemque pulcherrimum. Inter maximũ nihilominus pulchrorum numerum, anima humana quam venustissime eminet, & splendet, cuius pulchritudo iustitia est, quam Diuus Paulus vocat nouitatem mentis, secundum quam reformamur ad imaginẽ Dei. Quod si animæ pulchritudo non est moles corporea, sed ordo iustitiæ inuisibilis; eo magis iustorum mentibus credendus est Deus incomparabiliter pulchrior, quo est incomparabiliter iustior. *Pulchritudo corporis est congruẽtia partium cum quadam coloris suauitate:* vt dicit Cicero in Tuscul. Tanto ergo pulchrius erit corpus, quanto similioribus inter se partib. suis constat: propterea Aoge-

Margin notes (left column):
Quid sit pulchritudo.
Diuina pulchritudo Splendor. Circulus.
Actus.

Margin notes (right column):
Dei pulchritudo.
c. 4. de diuin. nom.
Pulchrum. Pulchritudo.
Vana adumbrationes.
Dei pulchritudo.
II. de ciuit. c. 4.
Anima pulchritudo.
Rom. 12.
Corporis pulchritudo.

Dei pulchritudo.

lus, & anima humana pulchri dicuntur, & Deus ipse pulcherrimus; quia in his partibus sibi consentiunt. Deus præsertim, qui est omnino simplicissimus, & purissimus, omnimodam habet pulchritudinem, imo est ipsa pulchritudo, pulchra faciens, pulchra fouens, ac super omnia sese ferens pulcherrimus ipse. Vnde Petrus Apostolus ait: *In quē desiderant angeli prospicere.* Et Iob: *Cū me laudarent astra matutina & iubilarent omnes filij Dei.* hanc pulchritudinem sub vmbra quidem intuitus Iacob, ait: *Vidi Dominum facie ad faciem: & salua facta est anima mea.* Moyses summopere cupiebat huius pulchritudinem faciei conspicere, quando aiebat: Mitte me domine ad tot pericula, laboresque tollerandos, & non ostendis mihi faciem tuam. Dauid quoque pari desiderio diuinæ videndæ pulchritudinis tenebatur, cum instanter quæreret: *Faciem tuam domine requiram.* Paulus vidit in raptu, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Lumina itaque ac radii diuinæ pulchritudinis, per omnia sese diffundunt: omnia penetrāt: mentesque rapiunt ad sui amorem & indaginem: vt non nisi in ipsa diuina pulchritudine animus quiescat inquirentis. Deus ergo ab his duabus virtutibus bonitate & pulchritudine, & hæ à Deo plurimum amantur.

1. Petr. 1. Iob. 38. Gen. 32. Exod. 33. Paulus. Psal. 26.

CAP. II.

Platonis, & Plotini doctrina de pulchro.

Plato.

AD magni Mercurii laudem extollendam, doctrinamque commendandam, Platonis ac Plotini sententiam in medium adducere constitui, qui Mercurii vestigia quam diligentissime sequuntur. Plato in Hippia, siue de pulchro magna cum diligentia de pulchri natura loquitur, & disputat, reiectis exclusisque nonnullis descriptionibus, quæ pulchri naturam minime cognouerunt, è quibus vna illa fuit, quæ pulchram virginem, pulchrum ipsum esse putabat: quod plane falsum esse, ex eo maxime constat, quod non omnia quæ pulchra sunt, per virginem pulchra fiant. Virgo præterea brutis cōparata, pulchra quidem, cælo autem deformis apparet. Quare, non magis pulchra quam deformis esse videtur. Altera dixit, aurum ipsum esse pulchrum, quo omnia pulchra fiunt. Et hæc quidem a vero longe aberrat. aurum enim rebus quibus congruit, pulchras facit. alias vero deformat. Non est ergo simpliciter pulchrum, quod vbique est pulchrum. Alia quoque falsa descripsit, putauit enim pulchrum esse, corpore bene valere, diuitem esse, & honoratum, mori senem, sepeliri à filiis, sepelisse parētes, & quæ sunt generis eiusdē. quod plane falsum est, propterea quod hæc pulchritudo hominibus conuenit tantum: pulchrum autem ipsum est, quo omnia sunt pulchra. Præterea, si id hominibus congruit, angelis tamen nequaquam, cum sint & ipsi pulcherrimi: neque decorum, & vtile ipsum pulchrū appellabimus, vera enim pulchritudo pulchra facit & esse, & videri: decorum vero videri tantum: nec etiam vtile, quandoquidem vtile potentiam ad aliquid faciendum habet, sed potentia, vt plurimum mala agimus: pulchrum vero mali causa esse non potest: neque simpliciter quodcunque vtile, pulchrum ipsum erit; alioqui corpus ipsum pulchrum vocaremus, animalia, equum, gallum, coturnicem, apparatus omnes, vehicula terrestria, maritima, naues, triremes: instrumēta quoque omnia tam ad musicam, quam ad artes alias pertinentia: item studia, leges, & quæ simili ordine clauduntur: quę omnia non sunt ipsum summum verumque pulchrum, sed potius idola, & simulacra veri pulchri. Neque quæ nos delectant per visum, & auditum, ipsum verum pulchrum cēsenda sunt; sed potius quædam vanæ adumbrationes, picturæ, & figmenta pulchra. Reliquum est ergo, vt verum primum pulchrum, subterfugiat organa sensuum, sicut dicit Mercurius à quo non longe abest Platonis doctrina. In Cratilo idem sentire videtur. Calon, id est, *pulchrum*, inquit, *prudētia est cognomentum, talia quædam agentis, qualia affirmantes pulchra esse diligimus.* In lib. de am. pulchrum bonum appellat, per omnia consentiens Merc. sententiis, quas Plotinus mirifice coluit: *Inaestimabilis* inquit, *pulchritudo diuina in sacris abditis constituta est, ne quis profanus inspiciat foras prodenda tam. Ingrediatur ergo atque progrediatur quicunque potest in intima, extra relinquens intuitum oculorum, solitaque spectacula sensuum, oportet enim hanc intuentem nihil penitus corporea pulchritudinis inspicere. sed confugere ad illud pulchrum, cuius hec pulchra, quæ sensibus subiacent, imagines sunt, vanaque vestigia & futiles, ac inanes vmbræ.* Vide quam pulchra non solū Mercurij sententiam, verum etiā verba imitetur; pulchra enim quæ oculis patent, idola ac vanæ adumbrationes à Mercurio, à Plotino vero imagines, vestigia, atque pallentes vmbræ vocātur. Imagines quidem, quia impressiones quædam sunt summi pulchri: vestigia autē, quia ab illo longe absunt: vmbrę vero, quia cito transeunt. Efficitur ergo animus noster deiformis, diuinam pulchritudinē contemplaturus, atque visurus; fiet n. primum ascendet in mentem, ibique pulchras omnes species contemplabitur, affirmabitque pulchritudinem illam ideas esse. Si intelligibilia ipsa distinxeris, pulchritudinem quidem intelligibilem esse dices, habitaculum idearum: filium Dei vocat Platonice domum idearum, quia est ars, & sapiētia patris, vt dicit sermo diuinus: Patrem vero fontem, principiumque pulchri. Ascendēdum est igitur nobis ad ipsum pulchrum: quod profecto fiet, quando exuimur his, quibus induimur descendendo. Sunt nobis exemplo hi, qui in sancta sacrorū ingredi cupientes, exuunt se vestes, ac alienis quibuscunque exuuiis dimissis, nudi procedunt, vt syncerum illud pulchrum, simplex atque purum videre queant. Quapropter, non indocte dictum est, per sacra mysteria, animum non purgatum apud inferos in cœno iacere; impurum namque ob sui prauitatem cœno est amicum: quemadmodum sues corpore sordidi sordibus delectantur. Anima igitur purgata, in intellectum transit, ac pulchritudine mirifice proficit, bibens ex fonte pulchritudinis, pulchra fluenta. Intellectus vero, & quicquid ab intellectu manat, non alienum, sed proprium fit animæ decus, quippe cum vere est anima. Pulchrum igitur, & bonum animæ in eo consistit, vt Deo fiet similis dissimilis vero, si fiat turpe ac malum illius. Et reuera, duce natura, sua sponte hominum animi ad rerum pulchrarum expetitionem excitātur: illud autem propriè vereque pulchrum atque expetendum, & amabile, quicquid est bonum at bonos est Deus: quod autem bonum, id ab omnibus expetitur: Deum ergo expetunt omnia. Insita est ergo nobis ipsius veri pulchri vidēdi inquisitio, cuius speciem aliquam à longe videmus, quæ si à nobis intime & è vicino videretur, mirabiles in nobis excitaret amores. *Sitiuit*, inquit, *anima mea ad Deum fontem viuum. quando veniam, & apparebo ante conspectum Dei?* Et ille alius clamat: *Cupio dissolui & esse cum Christo* inexplebili videndæ diuinæ pulchritudinis cupiditate flagrabant. Quid est quęso pulchritudine diuina admirabilius? quæ gratiosius? quę inexplicabiles voluptates, quæ è fulgurantissimo fonte illo diuinæ pulchritudinis intermicant: Licet Lucifer prænitidum iubar, licet Lunæ splendorem, licet Solis radiantissimam claritatem dicas, obscura ista sunt, si cum eius pulchritudine comparentur. Tantæ istius pulchritudinis dignitatem nemini licet corporis oculis contemplari; siquidem animo tantum, & cogitatione, vtcunque apprehenditur. Vides magnum Basilium non diuersa dicere, nec sentire à Mercurio, imo à rei veritate: Deus enim est summum bonum, & summum pulchrum, vnde omnis boni ac pulchri imago & vestigium descendit. semper bonum, semperque pulchrū, & vbique semper idem. Quare, sicut omnia bona facit; ita etiam & pulchra: & sicut à seipso recedere aut deficere nequit, quia seipsum negare non potest; sic etiam nec à bono pulchroque deflectere. Quatenus bonum, allicit, & appetitum mouet, roborat, & regit: quatenus vero pulchrum, delectat, fouet, & sustentat. Vtinam sancte Pymander ego ipse intus pulcher fierem, vbi impressam à te habeo tuæ pulchritudinis imaginem, quæ multis meis criminibus labefactata, in beluæ transiit effigiem; quam ob rem expers sum & ignarus tuæ fulgurantis pulchritudinis, & diuinæ bonitatis. Quid ergo sit pulchritudo, & quomodo Deus sit illud summum & verum pulchrum, dixi.

Diffinitiones falsæ. Decorum. Vtile. Delectabile. Enn. 1 lib. 6. c. 8. Verum pulchrum. Dei pulchritudo. Modus videndi diuina pulchritudine. Basil. inter. 2. Psal. 4. Philippen. 1. Dei pulchritudo. Oratio Authoris.

MERCVRIVS.

Quæ tandem ad id ferat vnica via est, pietas cognitioni coniuncta: quapropter ignari mortales, & à pietatis semita deuii, hominem quoque bonum nominare non verentur, cum boni notitiam habere nullam possit, sed malis irretitus, & illaqueatus sit, malumque bonum esse censeat, insanabiliterque malis vtatur, eorumque iacturam priuat, omnemque formidet: omnibus denique machinamentis viribusque contendat, ne vnico solo malo prematur, verum vt in numerum mala, magnitudinemque augeantur.

De pietate.

Commentum XI.

1. Metaph.

QVoniam cætera animantia imaginationibus, & memoria viuunt, homo autem ratione & intellectu, quo Dei impressam gerit imaginē, & patris vestigia præseferre gestit; hinc est, quod illius contuitum cernere, ac notitiam habere magnopere cupit. *Pietas.* Porro, vnica est via talis cognitionis, pietas scilicet, cognitioni coniuncta, vt magnus testatur Mercurius. Et vide, quam optima vtatur methodo: nam posteaquam de bono & pulchro, pro rerum qualitate, dignitateque sapientissime disputauit; illico semitam ostendit, qua quisque valeat ad illius contuitum accedere, notitiamque attingere. Quid enim prodest thesaurū ostēdisse, si aditus non pateat accedendi, perueniendique? Monet igitur auditorem, & aditum pandit, quo facilius perueniat ad boni ac pulchri cognitionem: *Quæ tandem ad id ferat vnica via est, pietas cognitioni coniuncta.* Quid vero sit pietas, Dialogo 9. clare ostendit: *Pietas, inquit, est Dei cognitio: Deū qui cognoscit, bonis refertus omnibus, notiones diuinas assequitur: notiones inquam haud multorum similes.* *Cultus.* Pietas ergo, id est, bona opera cognitioni coniuncta viam ostendunt ad boni & pulchri participationem habendam. Hæc pietas est ille cultus Dei, ad quem Apostolus summopere nos hortatur, vt *sobrie, iuste, & pie viuamus in hoc seculo.* *1. Tit. 2. Iob. 28.* Quæ a magno Iob vocatur sapientia. *Ecce pietas, ipsa est sapientia.* *Aug. de ciuit. lib. 10. cap. 1.* A Paulo autem agnitio, quæ est secundum pietatem. Proinde Augustinus pietatem cultum Dei appellat: *Pietas, inquit, proprie Dei cultus intelligi solet, quam Græci Eusebiam vocant. hæc tamen & erga parentes officiose haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur, quod ideo arbitror euenisse, quia hæc fieri præcipue Deus mandat, eaque sibi pro sacrificiis placere testatur. Ex qua loquendi consuetudine factum est, vt & Deus ipse dicatur pius.* Itaque, pietas quatenus est cultus Dei, sanctaque religio, vnica est via ad veri summique pulchri pertingendi. Cōsentit his Cicero primo de natura deorum: *Pietas est iustitia aduersus Deos, & tunc religio nominatur.* *Cicero de nat. deor. lib. 1.* Erat & Romæ sacellum pietatis, ab Acilio dicatum, vbi mulier habitauit illa, quæ vberibus suis aluit patrem custodię traditum, ibique imago, factum hoc exprimens, visebatur: inde & pii homines, ac mulieres dictæ sunt. Quæ cum ita se habeant, legitime à Mercurio ignauię ac stultitię arguuntur, qui putant se pulchrum illud intueri posse, cum nequiter viuant: *Pietas, inquit, cognitioni coniuncta fit, si quispiam cupit Deum cognoscere. Quapropter ignari mortales, & à pietatis semita deuii:* hoc est, stolidi & insipientes homines censendi sunt, qui ab hac *Semita.* semita, calle vtique stricto & arduo veri cultus Dei deuiarunt. Omnes quidem homines suapte natura feruntur ad huiusmodi pietatis officia colenda: sed nō vno eodemque tramite pergunt omnes. hinc fit, vt multi à pietatis semita deuii sint. *Dicentes se sapientes esse, stulti facti sunt: quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis.* *Rom. 1.* in causa autem fuit, quod pietas nō fuerit coniuncta cognitioni, vt dicit Mercurius. Sequitur textus: Ex pietatis autem defectu, error exortus est in cognitione, vt dicerent bonum malum, & malum bonum; ita vt non veriti sint hominem bonum nominare, cum huiusmodi bonum proprie, & per se soli Deo competat, vt sæpe dictū est. Quonam enim pacto homo illud bonum erit, cum veram illius notitiam, intuitiuam scilicet & claram, habere non valeat, sed videat nunc per speculum in enigmate, & per vmbratilem effectuum cognitionem, altissimæ causæ vestigia contempletur? Ad hæc accedit, quod vndique homo suis criminibus, veluti laqueis inextricabilibus irretitus, & illaqueatus prædæ pateat multorum, quia suis funib. constringitur impius, non secus ac pisces, qui hamo capiūtur: retibus vero sues, laqueis autem auiculæ. *Bonum malum.* Quamobrem eo malorum ventum est, vt bonum, vitium scilicet, bonū, hoc est, virtutem censeat & quod his omnibus fœdius est, & grauius, insanabiliter vtitur suis malis, seseque illis priuatum iri magnopere formidat: veluti si quispiam in tenebris positus, illarum iacturam & priuationem formidet. Denique omnibus machinamentis, viribusque contendit, ne vno solo vitio prematur, verum suorum criminum numerum in dies augere satagit, addens peccatum peccato absque spe prorsus vlla suæ miseræ, & infelicis vitæ corrigendæ atque emendandæ. Sequitur textus: *Talia sunt ô Æsculapi decora hominum atque bona, quæ nec fugere, nec adisse valemus, auditum namque difficillimum id existit. obeam potissimū causam, quia nos illis vti oportet, atque ipsis vtique orbati, vitam agere nullo modo possumus.* Et est sensus, quamadmodū corpus nostrū mortale, sine ciborū alimonia diu viuere nō potest; ita pla-ne hominis anima, vitiis irretita & illaqueata, sine illorum solatio vitā agere nullo modo potest. *De pietate.* Mirū certe, quod laquei & retia in suaues vertūtur cibos: sed cui animæ à pietatis semita deuię, atque aberranti. Summopere ergo colēda est nobis pietas, sine qua nemo videbit Deū. *Amb. lib. 1. off. cap. 27.* Hæc est initiū intellectus in Deū, fundamentum omniū virtutū: Iustitiæ autē pietas est prima in Deū secunda in patriā, tertia in parentes itē in omnes, quæ & ipsa secundū naturæ est magisteriū; siquidē ab ineunte ætate, vbi primū sensus infundi cœperit, vitā amamus tanquā Dei munus, patriā, parentesque diligimus, deinde æquales, quib. sociari cupimus: hinc charitas nascitur, quæ alios sibi præfert. Cui hæc deest, inuerso ordine omnia peragit, atque ideo malis pro bonis vtitur: & laqueis procibis, quib. nullo modo vult se priuari. Hæccine erit anima, quæ pulchrū illud bonumque supremū intueri poterit? lōge abeste profani: tollatur impius, ne videat gloriā pietate ergo opus est volēti Deū cognoscere, & illius notitiā habere. *Pietatis laudes.* O pietas amica Deo, parentib. grata: tu Dominū concilias, necessitudines foues. tu es Dei cultura, merces parentū, filiorū stipendiū, iustorū tribunal, egenorū portus, miserorū suffugiū indulgentia peccatorū: tu intelligis humanæ lubricū fragilitatis, & cito ignoscis erranti: intelligis cōmune nobis datū naturæ vsusque cōsortiū, & ideo pauperibus tanquā debitū soluis, non inficiaris tanquam indebitū. Tu intelligis vices esse calamitatum, & ideo tanquā naufragiis mundi istius portu quodā tuæ humanitatis occurris. Hæc est perfecta virtus in hominibus: *Basil. de abdi. rerū.* hæc plena in Deo laus est. Itaque pietatis cognitio, humilitatis, & mansuetudinis est cognitio, quando animus scit se submittere & Christū imitari. Hæc est illa scala Iacob, cui pars terrā attingebat: pars altera supereminens in cælū vsque porrigebatur. Inprimis igitur admoueamus gradibus vestigiū, & inde paulatim ascendendo progrediendoque, ad cōprehensibilē humanæ naturæ altitudinē sensim paulatimque promouentes, perueniamus. *Chrys. de cru.* Pietas in tenebris fulget. impietas vero in lumine tenebrescit. Piis & in diebus nox in diē mutatur: impiis vero etiā ipsa lux tenebrescit; de piis n. dicitur: *Et nox sicut dies illuminabitur.* De impiis vero: *Psal. 138.* *Et ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt.* Hæc virtutum regina pii Abelis munera grata reddidit: Enoch in paradysum transtulit: Noe seruauit octauum iustitiæ præconem: Abrahamum multarum gentium patrem effecit: Ioseph *Sophonia 1.* Ægyptus dominum, & patrem constituit: Moysem transuexit per aquam nimiam: Dauid incerta & occulta diuinæ sapientiæ reuelauit mysteria: Eliam magnæ visionis spectatorem fecit denique Iob ab innumeris mortibus eripuit, ac splendidiorem ditioremque reddidit. *Bona pietatis.* Sicut enim in arboribus accidere solet, vt si quis fructum cum foliis auferat, & ramos omnes amputet, radice manente, tota cum maiori etiam ramorum [illegible]tu, ac fructuum vbertate resurgat. sic quidem & in n[illegible], si pietatis radix permanserit, omnia rursus nobis cum maiori gloria redeunt. Hæc sola pietas voluptatem stabilem præstat: cæterarum vero rerum mundanarum gloria cito perit: nec vestigium quidem suæ reliquit voluptatis. Si mensa lauta fruaris, vespere occupante, soluta est conuiuii lætitia: corporis robur morbus dissoluit: pulchritudinem vero senectus superueniens tabefacit: principatum voluptas, & multæ ærumnæ interturbant, & mœrore conficiunt. Sola *pietas valet ad omnia, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ.* *Paulus.* Bestiæ & mutuæ pecudes pietatis iura conseruant: & quibus natura denegat rationem, non tamen denegat pietatem. Recte ergo atque sapienter Paulus admonuit suum Timotheum, vt in pietatis studiis sese maxime exerceret: *1. Timot. 4.* *Exerce teipsum, inquit, ad pietatem.* Sane pietas est rectissima vitæ norma: conuersationis optimæ disciplina, quæ perpetua ac copiosissima emolumenta largitur. Hoc altiori vinculo Deus homini, & homo Deo, huminique coniungitur: hoc insolubili nexu parentes cum filiis, & filii cum parentibus colligantur: hac virtute duce per ferrum, per flammas itur intrepide, nihilque tam ferreum ac durum inueniri potest, quod tantæ virtuti non cedat. Hæc est via *Hier. in Isa. 51.* regia, a qua nec ad dexteram, nec ad sinistram declinare iubemur: declinat autem ad dexteram, qui superstitiosus est ad sinistram vero, qui negligit cultum Dei, & inter hędos hircosque numeratur. Hæc saluat se habentem sicut contra impietas perdit se habentē quocirca sicut impietas potest Diabolus appellari, ita pietas Dominus IESVS Christus, qui hanc nobis pietatē cognitioni coniunctā, pro sua pietate, dare dignetur. Hanc Mercurii doctrinam Plato ac Plotinus, aliique Platonici proxime imitantur; à quibus firmissime dilucidissimeque dictum est, tres esse iustitiæ partes: pietatem scilicet, sanctitatem, & religionem: pieta-

De pietate. temque sanctitatem præcedere, religionem vero sanctitatem sequi Est autem pietas Dei parentis cognitio: *Pietas. Sanctitas.* sanctitas vero ea iustitiæ pars, quæ suum Deo tribuit, quia nimirum illa, quæ sine medio à Deo accepit, Deo reddit. Corpus quidem ab elementis quatuor temperatum accepit, & eisdem solicite reddit: naturalem autem speciei complexionem à cælestibus sphæris: partes vero animæ, quæ trahuntur affectib. à dæmonibus, & animis syderum: rationem autem ac mentem nostri parentis imaginem ab ipso mundi totius opifice, sine vllo cælicolarum. aut dæmonum ministerio. *Religio.* Hæc itaque Dei sunt: hæc Deo reddenda. quæ quidem retributio sanctitas vocatur. Sequitur autem sanctitatem religio, id est, eius quod Deo redditum est, assidua meditatione, iustisq; operib. cum Deo ipso indissolubilis colligatio. Itaq; pietas sanctitatē excitat: sanctitas vero pietatem cōfirmat, & sancit. Sanctitas quoq; religionē mouet: religio autem religat sanctitatē. Pietas instinctu quodã vel inspiratione, vel admonitione, Deũ nostrũ vnũ esse parentem summopere colendũ, ostendit: sanctitas vero mox omnem mentis & rationis intentionem adhibet, vt Deũ amet: ex qua profecto flagranti in Deũ intentione, mentisq; ardore fit, vt omnia Dei opera, instituta, mandata, meditemur, exerceamus, & assiduo studio quicquid ad eius venerationē pertinet, relegamus. Quamobrē nosmetipsos relegendo religantes, Deo religiosi sumus. Itaque pietas, & sanctitatis, & religionis est principiũ atq; fundamentũ: proinde vera sapientia dicta est; ex iustitia n. tenemur Deo hunc cultum reddere: propterea fit, vt pietas ex iustitia, imperante Deo, *De ignorantia. Quid pietas.* debeatur: verũ, quia in diuino cultu, cultus patriæ ac parẽtũ includitur, idcirco pietatis nomine cẽsentur, quæ in huiusmodi pius vsus impendũtur opera: vnde Cicero: *Colepietatem: quæ cum sit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima est hinc pius Æneas, qui patriam, parentes, Deumque mirifice coluit.* *In Somnio Scip.* O clemẽtissima pietas, quæ tua non desinis largiri beneficia, nõ solũ vbi nullũ inuenis meritũ; sed plurimũ etiam, vbi totum vides contrariũ: tu, inquam, ex benignæ mentis dulcedine descendis, grata omnib. auxiliatrix, affectio, & diuini cultus religiosa deuotio: tu ad omnia fers opem, *Nomina pietatis.* & auxiliũ molestias huius vitæ auertis, & lenis: & ad illud summũ verũque pulchrum. & bonũ perducis tu mitẽ animum reddis, vt diuinæ scripturæ contradicere non audeat: tu nullum spernis, nullum abiicis, neminem perhorrescis, nisi qui te forte amẽs exhorruerit. tu es hominis sapientia, virtutum medicina, Angelorum ornatus, Ecclesiæ fundamentũ, gemma Sacerdotũ, Pontificũ gloria, Regum magnificentia, Imperatorum philosophia, religiosorũ decus, monachorum cibus, virginum gaudium, pauperum diuitiæ, denique via regia; quæ ducis ad summi verique pulchri cognitionem, vt magnus Mercurius ait. Quid ergo sit pietas, & quæ eius notitiæ proprietas, dixi.

DIALOGVS SEPTIMVS.

MERCVRIVS.

Quo ruitis mortales ebrii, qui merum ignorantiæ combibistis? cum id ferre nequeatis, euomite: viuite sobrii: oculis mentis inspicite: quod si minus potestis omnes, saltem qui possunt id agant. Ignorantiæ pestis omnem terram subuertit, animamque corrumpit corporis vinclis inclusam: neque sinit eam salutis iter asciscere.

Commentum I. Dialogi septimi.

Ignorantia malum. LOnge grauius periculũ est in disciplinis, quã in cibis emeodis, vt Plato dicit in Sophista. Etenim qui esculenta emit, & poculenta, antequam his vescatur, in aliis quibusdam vasculis examinare studet, & aduocato aliquo istarum rerum perito, quid edendum, bibendumque sit, decernit: disciplinas autem non licet alio in vase transferre, sed necesse est, vt qui emit eas, animo capiat. Cauendum est igitur nobis, ne falsas pro veris hauriamus doctrinas, ex quibus ignorantia summi veri, summique pulchri, veluti quædam ebrietas, multorum hominum mentes à summo rationis fastigio dimouit, & ad innumera crimina impulit. Quamobrem à sapientissimo Mercurio huiusmodi homines ebrii, ac temulenti appellantur: quippe, qui merum ignorantiæ combiberint: *Expos. Tex.* *Quo* inquit, *ruitis mortales ebrii?* Vide magnam Mercurii in scribendo diligentiam, ac methodi obseruantiam; nam vbi de bono & pulchro, ac de pietate, veluti de optima via, quæ ad illorum contemplationem ducit, felicissime disseruit, mox instar boni oratoris, arguit mortales ab huiusmodi pietate deuios, idque ob ignorantiæ malum: Vos, inquit, compello mortales, qui ab ebrietate ignorantiæ detenti, animo non percipitis mala, *Ebrietas ignorantiæ.* in quæ vos præcipites dare non pertimescitis. *Quo,* nempe in tenebras inextricabiles, in regionem tenebrosam, in priuationem summi pulchri, summique boni. *ruitis*? ex eminenti & supremo bonu prolapsi, velut amentes & ebrii, qui præcipites ferimini in flammas, in ferrum, in clades innumeras. Longe grauior hæc ignorantiæ ebrietas, quam meri; quandoquidem hæc mentem hominis suis virib. exuit: illa vero corpus: hæc damna affert spiritualia, illa vero corporalia: hæc diu manet, & interdum perpetua efficitur, illa vero post paruum temporis quiescit: hæc pœnitudine non flectitur, illam pudet facti. hæc nõ sibi soli, sed aliis est caussa erroris & damni, illa vero sibi est pœna. O pessima, multumq; execranda ignorantiæ ebrietas, quæ tot afficis mortales cladibus & iniuriis. Sequitur textus: *Qui merum ignorantiæ combibistis.* *Merum.* Merum est vinum solum absque alicuius liquoris admixtione, perinde valens, ac vinum purum: Cicero lib *2. de orator.* *Ex equo Troiano meri principes.* Sensus ergo Mercurii est: qui simul bibistis puram ignorantiam. Pro cuius rei intellectu, non ignorare oportet quid sit ignorantia, & quotuplex eius diuisio, & partium numerositas. Est autem *Ignorantia quid.* ignorantia vitium mentis, cum quis ignorat quæ scire debet, & quæ facere oportet, & à quibus abstinere & fugere. *Diuisio ignorantiæ.* Porro, quędam ignorantia puræ negationis à magno Dionysio *cap. 6. celestis hierar.* angelis, ac animabus beatis tribuitur, propterea, quod non omnia comprehendere queunt, *Puræ negationis.* quæ Deus ipse comprehendit. *Et in libro de mystica Theologia,* docta vocatur ignorantia, quando nimirum animus con- *Priuationis.* templantis ignorat cuiuscunque rei creatæ cognitionem. Interdũ appellatur ignorantia priuationis, hoc est, caren- *Praua dispositionis.* tia scientiæ, quam quisque natus est habere: quandoque est prauæ dispositionis, puta cum quis habet habitum falsorũ principiorũ, falsarumq; opinionũ, quib. præpeditus, longe abest à veri cognitione. Et hoc est illud ignorantię merum, quo madent mortales, vt dicit Mercurius: qui haud aliter se habent, quã si phrenesi laborarent. Hãc ob causam nullã sui rationẽ habent; neq; ea quæ pedib. adiacent, dignoscũt. Etenim si corporis oculus cũ caligare cœperit, reliqua mẽbra obtenebrat, & cetera caligine tegit, multo magis mentis oculus, si ignorantiæ morbo caligauerit, totũ obtenebrat hominẽ, & obscura obuoluit nebula: idcirco & desperatis, & furentib. similes iudicantur. Solet à nonnullis eruditis hæc ignorantia erronea appellari, propterea, quod qui huiusmodi ebrietate greuantur, sciẽter ac volũtarie veritatẽ oppugnant, proprio vtiq; iudicio condẽnati. hac autem de causa erronea dicitur, quia proculdubio nullus id malum *Erronea.* respiciens, operatur. Quare, etsi veritatẽ sese oppugnare nõ ignorẽt, hoc ipso tamẽ iure ignorare dicũtur, quia scilicet errat, & ignorat omnis malus. *Affectata.* Alia vocatur affectata ignorãtia, quia noluit intelligere, vt bene ageret: maliciã nõ odiuit, sed sapiẽtiã, ac sapiẽtiæ studiosos. *Crassa.* Alia crassa dicitur, quæ in his inueniri cõsueuit, qui inertiæ & otio vacant: & quæ ad ꝓpriam spectãt salutẽ, scire dissimulãt. Est prętera ignorãtia facti, *Facti.* & hæc quidẽ duplex: altera quidẽ à toto excusat, quia in agẽdo nihil negligit: altera vero à tanto, quia nõ omnẽ adhibuit in operãdo diligentiã, animiq; virtutẽ. *Iuris.* Est etiã ignorantia iuris, & illa quoq; in duas partes diuiditur. quarũ vna vincibilis appellatur: altera vero inuincibilis. Porro, si vinci potest, & nõ vincatur, culpa nõ vacat: q. si ex plenæ consensu voluntatis id fiat, proculdubio affectata est, & peccati aggrauat deformitatẽ: si vero ex negligentia, supina dicitur, & non ita excusat peccantem, vt sempiterno igne non ardeat. Ignorantia quoque inuincibilis adhuc diuiditur: nam quædam omnem prorsus præambulam culpam excludit, iurisque priuationem simpliciter tollit, sicut clarissime videri potest in pueris, & mente captis: & hæc quidem à toto excusat. Quod si rationis semiplenum vsum habuerit, sicuti accidere solet pueris quibusdam, in quibus rationis vsus præter naturæ ordinem, celerrime aduenit, & furiosis quoque, qui interdum sunt mentis compotes, & rationis potiuntur; tunc non à

toto,

De ignorantia. 3. Ethic.

toto, sed à tanto excusat huiusmodi ignorantia. Annotat Philos. regulam huic nostro proposito admodum vtilem: *Eorum, inquit, quæ per ignorantiam fiunt, duæ sunt species: vna quidem nō voluntaria, vt quando quis ignorans occiderit inimicum: altera vero inuoluntaria, quando videlicet post factum tristamur.* sed non voluntarium voluntario subiicitur; quia nimirum principium inuoluntarium, finem vero voluntarium habet; ex euentu enim voluntarium redditur. Qui namque ob ignorationem aliquid egit, puta homicidium, & non fert molestè se illud egisse, sponte quidem sua nō egit quod nesciebat; non tamen erit inuitus, quippe, cum non doleat ob id ipsum quod si pœniteat facti, inuitus fecisse videtur. Itaque, aliud est per ignorantiam quippiam facere: aliud vero ignorantem agere; diuersa sunt enim: si namque in nobis fuerit ignorantiæ causa, ignorantes quidem facimus, non per ignorantiam tamen. Qui enim ebrius est, & iratus, atque aliquod malum perpetrat, hic facit ebrietatem, quæ vero ab eo fiunt, iram causam habent, ideoque voluntaria. Ignorans ergo egit, non per ignorantiam, quia ignorat omnis prauus quæ agere oportet, & à quibus est abstinendum. Et ob huiusmodi errorem iniusti homines maliq; omnino fiunt; volens enim inebriatus est: ergo volens hæc fecit. Ignorantia autem inuoluntaria est, quando nos minime causam tribuimus, puta si quis in loco consueto sagittando, patrem transeuntem interficiat. Nostræ igitur malitiæ ignorantia exprobatur, quæ quidem non est vniuersalium, sed particularium: nam singularia quidē inuiti, vniuersalia vero volentes ignoramus. Hæc autem sunt singularia, quæ à rhetoribus circumstantes particulæ vocantur quis, quid, vbi, quando, qualiter, propter quid, persona, res, organum, locus, tempus, modus, causa. Inter hæc vero præcipua sunt, causa, res, & persona. Si filius patrē interfecit; facit n. circumstantiam. Res, vt si alapā dare volens, excæcauit. Organū, puta si lapidē proiecit, putans esse pumicem: locus, vt si in arcto transitu, læsit ignorans obuiantem: tempus, vt si in nocte hostem existimans, amicū interfecit: modus, puta, si percutiens sensim vel grauiter, occidit; ignorauit n. quod vulneratus esset, & per id moreretur: causa, vt si pharmacū dederit sanatiuum, mortuus est autem, qui accepit, quia sibi obfuit. Hæc igitur simul omnia, neque vtiq; præcludendo oculos aliquis ignorabit. Recte ergo dictum est à Cicerone, *ignorantia nullam maius esse malū*. Et à Philosopho: *Turpe est ignorare, quod omnibus scire conuenit.* Et à Seneca in prouer. *Tolerabilior est pœna, viuere non posse, quam nescire.* Plato, *Quando*, inquit, *scientia, vel opinioni, vel rationi quæ natura dominantur, animus aduersatur, hoc ego ignorantiam voco. Et ciuitatis quidem, quando principibus regibusque multitudo non paret: & vnius viri, quando, licet bona in animo rationes sint; nihilo tamen magis secundum ipsas agitur, sed contra omnia peraguntur. Has equidem ignorantias perniciosissimas esse assero ciuitatis, & cuiuslibet ciuis, non autem opificum ignorantias.* Quam ob causam monet, vt qui eam vitā duxerint, principatus honore indigni habeantur. *Hoc itaque*, inquit, *ratum habeatur, quod ciuibus, qui hoc modo ignorant, nihil ad principatum pertinens committendum sit: imo vero vt ignorantes, improbandi: etiam si acutissimi, & disertissimi sint, & quæ ad ornamentum, & acumen ingenii spectant, cuncta amplexi. Qui vero contra affecti sunt, sapientes habēdi etiam si neque literas (vt prouerbio dicitur) nouerint, neque natare sciant. Magistratus quoque istis quasi prudentibus committendi sunt.* Hæc Plato. Quæ si profecto à Christianis obseruarentur, felicissime nobiscū ageretur. In suo exhortatorio examussim & sententiā, & verba Mercurii imitatur. *Quo*, inquit, *ruitis homines?* Nescitis quo feramini, neque opportunum quicquam agitis: in Sophista vero ignorantiam animi dementiam nominat: *Est*, inquit, *ignorantia quædam animi dementia, quando ad veritatem nititur, intelligentia ipsa præuaricatur: ignorantia animam inconcinnam, atque deformem reddit.* Et reuera, sicut intelligētia est animæ ornatus; ita ignorantia est illius deformitas & dedecus. Quam ob causam in conuiuio dicit, ignorantes philosophari non posse. cui vero deest philosophia, quid boni potest habere? Quæ vero ignorantia improbanda sit in 2. Alcibiadis clare ostendit: *Malum*, ait, *est ignorantia optimi, & quod optimum est ignorare: quæ vero obsunt ignorare, homini optimum est. Etenim cæterarum rerum possessio, nisi quis scientiam optimi nactus fuerit, raro quidem prodest, obest vero plerumque. Sed quænam est ista scientia optimi, nisi illa scire & agere, quæ ad suam spectant salutem? Hoc est bonum hominis: ignorantia vero malum, & stoliditas quædam, ac deprauatio habitus humani, & improbitatis vniuersæ genus quoddam: contra illud præceptū: Nosce teipsum.* Ignorantia igitur huiusmodi omnib. mala est, & potētibus, & robustis, & debilib⁹, & infirmis. Porro, in Sophista duo ponit ignorātiæ genera: *Sūt*, inquit, *duo hæc malorū in anima genera: vnū communiter improbitas*

Inuoluntarium.

Ignorantia. Ignoranter.

Ignorantia inuoluntaria.

Circumstātia.

Tuscul. lib. 3. 1. Rhetor. 3. de Legib.

Ignorantia boni.

Duo genera ignorantiæ.

nominatur, quæ animæ procul dubio morbus est: alterum ignorantiam quidem nuncupant. Sed magna quædam & onerosa ignorantia, cum quis illa quæ nescit, scire se putat, ab hac nimirum omnes quæcumque nos fallunt opiniones, proficiscuntur: huic soli ignorantiæ parti inscitiæ nomen conuenire existimo. Hæc Plato. Itaque ex Platone colligere licet, quod ignorantia boni, sit malū hominis, animæ dementia, & deformitas, stoliditas, deprauatio habitus humani, improbitatis vniuersæ genus, denique mater erroris, & improbæ vitæ. Malum, inquam, quia intellectus non fertur, nisi in cognitum: proinde ignorantia impediens cognitionem obiecti, aufert actum, & virtutem intelligendi. Dementia vero, quia priuat animam suo lumine, vnde demens effecta, aberrat, & vagatur errore corrupta. Deformitas, quia non agit secundum virtutem suæ potentiæ, sicut tibia deformis nuncupatur, quando non recte incedit. Deprauatio habitus, quia deficiente scientia, habitus suo fine priuatur. Vniuersæ prauitatis genus, quia nimirum ignorat omnis malus. Denique mater omnis erroris, quia ex ignorantia omnes falsæ proficiscuntur opiniones: nam hoc ipso, quod quis scit se male agere, & tamen agit; maxime aberrat à vero. Cum ergo hæc ita se habeant; non temere à sapientissimo Mercurio huiusmodi ignorantes, ebrij vocantur: quippe, qui biberint ignorantiæ merum, nempe ignorantiam illam onerosam, ignorantiam boni animæ dementiam, & stoliditatem. Sequitur textus: *Cum id ferre nequeatis, euomite, vt estis sobrii, oculis mentis inspicite.* Et est sensus. Quemadmodum vomitu stomachus mero, ac ebrietate exoneratur; sic etiam vobis agendum, vt mentē ignorantiæ mero exagitatam, & omnino furentem, vomitu exonerare curetis. Vomitum appellat liberam ignorantiæ suæ confessionem, ac execrationem; non enim parum est scire quod nescis, propterea, quod summa miseria est nescire quo tendas: hoc vomitu extruditur onerosa ignorantia. Sic enim redargutos is qui errat, erubescit: repulsisque doctrinæ impedimentis, falsis videlicet opinionibus, purus euadit: nec alia præter illa quæ nouit, nosse se putat. Hoc vomitu Socrates sese purgauit, quando dixit: *Hoc vnum scio, quod nescio.* Sequitur textus, *Viuite sobrii, oculis mentis inspicite.* Et est sensus: hunc ego voco vomitum, vt scilicet ratione, & non instar pecudum, quas natura ventri obnoxias finxit; hæc fluxa, & rationi contraria amplecti, & sequi. *Quod si minime potestis omnes*, nimia scilicet ignorantiæ ebrietate præpediti, *saltem qui possunt id agant.* Et est sensus, si ignaris, & idiotis videtur intolerabilior inscitia, atque ignorantia: quanto magis in studiosis, & his qui præsunt, nec excusatione est digna, nec venia. Quomodo ergo ignorantia sit hominis ebrietas, & quomodo extrudenda, ac pellenda sit, paucis dictum est.

De ignorantia. Onerosa ignorātia.

Vomitus ignorantiæ.

MERCVRIVS.

Ignorantiæ pestis omnem terram subuertit, animamque corrumpit corporis vinclis inclusam: nec sinit eam salutis iter asciscere.

Commentum II.

VAriis epithetis, titulisque non paucis onerosam depingit ignorantiam, quo facilius ad scientiæ lucem, splendoremq; nos prouocet, hanc ob causam ignorantiam, pestem appellat omnem terram subuertentem, ac animam corrumpētem corporeis vinculis detentam. Etenim, quēadmodum pestis, morbus est contagiosus, ab aeris plerumque infectione initium capiens, à quo noxa, qua afficitur, in omnium animantium pernitiem effunditur; ita plane ignorantia morbus est contagiosus, à mentis infectione initium habens, à qua in omnes hominis partes virus effunditur; nā terram, id est corpus, ac corporis sensus subuertit omnes, & animam inibi inclusam corrumpit, vt suam sibi salutem asciscere, atque expetere nequeat. Videas quæso huius pestiferi morbi malitiam, atque venenum, quomodo & corpus, & animam subuertit, atque corrumpit: virtuti formam corporis anteponit: animam vero penitus dedecorat: corpus anima venerabilius arbitratur. Nonne hæc maxima pestis, quæ grassatur in omnes propemodum mortales? Nihil enim terrenum cœlestibus venerabilius est: propterea qui aliter sentiunt, prorsus ignorant & errant. Non tibi videtur pernicies magna, pecuniam iniuste cupere, aut possidere iniuste & non dolere, quod pulchrum & venerabile est in animo, paruo pro auro venale habere: cum totum quod super terram, quodue sub terra est aurum compensari digne non possit? hæc est totius hominis pestis, quæ vniuersæ vir-

Ignorantia est pestis.

Mala ignorantia.

De ignorantia.
Plato 3. de legibus.

torres ruunt, habitus vniuersi pereunt, & ordo rationis ac naturæ peruertitur. Hæc est reipublicæ pernicies, qua vniuersa plane ciuitas ruit: hæc est potentium robustorumque hostilis, atque teterrime lues, & supplicium, omnibus noxium. Non prodest multa scire, nisi etiam illa bene sciantur: vnde Plato in 2. Alcibiadis ait: *Multa quidē sciunt, sed malum sibi sciunt.* Malum siquidem est, & extreme pernicies, quando quod honestum nobis est, aut bonum non amemus, sed odio habemus: quod vero malum, atque iniustum, id diligimus & amplectimur. hæc est illa pestis, quæ totam terram subuertit, & animam corporis sensibus, veluti vinculis ligatā corrumpit. hæc iniqua pestis dæmones è cælo, homines vero è paradyso pepulit: hæc gygantes viam sapientiæ ignorantes,

Exempla.

sub aquis gemere cogit: ÆEgyptios in mare demersit: Israelitas in deserto prostrauit: *Quia,* inquit, *non cognouerunt vias meas.* Saulum à regno amouit: Nebuchodonosor in belluā commutauit: Dauid flagellis corripuit: Paulum in terram deiecit. quorum alter precatur *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.* alter vero ingenue confitetur *Ignorans feci in incredulitate.* Et reuera, vt dicit scriptura: *Populus non intelligens, vapulabit.* Et iterum: *Quia tu scientiam meam repulisti, repellam ego te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Quam ob rem, spiritus per os Dauid conqueritur: *Non est sapiens, non est intelligens, non est requirens Deum, sed sapientes sunt, vt faciant mala: bene autem facere nescierunt.* Idipsum protestatur Moyses in suo cantico. *Gens sine prudentia, & sine consilio: vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Magnus plane morbus, nec medicabilis, nescire se ægrotare, & sua vulnera non cognoscere. Sane, ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam, formamque meritorum. Augustinus contra Iulianum: *Duo mala,* inquit, *insunt nobis ex prima præuaricationis origine venientia, ignorantia, & concupiscentia. sed ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente: concupiscentia vero charitate magis magisque feruente. Concupiscentia autem peior est ignorantia, quia ignorantia sine concupiscentia minus peccat: concupiscentia vero sine ignorātia grauius. Nescire præterea malum, non semper est malum: concupiscere autem malum, semper est malum. Bonum quoque ipsum vtiliter aliquando ignoratur, vt opportune sciatur. Quamobrem, si ignorantiæ peccata nulla essent; Dauid nequaquam diceret. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Adam creatus est capax præcepti, valens vxori, & omnibus animalibus nomina imponere: homo vero nascitur profunda ignorantia caligine inuolutus: ita, vt non tanquam de hoc somno excitari possit; sed de quadam nescio ebrietate, quam non per vnam noctem sicut qualibet grauissima solet; sed per aliquot menses atque annos paulatim digerat.* Hæc Augustinus, quæ non longe absunt à Mercurij sententijs & verbis. Et fortasse hanc ignorantiam nobis ingenitam ex primæ culpæ, & peccati labe, diuino quodam instinctu Mercurios intelligens, ebrietatem, ac pestem appellauit, omnem terram subuertentem, animamque humanam corrumpentem. Ex hac autem ignorantia plurimæ ignorantiæ emanauerunt: verumtamen non omnis ignorans immunis est à pœna; qui enim quod disceret non inuenit, excusari potest à pœna: illis vero ignosci non poterit, qui à quo discerent habentes, operam non dederunt: de quibus Paulus dicit: *Qui ignorat ignorabitur,* id est, improbabitur. Et iterum ait: *Euigilate iusti & nolite peccare; ignorationem enim Dei quidam habent:* ignorent autem Deum, quia seipsos ignorant. vnde Plato in Sophiste narrat dicta septem sapientum *Thales,* inquit, *Milesius, Mitilenus Pittacus, Bias Prienus, Solon Atheniensis, Cleobolus Lindius, Mysochenus, Lacedæmonius Chilo: hi omnes æmuli studiosique Lacedæmoniæ sapientiæ fuerunt. Eam talem fuisse comperimus: verba breuia memoratu digna. hi facto concilio ex communi consensu has Delphici Apollinis templo primitias sapientiæ dedicarunt, quæ templo inscripta ab omnibus celebrantur.* COGNOSCE TEIPSVM. NIHIL NIMIS. Huius rei clarum ac optimum datur exemplum in primo Alcibiadis, facies hominis in oculo intuentis, in oppositi visu relucet velut in speculo, quam summā vocamus pupillam simulacrum inspicientis existens. Oculus igitur ita demum seipsum cernit, cum in oculum inspicit: in idque præterea intendit, quod oculi optimum est, & quo oculus ipse videt. Si autem in aliud quoddam membrum respexerit, vel in quoduis aliud, præterquam id, cuius hoc est simile; haud quaquam seipsum perspiciet. Oculus ergo cum seipsum visurus est, in oculum respicere debet, atque in eum oculi locum, in quo virtus est oculi: is autem visus, atque pupillæ acies est. Eodem pacto & anima si seipsam noscere vult, in animam intueatur, in eumque præcipue locum animæ, in quo inest virtus animæ, sapientia scilicet, qua in anima nihil est diuinius. hanc partem si quis inspexerit; & seipsum, & Deum cognoscet. Quod si teipsum non cognoueris, per totam vitam prauus & infelix eris; cū

Cor. 1. 14.

Septem sapientes.

Ignorantia sui ipsius.

Basil. attende tibi.

Amb. beatis emp.

Lib. 6. c. 5.

De peccatorum meritis lib. 2. cap. 36.

Psal. 24.

De ignorantia.

enim rationalis anima in seipsam circulo quodam rationis sese animaduertendo reflectitur; inde ex sui consideratione, velut riuulus in fontem suum refluit. Quamobrē summa philosophia est, seipsum posse cognoscere: qui vero seipsum nescit, quem iam poterit agnoscere? Non ergo temere dictum est ab Augustino, hominem sibi esse incognitum: qui tamen, vt se noscat, magna opus habet consuetudine recedendi à sensibus, & animum in seipsum colligendi, atque in seipso retinendi: quod hi tantum assequuntur, qui plagas quasdam, quas vitæ quotidianæ cursus infligit, bonis studijs curare student. Sane, rarissimum est omnino genus hominum, quod ratione vtitur ad Deum intelligendum: propterea, quia in istorum sensuum negotio animo progresso, redire in semetipsum difficile est. hoc ipsum Plautus sentire videtur, qui ait, in foro vix decimum esse, qui seipsum norit. Thales interrogatus, quid sit difficile, respondit, seipsum noscere, quia non potest mentis vnitatem, centrum, florem, & caput cognoscere, propter eam, quam habet ad sensus coniunctionem. Hęc autem mentis vnitas, quia multis velaminibus obtegitur, propterea à nobis non cernitur: vnde fit, vt nec Deum ipsum cognoscamus. quem, vt videamus, & denique vt laudemus, oportet illa omnia velamina ab anima rescindere: vnde Dionysius ait, nos debere Deum ex omnium ablatione laudare. Nam quemadmodum qui statuam fabricant, auferunt omnia, quæ apposita impediunt perspicuum formæ latentis intuitum, atque ita pandunt pulchritudinem occultam; ita oportet amouere impedimenta ab imagine Dei in nobis, vt illius pulchritudinem videre valeamus. Ex quo magna & pretiosa dona acquirimus. inprimis quidem Dei cognitionem; siquidem intuentes illius imaginem, ipsum primum exemplar agnoscimus; imago namque nostra facta est ad imaginem veræ imaginis, filij Dei scilicet, qui est imago Dei, vt dicit Paulus. Et Salomon ait: *Candor est lucis æternæ.* speculum sine macula. Mercurius vero, & lucem & vitam Deum nominat, à quo factus est homo. Si igitur comprehenderimus ex vita & ex luce nos esse formatos; rursus ad vitam atque lucem assurgemus. Proinde Plato in primo Alcibiadis ait. *Si teipsum ignoraueris, Deum per omnem vitam nescies.* Sicut, inquit Plotinus. *filius furore quodam extra se positus, non agnoscit patrem, ita homo exterioribus vacans sensibus, & aliis intelligibilibus, Deum non cognoscet.* In eo itaque viuendi statu videre licet Deum, atque seipsum, quemadmodum fas est videre seipsum quidem illuminatum, intelligibilis lumine plenum siue animus lucis compos effectus, inspicit vitæ fontem, fontem mentis, entis ipsius principium, boni causam, denique radicem animæ: propterea quod nullis est obnoxius passionibus: & verum, quoad hic fieri potest, vitam egit, non aliunde adulteratus. Animus plane in tali habitu constitutus, amat Deum, Deoque commisceri desiderans, quasi pulchrā virginitatem honesto affectans amore. Quod si ceciderit in adulterinos amores, quibusdam quasi connubijs fallitur, amorem que commutet, à quo misere deceptus & delusus, seipsum non inuenit, Deumque ignorat. Secundum donum siue vtilitas, est cognitio finis, quæ sine cognitione sui haberi non potest. Etenim quemadmodum res proprijs naturis distinguuntur, quod Proculus plene percipiens, ait: *Principium totius philosophiæ firmissimum arbitramur, naturæ nostræ cognitionem. hac enim recte cognita, bonum nobis consentaneum, malumque dissentiens cognoscimus.* Inde orta est tanta discordia inter philosophos, de hominis beatitudine, quia animæ essentiam, naturamque ignorabant. Tertia vtilitas inde manans, est regimen vitæ, & cura sui: cæterorumque quæ ad se pertinent; qui enim seipsum noscit, & Deum, & quod iustum, vtile, & decens est, sciet: quibus ignoratis, hęc quoque ignorabit; nam ignorato Deo, & homine, curā hominis nesciet. Quis enim curare sciet pedem, si pedem nesciuerit? aut quomodo alterius bona sciet, qui sua ignorauerit? Bene ergo Apollonio ab Iarcha responsum fuit teste Philostrato lib. 3. *Nos,* inquit, *omnia nouimus, nec quisquam nostrum ad hanc accedit philosophiam, nisi antea se cognouerit:* Plato quoque in libro de philosophia se quasdam interpretari fabulas nescire fatetur, propterea, quod cognitionem sui ipsius plene se assecutum non viderit. Ridiculum ergo puto, cum meipsum ignorem, alia perscrutari velle. A te ergo tua cōsideratio inchoet, ne frustra extendaris ad alia, te neglecto. Noueris licet mysteria omnia, lata terræ, profunda maris, alta cæli; si te nescieris, similis eris viro ædificanti absque fundamento: ruinam nō structuram facies: non est sapiens, qui sibi non est sapiens; in acquisitione enim salutis tuæ, nemo tibi germanior, nec propinquior. Quarta vtilitas, humilitas fit: propterea quippe, & Dauid, & Abraham, postquam ad summum iam virtutis fastigium euaserant, tunc istud impleuerunt; nā Abraham

summa philosophia
August. lib. de ordine 2. cap. 11.
Thales.
Dionys ca. 1. myst. Theol.
Imago Dei
Coloss. 1.
Sap. 8.
Vtilitates
1.
2.
Proculus in com. 1. ot.
Bern. de cons.
4.

De ignorantia. ham dixit se esse cinerem: Dauid vero se esse vermem. Ita
cuncti omnino sancti horum se more deijciunt: errogantes
varo supra cæteros sese erigunt & attollunt, quoniam seipsos ignorant.
5. Quinta vtilitas, est spes veniæ; cum enim per
imaginem cognitam, ad Dei cognitionem ascendimus; ipsum misericordiarum patrem, & Deum totius consolationis agnoscimus. Ad meipsum, inquit Dauid, turbata est
6. anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum. Sexta vtilitas, temperantia totius vitæ, vt dicit Plato, vt nihil nimis velis, vt vires tuas consideres, & honores, an illis sis dignus, vt ait Apelles. Quod medicorum est, promittent medici, tractent fabrilia fabri.
7. Septima vtilitas, est prudentiæ, & vitæ consilium; nam sicut dicit Seneca in libro de naturalibus: *Ex speculis cognoscit formosus formositatem suam: proinde cogitabit vitare infamiam, & qui deformem se viderit, virtutib. redimet quod corpori deest.*
Laudes cognitionis sui. O, igitur præclara cognitio sui, quæ Deum nobis ostendis: proprios rerum fines manifestas: vitam gubernas humanam: ô, inquam, lucida multumque colenda cognitio sui, humilitatis parens, lætitiæ mater, spes veniæ, totius temperantia vitæ, denique prudentiæ, & veræ sapientiæ consilium. Tu è tenebris ad lucem dadocis, ignorantiæ merum à nobis repellis, pestiferam inscitiam, terram prorsus omnem subuertentem, ac animae corrumpentem humanas, fugas, animumque tuo lumine decoras, & splendidum efficis. Resipiscite ergo mortales ebrij, & mentie oculis inspicise hanc veram, summamque philosophiam, sine qua clia omnia inania sunt, & onerosa, vmbrarum idola, & falsi nominis scientiæ. Euomite ergo onerosam illam ignorantiam, animi dementiam, intellectus stoliditatem: abijcite à vobis negligentiæ pernitiem, ignauiæ morbum, inscitiæ labem, euigilate iusti, & nolite peccare. hoc est, quod Merc. subdit in textu: *Ne permittite vos in lacum corruptionis mortisque: respirate iam: resipiscite: ad fontem vitæ recurrite: illumque qui vos introducet in aditum veritatis, capessite.* Verum, quia hæc amphori indigent explanatione in sequenti commento dicemus. Quid ergo sit ignorantia suiipsius, & quam magnum hominis malum, & quæ bona ex sui cognitione prouenaiat, dixi satis.

MERCVRIVS.

Ne permittite vos in lacum corruptionis mortisque submergi: respirate iam: resipiscite; ad fontem vitæ recurrite: illumque qui vos introducet, in aditum veritatis capessite. Ibi fulgidum lumen, nullis immixtum tenebris. Ibi nullus ebrietate delitat, sed omnes sobrii vigilant, ac mentis oculis eum qui videri vult, acutius intuentur. Is nec auribus percipitur, nec cernitur oculis, nec sermone profertur, sola mens eum prospicit, sola mens prædicat.

Commentum III.

Plato in Phedro. VISVS est nobis peracutissimos sensuum omnium, qui per corpus fiunt, quo sapientia non cernitur; ardentes enim excitaret amores, inquit Plato. propterea anima humana sensibus inclusa, ignorantiæ merum abunde bibens, obliuionem suscipit sapientiæ, cuius pulchritudinis secum gerit imaginem; omnia enim quæ hic inspicit, ipsam obstupescunt, & quasi extra se ponunt. Iustitiæ quidem, & temperantiæ & aliorum quæcunque in animis preciosa sunt splendorem nullum in his imaginibus cernimus; sed per obscura quædam instrumenta, sapientiæ varietatisque splendorem aspicimus. Nec secus nobiscum agitur, quam cum his, qui atris carceribus inclusi, lumen solis videre non valent: aut qui in lacum demersi, emergendi aditum non inueniunt. hanc ob causam sapientissimus Mercurius onerosam illam ignorantiam, quam merum, ebrietatem, pestemque nominauit, nunc lacum appellat, & lacum quidem corruptionis, & mortis.
Lacus. Est autem lacus aqua perpetua, atque perennis, locus profundus aquis perpetuis ibidem natis adornatus, qui efficit riuos & flumina: sic ignorantia hominis, quæ est pœna peccati, est profunda omnis, & quasi perpetua, ex qua manant riui nostræ inscitiæ, & obliuionis, ac negligentiæ flumina. Lacum dixit non stagnum; nam aqua stagni plerumque hyeme colligi solet: æstate vero siccari, cum lacus aqua sit perpetua atque perennis. Atqui
Ignorantia lacus. nostra ignorantia nobiscum gignitur, & à primis annis, vsque ad decrepitam senectutem perseuerat, rectissimè, atque bellissime huiusmodi aquis comparatur. In lacu præterea sunt reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum *De ignorantia.* magnis, quæ prætextu escæ capiendæ, capiuntur & ipsa retibus piscantium. Ita plane in hoc ignorãtiæ lacu totum propemodum humanum genus demergitur, & pusilli & magni, qui voluptatis amore capti, in retia incidunt dæmoniorum. Lacus huiusmodi est corruptionis, & mortis: lacus vtique miseriæ, & lutum fæcis. *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis*, ait propheta. *Psal. 39.* Lacus corruptionis, quia ignorantia corrumpit scientiam propter contrarietatem habitus, inde sequitur priuatio vsus rationis, quæ quidem est mors animæ, quæ sine cognitione & amore summi pulchri, verique boni viuere nequit. Iste est lacus miseræ, profundissimæ plane calamitatis humanæ, & lutum fæculentum, in quo delitescunt delicta limosa, quæ & fœtoribus horrescunt, & grauitate demergunt. hæc est profunditas iniquitatis ex nostris ignorantijs, atque carnalibus concupiscentijs collocta; iste est limus luti concupiscentiæ carnalis, & tenebrosa ignorantia, in qua homines, velut pisces enatant, & inde exire nõ audent, nisi admodum pauci, quibus datum est nosse mysteria regni. sequitur tex. *Respirate*, hoc est, viuite, & animũ erigite; respiro enim, perinde est, ac spiritum duco, recreor, spiritum capio, denique in statum pristinum redeo. Et id
Respiratio. quidem optime congruit in ignorentiæ lacu demersis, quibus respirandi aditus non patet, ne maiori aquarum absorbeantur gurgite. sic & ij, qui in profunda ignorantiæ voragine delitescunt, paululum spiritum ducere, atque recreare se nequeunt. hanc ob causam hortatur Mercurius, vt relicto inscitiæ pelago, ad veritatis fontem anhelent, atque animum erigant mortales. *Resipiscite:* post respirationem, resi-
Resipiscentia. piscentia sequitur. obtenta siquidem animi recreatione, illico recolit mala: meminit iniurias: & animaduertit magnã se fecisse iacturam & sapientiæ, & veritatis. Plato in Phedro putauit nostrum scire esse quiddam reminisci, & illarum recordationem idearum, quæ à summo mundi patre sibi inditæ sunt, à suæ creationis exordio, sed in corpora animas dilapsas, omnium illarum imaginum obliuionem accepisse, alasque amisisse, quibus sese attollere in diuinæ sapientiæ *Ala animæ.* splendorem solitæ erant; Grauis, inquit, est, talis quædam naturalis alarum vis, graue in sublime attollere, vbi deorũ inhabitat genus: vbi est illud diuinum pulchrum, & sapiens bonum, & quicquid tale dici potest. his vtique alitur maxime, augeturque ipsa alatio animi. Resipiscite ergo mortales ebrij, & ad meliorem vitam animum adducite. Sequitur tex. *Ad fontem vitæ recurrite:* reuertimini, inquam, ad Deum, qui est fons vitæ, & ipsum capessite, qui introducet vos ad aditum veritatis. In tertio Pymandri, quomodo Deus sit vita, succinctè, breuiterque differui. Verum, quia hic denuo, fontem vitæ nominat, aliquid addere statui. Cæterũ,
Vita quib. competat. ea viuere dicuntur, quæ ad motum, seu ad quampiam aliam operationem se agunt, & non aguntur: proinde viuere animalibus manifeste competere dignoscitur; sic enim scribitur in libro de vegetabilibus, vitam in animantibus manifestam esse: siquidem in animali primo vita manifestatur, & vltimo remanet. Ex hoc autem animal primo viuere dicitur, quando nimirum incipit ex se motum habere: quæ cum motu incipit: & cum motu pariter suo defungitur officio; siue motum appelles actum imperfecti, nempe existentis in potentia: siue actum perfecti, intelligere scilicet, & scire. Hoc ergo interest inter viuentia & non viuentia, quod viuentia secundum aliquam speciem motus, seipsa mouent; non viuentia mota, mouentur. Porro, ex mo-
Arist. 2. de anima ca. 37. tu in animali, quem intellectus noster accipit per organa sensuum, & exteriora accidentia, assumit vitæ nomen, imponitque substantiæ seipsam mouenti, vt dicat illam viuere, quia seipsam mouet. Si enim viuere est esse in viuentibus; proculdubio illa substantia, quæ per se subsistit, & esse habet, per se viuere, ac felicem vitam agere censenda est: viuere ergo in tali natura aliud est nihil, quam à seipsa moueri, & esse habere. Nonnonquam vite sumitur, minus tamen proprie, pro operationibus vitæ, quemadmodum docet philosophos 9. eth. viuere esse sentire, vel intelligere. Quare, illa substantia, quæ intelligit maxime, imo est sua intellectio, est maxime vita, imo est sua vita, & fons vitæ, vt dicit Mercurius; neque enim vita ab eo procedere potest, quod vitam non habet: siue est sua vita, sicut entitas non procedit ab eo, quod non est ens, imo supra omne ens, omnemque mensuram omnium. Cum ergo Deus sit suum esse, & suum intelligere; erit vtique sua vita, sua beatitudo, fons beatitudenis, & vitæ. Et primo quidem vitam diffundit in angelos: deinde in homines, postea in animantia. postremo in plantaria omnia: vltimo in metalla denique esse largitur in
Quatuor genera viuentium. elementa, & materiam primam. Etenim vitæ actionis quatuor genera numerantur: quorum primum est intelligere.

De ignorancia. gere: secundum vero sentire: tertium mouere, & quiescere in loco: quartum nutriri, augeri, & diminui, vt dicitur 3. *de anim. tex. com.* 13. Itaque, illa dicuntur viuentia, quæ non quasi ab alijs mota, ex seipsis uperantur: inde fit, vt quo perfectius aliquid ad hanc viuendi accedit proprietatem; eo perfectiori vita fruatur. In mouentibus autem & motis quædam mouent seipsa, nõ habito vtique respecto ad formam, seu ad finem. quæ sibi natura indidit: ideoque solo funguntur executiunie officio. *Planta.* In horum autem numero plantæ habentur, quæ secundum augmentum, & decrementum seipsas mouent, quatenus natura ad hæc officia colenda sibi leget præscripsit: animalia vero se mouent ad formam, quæ est principium motus, quam quidem formam per seipse acquirunt, & procurant, non inditam à natura, sed per sansum acceptam. *Animalia.* Quamohrem, illa animalia, quæ perfectiori, copiosiorique sensu adornantur, perfectius ac copiosius seipsa mouent. Illa vero quæ solo sensu tactus viuunt, vt ostreæ, dilatationis, ac constrictionis tantummodo motu aguntur, paululum plantarum vitam excadentia. Ea vero animantia, quæ perfectam sensitiuam obtinent virtutem, non sulum proxima; verum etiam remota diiudicandi, & cognoscendi vim habent, & adee sese mouent motu progressiuo: ea, inquam, etsi formam, quæ est principium motus per sensum accipiant; nihilominus suæ operationis, seu motus finem sibi præscribera non valent: sed à natura, cuius instinctu mouentur ad aliquid agendum, per formam sensu apprehensam, indnum atque ionatum habent. *Homines.* Homines vero finem operandi mouendique sibi decernunt, idque ratione, ad quam spectat, finis proportionem, & eius quod est ed finem cognoscere: denique vnum ad alterum ordinate disponere. vnde fit, vt in homine vita sit nobilior, atque perfectior, & motus similiter: cuius rei signum satis patet; quandoquidem in vno eodemque homine & virtus intellectiua, sensitiuas moueat potentias, & ipse quoque ob intellectiuæ imperium, organa sensuum mouent, quæ motum exequuntur. Verum, etsi noster intellectu ad aliqua se egat; multa tamen sint ei à natura præstituta atque præfixa, nempe prima principia, circa quorum indaginem non potest aliter se habere, & vltimus finis, quem non potest non velle, & necessario appetere. Quoniam ergo ad hæc non se mouet homo, sed ab alio mouetur; ideo non omnimodam possidet vitæ felicitatem, & excellentioris, sublimiorisque viuendi gradum. *Deus.* Deus vero, cum sua natura sit suum intelligere, nec aliunde quam à seipsi habeat omnia, & finem scilicet, & modum, rationemque intelligendi; profecto summum, supremumque obtinet gradum vitæ, imo est ipsa vitæ & fons vitæ. Quamobrem philosophus, ait, *12. Meth. tex. com. 39.* Deum hebere vitam perfectissimam, & sempiternem. propterea, quod eius intellectus sit perfectissimus, & semper in actu. Intellectus actus vita est illius autem actus est secundum se. igitur illius vita est optima, & sempiterna, Actus est perfectior potentia. proinde intelligent in actu perfectiori vita fruitur, quam intelligens in potentia; perfectior enim ac nobilior est vita vigilantis, quam dormientis. sed DEVS est purus actus, & suum intelligere: sua est ergo vita felicissima ac nobilissima. Nam si est suum intelligere, & velle, qui sunt actus viuentis: igitur, quemadmodum non potest deficere à suo intelligere, & velle; sic etiam vita ei deesse nunquam potest. *Psal. 101.* Quod Dauid diuino afflatus spiritu intelligens, ait. *Tu autem idem ipse es. & anni tui non deficient*; vita nãque quæ in his inferioribus inuenitur, est mantio nutritiuæ animæ cum calido sibi proportionali: quæ vero superioribus tribuitur substantijs, est intelligere, & velle, seseque hoc modo mouere. *Vitæ duplex.* Quare, etsi intelligentiæ seipsas intelligant, & proinde vitam habeant felicissimam, sibique sufficientissimam; vitæ tamen primi, summique principij comparari non possunt: in causa autem est, quia quemadmodum ipsarum esse à Deo dependet; ita plane & vita. Amplius, Deus est sua vita: actio autem cuiuslibet creaturæ, non est sua substantia. Denique sicut esse primi principij est infinitũ; ita proculdubio, & vita: omne autem creaturæ esse termino clauditur, & proportione terminatur: inde fit vt cuiusque creaturæ vita finita sit, & terminata, atque ad felicissimam, sempiternamque Dei vitam, comparationem nullam habeat; Deus enim, vt paulo ante dictum est, comparationem & mutationem non habet. Cæterum, si delectatio, authore *9. meth. c. 7.* Auicenna est apprehensio boni conuenientis, quatenus est conueniens, sicut delectatur oculus lumina, & colorum *Vita delectabilis in Deo.* varietate, ac pulchritudine, nares vero suaui ac flagranti odore, gustus dulci, & temperato ciborum sapore, & similia similiter se habent; quanto magis Deus, mundi pater, & rerũ omniũ opifex, ac artifex sapientissimus, qui est sua bonitas, sua perfectio, suaque pulchritudo, quique seipsum infinita intelligit, infinite vult, & infinite amat, idque quã conuenientissime, quam honestissime atque sapientissime: *Deus est vita.* vitam vtique agit felicissimam, ac omnium delectabilissimam? siquidem duo sunt necessaria ad completam delectationem efficiendam; alicuius scilicet conuenientis coniunctio, veluti proportionata lux ad oculum, & suauis harmoniæ ad aures: deinde apprehensio atque cognitio huiusmodi conuenientis; voluptas enim est actio, & causa voluptatis est comprehensio, authore Auerroe. *10. met. c. 19.* Ex quo fit, vt delectationis augmentum seu decrementum, bonitatem imiteotur, perfectionem, pulchritudinem, vnionem, apprehensionemque in obiecto delectabili, atque conuenienti. *Duo necessaria ad delectationem.* Quapropter dictum est ab Auicenna. Cuius perfectio est maior, nobilior, diuturnior, atque vicinior; & præparatio: & cuius *6. met. c. 7.* actio est perfectior, & apprehensio est in se fortior; illius plane delectatio erit excellentior, atque gloriosior. Quare, cum Dei perfectio sit infinita, & æterna, maxima, nobilissima atque coniunctissima, & apprehensio similiter: vitæ igitur illius delectatio, est infinita, & maxima, alterius comparationem non admittẽs, aut mutationis vicissitudinem patiens. *Fons vitæ.* Itaque, Deus est vita, & fons vitæ, vt dicit Mercurius. Fons, inquam, quia omnia in Deo sunt vita, & ab ipso vitam acceperunt omnia. Nam si viuere Dei, est eius intelligere, in Deo autem idem sit intellectus, & quod intelligitur, & ipsum intelligere, profecto quicquid est in Deo, est ipsum viuere, vel eius vitæ. *Ioan. 1.* Quare cum omnia quæ facta sunt à Deo, in ipso sunt, vt intellecta: omnia ergo in ipso sunt vita diuina. *Quod factum est in ipso, vita erat*: facta est terra. *August.* sed ipsa terra non est vita: est autem in ipsa sapientia spiritualiter ratio quædam, qua terra facta est, & hæc est vita. Quomodo ergo Deus sit vita, secundum Mercurium dixi. At quonam pacto sit etiam fons vitæ, in sequenti capitulo seriosius, copiosiusque dicere institui.

CAP. II.

Deus est fons vitæ.

DEum vitam esse, ac omnis vitæ principium, & fontem, cum ex Mercurio vt visum est; tum etiam ex alijs clarissimis sapientissimisque viris, latissime patet; quorum profecto sententias hic inferendas curaui, quo nostri Mercurij doctrina celebrior esset atque suauior, tantorum munita philosophorum oraculis. Plato arguit: Ei, à quo est omnis vita, sapientie & anima, vita deesse non potest. sed à Deo est omnis vita, tanquam à *in lib. de ente.* fonte omnium entium: Deus igitur est vita, & fons vitæ. *Fons vitæ.* Amplius, duo sunt motus: proprius vnus, externus vero alter: quorum prior est diuinior atque nobilior; quia seipsum mouet, & alijs præstat principium motus. Quam ob rem, cum hæc Deo optimo maximo proprie conueniant, vt dixi iam; proculdubio ipse est vere vita & fons vitæ. Est autem fons vitæ tum naturalis, tum etiam spiritualis: naturalis quidem qua omnia viuunt: spiritualis vero, qua creatura rationalis recte viuit. *Vita vestra*, inquit Paulus, *absconditæ est cum Christo in Deo*. *Colos. 3.* Et reuere, sicut anima hominis in ore loquitur, in oculis videt, in auribus audit, in pedibus ambulat, & in cæteris corporis membris naturæ fungitur officijs; ita plane Deus maximus, vita & lux, in intelligentijs intelligit: in cælis lumine & motu, mundum inferiorem gubernat. in sole illuminat, & diuersos pro ceptu cuiusque diffundit effectus: in syderibus diuersa ostendit ornamenta: in igne calefacit: in aere spirat: in aquis fœcundat: in nubibus pluit: in piscibus serpit: in terra germinat: in animalibus generat: in plantis viuificat: in mineralibus crescit: denique in hominibus intelligit, & mouet. Hæc est vita, non illa communis operans, quam ille videtur à Deo distinguere, dum ait; Deus & natura, quasi socia sit, & coniux Dei. Nec est alia natura vniuersalis, nisi Deus, qui in omnia diffusus, omnibus dat esse, vitam, & operari; teste Socrate in Phædone. Anaxagoras quoque in principio libri, quem de mundo edidit, ait. *Mens omnium causa est fabricatrix, & moderatrix, exornans atque replens omnia.* Vnde Virgilius: *Mens agitat molem, & magno se corpore miscet. Hinc pecudumque, hominumque genus, & vitæ volantum.* Orpheus quoque in sua Theologia conspicue lucideque decantet, & Deum esse, & in omnibus mundi partibus videri, atque conspici posse.

Per cunctas habitat partes, atque irriget orbem:
Omnia peruolitans, corpusque animale figuret:
Quod nisi cognatis membris contexta maneret
Machina, & impositam pateretur amagistra,
Ac totum mundum regeret prudentia sensum;
Non esset status terris, non ambitus astris:

Haurot

Deus est vita. *Hæreret vagus mundus, standoq; rigeret,*
Nec sua dispositos seruarent sydera cursus.
Nox alterna diem fugeret, rursumq; fugaret.
Non imbres alerent terras, non æthera venti:
Nam pontus grauidas nubes, nec flumina pontum,
Nec pelagus fontes, nec staret summa per omnes
Pars, sed per partes æquo digesta pateret:
Vt nec deficerent vndæ, nec sydera nubes:
Nec cælum iusto maius, minusq; valaret:
Motus alit: non mutat opus: sic omnia toto
Dispensata manent mundo, Dominumq; sequuntur.
Hic igitur Deus, & ratio, quæ cuncta gubernat.

Cicero in 2. de natura deorum, quamproxime & acute sequitur hanc Orphei, cæterorumque rite de hac materia philosophantium doctrinam: *Nihil*, inquit, *præstantius Deo: ab eo igitur necesse est mundum regi.* Nulli est igitur naturæ obediens, aut subiectus Deus: omnem ergo regit ipse naturam. Sed quonam pacto regit, nisi ipse sit vita, & fons vitæ omnium in natura existentium? hoc est, quod dicit Seneca: *Quis dubitare potest mi Lucili, quin Dei munus sit, quod viuimus?* Epist. 91. Insita sunt omnium artium nobis semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia. Quam ob causam D. Paulus (vt refert Apostolicorum actionum liber) apud Athenienses approbat Arati sententiam: *Quoniam*, inquit, *in ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Sic etiam Aristoteles: *A quo cælum pendet, & natura.* Itaque, DEVS est vita vniuersi mundi, quia Arist. 12. Metaph. com. 29 affectiue dat esse, & viuere, & moueri: ad quem profecto vitam, vniuersum se habet, vt animal ad suam animam. *Nonne cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus?* Et iterum: *Cælum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum.* Omnia igitur implet, quia omnia facit bona, & producit. Refert Eusebius, & Plutarchus, Stoicos dixisse, Deum esse spiritum per vniuersum mundum penetrantem, diuersis nominibus appellatum, pro rerum, per quas transit, diuersitate. Indi (teste Iarcha apud Philostratum) mundum esse animal dixerunt: sic etiam Mercurius & Plato. Zeno probat mundum animatum, suscipientemque esse, & vitam ex eo, qui producit omnia. Democritus, & Academici omnes, animam mundi profitentur, qua omnia viuunt: & hanc plurimi arbitrantur esse Deum. Sed miratur fortassis aliquis: quomodo diuina mens per vniuersas mundi partes in tanta discurrit, & omnia agit: omnia moderatur: vbiq; præsens: vbiq; Lactantius de opific. cap. 16. diffusa: cum tenta sit vis, et potestas mentis humanæ intra mortale corpus inclusæ; vt ne septis quidem grauis huius, ac pigri corporis, aut illigata est, coerceri vllo pacto possit, quo minus sibi liberam vagandi facultatem, quietis impatiens largiatur. Ipse igitur est fons vitæ, quem debemus amare, quod pater est nostræ vitæ, & esse: vereri, quod Dominus: honorificare, quod beneficus: & metuere, quod seuerus. Ipse condidit, firmauitque cælum: lucem cum cæteris syderibus induxit: libratam magnitudine sua terram valleuit, montibus mare circumdedit: amnibusque distinxit: denique omnia facit bona. Plotinus exemplo vtitur Enn. 2. lib. 9. c. 3. huic rei dilucidandæ congruo satis: *Omnia*, inquit, *pro sua capacitate vitam a Deo accipiunt: perinde ac si igne quodam medio alicubi posito calefiant, inde quæcunque calefieri possint.* Quod si ignis non aliquibus terminaretur limitibus; in vniuersum prorsus orbem, sui diffunderet caloris viuacitatem. Deus vero cum sit infinita bonus, & vita, & intellectus, in omnis pro cuiusque rei diuersitate, vitam, motum, & esse diffundit. Profecto, congruum est, diuinæ maiestati aliquid de suo exteris elargiri. Dionysius quoque Areopagita mirifico de c. 6. de diuin. nomin. hac vita disputauit eloquio: *Ex prima*, inquit, *vita viuificantur, atq; fouentur animalia omnia, atq; planta. Iam vero siue intellectualem vitam dixeris, puta angelicam: siue rationalem, hominum scilicet; siue sensualem, aliorum nempe animantium; siue nutritricem, cuiusmodi est plantarum, siue auctricem, hoc est, mineralium; siue qualemcunque vitam, vel vitæ principium, vel essentiam vitæ, ex prima vita viuit, quæ omnem supereminet vitam: vita enim illa, Deus scilicet, omni vita superior est, omnisq; vitæ principium, species viuentium generans, distribuens atque manens. Quamobrem, ex omni vita celebranda est propter fœcunditatem suam, vitas omnes mirifice* Vita rerum omnium fons. *propagantem: vnde tanquam omnifarmis, omnisq; vita cogitatur, atq; laudatur: & tanquam nullius indigens: imo vero superexuberans omni vita, ipsa quidem vita dicitur. & vt super omnem vitam, vitæ auctor, excelsiorq; vita: siue quomodocunq; ineffabilem illam vitam humano quodam more laudare quis velit.* Hæc Dionysius. Quæ profecto verba magnæ sapientiæ plena sunt, diuinam q; illam vitam, omnium viuentium principium, & fontem, clarissime Scriptura loquentes de hoc fonte. appellant. His consentit diuinarum scripturarum series: *Quoniam apud te*, ait Dauid, *est fons vitæ*, i. initium omnium bonorum, & origo virtutum. *Quis est iste fons* (ait August.) *nisi* Psal. 35. *Christus? Venit ad te in carne, vt irrorares fauces tuas sitientes.* Psal. 41. vocatur fons aquarum: *Quemadmodum desiderat ceruus ad* Deus est vita. *fontem aquarũ.* Fons, inquam, aquarum Christus, vnde omnia fluunt quæcunq; reficiunt; flumina enim plerunq; siccari possunt: fons autem aquarũ, semper irriguus est. In Cant. 4. vocatur *fons signatus.* Et à Zachar. *fons patens domui Dauid.* Et rursus, Christus est fons occultus, vnigenitus Patris inuisibilis, & fons patẽs, quitidem Deus incarnatus: domus Da- Zach. 13. uid, quia de genere Dauid. Porro, quemadmodum ex vno fonte paradysi deriuentur quatuor flumina, pro illius irri- Bernard. gatione & pulchritudine tuenda; ita plane à Christo fonte vitæ, quatuor aquarum genera manant, nempe veritas, sapientia, virtus, & charitas. Cæterum, ex fonte veritatis, fluuntur aquæ iudiciorũ: ex fonte autem sapientiæ, consiliorum aquæ: de fonte virtutis, aquæ præsidiorum: at de fonte Fontes 4. charitatis, aquæ desideriorum. In aquis iudiciorum quid liceat, quidue non liceat, dignoscitur: in aquis vero consiliorum quid expediat: in aquis præsidiorum; virtus Dei apparet: at in aquis desideriorum, finis amatur æternæ & perennis vitæ. Item, fons sapientiæ: *Aqua sapientiæ salutaris potauit illũ.* Fons deuotionis. *Et holocaustum tuum pingue fiat.* Fons æmulationis: *Zelus domus tuæ comedit me.* Fons misericordiæ: Eccl. 14. *Beati misericordes, quoniã ipsorũ miserebitur Deus.* Ad hunc mi- Psal. 19. sericordiæ fontem omnes properare debent, & Noe, & Da- Ioan. 3. niel, & Iob, quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Verumtamẽ Iob maxime sapientiæ fontem, solicite, ac studiose quærat, propterea, quod inter medios laqueos ambulet, vndiq; septus insidijs, vt magni interest, si à malo declinauerit. Daniel vero ad gratiæ properet fontem, vberius deuotionis gratia, atq; pinguedine, tum pœnitentiæ, tum et abstinentiæ opera, laboratq; ditaturus. Noe autẽ ad æmulationis fontem festinet, zelus enim domus Dominicæ prælatis, ac rectoribus maxime conuenit. Et hi quidem fontes, in hac calamitosa vita haberi possunt. Quintus vero, quẽ summopera Propheta sitiebat, dicens: *Sitiuit anima mea ad Deum fontẽ vitũ*, in illo felici sanctorum choro his debetur, qui in gaudio hauriunt aquas de fontibus Saluatoris, secundum Isaiæ vaticiniũ: Iste est ille fons paruus, qui in paruo & humili loco natus, paupere supellectili nutritus, sed pluribus gratiæ riuis auctus, in ampliora orbis spatia, suarum exuberantium Isaia 12. aquarum impetum direxit: hic vbiq; scatet fluenta liquidæ Gen. 4. veritatis, & sanctioris vitæ riuulos diffundit: hic est ille fons, qui ascendit de terra virginea, & totã irrigat Angelorũ, hominumq; regionem: hic fons abluit sordes hominum: mentes abluit: lauat crimina: rigat pectora: purgat delicta: producit delicias: ex hoc fonte generosæ exeunt emissiones, & mirabiles fiunt remissiones peccatorum. Hic est fons sponsæ, & puteus, fontis aquæ sua sponte prorumpunt: putei vero magno cũ labore acquiruntur. Vide, q̃ bellissima hæc inter Puteus. se conueniant: nam & gratiæ industria, & industriæ gratia necessaria est; in vanum .n. laboret, qui puteum fodit, si non ipse fons vitæ gratis effluet: sed & vbi gratis foderis puteũ, & receptaculum aquarum præparaueris, caue tibi, ne negligentior sis, & equæ præterfluant, & non fiat in te fons aquæ salientis in vitã æternã. Qui ergo sitit, veniat & bibat de fonte vitæ, de fonte sponsæ, de fonte vberrimo, & planissimo. Recte igitur doctissimeq; dictũ est à sapienti. Mercurio. *Recurrite mortales ebrii ad fontẽ vitæ, & eũ qui ad veritatẽ aditũ introducet, capessite.* Hanc quoq; doctrinam Basil. magnus studiose * imitatus: *Deus qui hominẽ*, inquit, *creauit, vera vita est. propterea* Basil. de *anima, qui ab sui peccati pœnã. Dei similitudinẽ amisit, & ei vita amisit* constit. mon- *commerciũ.* Age dũ igitur ad eam, in qua ab initio eramus, ach. redeamus vitam, & sedulo operã demus; vt tortus nostri authori simile efficiamur. Ex quo patet, vitæ illius spiritualis venustatẽ in decora, ac integritate diuinæ in nobis imaginis consistere. Quod vero Deus sit vita per suã essentiam, clarissime ostendit in epistola ad Gregorium Theologum: *Quicquid*, inquit, *aliunde vitam habet, per seipsum viuere non dicitur: quemadmodum & quod aliunde incalust, ex seipsa calidum esse nequit, sed Christus sese vitam nominat. Ego sum vita. non ergo aliunde, sed per seipsum est vita, & fons vitæ.* Hunc sequitur Origenes, exponens illud Matth. 16. *Tu es Christus filius Dei viui. Fons quidẽ vitæ proprie dicitur Deus Pater, qui dicit per Ieremiam Me dereliquerũt* Iere. 2. *fontẽ aquæ viuæ. Vita autem est quasi de fonte vitæ Patris procedens, quæ dixit: Ego sum vita. Et vide, quoniã sicut non est idipsum fons, & fluuius, sic non est idipsum fons vitæ, & vita.* Hæc Origenes. Sensus est, fons & fluuius sunt vna aqua saltem specie, distinguuntur tamen vnitate numerali; ita plane Pater & Filius, sunt vna quidẽ natura numeralis, licet personæ sint ab inuicẽ distinctæ. vita à fonte, Filius à Patre genitus, non autẽ Pater à Filio, ideo fons & principiũ dicitur Filii Filius v. fons vitæ nominatur; quia author est omniũ bonorũ, quibus mortales viuunt, & immortales quoq;. Vnde Aug. *Quælibet*, in Aug. de *quit, vita, in quãtũ omnino vita est, ad summũ vitæ fontẽ principiũq;* duab. animabus.

Fons vitæ. Ioh. 5.

perstrictet: quod nihil aliud, quam summum & solum verum DEVM possumus confiteri. Et in explanatione illius sententiæ, *Sicut Pater habet vitam in semetipso &c. Quid est*, inquit, *habere vitam in semetipso? Non alibi habet Pater vitam, sed in semetipso: viuere quippe suum in illo est, & non aliunde. Et non alienum est, non quasi mutuatur vitam, nec quasi particeps sit eius vitæ, quia non est quod ipse: habet ergo vitam in semetipso, vt ipsa vita sibi sit ipse. Etenim Deus viuit, & anima quoque viuit: sed vita Dei immutabilis est, vita vero animæ mutabilis. Deus nec proficit, nec deficit, sed est ipse semper in se: est ita, vt est: non aliter nunc, aliter postea, aliter antea: animæ vero vita, valde aliter atque aliter: viuebat stulta, viuit sapiens: nunc meminit, nunc obliuiscitur: nunc discit, nunc discere non potest. Cum sit particeps alterius vitæ, quæ non ipsa est, fit iusta: erigendo se quippe ad Deum, & inhærendo Deo, ex illo iustificatur. Frigidum igni admotum feruescit, remotum autem tepescit: tenebrosum admotum luci clarescit, remotum à luce nigrescit. Tale quiddam est anima, non tale aliquid Deus. Itaque, sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio habere vitam in semetipso, vt hoc solum intersit inter Patrem & Filium; quia Pater habet vitam in semetipso, quam nemo ei dedit: Filius vero habet vitam, quam dedit ei Pater.*

Vita Dei. Vita animæ.

1. ad Tit. 1. Simili quoque loquendi modo Hieronymus vtitur in expositione illius loci: *In spem vitæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus. Non est*, inquit, *vita æterna absque verbo Dei; ipse enim est verbum vitæ, non aliquibus circumscriptum temporibus, sed perpetuum, sed æternum.* Ipsum verbum igitur sequamur, et capiamus, in quo viuimus, mouemur, & sumus. Quid ergo sit vita, & quomodo Deus sit vita, & fons vitæ, breuiter dixi.

CAP. III.

Argumenta.

1. Elucidandæ veritatis causa, *contra* prædicta sic argui potest: Cui inest vita; illi, necesse est, & anima; quippe quæ est actus corporis, potentia vitam habentis 2. *de anima*. sed Deo non inest anima, alter non esset simplex omnino: non inest ergo illi vita. Sane, cuius est vita, eius est aliquid viuendi principium; anima enim est viuentis corporis, vt dicitur causa & principium. 2. de anima.
sed Deo non competit habere principium; alioqui non esset omnium principium: ergo sibi non competit viuere. Adde, quod cui non competit anima vegetabilis; eidem viuere competere nequit: sic profecto docetur à Philosopho in libro de animalibus, quod principium vitæ in rebus viuentibus quæ apud nos sunt, anima sit vegetabilis, quæ corporeis solummodo rebus tribuitur. sed Deo non conuenit animæ vegetabilis: necessario inde sequitur, vt nec
2. viuere etiam conuenire possit. Amplius, illa viuere dicuntur, quæ seipsa mouent, sicut paulo ante visum est: sed Deo non competit moueri, propterea quod sit primū mouens prorsus immobile, aliter non daretur primum in mouentibus: ergo quod prius: Adde, quod non omnia viuentia sint suum esse, vt patet: ergo nec Deus, in quo quidem, veluti in optimo & perfectissimo exemplari, consistunt omnia: quare, cum exemplata nihil horum habeant: consequens est, vt
3. nec etiam ipsum exemplar. Item, si exemplata non sunt suū viuere, hoc est, non habent vitam in semetipsis: nec ergo sunt vita in Deo; exemplata enim exemplari conformia sunt. Sane, quæ in Deo non sunt motus; non sunt etiam &
Actuū 17. vita, teste scriptura: *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* sed nō
4. omnia in Deo sunt motus, quia essentia diuina est vita, & nō motus: ergo quod prius. Præterea, substantia viuens, melior est substantia non viuente, authore Augustino in libro de vera relig. sed omnia per te in Deo viuunt: perfectiorem ergo vitæ gradum in Deo habent, quam in seipsis, quod plane veritatem ipsam oppugnat, quandoquidem in seipsis sint in actu, in Deo in potentia. Ad hæc accedit, quod si omnia sint vita in Deo, puta quia ab ipso cognoscuntur; pari facilitate esset dicendum, mala quoque esse vitam in Deo, eo quod ab ipso cognita sint, etiamsi ab eo non fiant: quod plane absurdum est, & inconueniens: ergo quod prius.

CAP. IV.

Soluuntur Argumenta.

1. AD *primum*, atque ad omnes eius confirmationes, patet solutio ex dictis: nam quemadmodum Deus est suum esse, atque suum intelligere; ita plane est suum viuere. quare, ita viuit, vt non habeat viuendi principium: illa ergo omnia, quæ à Philosopho dicta sunt, ad creaturarum vitam accommodanda sunt, sicut diligentius verba, textumque sermonum inspicienti, facile est videre. *Ad 2.* dico, Deum seipsum mouere, quia seipsum intelligit, & vult, non autem quod seipsum moueat motu, qui est actus entis in potentia. Ex quo patet, duplicem esse actionem, vt ex nono meth. colligi potest; alteram quidem, quæ in exteriorem transit materiam, veluti sunt calefacere, secare, & quæ sunt generis eiusdem. alteram vero, quæ manet in agente, puta intelligere, & velle. Porro, non est agentis, sed moti perfectio prima, agentis vero secunda. & hæc quidem secunda perfectio, quatenus est actio operantis, motus dicitur: ob hanc sane causam, quia sicut motus est actus mobilis; ita huiusmodi actio, est actus agentis: tametsi motus sit actus entis imperfecti, nempe existentis in potentia: illa vero actus entis perfecti, vtpote existentis in actu, vt dicitur tertio de anima. Quoniam igitur hoc modo intelligere est motus; hac de causa, id quod se intelligit, se mouere dicitur: qua profecto ratione motus Plato dixit, Deum seipsum mouere.

Deus est vita. 2. Duplex actio.

3. *Ad 3.* non valet consequentia: non enim opus est, vt exemplata omnimodam habeant ad exemplar similitudinem; quandoquidem sat illic esse poterit proportionis, non autem identitatis simulacrū. Etenim, quemadmodum creatura non est suum esse; ita certe nec suum viuere. *Ad 1ᵃᵐ firm.* dico, creaturas in Deo esse, bifariam intelligi posse; vno quidem modo, quatenus diuina continentur, atque conseruantur virtute: quemadmodum ea in nobis esse dicimus, quæ nostræ vtique subiacent potestati. Quare, sic sumus, viuimus, & mouemur in Deo, quia nostræ productiuo naturæ a Deo producuntur, continentur, atque conseruantur. Alio autem modo in Deo, velut in cognoscente, & omnia dilucide lateque vidente. sunt omnia & ita secundum proprias rationes in Deo sita dicuntur. Et quoniam cognitio diuina, est essentia diuina, idcirco quæ ita sunt in Deo, sunt quoque essentia diuina. Essentia autem diuina cum vita, & non motus sit, inde fit, vt res secundum hunc loquendi modum, in Deo non sint motus, sed vita.

Quomodo omnia sint in Deo.

4. *Ad 4.* ad minorem dico, quod in mente diuina omnia sint vita. Et cum *infers*: Ergo habent perfectius esse. *Dico*, in mente habere esse perfectius, & nobilius, vtpote increatum: in proprijs vero creatum, quod nihilominus est verius, propterea, quod ad veram hominis naturam constituendam, necessarium sit materiale corpus, quod plane in Deo esse nō potest. *Ad confirm.* dico, mala esse in Deo, quia diuinæ subiacent scientiæ: non autem quod fiant à Deo, aut ab eodem conseruentur; cognoscuntur autem à Deo per bonorum rationes: mala ergo non sunt vita in Deo. Cæterum, si viuere in Deo, perinde intelligas, ac intelligere; absque dubio etiam illa, quæ pro nullo tempore futura sunt, in Deo viuere dicuntur, eo quod ab incomprehensibili ipsius comprehenduntur scientia, qui *vocat ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt*, inquit Paulus. at si viuere in Deo, operationis importet principium; ea in Deo vita sunt, quæ aut deducta sunt ad lucem; aut sunt deducenda. Sed de his satis.

Mala quomodo in Deo.

MERCVRIVS.

Ibi fulgidum lumen nullis immixtum tenebris: ibi nullus ebrietate delirat, sed omnes sobrii vigilant.

Commentum IV.

QVi editum veritatis ingressi, ex fonte vitæ, sobrietatis, iustitiæ, denique integerrimæ virtutis, aquas hauserunt, ij plane *fulgidum lumen intuentur, nullis immixtum tenebris*: Deum vtique, qui est vera lux, non habens aliquam partem tenebrarum, ob suam nimirum simplicissimam atque beatissimam essentiam. Quod vero Deus sit lumen, dixi in primo Pymandri. Et de eius præterea simplicitate, disputaui in eodem libro. sic cui lubet hæc videre, consulat loca iam dicta. Sequitur textus: *Ibi nullus ebrietate delirat*: hoc est, qui illud lucidum lumen videt, non insanit ignorantiæ ebrietate correptus. Sane, iuxta Platonis sententiam: Viuere opus animæ est; quæ si propria virtute fuerit orbata; opera sua explere non poterit. Orbatur autem ignorantiæ ebrietate, & iniustitiæ mero: proinde necesse est, animam sic ebriam, male imperare atque curare; sobriam vero hæc omnia bene facere. Porro, virtus, & sobrietas animæ, iustitia est; vitium vero, & ebrietas, iniustitia. Iusta ergo, & sobria anima, sobrie, iuste, & pie viuit. Contra, anima iniuste, & huiusmodi ebrietate temulenta, iniuste, & infeliciter viuit. Recte ergo dictum est à magno Mercurio, quod qui fontis vitæ lymphas epotauerit, fulgidum lumen inspiciat: quodque ebrietate non deliret, sed sobrie vigilet; vini namque ebrietas homines

1. Ioan. c. 1. Plato 1. de rep.

delira-

Ebrietas. delirare facit. Proinde Plato *prima de legibus*, quasdam gentes delirasse putat, quod absque aliquo personarum delectu, non modico, sed plurimo vino vtantur: *Scythæ*, inquit,
Qui vtātur vino.
ac Persæ. Carthaginenses præterea, Celtiberi, & Thraces, mero penitus vtuntur, tam viri quam mulieres, ac mero vestes perfundunt: præclarum hoc, & beatum vitæ genus existimantes. Persæ quoque alias etiam deliriis vtuntur. Et ceterea, in omni conuentu ac societate rerum gerendarum principem esse oportet, cuius officium esse debet conciliare atque conseruare ciuium vnionem: quod quidem nisi sapiens & sobrius fuerit, efficere minime poterit; ebrius enim & inscius princeps euertit omnia: sic ebrius nauis gubernator, currus atque exercitus. O execranda, multumque vilis ebrietas, quæ aciem mentis obtundis, & ingenium hominum euertis: O inquam pessima ebrietas, perens litium & furoris, mater petulantiæ, deformitatis magistra, dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, illecebra voluptatis; ô nequissima ebrietas, omnium vitiorum origo, tinea virtutum, sapientiæ inimica, criminum fomes; ô voluntaria insania, quæ acerrimas gentes, bellicosasque hostibus tradidisti, & multorum annorum pertinacia bello defensa mœnia petefecisti: inuictos acie & alieni imperij impatientes mero domuisti! Hæc magnum Alexandrum tot auctum victorijs, bellis illustrē, clarum imperio, in cædem indecoram, & iniustam impulit: caput superbo abscidit Holoferni. Balthasar Babyloniæ regem, regno pepulit: Noe ad vnius horæ ebrietatem, nudauit fæmoralia sua, quæ per sexcentos annos contexerat: & megnum illum Loth, auditu, & aspectu iustum, in incestum prouocauit: ita, vt quam Sodoma non vicit, vina vicerint. Hæc iniqua pestis rationis obfuscat iudicium, contentiones perit, bella procurat, naturæ virtutem ac robur prorsus eneruat, Deo & hominibus reddit exosos. Hæc vilissima insania despicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, destituitur à virtutibus, confunditur à dæmonibus, deoque cō-
Exprobratio ebrietatis.
Plato 1. de leg.
culcatur ab omnibus. Quam ob causam dicit Plato, quod vini vsus, voluptates, dolores, iras, amores vehementius concitet, ac memoriam & intelligētiam prorsus extinguat. Non solum igitur senex bis erit puer, sed etiam temulentus.
Valer. 3. lib.
Narrat Valerius maximus, vini vsum Romanis fœminis ignotum fuisse, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur; vini enim vsus immoderatus, virtutibus ianuam claudit, & delictis aperit. Etenim quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in summam partem vis caloris eructat; sic vino exæstuante quicquid in imo iacet abditum, effertur, & prodit in medium. Bene ergo dictum est à Zenone, virum bonum non futurum ebrium: denique ebrio secretum sermonem committendum non esse. vnde dicit scriptura: *Vinum, & mulieres, apostatare faciunt sapientes.* Et Isaias eit: *Verum hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt.* Oseas quoque dixit, *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Et recte quidam; nam ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparumq́; materia: radix criminum: origo vitiorum, turbatio capitis, subuersio sensus, tempestas linguæ. Hæc est illa periculosa, plurimumque timenda procella corporis humani, naufragium castitatis, amissio temporis, ignominiosus languor: hæc est turpitudo morū, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. Sane, vt dicit D. Hieronymus, *venter mero æstuans cito despumat in libidinem; in vino enim est luxuria*, vt dicit Apostolus: In luxuria est voluptas: in voluptate impudicitia, ac totius vitæ confusio: *Sedit populus*, inquit Moyses, *manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Equidem sicut mater fidei continentia est; ita perfidiæ mater ebrietas est. In quod facinus non iste præcipitat? De ebrietate homines ad arma consurgunt: calicibus tela succedūt. pro vino sanguis effunditur: maior vis vini quam veneni; nam venenum vino excluditur, non veneno vinum. Merito Moyses draconum veneno vinum comparat dicens. *Furor draconum vinum eorum, & ira aspidu insanabilis.* Et pulchre hoc additur; multo enim reliquorum serpentum veneno curantur; nemo ebrietate. *De vinea Sodomorum, vinum eorum.* O ebrietas fomentum libidinis, incendium insaniæ, venenum insipientiæ, phreneses periculosa: parum est, quod in flammam, libidines, & accendis cupiditates corporis; quando & ipsam hominis mentem subuertis, & animam capis, & sensum extorques. Per te Noe nudus iacuit, & Loth filiarum errori patuit. O ebrietas, dæmon à nobis sponte prouocatus, vitij mater, virtutis inimica, quæ sapientem ac iustum minime nosti: prudentiam extinguis, & tua assiduitate sensus tabescere facis: denique, vt magnus Mercurius dicit, homines deliros efficis, in insaniam, & mentis alienationem cōmutas, & verum Fugite ergo mortales ebrij hunc pessimū dæmonem, voluntariam insaniam, matrem vitiorum, vir-
Zeno. Eccl. 19.
Isa. 28.
Osea 4.
Aug ad sacras virgines.
Hier epist. 83.
Ephes. 5.
Amb. de Elia c. 17.
Deut. 32.
Basil in ser. de ebrietate.

tutum inimicam. Cauete vobis ab hoc veneno insanabili: *Ebrietas.* ab hac phrenesi incurabili, quæ vos deliros efficit & stolidos; sed multo magis fugite ignorantiæ ebrietatem, quæ non permittit pulchrum illud lumen, nullis tenebris permixtum intueri, atque conspicere. Qui illud, inquit Mercurius, videt, ebrietate non delirat; ira namq; petulantia, inscitia, socordia, forma, vires, & quæcunque voluptates, ebrietates sunt, ait Plato in loco iam dicto, quæ homines amentes faciunt. Non commercia ite animum probant, vt hæc quæ dixi. Omnes igitur sobrij vigilant, qui lumen vident fulgidum, nullis immixtum tenebris. Sobrietas siquidem est mens & sensus membrorum omnium corporisq; tutela, castitatis ac pudicitiæ munimentum, pudoris proxima, amicitiæ pacisq; serua: honestati semper coniuncta; criminum & vitiorum omnium profuga. Omnes sobrij vigilant; quia *qui vigilauerint ad me, inuenient me:* Inuenier, inquam, à sobrie vigilantibus; propterea, quod sobrietas sit recti iudicij tenax, memoriæ sapientia, secretorum custos, arcani velamen, lectionum & doctrinæ capax, studiorum, bonarumque artium disciplina, magistra ingeniorum, bonæ famæ semper auida: salubris, ac vitalis arcana: virtutis singulare auxilium: euocta cum ratione disponens: congregationi honestorum semper se ingerens: denique omnium bonorum mater. Etenim mens imperium habet sensuum & motuum, atque passionum corporis: concupiscentia vero rationem præuenit; sed ratio cupiditati resistit. vnde Dauid effudit aquam, quam attulerant tres illi viri fortissimi per medios hostes: potest igitur mēs sobria impressione refrænare, ac reprimere quamuis grauem passionem. In nobis passionum duces sunt, naturalis delectatio, & dolor, quas sequuntur cæteræ tum animæ, tū corporis passiones. Verum, sobrietas restringit passionum ardorem, ideoq; est correptionis præuia, & disciplinæ magistra. Ab hac profecto Iacob sanctus, primatus à fratre, quos non habebat accepit ab hac sane Ioseph edoctus, & calorem iuuentutis edomuit: & tentatum adulterinis animum illecebris, rectæ rationis inductione firmauit: ab hac Daniel instructus, abditarum visionum, atque mirabilium somniorum intelligentiam sibi comparauit: leonum clausit ora, & famis impatiētem mediam temperauit. huius præsidijs muniti tres illi pueri, Babyloniceæ fornacis incendia superarunt: hæc Moysen ad diuinæ maiestatis colloquium, Eliam vero ad magnificam illam visionem euexit: hanc primis hominibus tenendam mandauit Deus: & quia non est retenta, paradysi exules facti sunt: hæc quotidie residet in sanctis Angelis: idcirco sobrij vigilant & lumen illud æternum indefesse vident, atq; fruuntur. Duæ quippe res sunt, sobrietas, & vigilentia: quarum altera ad voluntatem, altera vero ad intellectū pertinet. Sobrius est, qui temperet se ab affectibus, suasque recta moderatur passiones. Quoniam autem beati illi spiritus in vtroque supereminent; propterea sobrie vigilare dicuntur. In hac vero vita hoc donum paucorum est, qui vtriusq; potentiæ dominium perfecte assequuntur; sed sæpe sæpius alique ebrietate traducti, delirant, & instabiles sunt. Quamobrem Plato dicit, illum sobrium vocari, qui voluptatibus atq; cupiditatibus plurimis, ad impudentiam & iniuriam impellentibus, fortiter repugnauerit; ac ratione, opereque & arte tam iocosis, quam serijs in rebus se deuicerit. Is profecto non aliqua delirat ebrietate, sed sobrius vigilat: passionibus iam deuictis, edomitisque affectibus, omnes animi corporisque vires intendit; vt (quoad fieri potest) lumen illud purissimum, ac pulchrum supereminens intueatur, fruatur, ac firmiter possideat. Cæterum, hanc animi sobrietatem, seu temperantiam, circa voluptates versari in 3. eth. Aristoteles asserit, quæ quidem cæteris animalibus sunt communes. Quocirca seruiles & feriæ videntur. Et hæc sunt, quæ tactu, gustuq; suscipiuntur. Quapropter & quidam voluptatibus deditus epularum, Philoxenus, inquam, Eruxius, precatus est, vt longius sibi guttur quam gruis fieret, propterea, quod tactu delectabatur. Cicero in sua rhetorica dicit, esse rationis, in libidinem, atq; in alios non rectos impetus, animi firma moderatione dominari. Augustinus vero, affectionem coercentem, atque cohibentem appetitum ab his rebus, quæ turpiter appetuntur, vocauit. Et reuera, difficilius est prospera, quam aduersa moderari. Achilles, Annibal, Hercules, Marius, in aduersis fortissime pugnarunt: in prosperis vero aura blandiente infelicissime conciderunt. *Cadent à latere tuo mille*, quia pauci labuntur in aduersis rebus: sed *à dextris*, hoc est, in prosperis *decem millia*. Nonne Dauid in aduersis fortis, & in prosperis debilis, ac diuinæ præuaricator inuentus est legis? Sic Samson pugnacissime, fortissimeque aduersus hostium iniurias præliabatur; qui tamen vilissimi scorti delitijs delinitus; misere concidit.
Ignorantia ebrietas.
Sobrietas.
2. Reg. 23.
Exempla.
Sobrietas & vigilantia.
Plato 1. de leg.
1. de lib. arb. c. 13.
Periculum voluptatis.

Megni

Sobrietas. Magni ergo laboris est, prospera huius vitæ modeste ferre posse: & insanientem nosse temperare fortunam. Magnæ, inquam, virtutis est, cum felicitate luctari; frangit enim animos voluptas, quoniam vberiori afflatu animos inflat: atque rerum copia immoderatos, & negligentes facit. Quapropter *arduum est*, ait Philosophus, *hunc affectum insitum vita extrudere, difficilius enim est, vt Heraclito placet, voluptati repugnare, quam iræ.* Proinde ait Timæus, voluptate, velut hamo homines capi, sicque clam necari. Et quis vnquam hostis in quenquam tam contumeliosus fuit, ac in quosdam voluptates suæ? Sane quidam ita sese voluptatibus immergunt; vt illarum consuetudine carere nequeant: Inde fit, vt homines bellninos induant mores, ac habitus ferinos accipiant. Qua de re non indocte dictum est ab Homero, Vlyssis socios Circes carminibus in porcos fuisse conuersos, de quibus Virgilius 7 Æneid. *Arist. 2. Ethic.*

Hinc exaudiri gemitus, iraq; leonum,
Vincla recusantum: & sera sub nocte rudentum.
Setigeriq; sues, atque in præsepibus vrsi
Sæuire, ac formæ magnorum vlulare luporum.
Quos hominum ex facie dea sæua potentibus herbis
Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum.

Nocet ergo empta dolore voluptas. Hæc Herculis hydria non ferro, sed igne necanda est; sic enim Herculem fecisse legimus. Ignis noster sobrietas est ignis noster vigilantia est: ideoq; dictum est à Mercurio, quod hi, qui diuinam lucem vident, sobrii omnes vigilent; sobrietas namque voluptates aufert: libidines frenat: passiones reprimit; animũ instruit: voluntatem erigit: deniq; intellectum suo lumine perfundit. ô inquam præclara sobrietas, animi serenitas, quies mentis, tranquillitas cordis, ô iucunda sobrietas, vitæ humanæ delitiæ, virium fortitudo, neruorum sustentatio, potentiarum animæ tutela, membrorum omnium regimẽ, corporis ac animæ ordinata concordia: Tu es abstinentium mater, monachorum cibus, virginum perens, orationis fomes, contemplationis fomentum, ecclesiæ sanctæ ornamentum, Christianæ religionis decus. Euigilate ergo mortales ebrij à mero, quod combibistis: euomite onerosam illam ignorantiæ, ebrietatem voluntariam, atque insaniam: sobrij vigilate omnes, ne sitis amplius delirí; quia vt dicit Mercurius, ibi nullus ebrietate delirat, sed sobrii omnes vigilant. *Laus sobrietatis.*

MERCVRIVS.

Mentis oculis eum, qui videri vult, acutius intuentur: is nec auribus percipitur: nec cernitur oculis: nec sermone profertur: sola mens eum prospicit: sola mens prædicat.

Commentum. V.

Deus quomodo cognoscatur. QVoniam quidem vnumquodq; cognosci potest, quatenus est in actu: Deus vero cũ sit purus actus, nulli vnquam mixtus, seu miscẽdus potentiæ; profecto suapte natura sese offert omnibus cognoscendum, sicut sol iste visibilis omnibus videndũ. Verũ, quo modo sol iste corporeus, nõ nisi corporis cernitur oculis, eisdẽq; purgatissimis, atq; purissimis; ita & Deus, qui est lux inuisibilis, nõ nisi oculis mẽtis purissimæ videri potest. Quã ob causam, doctissime acutissimeq; dictum est à sapientissimo Mercurio, mẽtis oculis Deũ videri, ac percipi posse: nõ autem oculis corporis cerni, nec sermone proferri; sed à sola mente, & prospici, & prædicari. In primo Pymandri, de hac materia disputaui, propterea pauca remanent dicenda. Et reuera, si hominis beatitudo sita est in altissima sui intellectus operatione, si Deum nunquam esset visurus, aut suo careret fine; atq; ita semper miser, aut in aliquo alio quam in Deo eius beatitudo consisterat: quorum vtrunq; falsum est, & à vera philosophia alienum. Quod enim est principium essendi; est etiam vltima perfectio creaturæ rationalis. Inest præterea humanæ menti Dei videndi ingenitum desiderium; quod plane non potest esse inane & vacuum, quia natura non frustra operatur. Ex quo quidem desiderio cognoscendi admiratio in hominibus consurgit; vnde & philosophari cœperunt antiqui. Quæ omnia frustra fierent, si Deus ab humano intellectu conspici nunquam posset. Cæterum, visio tum sensibilis, tum etiam intellectualis duobus opus habet: nempe virtute visiua, & vnione rei visæ cum visu. Siquidem hoc modo fit visio in actu; quia nimirum res visa quodam modo est in vidente. Est autem res corporalis visa in vidente per suam ipsius similitudinem, vnde fit visio in actu. Quod si vna eademq; res & principium esset visiuæ virtutis, & ipsamet res visa; proculdubio ab illa vtrumq; re, videns virtutem haberet visiuam, & formam, per quam videret. Quare cum Deus sit author intellectiuæ virtutis, quæ est eius similitudo, lumen habens intelligibile à prima luce deriuatum, siue illud naturæ, siue gratiæ dixeris: profecto, si visio fiat in simili; non nisi in suo simili videtur Deus; verum, quia diuina essentia per aliquam similitudinem videnti vnitam, videri non potest: primo quidem, quia per inferioris similitudines ordinis rerum, superiora cognosci non possunt; sicut per corporis speciem, rei incorporeæ essentia non cognoscitur: deinde, quia essentia diuina, est suum ipsius esse, quod nulli formæ creatæ competit: denique quia est aliquod incircumscriptũ, quod nullis figuris seu similitudinibus circumscribi potest. Hinc fit, vt acies intellectus, lumine diuinæ gloriæ indigeat, atq; ita in lumine videat lumen, sicut dicit propheta Dauid: *Et in lumine tuo videbimus lumen,* non autem per aliquam aliã similitudinem diuinam essentiam repræsentantem. Recte ergo dixit Mercurius; quod sola mens Deum prospiciat & prædicet: quodque oculis videri non possit, nec auribus audiri, nec sermone proferri: omnis siquidem huiusmodi potentia, est vtriq; organi corporalis actus, qui ad eum, cuius est actus, proportionem gerit. Cum autem omnis organica potentia sit corporea; quam ad Deum incorporeum videndum proportionem habebit? *Non ergo videbit me homo, & viuet;* quia nemo mortalium vidit, nec videre potest. Moyses vidit Deum, sed in caligine: *Post sex dies,* inquit, *vocauit Dominus Moysen de medio caliginis. Excellentissimus namque Deum videndi modus,* ait Dionysius de mystica Theologia, *est ignote ascendere;* quia nec ipse Moyses Deum videre valuit: ideoq; dicitur introductus fuisse in caliginem, quæ profecto ab eodem Dionysio docta vocatur ignorantia. *Ignorantia,* inquã, *quia in huiusmodi cognitione, cuiuscunq; rei creatæ remouetur cognitio, ne impedimento sit oculo mentis videntis: docta vero, quia dum mens humana ineffabiliter Deum cognoscit, ab eo omnem prorsus amouet creaturarum vmbram & imperfectionem.* Duæ siquidem sunt viæ Dei cognoscendi: altera ablationis siue negationis; puta, quia Deus non est hoc, nec illud: altera vero eminentiæ; quia scilicet eminenter creaturarum omnium perfectionem continet quarum vna sine altera non sufficit. Vnde Dionysius 2. de mystica Theologia: *Imaginem facientes,* inquit, *ex ligno, vel ex lapide auferunt ea quæ superflua sunt, atque ita occultam manifestant formam.* Sic faciendum est ei, qui Deum videre vult, auferre scilicet omnia vana rerum idola; vt sic lucidum verbum conspicere queat. Verum, hic cognoscendi modus, qui per abnegationem fit rerum, in caliginem incidit atq; terminatur: alia prius deserta caligine, nempe omni creatura; *Lux,* inquit, *in tenebris lucet:* Natura namq; humana, ex seipsa quædam tenebra est: à Deo autem illustratur, fauore intellectus agentis, qui est lumen animæ, sine quo anima nihil intelligit. sicut enim visio corporalis, absque corporali lumine fieri non potest; ita etiam & anima sine huiusmodi lumine non intelligit; iste siquidẽ intellectus non solum comparatur luci; sed est etiam lumẽ. intelligere certe, est sua lux, quæ tamen à Deo illi tributa est; non quia omnis nostra cognitio sit infusa; sed potius, quia intellectus creatus ad suam intelligentiam perficiendam egredi non valet, nisi illo duce & authore, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Itaque, deserta priori caligine, mens videntis ingreditur aliam caliginem, diuinæ scilicet cognitionem maiestatis. Qui posuit, inquit, tenebras latibulum suum: Et Paulus dicit, *qui habitat lucem inaccessibilem:* Et Iob, diffidit se posse illum intueri: propterea quod sit *altior cœlo, profundior inferno, latior mari, & longior terra;* ô quam magna, & impenetrabilis est hæc caligo. Quam ob causam sapienter dictum est à Platone. Scire Deũ difficile est: & cum inueneris, illum alijs manifestare, est impossibile. Vnde Plotinus: *Animus,* inquit, *perfecte purgatus, prius per vnionem diuinam, Deus quodammodo efficitur, quam cognoscat quid sit Deus.* Et reuera, vt dicit Dionysius primo cap. de diuinis nominibus, Dei scientia est inaccessa, quippe cum ab omnibus superessentiali quadam excellentia sit segregata. Sol verius videri potest, quam à nobis videtur, puta ab acutioribus aquilæ oculis, non ergo à nobis lux illa solaris bene cognoscitur; ita & lux diuina per caliginem à nobis percipitur. Penuria sermonis humani non potest proferre: & caliginosa nostra intelligentia nequit comprehendere illam diuinam caliginem. vnde Dionysius in libro iam dicto, quid sit Deus, ait: Nec intelligitur, nec dicitur, nec nominatur, nec est aliquid eorum quæ sunt, neque apprehenditur in aliquo existentium. Et hæc quidem de Deo dicuntur, quatenus sua infinitudo, immenso interuallo supereminet rebus omnibus; transcendens atque superans cuiuscunq; excel-

De vidẽdo Deo. *Lumen gloriæ.* *Oculis corporeis Deũ nõ videri.* *Exod. 24.* *Docta ignorantia.* *Duæ viæ cognoscendi.* *Intellectus agens.* *Duæ caligines.* *Cap. 7.*

De vidẽdo Deo. *Quæ de Deo cognoscuntur.*

excellentissimæ creaturæ purgatissimum intellectum. Si vero eius bonitatem spectes; videbis eam vsquequaq; diffusam, vt non sit qui se abscondat à calore eius. Sic etiam iustitiam, pietatem, misericordiam, veritatem; quia misericordia domini plena est terra, & veritas domini vsque ad nubes. Huius rei consideratione permotus Mercurius, dixit Deus nihil est omnium: Deus est omnia: Deus nullum nomen habet: Deus habet omne nomen. Ita plane omnes res sunt in Deo pariter, & non sunt, sicut domus est in architecto, & membrorum forma in vegetabili, et seminaria in natura, & igneus in sole calor, & in vnitate numeri, lõgitudo lineæ in puncto, lineę in centro circuli, radii omnes in centro solis, & in lumine, & in Deo lumen. quæ quidem causaliter & non formaliter in suis sita sunt principiis. Sed de his alibi latius dixi. A caligine ergo progredientes, in caliginem ingredimur, dum Deum in hac vita videre ac scire cupimus: sapienter ergo dixit Mercurius à solo intellectu Deum cognosci & prædicari.

Vtrum per suam naturam. *Roman. 6.* *Ioann. 17.*

Sed dicet aliquis, nunquid intellectus per sua naturalia diuinam potest conspicere essentiam? Ad quod Paulus clarissime respondet: *Gratia Dei*, inquit, *vita æterna*. At vita æterna in diuinæ essentiæ visione consistit: *Hæc*, inquit, *est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum &c.* gratia ergo & non natura videbimus Deum sicuti est. Et reuera, secundum quod est in cognoscente, contingit cognitio: cognitum vero est in cognoscente secundum modum cognoscẽtis; quandoquidem cuiuslibet cognoscentis cognitio modum sequatur suæ naturæ. Cum vero modus diuinæ essentiæ cognoscendæ in infinitum excedat naturæ creatæ cognoscendi modum, puta quia Dei proprius essendi modus est, vt sit suum esse subsistens, naturæ vero creatæ, vt sit suum esse participatum; inde fit, vt intellectus creatus, diuinæ vnitus gratiæ, non autem suæ naturæ suffultus viribus, Deum intelligat atque fruatur: siquidem per diuinam gratiam intellectus creatus erigitur atque eleuatur ad videndum Deum, qui est extra obiectum quidditatiue à se naturaliter cognoscibile. Nec proinde sequitur aliquod absurdum. Nam etsi oculus corporis creatus sit ad videndum colores; illo tamen sine lucis adminiculo cernere non valet: ita plane, quanquam creatura rationalis creata sit, vt Deum intelligeret; sine tamen diuino lumine, eum, ad quem videndum creata est, intelligere, seu videre nequit.

Deus non videtur sine lumine gloriæ.

Etenim quicquid ad aliquod inuendum eleuatur, quod suarum virium naturam, capacitatemque superat, disponi necesse est, aliqua dispositione, quæ vtique suam excedit naturam: veluti, si aer ignis formam esset accepturus; proculdubio per aliquam præuiam dispositionem, ad hanc formam suscipiendam disponeretur. Quare cum intellectus creatus par non sit, vt Deum videat: aliqua ergo ei supernaturalis infunditur dispositio, quæ à Theologis intellectus creati illuminatio appellatur: ipsum vero intelligibile lux siue lumen. *Et claritas Dei*, ait Ioannes, *illuminat ciuitatem sanctam.* Ex huius autem luminis virtute, videntes efficiuntur Deo similes quia cum apparuerit, similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est. Qui vero plus huiusmodi luminis habuerit; plus, atque perfectius Deum videbit. Plus vero luminis dabitur, cui maior inest charitas: propterea, quod vbi maior est charitas, ibi maius insit desiderium: à quo quidem aliquo modo desiderantis animus disponitur, ad desiderati susceptionem. Verumenimvero, etsi mente qualitercunque Deum attingere, non parua sit beatitudo; eum tamen comprehendere est impossibile. *Magnus consilio*, ait Ieremias, *& incomprehensibilis cogitatu*; illud enim perfecte comprehenditur, quod vtique perfecte cognoscitur: perfecte vero cognoscitur, quando sic bene cognoscitur, quoad cognosci potest.

Apoc. 21. *Ioan. 4.* *Ierem. 32.*

Intellectus diuinus intelligit perfecte.

Et hic quidem modus Dei cognoscendi intellectui tantummodo competit diuino: qui vti infinitus; ita certe infinite intelligit infinitam illam essentiam: siquidem vnumquodque cognosci potest, quatenus est ens in actu, sed Deus est actus infinitus: infinite ergo est cognoscibilis, at omnis intellect' creatus est finitus, & lumen quoque gloriæ creatum similiter: non ergo potest infinitum à finito comprehendi, vt dixi.

An videat omnia in Deo.

Sed non temere *ambiget* aliquis: num videns diuinam essentiam, omnia videat, quæ Deus facit, aut facere potest? *Ad quod* quidem dici potest, à nullo intellectu cognosci omnia, quæ Deus ipse facit, aut facere potest: perinde enim esset, ac ipsius diuinã virtutẽ, & immẽsam maiestatem perfecte cognoscere perfecteq; cõprehendere, quod iã explosũ est atq; improbatum. Etenim, si omnia in Deo cognoscuntur sicut effectus in sua causa, profecto, quo penitius ac perfectius causam quis cognouerit; eo perfectius omnes illius effectus cognoscat, necesse est. Quod si eo perfectionis ascenderit, vt perfectissimam assequatur causæ cognitionem, quis dubitabit, omnes illius effectus cogniturum? sed hoc non cadit in Deum, qui incomprehensibilis est cogitatu. Itaq; Deus omnem habet rei sufficientiam, seseq; omnibus demonstrat: sed ab intellectu creato, videri quidem, sed comprehendi non potest: ideoque videns Deum, non omnia videt, quæ Deus facit, aut facere potest.

Corporis nostri natura. *Ierem. 32.*

Videt in Deo, non per similitudinem.

Neq; etiam ea quæ in Deo videt, per aliquas quidem similitudines, sed per diuinã essentiam suo intellectui vnitã intuetur: diuina siquidem essentia non per speciem, sed per seipsam coniungitur intellectui videntis ac speculantis. Et reuera, vnumquodque cognoscitur per sui similitudinem, quæ est in cognoscente. idq; bifariam fieri potest: aut quidẽ per sui, aut per similis similitudinem: vel vt clarius dicam: aut in se, aut in alio. Cum ergo ea quæ in Deo videntur, non per proprias, sed per eas, quas in Deo habent similitudines, cognoscantur, absque dubio visa in Deo, non per species; sed potius per diuinam essentiam intellectui vnitam vidẽtur: etenim, quęcunque vni, & eidem sunt similia, sibi etiam inuicem sunt similia. Quare cognosci per sui speciem, est cognosci in seipso: cognosci vero per alterius speciem, est cognosci per eius similitudinẽ in altero existentem: quę profecto modo, visa in Deo cognoscuntur: Diuina namque essentia, non solũ fungitur obiecti officio, in quo alia videntur; verumetiam vicem adhibet speciei, qua intellectus assimilatur obiecto. sed hoc est mirabile in huiusmodi diuina visione, quia videntes diuinam essentiam, simul vident omnia, quæ in ipso vident. *Non erunt volubiles nostræ cogitationes*, inquit August. *ab alia in alia euntes atque redeuntes, sed omnẽ scientiam nostram vno simul conspectu videbimus.*

Simul videbunt omnia. *Aug. vlt. de Trinit.*

Quod vero in hac vita positi multa simul intelligere nõ valemus, in causa est, quia multa per varias species intelligimus. Porro, diuersis specieb. vnus intellectus simul actu nequaquam informari potest, vt per eas intelligat: quemadmodũ neque vnum, atq; idem corpus diuersis simul figuris figurari. Ex quo cõtingit, quod quãdo aliqua multa sub vna specie intelligi possunt; simul etiã intelliguntur: puta, si alicuius totius domus, seu corporis partes vna specie intelligãtur, vtiq; simul intelligerẽtur. Secus vero res se haberet, si singulę partes sub singulis atq; propriis specieb. intelligerẽtur. nã tũc successiue, & nõ simul, vt intelligãtur, necesse esset. Cũ vero ea, quę videntur in Deo, nõ per proprias species, sed per diuinam essentiam videantur: par est, vt simul, & non successiue ab oculo mentis purgatissimæ, & deiformis conspiciãtur atque possideantur.

Epilogus.

Quo ergo modo fiat visio diuina, & quod oculo mentali, & non corporeo videatur, neque id sine lumine gloriæ desuper infuso, quodque non æquo modo ab omnibus videatur, nec à quoque intellectu creato comprehendatur, denique, quod videns Deum, non videat omnia quæ Deus videt, nec per similitudines, sed simul omnia per diuinam essentiam videat, breuiter dixi.

MERCVRIVS.

Imprimis autem oportet vestem, quam circumfers exuere, indumentum inscitiæ, prauitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, viuam mortem, sensuum cadauer, sepulchrum circumuertile, domesticum denique furem, qui dum blanditur, odit: dum odit, inuidet, huiusmodi est, quo circumtegeris vmbraculum inimicum.

Commentum VI.

Voluptates diuersæ.

Longissimo interuallo seiunctæ esse videntur cupiditates tyrannicæ; & regiæ appetitiones, atque moderatæ, tyrannicæ enim amarissimam vitam agunt: regiæ vero dulcissimam. Tyrannicæ sunt adulterinæ: regiæ autem legitimæ. Tyrannicæ legem fugiũt: rationem violant: voluptatib. se commiscent: regiæ vero legẽ venerantur rationi obediunt: & ab adulterinis se abstinent voluptatib. Mirabile plane interuallũ inter regias, & adulterinas voluptates. quarum primæ ad animum, secundæ vero ad corpus pertinent. Quam ob rem admonet Mercurius eos, qui Deũ videre cupiunt, vt tyrannicis abdicatis voluptatibus, ad legitimas euolẽt: *Imprimis*, inquit, *oportet vestem, quam circumfers, exuere.* Corpus vestem appellat; vestis enim *quasi* dicitur, eo quod corpus velet: seu à vellere, quod est vniuersæ omnis lana. Recte ergo à Mercurio corpus vesti comparatur: nã sicut corpus veste tegitur; ita plane anima corpore. hoc

Vestis nostra corpus.

autem

De Deo videndo.

quia id ferre sua natura non valet. *Ad 2.* dico, quod licet vi-
dere Deum maius sit, quam omnia creata, & quæ creari
possunt intueri; maius nihilominus est Deum sic videre,
2. quod omnia scilicet in eo cognoscantur, quam quod pau-
ca in ipso videantur. verum, quia intellectus creatus illud
maius attingere nequit; nec ergo in minus valebit. Illa er-
go Philosophi sententia bis congruit rebus, quæ intelle-
ctus creati captum non excedunt, cuiusmodi est videre o-
mnia quæ Deus videt, facit, aut facere potest. *Ad confir.* dico,
creaturæ rationali desiderium inesse ea sciendi, quæ ad il-
lius perfectionem attinent: cuiusmodi sunt species. & ge-
nera rerum, earumque rationes, quæ à quolibet videbun-
tur, à quo diuina videbitur essentia. Cognoscere vero sin-
gula quæ, & dicta & facta, & quæ animo voluuntur cu-
gitationes, non est suæ perfectionis, & naturæ: idcirco ad
illorum cognitionem habendam eius appetitus non fer-
tur. Porro, si solus videretur Deus; omne sciendi desideriũ
sufficientissime compleret, etiamsi illa omnia non viderẽ-
Lib. 5. conf. tur. *Infelix homo* (inquit Augustinus) *qui scit omnia illa, nempe
creaturas, te autem nescit: beatus autẽ qui te scit, etiam si illa nesciat.
Qui vero te, & illa nouit, non propter illa beatior est; sed propter te so-
3. lum beatus. Ad 3.* dico, Deum per quasdam imagines, non au-
tem per ipsam naturæ suę speciem ab hominibus hic agen-
Exodi 32. tibus videri: Quia non videbit me homo, & viuet. Ab ho-
mine ergo puro, nisi ab hac vita mortali fuerit separatus,
Deus per essentiam videri non potest. In causa autem est,
quia cognitionis modus, proxime modum sequitur natu-
ræ rei cognoscentis: anima autẽ nostra, quamdiu hac mor-
tali pelle tegitur, in materia corporali esse habet. Quam ob
rem, quæ habent formam in materia, naturaliter cogno-
scit: vel quæ per huiusmodi cognosci possunt. atqui per
materialium rerum naturas, diuina essentia cognosci non
potest; quãtumlibet enim per similitudinem creatam fiat,
illa non est propria diuinæ essentiæ visio: fieri ergo non po-
test, vt anima corporis vinculis inclusa, diuinam videat
essentiam. Id etiam facile persuaderi potest exemplo eorũ,
qui à corporeis rebus interdum abstrahuntur; nam tum
temporis capaciores sunt & ad capiendum, & ad intelli-
gendum diuina. At erigi ad supremum gradum intelligi-
bilium, nempe videre diuinam essentiam, non est hominis
Idem. in hac mortali vita degentis. Ex his patet solutio *ad argumẽ-
tum*: siquidem Deum ab aliquo mortalium visum fuisse;
perinde sonat in scripturis sanctis inquit Dionysius 4. *cal.
hier.* ac aliquas sensibiles, seu imaginarias figuras inspexis-
se, secundum aliquam similitudinem aliquod diuinum re-
præsentantes. Vidit ergo Iacob Deum facie ad faciem, id
est, eminentem quandam, supra cæteros intelligibilem cõ- *De Deo videndo.*
templationis gratiam percepit. Moyses quoque & Paulus
supra humanum modum eleuati sunt ad videndam diui-
nam essentiam, vt dicit Augustinus *de videndo Deo: & 12. de
Genesi ad literam. Ad conf.* respondeo, ac dico, intellectualem
visionem eorum esse, quæ animæ insunt per suam essentiã,
sicut intelligibilia intellectui. Quem profecto essendi mo-
dum DEVS Opt. Max. exhibet mentibus beatorum. viato-
rum vero adest per præsentiam, essentiam, & potentiam.
Ad 4. dicimus omnia in Deo videre, ac secundum ipsum de 4.
omnibus iudicare, propterea, quod diuini participatione
luminis, omnia & cognoscimus & diiudicamus. Quid enim
est ipsum naturale lumen rationis, nisi quædam diuini lu-
minis participatio? Quare, quemadmodum omnia sensi-
bilia, atque visibilia in Sole, hoc est, participatione lúminis
solaris, videmus, ita plane omnia intelligibilia intelligi-
mus virtute solis intelligibilis, vt dicit Plato *sexta de Repu-* *Cognitio Dei natu-*
blica. Porro naturalis nostra cognitio, quæ à sensu principiũ *ralis.*
sumit, per hæc sensibilia, quoad fieri potest, Deum videre
gestit. Ex sensibilibus autem non valet tota Dei virtus co-
gnosci, nec per consequens eius essentia videri? quia scili-
cet huiusmodi effectus, plenam suæ causæ virtutem ac es-
sentiam præseferre non valent: Verum quia huiusmodi
opera ab eo dependent, & esse acceperunt, hinc est, quod
natura docemur, & gratia illuminamur, vt Deũ dicamus
omnium principium, ac parentem, nec aliquid eorum esse,
quæ sensu percipiuntur. Verum illa cognitio de Deo, quæ *Cognitio*
per gratiam habetur, perfectior est, atq; potentior ea, quæ *per gratiã.*
per naturalem cognitionem acquiritur; siquidem cogni-
tio naturalis duobus opus habet, nempe phantasmatibus
ex sensibilibus acceptis & lumine naturali intelligibili, cu-
ius vtique virtute ab eis intelligibiles conceptiones ab-
strahuntur: Verum humana cognitio, quoad vtrumque
non parum virtutis accipit à reuelatæ gratiæ lumine; lu-
men enim naturale intellectus per huiusmodi diuini lu-
minis infusionem plurimum iuuatur atque confortatur:
& ipsa quoq; interdum phantasmata in imaginatione ho-
minis, magis rea diuinas exprimentia, quam quę à sensibus
naturaliter accipiuntur, diuinitus formantur. Sed iam
tempus est claudendi hunc Quintum Pymandri librum.
Laus tibi sancte Pymander, qui per verbum tuum lucidũ,
& Spiritum sanctum, omnium artificem, reuelas profun-
da de tenebris: & quæ delitescunt, educis in lucem. Tu so-
lus es Deus benedicendus; quoniam omnibus paternam
pietatem exhibes, nosque mortales, tua sancta religione
consecrare dignatus es. AMEN.

Laus sit nostro Pymandro.